BULLARIUM

ROMANUM

BULLARUM
DIPLOMATUM ET PRIVILEGIORUM
SANCTORUM ROMANORUM PONTIFICUM
TAURINENSIS EDITIO

LOCUPLETIOR FACTA

COLLECTIONE NOVISSIMA PLURIUM BREVIUM, EPISTOLARUM, DECRETORUM ACTORUMQUE S. SEDIS

A S. LEONE MAGNO USQUE AD PRAESENS

CURA ET STUDIO

COLLEGII ADLECTI ROMAE VIRORUM S. THEOLOGIAE ET Ss. CANONUM PERITORUM

QUAM

SS. D. N. PIUS PAPA IX

APOSTOLICA BENEDICTIONE EREXIT

AUSPICANTE

EMŌ AC REVMŌ DNŌ S. R. E. CARDINALI

ALOYSIO BILIO.

TOMUS XVII

ALEXANDER VII (ab an. MDCLXII) ad CLEMENTEM IX (ann. MDCLXIX).

AUGUSTAE TAURINORUM
A. VECCO ET SOCIIS EDITORIBUS
SUCCESS. SEBASTIANI FRANCO ET FILIORUM
M DCCC LXIX.

ALMA COLLEGE
262.11
LIBRARY
T195
Alma California

25407

LECTORI BENEVOLO

EDITORES TAURINENSES

S.

Dum priorem Operis laboriosissimi metam, nempe Bullarii Cherubiniani per Carolum Cocquelinium plurimum aucti et a Hieronymo Mainardio viginti voluminibus *in folio* editi finem, praesenti editionis nostrae tomo XVII tandem attigimus, aliquantisper respiramus. Octo, non plura, quae adhuc edenda supersunt Mainardianae editionis volumina a romano typographo non minus quam duodecim annorum spatio ab ann. MDCCXXXIII ad ann. MDCCXLIV in lucem prolata, nos, uti iam promisimus, septem nostrae editionis tomis comprehensa, duobus tantum annis Deo adiuvante dabimus.

Exhibet tomus iste, qui nunc prodit in lucem, centum et octoginta Alexandri VII constitutiones, et centum viginti sex Clementis IX, quoquot nempe pontificatus ipsius in Romanum Bullarium relatae fuere. Clementis X Acta referre sequentis tomi XVII, quem praelo incunctanter commisimus,

negotium erit; illumque mense decembri proximo, quo Synodus Oecumenica Vaticana faustissime auspicabitur, edere speramus.

Dicere non possumus quantam nobis molestiam facessant errata plurima quae in romanis voluminibus continuo nobis occurrunt emendanda, quorum catalogus proxime adiectus fere octingenta (nec tamen omnia recensuimus) praefert. At nobis quam maxime cordi est pretiosum Pontificiorum Diplomatum thesaurum a mendis, quae primorum editorum incuriâ in illum irrepserunt, expurgare. Sed petimus rogamusque ut cura, quam alienis erroribus corrigendis impendimus, benigniorem nobis reddat lectorem si quid humanitus et nos aliquando decipimur.

Vale, Lector benigne, et curis nostris benevolum te semper habeto.

Augustae Taurinorum, die XV augusti, ann. MDCCCLXIX.

A. VECCO ET SOCII.

TABULA

Quae novum ordinem *refert, quo chronologice dispositae sunt Pontificiae Constitutiones in Editione Taurinensi, collatum cum* veteri ordine *Romanae Editionis Hieronymi Mainardi.*

Edit. Taur. Tom. XVII.		Edit. Rom. Tom. VI, part. V.
	ALEXANDER VII.	
1662	CCCLXXXVI Exponi nobis nuper fecer.	386
»	CCCLXXXVII Orthodoxae fidei conserv.	388
»	CCCLXXXVIII Magnis causis adducti ...	389
»	CCCLXXXIX Iniuncti nobis caelitus...	390
»	CCCXC Pro commissâ nobis.....	391
»	CCCXCI Ad apostolicae dignitatis.	392
»	CCCXCII Emanavit nuper a congr.	393
»	CCCXCIII Pastoralis officii quo	394
»	CCCXCIV Emanavit nuper a congr.	395
»	CCCXCV Cum, sicut accepimus.....	396
»	CCCXCVI Aliàs emanarunt a nobis .	397
»	CCCXCVII Aliàs emanarunt a nobis .	398
»	CCCXCVIII Exponi nobis nuper fecit	399
»	CCCXCIX Apostolica sollicitudo....	400
»	CD Debitum pastoralis officii.	401
»	CDI Exponi nobis nuper fecit	402
»	CDII Ecclesiae catholicae	403
»	CDIII Exponi nobis nuper fecit.	404
»	CDIV Aliàs emanarunt a nobis.	405
»	CDV Ad apostolicae dignitatis.	406
»	CDVI Aliàs pro parte tunc	407
»	CDVII Pastoralis officii humilit .	408
»	CDVIII Aliàs, pro parte dilector..	409
»	CDIX Cum, sicut carissimus	410
»	CDX Apostolatus officium quod	411
»	CDXI Ratio iustitiae exigit ut .	412
»	CDXII Aliàs emanavit a congreg.	413
»	CDXIII Militantis Ecclesiae regim.	414
»	CDXIV Inter gravissimas multipl.	415
»	CDXV Aliàs pro parte dilecti ..	416
»	CDXVI Ad pastoralis dignitatis..	417
1663	CDXVII Debitum pastoralis officii.	418
»	CDXVIII Pastoralis officii, quod ..	419
»	CDXIX Pro commissâ nobis	420
»	CDXX Pastoralis officii, quod ..	421
1663	CDXXI Creditae nobis caelitus ..	422
»	CDXXII Exponi nobis nuper fecer.	423
»	CDXXIII Etsi nobis, pro curâ past..	424
»	CCXXIV Cum, sicut dilectus filius .	425
»	CDXXV Aliàs pro parte dilecti filii	426
»	CDXXVI Omnipotens Deus, magnus	427
»	CDXXVII Nuper pro parte dilector.	428
»	CDXXVIII Exponi nobis nuper fecer.	429
»	CDXXIX Illius, qui illuminat	430
»	CDXXX Quales animi nostri	431
»	CDXXXI Militantis Ecclesiae regim.	432
»	CDXXXII Cum inter ceteras Summ.	387
»	CDXXXIII Fortissimos Christi athletas	434
»	CDXXXIV Cum nos pro gerendis...	435
»	CDXXXV Militantis Ecclesiae.....	436
»	CDXXXVI Dudum felicis recordat...	437
»	CDXXXVII Exponi nobis nuper fecer.	438
»	CDXXXVIII Cum, sicut dilectus filius.	439
»	CDXXXIX Exponi nobis nuper fecit	440
»	CDXL Creditae nobis caelitus..	441
»	CDXLI Salvatoris et Domini	442
»	CDXLII Exponi nobis nuper fecer.	443
»	CDXLIII Aliàs, pro parte dilector.	444
»	CDXLIV Cum, sicut nobis innotuit.	445
»	CDXLV Cum, sicut accepimus	446
»	CDXLVI Aliàs pro parte dilecti ..	447
»	CDXLVII Cum, sicut non sine	448
»	CDXLVIII Sacrosancti apostolatus...	449
»	CDXLIX Nomine carissimi in Chr.	450
»	CDL Exponi nobis nuper fecer.	451
»	CDLI Pastoralis officii, quod..	452
»	CDLII Nomine dilectorum filior.	453
»	CDLIII Militantis Ecclesiae	454
»	CDLIV Sedes Apostolica, pia ...	455
»	CDLV Aliàs, postquam eccles..	456
»	CDLVI Emanavit nuper a congr.	457
»	CDLVII Aliàs emanarunt a congr.	458

Edit. Taur. Tom. XVII.		Edit. Rom. Tom. VI, part. V.
1664	CDLVIII Nuper pro parte dilector.	459
»	CDLIX Illius, qui charitas est et	460
»	CDLX Ad pastoralis dignitatis..	461
»	CDLXI Exponi nobis nuper fecit.	462
»	CDLXII Cum luctuosissimas.....	464
»	CDLXIII Cum, sicut non sine.....	463
»	CDLXIV Pastoralis officii, quod...	465
»	CDLXV Speculatores domus	466
»	CDLXVI Quod iam pluries indictis	467
»	CDLXVII Aliàs, piae memoriae....	468
»	CDLXVIII In supremo militantis ...	469
»	CDLXIX Nuper pro parte dilector.	470
»	CDLXX Cum nos aliàs	433

Edit. Taur. Tom. XVII.		Edit. Rom. Tom. VI, part. VI.
1664	CDLXXI Cum dilectus filius.....	471
»	CDLXXII ad CDXCII.....	471 ad 492
»	CDXCIII Militantis Ecclesiae	494
»	CDXCIV Super universas.....	493
1664-1667	CDXCV ad DLXII	495 ad 462

CLEMENS IX.

1667	I ad XLI *Idem vetus et novus ordo...*	1 ad 41
»	XLII Paterna, quam.....	43
»	XLIII Constantis et eximiae.....	42
1667-1669	XLIV ad CXXVI *Id. v. et n. ordo*	44 ad 126

INDICULUS

SS. PONTIFICUM CONSTITUTIONUM

QUAE IN TOMO XVII

EXTRA ORDINEM CHRONOLOGICUM VAGANTUR.

Datum A. D.		*Pag.*
	PIUS IV.	
26 Ianuarii	1562 Cum inter ceteras	135
	PAULUS V.	
27 Maii	1617 Dilectos filios alumnos	831
	GREGORIUS XV.	
18 Februarii	1621[a] In supremo militantis	682
8 Novembris	1621[b] Aliàs a felicis recordationis	731
	ALEXANDER VII.	
26 Iunii	1657 Inter alias	25
26 Septembris	1661[c] Sacrosancti	574
14 Aprilis	1662[d] Cum inter ceteras	147
	CLEMENS IX.	
7 Septembris	1668 In supereminenti	711
4 Ianuarii	1669 Dudum, cum felicis	833

(*a*) Vel 1622, nam ponitur data pontif. ann. II.
(*b*) Ista innuitur sed non refertur, nec legitur in Bullario.
(*c*) Ista posita fuit in tom. XVI, pag. 609, sub dat. 26 augusti 1660.
(*d*) Nos hanc posuimus ann. 1663.

INDEX

LECTIONUM VEL MENDOSARUM VEL DUBIARUM

EDITIONIS ROMANAE

QUIBUS OPPONUNTUR SINGULIS SINGULAE EMENDATIONES VEL LECTIONES

NOSTRAE EDITIONIS.

(*Vide Adv. tom.* XI *pag.* XII).

Edit. Rom. Main. Tom. VI, *Part.* V.					*Edit. Taur. Tom.* XVII.				
Pag. 212 *a*	linea	41		anno VII	*Pag.* 2 *b*	linea	6	*ult.*	anno VIII
» 216 *b*	»	18		nomine	» 3 *a*	»	11		cognomine
» 217 *a*	»	3		vinis	» 3 *b*	»	17	*ult.*	uvis (?)
» 217 *b*	»	29		et elapso	» 4 *b*	»	3	*ult.*	et quod elapso
» 218 *a*	»	17		omnibus, singulis	» 5 *b*	»	14		omnibus et singulis
» 219 *a*	»	9		plures	» 7 *a*	»	15	*ult.*	pluries
» 219 *a*	»	15		tuis	» 7 *a*	»	9	*ult.*	tuo [1]
» 219 *a*	»	20		1660	» 7 *a*	»	3	*ult.*	1600
» 219 *b*	»	12	*ult.*	curare	» 8 *b*	»	12		curam
» 220 *a*	»	8		modica cum	» 8 *b*	»	7	*ult.*	modicam
» 220 *a*	»	17		ac	» 9 *a*	»	4		ut
» 220 *a*	»	32		quaelibet	» 9 *a*	»	20		qualibet
» 220 *b*	»	35		evertenda	» 10 *a*	»	9		avertenda
» 221 *a*	»	34		itaut	» 10 *b*	»	5	*ult.*	ita
» 222 *a*	»	17	*ult.*	1662	» 12 *b*	»	12	*ult.*	1622
» 222 *a*	»	6	*ult.*	quibus suis	» 12-13				quibusvis
» 222 *b*	»	10		quo	» 13 *a*	»	16		pro
» 222 *b*	»	20		collationibus	» 13 *a*	»	13	*ult.*	collatoribus
» 222 *b*	»	27		uti	» 13 *a*	»	5		vel
» 222 *b*	»	33		ipsius	» 13 *b*	»	2		fuerint ipsius
» 222 *b*	»	10	*ult.*	deberet	» 13 *b*	»	11	*ult.*	deberent
» 222 *b*	»	5	*ult.*	poenitentiarii	» 13 *b*	»	5	*ult.*	poenitentiariis
» 223 *b*	»	35		et nunc	» 14 *a*	»	5	*ult.*	ex nunc
» 225 *b*	»	12		debebat	» 18 *a*	»	14	*ult.*	debeat
» 228 *a*	»	35		assertas	» 22 *b*	»	13	*ult.*	assertam
» 229 *a*	»	11		subiacent	» 24 *a*	»	18		subiaceant
» 229 *b*	»	12		neque	» 25 *a*	»	4		nedum
» 229 *b*	»	23	*ult.*	fratribus	» 25 *a*	»	2	*ult.*	patribus
» 229 *b*	»	12	*ult.*	contravenientibus	» 25 *b*	»	11		concernentibus (?)
» 230 *a*	»	21		in commissum	» 26 *a*	»	2		commissum

1 At bene habet edit. Main. *tuis.*

Edit. Rom. Main. Tom. VI, *Part.* V.					*Edit. Taur. Tom.* XVII
Pag. 230 *a*	linea	12	*ult.*	etiam	*Pag.* 26 *a* linea 2 *ult.* etiam commissarii apostolici
» 230 *b*	»	27		praemissis	» 26 *b* » 5 *ult.* praemissis auctoritatibus
» 230 *b*	»	32		bonorum	» 27 *a* » 2 bonum
» 231 *a*	»	1		redditu.	» 27 *a* » 3 *ult.* reditu
» 231 *a*	»	13		ab absolutionis	» 27 *b* » 11 ac amissionis [1]
» 231 *b*	»	18		a	» 28 *a* » 1 *ult.* ac
» 232 *a*	»	8		intersit.	» 29 *a* » 17 intersint
» 232 *a*	»	25	*ult.*	oratorium	» 29 *b* » 13 orationum
» 232 *a*	»	22	*ult.*	adfuerint.	» 29 *b* » 16 abfuerint
» 232 *a*	»	2	*ult.*	presbyteratum	» 29 *b* » 3 *ult.* presbyteratus
» 232 *b*	»	25		quorum.	» 30 *a* » 16 *ult.* horum
» 232 *b*	»	32		ipsa	» 30 *a* » 8 *ult.* ipso
» 232 *b*	»	38		eorumdem	» 30 *a* » 2 *ult.* earumdem
» 232 *b*	»	39		et	» 30 *a* » 1 *ult.* ut
» 233 *b*	»	7		ac	» 31 *b* » 20 hac
» 233 *b*	»	21		uni.	» 31 *b* » 9 *ult.* non plus uni
» 233 *b*	»	26		vacatione.	» 31 *b* » 4 *ult.* ratione
» 233 *b*	»	30	*ult.*	praesentabit	» 32 *a* » 13 praesentet
» 233 *b*	»	28	*ult.*	fratres	» 32 *a* » 15 patres
» 234 *a*	»	7		suo	» 32 *b* » 8 suos
» 234 *b*	»	19		more	» 33 *b* » 3 mora
» 234 *b*	»	16	*ult.*	moneatur	» 33 *b* » 2 *ult.* moneantur
» 234 *b*	»	16	*ult.*	et ipse si.	» 33 *b* » 1 *ult.* et, si ipse
» 234 *b*	»	2	*ult.*	inferiore	» 34 *a* » 15 inferiore impediri
» 235 *a*	»	14		cum	» 34 *a* » 13 *ult.* cui
» 235 *a*	»	25		deputandos	» 34 *a-b* deputandis
» 235 *a*	»	37		exhortantes.	» 34 *b* » 11 exhortationes
» 235 *a*	»	22	*ult.*	Patris	» 34 *b* » 21 partis
» 235 *a*	»	11	*ult.*	ut infra	» 34 *b* » 7 *ult.* infra
» 235 *b*	»	24		prudentia.	» 35 *a* » 13 *ult.* prudentiae
» 235 *b*	»	27		novitatum	» 35 *a* » 10 *ult.* novitiatum
» 235 *b*	»	16	*ult.*	prudentia patribus . . .	» 35 *b* » 19 prudentiae patrum
» 236 *a*	»	29		an.	» 36 *a* » 22 iudicent an
» 236 *b*	»	33		gaudio	» 37 *a* » 7 prandio
» 237 *a*	»	2		interveniendum.	» 37 *b* » 3 inserviendum
» 237 *a*	»	8		e	» 37 *b* » 10 a
» 237 *a*	»	31		utcumque.	» 37 *b* » 6 *ult.* utrumque
» 237 *a*	»	32		possint.	» 37 *b* » 5 *ult.* possit
» 237 *b*	»	6		decantatur	» 38 *a* » 8 *ult.* non decantatur
» 237 *b*	»	35		alii	» 38 *b* » 19 *ult.* alios
» 237 *b*	»	26	*ult.*	in praedictis	» 38 *b* » 12 *ult.* praedictis
» 237 *b*	»	18	*ult.*	alii	» 38 *b* » 6 alibi
» 238 *a*	»	21	*ult.*	studiis	» 39 *b* » 20 *ult.* studii
» 238 *a*	»	13	*ult.*	fuerunt.	» 39 *b* » 11 *ult.* fuerint
» 238 *b*	»	28	*ult.*	electoribus	» 40 *b* » 1 electionibus
» 238 *b*	»	23	*ult.*	recipiatur	» 40 *b* » 7 reperiatur
» 238 *b*	»	13	*ult.*	exerceant	» 40 *b* » 17 exercent
» 239 *a*	»	8		assumendis.	» 40 *b* » 3 *ult.* assumendi
» 239 *a*	»	26		VIII	» 41 *a* » 16 VII
» 239 *b*	»	18	*ult.*	Quibus	» 42 *a* » 16 *ult.* Quae
» 240 *b*	»	11	*ult.*	deputatae	» 44 *a* » 2 deputatâ
» 241 *a*	»	28		consenserint	» 44 *a* » 2 *ult.* consenserunt
» 241 *a*	»	1	*ult.*	in se	» 44 *b* » 1 *ult.* ipse
» 242 *b*	»	2	*ult.*	(*marg.*) iunii	» 47 *a* » 12 *ult.* iulii
» 243 *a*	»	7		plurimum	» 47 *b* » 10 plurimarum

[1] Male in nostra nota fuit scriptum *ammissionis*.

Edit. Rom. Main. Tom. VI, *Part.* V.					*Edit. Taur. Tom.* XVII.				
Pag. 243 *b*	linea	24		iuxta	*Pag.* 48 *a*	linea	1	*ult.*	iusta
» 246 *a*	»	22		audeant	» 52 *b*	»	4		adeant
» 246 *a*	»	20	*ult.*	quoties	» 52 *b*	»	8	*ult.*	quoti
» 247 *b*	»	18	*ult.*	eorum numerum	» 55 *a*	»	10	*ult.*	numerum
» 248 *a*	»	20		monerit	» 55 *b*	»	14	*ult.*	monebit
» 249 *a*	»	11	*ult.*	protectorem	» 57 *b*	»	6	*ult.*	protectori
» 249 *a*	»	9	*ult.*	regulariter	» 57 *b*	»	3	*ult.*	regularem
» 249 *b*	»	12		destinatus	» 58 *a*	»	18		destinatur
» 249 *b*	»	31	*ult.*	fuerit	» 58 *b*	»	2		fecerit
» 250 *b*	»	18		etiamsi illorum	» 59 *b*	»	8	*ult.*	etiamsi, etc., illorum
» 251 *b*	»	31	*ult.*	ratam	» 61 *b*	»	19	*ult.*	dummodo ratam
» 252 *a*	»	30		incurrant	» 62 *b*	»	1		incurrat
» 253 *b*	»	20		iuxta	» 64 *b*	»	6	*ult.*	contra (?)
» 253 *b*	»	34		dicti	» 65 *a*	»	9		dictus
» 255 *a*	»	16	*ult.*	Congregationem	» 67 *b*	»	16	*ult.*	congregationum
» 255 *b*	»	17		subori	» 68 *a*	»	20		suboriri
» 256 *b*	»	4		adempta	» 69 *b*	»	19		adepta
» 256 *b*	»	35		advocandis	» 70 *a*	»	8		avocandis
» 259 *a*	»	21	*ult.*	eis	» 74 *a*	»	13	*ult.*	eas
» 260 *a*	»	6		militares et ecclesiastici	» 75 *a-b*				militaris et ecclestiasticus
» 260 *a*	»	15		sortita	» 75 *b*	»	10		sortitae
» 260 *a*	»	19		status	» 75 *b*	»	16		statuum
» 261 *a*	»	13		plurium	» 77 *a*	»	11	*ult.*	plurimum
» 261 *a*	»	14		opera...allatura	» 77 *a*	»	10	*ult.*	operam...allaturam.
» 262 *a*	»	28	*ult.*	ab illis	» 79 *a*	»	17		illis
» 265 *b*	»	32		celebratis	» 84 *b*	»	18		celebrato
» 265 *b*	»	33		definitorum	» 84 *b*	»	19		definitorium
» 265 *b*	»	41		ex	» 84 *b*	»	27		in
» 266 *b*	»	25	*ult.*	Qui	» 86 *a*	»	3	*ult.*	quae
» 267 *a*	»	15	*ult.*	rursusque	» 87 *a*	»	9		rursus quod
» 268 *a*	»	31	*ult.*	opposito	» 88 *b*	»	11	*ult.*	oppositio
» 268 *b*	»	19	*ult.*	definitorium	» 89 *b*	»	11	*ult.*	definitorum
» 270 *a*	»	28	*ult.*	decrevitque	» 92 *a*	»	19		decrevit
» 270 *a*	»	22	*ult.*	generali	» 92 *a*	»	26		generalis
» 271 *a*	»	30	*ult*	in	» 93 *b*	»	16	*ult.*	aut in
» 271 *b*	»	19	*ult.*	et	» 94 *b*	»	20	*ult.*	ut
» 272 *a*	»	3		obfuerit	» 95 *a*	»	2		abfuerit
» 272 *a*	»	7	*ult.*	visitationes	» 95 *b*	»	21		visitationem
» 272 *b*	»	21	*ult.*	decedant	» 96 *a*	»	9	*ult.*	recedant
» 273 *a*	»	5		opinionem	» 96 *b*	»	16		optionem
» 274 *a*	»	31	*ult.*	quisquis	» 98 *b*	»	19		quis
» 275 *b*	»	23	*ult.*	servetur	» 101 *a*	»	17		serventur
» 276 *b*	»	21	*ult.*	excusationem	» 102 *b*	»	19		executionem
» 278 *b*	»	17		illos	» 105 *b*	»	14		alios
» 279 *a*	»	28		ut	» 106 *b*	»	11		et
» 280 *a*	»	3	*ult.*	idque	» 108 *b*	»	21		eaque
» 280 *b*	»	5		vicerectores	» 108 *b*	»	15	*ult.*	vicerectoris
» 280 *b*	»	10		decernes	» 108 *b*	»	9	*ult.*	decernens
» 281 *a*	»	12		praeferretur	» 109 *b*	»	21		perferretur
» 282 *a*	»	6		fuerat	» 111 *a*	»	14	*ult.*	fuerit
» 283 *b*	»	7	*ult.*	tuis	» 114 *a*	»	9	*ult.*	suis
» 284 *a*	»	2		et	» 114 *a*	»	1	*ult.*	ad
» 284 *b*	»	16	*ult.*	1662	» 115 *b*	»	7	*ult.*	1622
» 285 *a*	»	22		litterarum	» 116 *a*		11	*ult.*	litteras
» 285 *a*	»	27		ac tunc	» 116 *a*	»	5		actu tunc
» 285 *a*	»	34		ipsius	» 116 *b*	»	3		fuerint ipsius
» 285 *a*	»	25	*ult.*	praefatorum	» 116 *b*	»	14		praefatarum
» 285 *b*	»	27		nunc	» 117 *a*	»	9	*ult.*	tunc

Edit. Rom. Main. Tom. VI, *Part.* V.

Pag.	285 *b*	linea	28		tum
»	285 *b*	»	41		charitatis
»	286 *a*	»	15		vacarent
»	286 *a*	»	21		expedire
»	286 *a*	»	5	*ult.*	illa
»	286 *b*	»	5		utriusque
»	287 *a*	»	19		praeteritis
»	288 *b*	»	26		praesides
»	289 *a*	»	26		innodatus
»	289 *a*	»	34		illisque
»	289 *a*	»	8	*ult.*	etiamsi illorum
»	290 *b*	»	17		capitulo
»	292 *b*	»	20	*ult.*	prohibendum et interdicendum
»	293 *a*	»	12	*ult.*	non
»	293 *b*	»	1		veteris
»	293 *b*	»	21	*ult.*	duorum
»	294 *a*	»	10	*ult.*	aliis
»	294 *b*	»	2	*ult.*	(*marg.*) 26
»	295 *b*	»	1		consolatur
»	297 *a*	»	5		satagemus
»	297 *a*	»	33	*ult.*	dicantur
»	297 *a*	»	15	*ult.*	absolutos
»	297 *a*	»	8	*ult.*	cumque
»	297 *b*	»	6		ad tunc
»	297 *b*	»	11		fuerit
»	297 *b*	»	18		quae caput
»	297 *b*	»	35		ac
»	297 *b*	»	36		monasteriis
»	297 *b*	»	37		tam personis
»	297 *b*	»	39		praedictis
»	297 *b*	»	19	*ult.*	suis
»	297 *b*	»	13	*ult.*	illis
»	298 *a*	»	17		illis
»	298 *a*	»	29		Ordinum
»	298 *a*	»	24	*ult.*	die ac festo
»	298 *a*	»	20	*ult.*	illis pro tempore
»	298 *a*	»	15	*ult.*	presbyterorum
»	298 *a*	»	5	*ult.*	eiusdemque
»	298 *b*	»	14		litteris
»	298 *b*	»	26		aliis
»	298 *b*	»	39		nobis
»	298 *b*	»	42		religione
»	298 *b*	»	46		instituta
»	298 *b*	»	2	*ult.*	eorum
»	299 *a*	»	8		eorum
»	299 *b*	»	9		ordinis
»	299 *b*	»	15		impositis et imponendis
»	299 *b*	»	25		et
»	299 *b*	»	18	*ult.*	concedentur
»	299 *b*	»	10	*ult.*	a iure
»	300 *a*	»	22		aliquos
»	300 *a*	»	23		quarumvis
»	300 *a*	»	16	*ult.*	decernimur
»	300 *b*	»	28	*ult.*	omnium
»	300 *b*	»	11	*ult.*	liberalitate
»	301 *b*	»	2	*ult.*	interpositione

Edit. Rom. Tom. XVII.

Pag.	117 *a*	linea	8	*ult.*	tamen
»	117 *b*	»	7		claritatis
»	118 *a*	»	19		vacaverint
»	118 *a*	»	17		expediri facere
»	118 *b*	»	23		illae
»	118 *b*	»	11	*ult.*	utrinque
»	119 *b*	»	19	*ult.*	praemissis
»	122 *a*	»	15	*ult.*	praesidens
»	123 *a*	»	8		innodatae
»	123 *a*	»	17		illique
»	123 *b*	»	5		etiamsi, etc., illorum
»	125 *a*	»	1	*ult.*	capitulis
»	129 *a*	»	4		prohibendam et interdicendam
»	129 *b*	»	5	*ult.*	nos
»	130 *a*	»	8		vetera
»	130 *b*	»	15		duarum
»	131 *b*	»	11		iis
»	132 *a*	»	1	*ult.*	16
»	133 *a*	»	17	*ult.*	consulatur
»	135 *b*	»	15		satagimus
»	136 *a*	»	6		dicuntur
»	136 *a*	»	14	*ult.*	ablutos
»	136 *a*	»	8	*ult.*	quodque
»	136 *b*	»	8		ad id
»	136 *b*	»	12		fuerint
»	136 *b*	»	20		quae esset caput
»	136 *b*	»	2	*ult.*	in eis
»	136 *b*	»	1	*ult.*	monasterii
»	137 *a*	»	2		personis
»	137 *a*	»	4		pro dictis
»	137 *a*	»	16		in
»	137 *a*	»	23		illas
»	137 *b*	»	14		aliis
»	137 *b*	»	16	*ult.*	Ordinum ecclesiis
»	138 *a*	»	2		dies ac festa
»	138 *a*	»	6		pro tempore
»	138 *a*	»	12		presbyterum
»	138 *a*	»	15	*ult.*	eiusdem quoque
»	138 *b*	»	5		litteris continetur
»	138 *b*	»	18		aliàs
»	138 *b*	»	7	*ult.*	nobilis
»	138 *b*	»	3	*ult.*	regione
»	139 *a*	»	2		institutae
»	139 *a*	»	23		earum
»	139 *a*	»	4	*ult.*	earum
»	140 *a*	»	16	*ult.*	oneris
»	140 *a*	»	11	*ult.*	imposìti et imponendi
»	140 *b*	»	1		ut
»	140 *b*	»	13	*ult.*	concederentur
»	140 *b*	»	5	*ult.*	statutis a iure
»	141 *a*	»	13	*ult.*	quosvis
»	141 *a*	»	12	*ult.*	quorumvis
»	141 *b*	»	22		decernimus
»	142 *a*	»	1	*ult.*	ovium
»	142 *b*	»	18		deliberatione (?)
»	144 *a*	»	10	*ult.*	interpositioni

Edit. Rom. Main. Tom. VI, *Part.* V.					*Edit. Taur. Tom.* XVII.				
Pag. 302 *a*	linea 27			formiter	*Pag.* 144 *b*	linea 20			firmiter[1]
» 302 *b*	» 15	*ult.*		Sedis	» 145 *b*	» 15	*ult.*		Sedi
» 212 *a*	» 11	*ult.*		animum	» 147 *a*	» 12	*ult.*		animum nostrum
» 212 *a*	» 2	*ult.*		itidem	» 147 *a*	» 2	*ult.*		iidem
» 212 *b*	» 6			possent.	» 147 *b*	» 7			possint
» 212 *b*	» 16	*ult.*		quibuscumque	» 148 *a*	» 14			quibusque
» 212 *b*	» 14	*ult.*		convenerunt	» 148 *a*	» 16			convenietur
» 213 *a*	» 1			proindeque de	» 148 *a*	» 11	*ult.*		de
» 213 *b*	» 1			alias	» 149 *a*	» 23			alia
» 213 *b*	» 9	*ult.*		quibus etiam	» 149 *b*	» 4	*ult.*		etiam
» 213 *b*	» 1	*ult.*		quoad	» 150 *a*	» 5			quod
» 214 *a*	» 8			alios	» 150 *a*	» 14			aliàs
» 214 *a*	» 20			simul	» 150 *a*	» 16	*ult.*		semel
» 214 *a*	» 32	*ult.*		admissionibus.	» 150 *b*	» 5			administrationibus
» 214 *a*	» 25	*ult.*		exequi	» 150 *b*	» 13			et exequi
» 214 *b*	» 1			factae	» 150 *b*	» 4	*ult.*		facta
» 214 *b*	» 9			servarentur	» 151 *a*	» 5			statuerentur (?)
» 215 *a*	» 31			super	» 152 *a*	» 21			sub
» 215 *b*	» 16	*ult.*		firmitatis	» 153 *a*	» 20	*ult.*		firmatis
» 216 *a*	» 32			est.	» 153 *b*	» 12	*ult.*		sit
» 216 *a*	» 18	*ult.*		volumus autem ut	» 154 *a*	» 11			volumus ut
» 216 *a*	» 17	*ult.*		publici	» 154 *a*	» 13			publici subscriptis
» 216 *b*	» 3			VIII	» 154 *a*	» 4	*ult.*		IX
» 216 *b*	» 3			(*marg.*) 12 apr. 1662.	» 154 *a*	» 3	*ult.*		14 aprilis 1663
» 307 *b*	» 4	*ult.*		poterit et alios	» 157 *b*	» 23			poterat ad alios
» 308 *a*	» 36			qui sint	» 158 *a*	» 20			qui non sint
» 309 *b*	» 3			etiamsi	» 160 *a*	» 19	*ult.*		et, si
» 309 *b*	» 6	*ult.*		ut super	» 161 *a*	» 1			in et super
» 310 *a*	» 17	*ult.*		eiusdem	» 161 *b*	» 25			eisdem
» 311 *a*	» 8	*ult.*		nuncupati	» 163 *b*	» 5			nuncupatis
» 311 *b*	» 33			elegantis	» 164 *a*	» 5			eleganti
» 311 *b*	» 6	*ult.*		hemiicidi	» 164 *a*	» 6	*ult.*		hemicycli
» 312 *b*	» 1			platea	» 165 *a*	» 14	*ult.*		planta
» 312 *b*	» 10			efficere	» 165 *a*	» 4	*ult.*		officere
» 312 *b*	» 27	*ult.*		potiri	» 165 *b*	» 15	*ult.*		potiti
» 313 *a*	» 21	*ult.*		comprehensos	» 166 *b*	» 22			comprehensas
» 313 *b*	» 29			praedictorum	» 167 *a*	» 12	*ult.*		praedictarum
» 313 *b*	» 11	*ult.*		plena	» 167 *b*	» 19			pro plene
» 314 *a*	» 1			(*rubr.*) dimissione	» 167 *b*	» 8	*ult.*		divisione
» 314 *b*	» 15			legitima	» 168 *b*	» 14	*ult.*		legitime
» 317 *b*	» 36			interpretandas	» 173 5	» 8	*ult.*		impetrandas
» 318 *a*	» 7	*ult.*		ei	» 175 *a*	» 6			et
» 318 *b*	» 26			emanatarum	» 175 *b*	» 7			emanarunt
» 318 *b*	» 1	*ult.*		suum	» 175 *b*	» 2	*ult.*		sunt
» 319 *a*	» 4			quotidiana	» 176 *a*	» 4			quotidiana cura
» 319 *a*	» 7			firmentur	» 176 *a*	» 8			firmetur
» 319 *b*	» 19	*ult.*		supra	» 177 *a*	» 6			supra editae
» 319 *a*	» 13	*ult.*		provincialis.	» 177 *b*	» 1			provinciales
» 320 *a*	» 22			concedant	» 177 *b*	» 5	*ult.*		concedunt
» 320 *a*	» 20	*ult.*		extra.	» 178 *a*	» 25			citra
» 321 *a*	» 9	*ult.*		1639	» 180 *a*	» 1			1539
» 321 *b*	» 23			ex quod	» 180 *a*	» 9			ex quo
» 322 *a*	» 19	*ult.*		mandatur.	» 181 *b*	» 3			mandato
» 324 *a*	» 25	*ult.*		1662	» 184 *b*	» 17			1622
» 324 *a*	» 8	*ult.*		solitum.	» 184 *b*	» 8	*ult.*		solito
» 324 *a*	» 8	*ult.*		contentas.	» 184 *b*	» 8	*ult.*		concessas

[1] Ista emendatio inutilis.

Edit. Rom. Main. Tom. VI, *Part.* V.					*Edit. Taur. Tom.* XVII.				
Pag. 324 *b*	linea 17		et		*Pag.* 185 *a*	linea 19		non	
» 325 *a*	» 14		continentur		» 185 *b*	» 2	*ult.*	continerentur	
» 326 *b*	» 19	*ult.*	alias		» 188 *b*	» 16		alias retulit	
» 326 *b*	» 6	*ult.*	1689		» 188 *b*	» 3	*ult.*	1589	
» 328 *a*	» 3		fore		» 190 *b*	» 20		forte	
» 329 *b*	» 20		novissimi		» 193 *a*	» 16	*ult.*	novissime	
» 329 *b*	» 16	*ult.*	pro servata habentes		» 193 *b*	» 18		observatâ, etc., habentes	
» 330 *a*	» 19		illis		» 194 *a*	» 16		illi	
» 330 *a*	» 22		gravatos		» 194 *a*	» 19		gravatus	
» 330 *b*	» 26		et		» 195 *a*	» 12		ut	
» 331 *a*	» 21	*ult.*	patrocinii		» 196 *a*	» 19		patrimonii	
» 331 *a*	» 20	*ult.*	est		» 196 *a*	» 21		ex	
» 331 *a*	» 13	*ult.*	interrepta		» 196 *a*	» 27		intercepta	
» 331 *b*	» 30		regimini		» 196 *b*	» 15	*ult.*	regiminis	
» 333 *a*	» 11		innixe		» 199 *a*	» 6		innixae	
» 333 *b*	» 27	*ult.*	eligendorum		» 200 *a*	» 19	*ult.*	eligendi	
» 334 *a*	» 20	*ult*	casu		» 201 *a*	» 20		casus	
» 335 *a*	» 26	*ult.*	permittere, ad hanc		» 202 *b*	» 17	*ult.*	permittere, et, ad hanc	
» 335 *a*	» 22	*ult.*	ita re perfecta		» 202 *b*	» 12	*ult.*	ita ut, perfectâ	
» 338 *a*	» 17		capitulo		» 202 *b*	» 4	*ult.*	capituli	
» 341 *a*	» 9	*ult.*	illa		» 212 *b*	» 6	*ult.*	illo	
» 341 *b*	» 7		aliis		» 213 *a*	» 12		aliam	
» 342 *b*	» 15	*ult.*	decernimus		» 215 *a*	» 10	*ult.*	devenimus	
» 343 *a*	» 7	*ult.*	supponantur		» 216 *a*	» 17	*ult.*	supprimantur	
» 344 *a*	» 16		commodatum		» 217 *a*	» 6	*ult.*	commendatum	
» 345 *b*	» 7	*ult.*	quibus		» 220 *b*	» 1		quo	
» 346 *a*	» 4		his		» 220 *b*	» 12		is	
» 348 *a*	» 25	*ult.*	in his		» 222 *a*	» 20		in qua his	
» 348 *a*	» 14	*ult.*	proferre		» 222 *a*	» 12	*ult.*	perferre	
» 348 *a*	» 8	*ult.*	propriorum		» 222 *a*	» 6	*ult.*	propiorum	
» 348 *b*	» 11	*ult.*	proprius		» 223 *a*	» 19		propius	
» 349 *a*	» 14		necessarium		» 223 *b*	» 2		necessariarum	
» 349 *b*	» 12	*ult.*	localia		» 224 *b*	» 10	*ult.*	iocalia	
» 350 *b*	» 4		ad		» 226 *b*	» 8	*ult.*	ac	
» 351 *b*	» 11		consensu		» 227 *b*	» 12		consensus	
» 352 *a*	» 14		illis		» 228 *b*	» 3		pro expressis et insertis habentes, illis	
» 347 *a*	» 6	*ult.*	eligendi		» 230 *a*	» 12		eligendis	
» 347 *b*	» 23		tuo		» 230 *a*	» 2	*ult.*	tuâ	
» 347 *b*	» 25		nostra		» 230 *b*	» 1		nostro	
» 352 *b*	» 25		ecclesiam		» 231 *a*	» 15		ecclesiae	
» 352 *b*	» 27		annexa		» 231 *b*	» 12		annexae	
» 353 *a*	» 18		huic		» 232 *a*	» 7	*ult.*	hinc	
» 353 *a*	» 26		adimus		» 222 *b*	» 3		demimus (?)	
» 354 *b*	» 23	*ult.*	ac		» 235 *a*	» 24		ne	
» 355 *b*	» 13	*ult.*	misericordiam		» 237 *a*	» 3		misericordiae	
» 356 *a*	» 15		et		» 237 *a*	» 13	*ult.*	ut	
» 356 *b*	» 1	*ult.*	aliis		» 238 *b*	» 16	*ult.*	iis	
» 357 *b*	» 22		congregari		» 240 *a*	» 13		congregati	
» 359 *a*	» 39		seu illorum		» 242 *b*	» 15		seu illorum alteri [1]	
» 359 *a*	» 4	*ult.*	nominationes		» 243 *a*	» 1		monitiones	
» 359 *b*	» 24		aut		» 243 *a*	» 12	*ult.*	autem [2]	
» 359 *b*	» 35		extenderent		» 243 *a*	» 2	*ult.*	extenderet	
» 359 *b*	» 1	*ult.*	propter		» 243 *b*	» 5	*ult.*	super	
» 360 *a*	» 16	*ult.*	recolendae		» 244 *a*	» 12		recolendae memoriae [3]	

1 Aptius corrige *illorum* omisso *seu* (R. T.).
2 Hanc emendationem nunc addimus.
3 Potius legendum *similis recordationis.*

Edit. Rom. Main. Tom. VI, *Part.* V.					*Edit. Taur. Tom.* XVII.				
Pag. 360 *a*	linea 10	*ult.*	gratias		*Pag.* 244 *b*	linea 14		gratiam	
» 361 *a*	» 18		usque		» 245 *b*	» 17	*ult.*	atque	
» 363 *b*	» 13		Ordinum		» 249 *a*	» 8	*ult.*	Ordinis	
» 363 *b*	» 2	*ult.*	(*marg.*) 1663		» 249 *b*	» 21		1664	
» 304 *a*	» 10	*ult.*	deberent, etiam		» 250 *b*	» 7	*ult.*	debentes, etiamsi	
» 304 *b*	» 30	*ult.*	pensionis		» 251 *b*	» 1		pensiones	
» 304 *b*	» 22	*ult.*	ratam pensionis tangentis		» 251 *b*	» 9		ratae pensionem tangentis	
» 305 *a*	» 19		ratam		» 252 *a*	» 9		iuxta ratam	
» 305 *a*	» 28	*ult.*	approbatis et confirmatis		» 252 *b*	» 8	*ult.*	approbatae et confirmatae	
» 305 *a*	» 27	*ult.*	approbandis et confirmandis		» 252 *a*	» 7	*ult.*	approbandae et confirmandae	
» 306 *a*	» 1		(*marg.*) 1663		» 253 *b*	» 12		1664	

Tom. VI, *Part.* VI.

» 2 *a*	» 22		eadem	» 254 *b*	» 2	*ult.*	eisdem	
» 2 *a*	» 35		incola	» 255 *a*	» 13		incolae	
» 2 *a*	» 15	*ult.*	necessaria	» 255 *a*	» 10	*ult.*	necessariam	
» 3 *b*	» 14		atque	» 257 *a*	» 26		et quae	
» 5 *b*	» 2	*ult.*	praedictos	» 261 *a*	» 7		praèditos	
» 7 *b*	» 3	*ult.*	devenire	» 264 *a*	» 16	*ult.*	deveniri	
» 7 *b*	» 1	*ult.*	dictaque	» 264 *a*	» 14	*ult.*	dictasque	
» 8 *a*	» 8		reperiveris	» 264 *a*	» 5	*ult.*	reperireris	
» 8 *b*	» 34		praemittimus	» 265 *b*	» 4		permittimus	
» 10 *b*	» 20		conclusam	» 268 *b*	» 22		conclusum	
» 15 *a*	» 2		Congregationis Sacrae.	» 275 *b*	» 19		congregationis	
» 15 *a*	» 4		congregationi	» 275 *b*	» 20		sacrae congregationi	
» 15 *a*	» 4	*ult.*	necessarias	» 276 *a*	» 12	*ult.*	necessariae	
» 15 *b*	» 17	*ult.*	sub	» 277 *a*	» 1		aliis	
» 17 *a*	» 11	*ult.*	patruum	» 279 *a*	» 3	*ult.*	patrum	
» 17 *a-b*			construere	» 279 *b*	» 8		consurgere	
» 17 *b*	» 4		videntur	» 279 *b*	» 12		videantur	
» 17 *b*	» 20	*ult.*	inconveniens	» 280 *a*	» 19		id conveniens	
» 18 *b*	» 1	*ult.*	prorogatione	» 281-282			propagatione	
» 20 *b*	» 17		promoventur	» 284 *b*	» 14		promerentur	
» 20 *b*	» 25		regnis	» 284 *b*	» 23		regis	
» 23 *b*	» 8		pro	» 289 *a*	» 23		quo	
» 23 *b*	» 14	*ult.*	admonere	» 289 *b*	» 10	*ult.*	admovere	
» 24 *a*	» 3	*ult.*	Cum	» 290 *b*	» 14	*ult.*	Circa	
» 25 *a*	» 11	*ult.*	quo nunc	» 292 *a*	» 11	*ult.*	pro nunc	
» 27 *a*	» 27	*ult.*	aliarum	» 295 *a*	» 5	*ult.*	aliis	
» 28 *a*	» 17		semper	» 296 *b*	» 24		super	
» 28 *a*	» 2	*ult.*	expressas	» 297 *a*	» 12	*ult.*	expressis	
» 29 *a*	» 25	*ult.*	v	» 298 *b*	» 20		III	
» 29 *a*	» 24	*ult.*	genitorum	» 298 *b*	» 21		genitori	
» 31 *a*	» 13		totaque	» 301 *b*	» 13		totoque	
» 31 *b*	» 9	*ult.*	subsequenti	» 303 *a*	» 5		subsequuti	
» 32 *a*	» 20		derogari iure	» 303 *a*	» 10	*ult.*	derogare iuri	
» 32 *a*	» 14	*ult.*	versus	» 303 *b*	» 14	*ult.*	adversus	
» 32 *a*	» 8	*ult.*	sive	» 303 *b*	» 8	*ult.*	sine	
» 33 *b*	» 19	*ult.*	aliam	» 306 *a*	» 18		alia	
» 36 *a*	» 6	*ult.*	necnon illorum	» 310 *a*	» 26		necnon illorum iuramento	
» 36 *b*	» 8	*ult.*	(*marg.*) 10	» 311 *a*	» 5		20	
» 37 *a*	» 29	*ult.*	regnorum	» 313 *a*	» 21		regnum	
» 37 *b*	» 32		aliquos	» 313 *b*	» 1	*ult.*	aliquot	
» 38 *a*	» 2		cum venerabilibus fratribus nostris	» 314 *a*	» 2	*ult.*	tum venerabilis fratris nostri	
» 38 *a*	» 27	*ult.*	personam	» 314 *b*	» 6	*ult.*	praesentandi personam	

Edit. Rom. Main. Tom. VI, *Part.* VI.						*Edit. Taur. Tom.* XVII.					
Pag.	39 *b*	linea	30		desideret	*Pag.*	315 *b*	linea	15		desiderent
»	41 *b*	»	23	*ult.*	reperta	»	318 *b*	»	10	*ult.*	repertae
»	41 *b*	»	8	*ult.*	quae	»	319 *a*	»	6		aut quae
»	45 *a*	»	27		via	»	324 *a*	»	13	*ult.*	viae
»	46 *b*	»	19		qui memorato	»	326 *b*	»	1		qui a memorato
»	51 *a*	»	3		et	»	333 *b*	»	11		ut
»	54 *b*	»	32		ad	»	339 *a*	»	13	*ult.*	ac
»	55 *a*	»	8		praeesse	»	339 *b*	»	15		praeest
»	55 *a*	»	28	*ult.*	deputatis	»	340 *a*	»	17		deputatus
»	55 *a*	»	24	*ult.*	alio sive	»	340 *a*	»	22		alio sine
»	56 *a*	»	5		Diligenter	»	341 *a*	»	24		Deligentur
»	56 *a*	»	24	*ult.*	quae	»	341 *b*	»	14		qua
»	56 *b*	»	5		illo	»	341 *b*	»	4	*ult.*	illi
»	57 *a*	»	8		excitandorum	»	342 *b*	»	24		exercitandorum
»	57 *a*	»	33		inclucet	»	343 *a*	»	8		indicet
»	57 *a*	»	15	*ult.*	mortificare	»	343 *a*	»	9	*ult.*	aedificare
»	57 *a*	»	6	*ult.*	singulos	»	343 *b*	»	1		singuli
»	57 *b*	»	30	*ult.*	repetuntur	»	344 *a*	»	5		repetunt
»	57 *b*	»	25	*ult.*	memoria ei	»	344 *a*	»	11		memoriei
»	58 *a*	»	9		ad Orationem	»	344 *b*	»	5		adorationem
»	58 *a*	»	11		praecumbentes	»	344 *b*	»	7		procumbentes
»	58 *a*	»	32		maiores	»	344 *b*	»	14	*ult.*	maioris
»	58 *a*	»	13	*ult.*	affectum	»	345 *a*	»	10		affectuum
»	59 *a*	»	4		versu	»	346 *a*	»	3		versus
»	59 *a*	»	10	*ult.*	tempore	»	346 *b*	»	20		tacpore
»	59 *a*	»	4	*ult.*	protelari	»	346 *b*	»	18	*ult.*	protrahi
»	59 *b*	»	24		*an Galli mane*	»	347 *b*	»	11		*an galli cantu, an mane*
»	59 *b*	»	26		*venerint*	»	347 *a*	»	13		*venerit*
»	59 *b*	»	6	*ult.*	meditationi	»	347 *a*	»	6		meditatione
»	59 *b*	»	2	*ult.*	de futura	»	347 *b*	»	9		defutura
»	60 *b*	»	32		cum	»	348 *b*	»	24		eum
»	60 *b*	»	22	*ult.*	ecclesias	»	348 *b*	»	7	*ult.*	ecclesiâ
»	61 *a*	»	3	*ult.*	desit	»	349 *b*	»	12	*ult.*	non desit
»	61 *b*	»	10	*ult.*	aut	»	350 *b*	»	7		an
»	62 *a*	»	2		conformet	»	350 *b*	»	19		conformis
»	62 *b*	»	10	*ult.*	sive	»	352 *a*	»	8		sine
»	63 *a*	»	13		tollere qui	»	352 *a*	»	12	*ult.*	tollique
»	63 *b*	»	30		et minusque	»	353 *a*	»	12	*ult.*	ad minusque
»	63 *b*	»	15	*ult.*	si ipsi	»	353 *b*	»	11		Ii ipsi
»	64 *a*	»	15		scribentis	»	353 *b*	»	2	*ult.*	scribentibus
»	64 *a*	»	38		altenas quodam	»	354 *a*	»	16	*ult.*	alter vas quoddam
»	64 *a*	»	40		in quem	»	354 *a*	»	14	*ult.*	in quod
»	64 *a*	»	41		Elegit	»	354 *a*	»	13	*ult.*	Eligit
»	64 *a*	»	43		Exigit	»	354 *a*	»	11	*ult.*	Erigit
»	64 *a*	»	47		obtatisque	»	354 *a*	»	7	*ult.*	oblatisque
»	64 *a*	»	16	*ult.*	vice	»	354 *b*	»	2		voce
»	64 *b*	»	1		in se	»	354 *b*	»	19		ipse
»	64 *b*	»	11		adfuerit	»	354 *b*	»	11	*ult.*	abfuerit
»	64 *b*	»	25		Reportatis	»	355 *a*	»	3		Reportat
»	64 *a*	»	5	*ult.*	suo	»	355 *a*	»	4	*ult.*	suâ
»	65 *a*	»	27		ut	»	355 *b*	»	17	*ult.*	et
»	65 *b*	»	9		Quod	»	356 *a*	»	11	*ult.*	Quod si
»	65 *b*	»	9	*ult.*	quidem	»	357 *a*	»	1		quidam
»	65 *b*	»	6	*ult.*	propter	»	357 *a*	»	4		praeter
»	66 *a*	»	7		et	»	357 *a*	»	18		ei
»	66 *a*	»	16	*ult.*	ad	»	357 *b*	»	19		ab
»	66 *b*	»	24		schedula	»	358 *a*	»	17		schola
»	66 *b*	»	24	*ult.*	earum	»	358 *a*	»	11	*ult.*	eorum

Edit. Rom. Main. Tom. VI. *Part.* VI.					*Edit. Taur. Tom.* XVII.				
Pag.	66 *b*	linea	17 *ult.*	Ad quae	*Pag.*	358 *a*	linea	3 *ult.*	Atque
»	67 *a*	»	21 *ult.*	*Misereatur*	»	359 *a*	»	17	*Miserere*
»	68 *a*	»	31	*nec.*	»	360 *b*	»	16	*ne*
»	68 *a*	»	32	minus	»	360 *b*	»	16	Dominus
»	70 *b*	»	35	confraternitatis	»	364 *b*	»	11 *ult.*	confraternitatibus
»	71 *a*	»	31	x	»	365 *b*	»	17	xi
»	71 *b*	»	3	elegi :	»	366 *a*	»	14	eligi
»	72 *a*	»	24 *ult.*	evertenda	»	366 *b*	»	1 *ult.*	avertenda
»	74 *a*	»	12	procedat	»	370 *a*	»	15 *ult.*	procedant
»	74 *a*	»	21 *ult.*	(*marg.*) iulii	»	370 *b*	»	16 *ult.*	iunii
»	76 *a*	»	24	consistantur	»	373 *b*	»	17 *ult.*	consistant
»	78 *a*	»	28 *ult.*	eius	»	377 *a*	»	7	cuius
»	78 *a*	»	27 *ult.*	competit	»	377 *a*	»	8	competat
»	78 *b*	»	6	praecedet.	»	377 *a*	»	2 *ult.*	praecedit
»	79 *a*	»	14	18	»	378 *a*	»	7 *ult.*	28
»	80 *b*	»	2	eorum	»	380 *b*	»	2	earum
»	80 *b*	»	6	oppido	»	380 *b*	»	6	oppidis
»	81 *a*	»	35	tradita	»	381 *b*	»	19	traditâ servatâ
»	87 *a*	»	5	arbitramur	»	391 *a*	»	14	arbitratur
»	87 *a*	»	10	erga nationem zelo . . .	»	391 *a*	»	19	erga suam nationem charitatis zelo
»	87 *b*	»	7	erecta	»	392 *a*	»	5	erecto
»	90 *a*	»	6	clarissimi.	»	396 *a*	»	10	carissimi
»	91 *b*	»	20 *ult.*	posita	»	399 *a*	»	1	potita
»	92 *a*	»	30 *ult.*	petita	»	399 *b*	»	19	potita
»	92 *a*	»	27 *ult.*	triennium	»	399 *b*	»	23	biennium (?)
»	95 *a*	»	16	sua	»	404 *a*	»	21	seu
»	95 *b*	»	12 *ult.*	(*marg.*) 9.	»	405 *b*	»	5	5
»	96 *b*	»	29	parochiales	»	406 *b*	»	17 *ult.*	ex parochiales
»	100 *a*	»	8 *ult.*	omniaque illic in alia pace	»	412 *a*	»	16	omniaque alia illic in pace
»	100 *b*	»	36	ex hoc.	»	413 *a*	»	15	ex hac
»	100 *b*	»	10 *ult.*	istitumque	»	413 *b*	»	11	institutumque
»	100 *b*	»	1 *ult.*	illius.	»	413 *b*	»	20	ullius
»	101 *a*	»	3	suisque.	»	413 *b*	»	24	tuisque
»	101 *a*	»	6	Cetera	»	413 *b*	»	27	Ceterum
»	101 *a*	»	12	patruum	»	413 *b*	»	8 *ult.*	patrum
»	101 *a*	»	20	sibi	»	414 *a*	»	2	tibi
»	101 *a*	»	24	dilationem	»	414 *a*	»	5	dilatationem
»	101 *a*	»	3 *ult.*	88	»	414 *b*	»	7	188
»	108 *a*	»	6 *ult.*	admovere	»	424 *b*	»	1	amovère
»	109 *a*	»	26	iure	»	425 *b*	»	18	iura
»	110 *a*	»	21	1665	»	427 *a*	»	11 *ult.*	1666
»	110 *b*	»	26	aleae.	»	428 *a*	»	13	aliae
»	113 *a*	»	11	xi	»	431 *b*	»	7 *ult.*	xii
»	114 *a*	»	3	illic	»	433 *a*	»	15 *ult.*	illico
»	114 *b*	»	22 *ult.*	fide	»	434 *b*	»	17	fidei
»	114 *b*	»	13 *ult.*	venerandus.	»	434 *b*	»	28	venerabundus
»	115 *a*	»	19 *ult.*	insurgat	»	435 *b*	»	4	si insurgat
»	115 *b*	»	24	potius	»	436 *a*	»	6	potitus
»	118 *a*	»	20	xi	»	440 *a*	»	6	xii
»	123 *a*	»	26 *ult.*	cedere	»	448 *a*	»	8 *ult.*	petere (?)
»	127 *a*	»	17 *ult.*	privatione	»	454 *b*	»	1 *ult.*	privationis
»	127 *b*	»	23	moribus	»	455 *a*	»	2 *ult.*	motibus (?)
»	127 *b*	»	6 *ult.*	perpetuaque inhabilitate.	»	455 *b*	»	2 *ult.*	perpetuaeque inhabilitatis
»	130 *a*	»	1 *ult.*	et	»	458 *b*	»	14 *ult.*	ut
»	131 *a*	»	31	dio	»	460 *a*	»	3	die
»	131 *b*	»	41	qua	»	460 *b*	»	2 *ult.*	quae
»	129 *b*	»	29	pro servata habentes . .	»	462 *b*	»	23	observatâ, etc., habentes

Edit. Rom. Main. Tom. VI, *Part.* VI.					*Edit. Taur. Tom.* XVII.				
Pag. 132 *b*	linea	11 *ult.*	computanda		*Pag.* 464 *a*	linea	11		computando
» 124 *a*	»	24	firmantur.		» 466 *a*	»	4		firmari
» 134 *a*	»	29	mandatorum		» 468 *a*	»	9		morum
» 137 *a*	»	10 *ult.*	celebrat		» 471 *a*	»	22 *ult.*		celebratur
» 138 *b*	»	11 *ult.*	parochis		» 473 *b*	»	15		parochiis
» 140 *b*	»	32	diversae		» 476 *b*	»	5		adversae
» 140 *b*	»	33	parenti		» 476 *b*	»	6		parendi
» 141 *b*	»	17	quos		» 478 *a*	»	3		quas
» 142 *a*	»	13	contingentis		» 478 *b*	»	15 *ult.*		contingenti
» 145 *a*	»	21	absolvendo		» 483 *b*	»	12 *ult.*		absolvendi
» 145 *b*	»	9	ad		» 484 *b*	»	5		ac
» 146 *b*	»	9	in infrascripti		» 486 *a*	»	11		infrascripti
» 146 *b*	»	27 *ult.*	nomina		» 486 *b*	»	4		nomine
» 147 *b*	»	19	et		» 487 *b*	»	8 *ult.*		uti
» 147 *b*	»	27	praesens.		» 488 *a*	»	26 *ult.*		si praesens
» 147 *b*	»	18 *ult.*	congregationes		» 488 *a*	»	15 *ult.*		congregationem
» 153 *a*	»	17	testium.		» 496 *b*	»	11 *ult.*		testibus
» 153 *a*	»	33	magister		» 497 *a*	»	4		magistri
» 154 *b*	»	9	ad te.		» 499 *a*	»	18 *ult.*		usque
» 154 *b*	»	36	utilis		» 499 *b*	»	12		titulo utilis
» 154 *b*	»	41	comprehendi		» 499 *b*	»	16		comprehensis
» 154 *b*	»	45	quovis		» 499 *b*	»	21		quosvis
» 154 *b*	»	49	investiti		» 499 *b*	»	25		investito
» 155 *a*	»	4	succedit		» 500 *a*	»	8		succedat
» 155 *a*	»	9	vires		» 500 *a*	»	14		vices
» 156 *a*	»	30	ipso		» 500 *a*	»	7 *ult.*		ipsi
» 155 *a*	»	30 *ult.*	interveniente		» 500 *b*	»	6		instrumento
» 155 *a*	»	21 *ult.*	archiepiscopi		» 500 *b*	»	15		archiepiscopatus
» 155 *a*	»	7 *ult.*	dicit		» 500 *b*	»	12 *ult.*		opponere (?)
» 155 *b*	»	5	genuflexo.		» 501 *a*	»	1		genuflexus
» 155 *b*	»	15	canonicae instantibus		» 501 *a*	»	11		canonice intrantibus
» 155 *b*	»	37	incomprehensa		» 501 *a*	»	6 *ult.*		comprehensa
» 155 *b*	»	39	fuerunt.		» 501 *a*	»	3 *ult.*		fuerint
» 155 *b*	»	41	recognoscant		» 501 *a*	»	1 *ult.*		recognoscent
» 155 *b*	»	44	solvant		» 501 *b*	»	3		solvent
» 155 *b*	»	49	teneretur		» 501 *b*	»	8		tenetur
» 155 *b*	»	49	dominus		» 501 *b*	»	9		domino
» 157 *a*	»	28	tutti		» 503 *b*	»	12 *ult.*		tuti
» 157 *a*	»	11 *ult.*	26		» 504 *a*	»	21 *ult.*		6
» 157 *b*	»	8	nominanda, vel a quo		» 504 *a*	»	1 *ult.*		nominandae, cum qua
» 157 *b*	»	36 *ult.*	acquisitionis		» 504 *b*	»	15 *ult.*		acquisitoris
» 157 *b*	»	26 *ult.*	censorum.		» 504 *b*	»	3 *ult.*		concessorum
» 157 *b*	»	13 *ult.*	laudemus.		» 505 *a*	»	8		laudemii
» 157 *b*	»	4 *ult.*	recipi		» 505 *a*	»	19		recepi
» 160 *a*	»	11 *ult.*	XII		» 509 *a*	»	20		XIII
» 163 *a*	»	32 *ult.*	ordinarii		» 513 *b*	»	7 *ult.*		ordinariis
» 163 *a*	»	17	principium		» 513 *b*	»	16		principum
» 165 *a*	»	15	onere		» 517 *b*	»	7		honore
» 167 *b*	»	3	quorumvis		» 520 *b*	»	12		quarumvis
» 172 *b*	»	25 *ult.*	quoque.		» 529 *a*	»	14		quaeque
» 172 *b*	»	22 *ult.*	praefixi.		» 529 *a*	»	18		praefici
» 173 *a*	»	13 *ult.*	praestiteris		» 530 *a*	»	15		perstiteris
» 174 *b*	»	2	electo		» 531 *b*	»	5 *ult.*		electum
» 174 *b*	»	28	absolutos		» 532 *a*	»	21 *ult.*		absolutas
» 176 *b*	»	36	promovere		» 535 *b*	»	3		promoveri
» 178 *b*	»	4	faciendas		» 538 *a*	»	7 *ult.*		faciendae
» 178 *b*	»	22 *ult.*	militiarum		» 538 *b*	»	2 *ult.*		militarium
» 180 *b*	»	5	eximiae.		» 541 *b*	»	14		eximio

Edit. Rom. Main. Tom. VI, *Part.* VI.			*Edit. Taur. Tom.* XVII.		
Pag. 181 *a*	linea 27 *ult.*	monasterii	*Pag.* 542 *b*	linea 6 *ult.*	monasteria
» 181 *b*	» 32	de defunctis	» 543 *b*	» 12	defunctis
» 183 *b*	» 8	incepta	» 546 *b*	» 6	inceptae
» 183 *b*	» 21 *ult.*	confectamque	» 547 *a*	» 6	confectumque
» 189 *b*	» 10	initii	» 555 *a*	» 1 *ult.*	initis
» 189 *b*	» 20 *ult.*	reliquas	» 556 *b*	» 21	reliquos
» 190 *a*	» 17	maiores	» 557 *a*	» 14	maioris
» 190 *a*	» 31 *ult.*	aliam	» 557 *a*	» 5 *ult.*	alia
» 190 *a*	» 17 *ult.*	vacent	» 557 *b*	» 11	vacarent
» 190 *b*	» 30	profitendum	» 558 *a*	» 15	profitendi
» 190 *b*	» 40	profitendum	» 558 *a*	» 15 *ult.*	profitendi
» 190 *b*	» 20	degentes	» 558 *a*	» 6	degentis
» 190 *b*	» 29	nominationes	» 558 *a*	» 15	nominatores
» 190 *b*	» 31	prolaturos	» 558 *a*	» 17	praelaturos
» 191 *a*	» 17 *ult.*	permissa	» 559 *a*	» 16 *ult.*	praemissa
» 192 *a*	» 5	expiratum	» 560 *a*	» 6 *ult.*	expiraturum (?)
» 192 *b*	» 29	illis	» 561 *b*	» 8	omnibus
» 193 *a*	» 12	ademptionem	» 562 *a*	» 20	adeptionem
» 195 *b*	» 32	eumdem	» 565 *b*	» 6 *ult.*	eundum
» 196 *b*	» 9 *ult.*	apponat	» 568 *b*	» 20	opponat
» 199 *a*	» 4 *ult.*	opporna	» 572 *b*	» 18 *ult.*	opportuna
» 199 *a*	» 1 *ult.*	propria	» 572 *b*	» 16 *ult.*	proprio
» 201 *b*	» 3	praesumat	» 576 *b*	» 15	praesumant
» 208 *a*	» 5	aut	» 572 *a*	» 6 *ult.*	ut
» 211 *b*	» 10	nuncupati	» 588 *a*	» 14	nuncupari
» 212 *b*	» 32 *ult.*	emanata	» 590 *a*	» 9	enata
» 213 *a*	» 21	fieri	» 590 *b*	» 21 *ult.*	uti
» 216 *b*	» 25	obtinuerunt	» 596 *b*	» 4	obtinuerint
» 220 *b*	» 1	moto	» 601 *b*	» 10 *ult.*	moti
» 221 *a*	» 22	eorum	» 603 *b*	» 22	earum
» 221 *b*	» 5	detractus	» 604 *a*	» 9 *ult.*	detractis
» 211 *b*	» 13 *ult.*	percipiendi	» 605 *a*	» 2	praecipiendi
» 221 *b*	» 9 *ult.*	actu	» 605 *a*	» 6	ac tu
» 223 *a*	» 17	consuleris	» 606 *b*	» 9 *ult.*	contuleris
» 224 *b*	» 16 *ult.*	admitti	» 609 *b*	» 19 *ult.*	dimitti
» 225 *a*	» 11	libere	» 610 *a*	» 13	licere
» 233 *a*	» 31	sed	» 620 *b*	» 8	seu
» 230 *a*	» 4 *ult.*	decedat	» 624 *a*	» 7 *ult.*	decidat
» 234 *b*	» 16	catholica	» 625 *b*	» 5	catholicae
» 234 *b*	» 31	perrexit	» 625 *b*	» 21	porrexit
» 224 *b*	» 14 *ult.*	eius	» 626 *a*	» 4	earum
» 237 *a*	» 17	nonnullae	» 629 *b*	» 16	nonnulla
» 238 *a*	» 3 *ult.*	28	» 631 *b*	» 26	29
» 238 *b*	» 7	adducimus	» 632 *a*	» 4	adducimur
» 238 *b*	» 28 *ult.*	extracto	» 632 *a*	» 18 *ult.*	extructo
» 239 *a*	» 4 *ult.*	super	» 633 *a*	» 8 *ult.*	nuper
» 242 *a*	» 4 *ult.*	premissio	» 638 *a*	» 22 *ult.*	provisio
» 242 *b*	» 13	memoratis	» 638 *a*	» 5 *ult.*	memoratas
» 244 *b*	» 7	septae	» 641 *b*	» 13	sectae
» 245 *b*	» 14	eos	» 644 *b*	» 13 *ult.*	eo
» 247 *b*	» 6	processari	» 646 *b*	» 14 *ult.*	processuri
» 247 *b*	» 7 *ult.*	acti	» 647 *a*	» 1	ac si
» 248 *a*	» 6	quos	» 647 *a*	» 14	quod
» 251 *b*	» 5 *ult.*	modi	» 652 *b*	» 6	modo
» 252 *a*	» 13 *ult.*	editi	» 654 *a*	» 8	edito
» 252 *b*	» 14 *ult.*	ullum	» 654 *a*	» 9 *ult.*	illum [1]

1 At lectio Mainardiana forsan retinenda.

Edit. Rom. Main. Tom. VI, *Part.* VI.				*Edit. Taur. Tom.* XVII.			
Pag. 253 *a*	linea 21	suspendi		*Pag.* 655 *a*	linea 19 *ult.*	suspendendi
» 253 *a*	» 39	*pravis*		» 655 *a*	» 1 *ult.*	*parvis*
» 254 *a*	» 3 *ult.*	fuerint		» 657 *a*	» 6 *ult.*	fuerunt
» 254 *b*	» 13	postulat		» 657 *b*	» 10	postulabat
» 258 *b*	» 13	institeris		» 663 *b*	» 15 *ult.*	instiferitis
» 258 *b*	» 26 *ult.*	maioris		» 664 *a*	» 18	maiores
» 259 *b*	» 28	emolumenta		» 665 *b*	» 11	emolumentis
» 263 *b*	» 24	postquam		» 672 *a*	» 3	postea
» 264 *a*	» 32 *ult.*	inserto		» 673 *a*	» 5	insertis
» 265 *b*	» 5	fuerint		» 675 *a*	» 9	fuerit
» 267 *a*	» 34	possessores		» 677 *b*	» 15 *ult.*	successores (?)
» 267 *b*	» 26	dignamur		» 678 *a*	» 1 *ult.*	dignaremur
» 268 *b*	» 1 *ult.*	I		» 680 *a*	» 2 *ult.*	II
» 269 *a*	» 14 *ult.*	ecclesiasticis		» 681 *a*	» 8	ecclesiasticos
» 269 *b*	» 20	alius		» 681 *b*	» 1	aliquis
» 270 *b*	» 4	conservationem		» 682 *b*	» 3 *ult.*	conservatione
» 271 *a*	» 4	omnia		» 683 *b*	» 18 *ult.*	omni
» 271 *a*	» 5	audiendas		» 683 *b*	» 17 *ult.*	audiendi
» 272 *a*	» 23	procurant		» 685 *b*	» 4 *ult.*	procurent
» 273 *b*	» 14	possint aut debeant		» 687 *b*	» 1 *ult.*	possit aut debeat
» 273 *b*	» 16	quibus		» 688 *a*	» 3	quibusvis
» 274 *b*	» 9	1621		» 689 *b*	» 4	1622 (?)
» 274 *b*	» 14	contentis		» 689 *b*	» 8	contenta
» 274 *b*	» 13 *ult.*	roboratis		» 690 *a*	» 10	roboratorum
» 275 *a*	» 20	Laudem.		» 690 *a*	» 1 *ult.*	. . . . . (?)
» 276 *a*	» 17 *ult.*	dignaremur		» 692 *a*	» 10 *ult.*	dignaretur
» 277 *b*	» 4	ipsa		» 694 *a*	» 20	ex ipsa
» 277 *b*	» 6	una		» 694 *a*	» 22	Pia (?)
» 278 *a*	» 16	invitentur		» 695 *a*	» 17	incitentur
» 279 *a*	» 9 *ult.*	deputari		» 697 *a*	» 19 *ult.*	deputati
» 279 *b*	» 9	gravaris		» 697 *a*	» 1 *ult.*	gravatis
» 280 *a*	» 24 *ult.*	VIII		» 698 *b*	» 17	VII
» 280 *a*	» 20 *ult.*	publicandas		» 698 *b*	» 22	publicatas
» 280 *b*	» 9 *ult.*	collegii		» 699 *b*	» 17	collegiis
» 282 *a*	» 16	utilitatem		» 701 *b*	» 9	vilitatem
» 284 *b*	» 36	praestiteris		» 705 *b*	» 11 *ult.*	perstiteris
» 289 *a*	» 4 *ult.*	ieiunaverunt		» 713 *a*	» 13 *ult.*	ieiunaverint
» 239 *b*	» 30 *ult.*	eligere		» 713 *b*	» 15 *ult.*	erigere
» 289 *b*	» 3 *ult.*	(*marg.*) 13		» 714 *b*	» 16	7
» 292 *a*	» 11	illorum		» 717 *b*	» 1	illarum
» 293 *b*	» 31	aliis		» 720 *a*	» 20	aliàs (?)
» 294 *b*	» 21	triennio		» 721 *b*	» 21 *ult.*	novennio
» 297 *a*	» 31	cuiusvis		» 725 *b*	» 14 *ult.*	et cuiusvis
» 297 *a*	» 32	institutae		» 725 *b*	» 12 *ult.*	instituti regularibus
» 298 *a*	» 14	processionis		» 727 *a*	» 16 *ult.*	processioni
» 303 *a*	» 6	quod		» 735 *a*	» 7	quid
» 307 *a*	» 30 *ult.*	aliis		» 741 *b*	» 12 *ult.*	aliàs (?)
» 308 *b*	» 34 *ult.*	exercere		» 744 *a*	» 19	se exercere
» 309 *a*	» 9 *ult.*	prodent		» 745 *a*	» 15 *ult.*	prodesset
» 309 *a*	» 5 *ult.*	eorum		» 745 *a*	» 10 *ult.*	coram
» 309 *b*	» 11	deterrantur		» 745 *b*	» 5	deterreantur
» 309 *b*	» 30 *ult.*	habitae		» 745 *b*	» 9 *ult.*	habita
» 309 *b*	» 6 *ult.*	remeant		» 746 *a*	» 19	remeent
» 310 *a*	» 23 *ult.*	aligatur		» 746 *b*	» 14 *ult.*	eligatur
» 312 *b*	» 32	aliquam		» 750 *b*	» 17	aliquem
» 312 *b*	» 21 *ult.*	praepositum		» 750 *b*	» 12 *ult.*	per praepositum
» 313 *a*	» 32	quodque		» 751 *a*	» 1 *ult.*	quod qui
» 313 *b*	» 16	dictis		» 752 *a*	» 10	ex dictis

Edit. Rom. Main., Tom. VI, *Part.* VI.		*Edit. Taur. Tom.* XVII.	
Pag. 314 *a* linea 33	approbari	*Pag.* 753 *a* linea 13	approbati
» 314 *a* » 1 *ult.*	possint	» 753 *b* » 6	prosint
» 314 *b* » 5	qui	» 753 *b* » 12	quia
» 315 *b* » 7	eisdemque	» 754 *b* » 1	eisdem
» 315 *a* » 37	1668	» 754 *b* » 7 *ult.*	1669
» 317 *a* » 20 *ult.*	*sarà a*	» 757 *b* » 8 *ult.*	*fra*
» 322 *a* » 12	et	» 764 *a* » 12 *ult.*	ut
» 322 *b* » 23 *ult.*	timeatur	» 766 *a* » 5	timetur
» 322 *b* » 16 *ult.*	eorum fructus	» 766 *a* » 12	illa eorumque fructus
» 323 *b* » 24	fuerant	» 767 *a* » 10 *ult.*	fuerint
» 324 *b* » 1	designandas	» 768 *b* » 18 *ult.*	designandis
» 325 *a* » 30	faventium	» 769 *b* » 1 *ult.*	facientium
» 325 *a* » 22 *ult.*	alias	» 770 *a* » 19	aliis (?)
» 326 *a* » 24	editis	» 771 *b* » 8	concilis editis
» 328 *a* » 22	pleno	» 774 *b* » 8 *ult.*	plene
» 328 *b* » 3	tollentur	» 775 *a* » 2 *ult.*	tolluntur
» 328 *b* » 24	aliquibus	» 775 *b* » 19	ab aliquibus
» 328 *b* » 29	colorâtus	» 775 *b* » 25	coloratos
» 328 *b* » 35	postulari	» 775 *b* » 11 *ult.*	postulavit
» 329 *b* » 2 (*rubr.*)	abbatissas	» 776 *b* » 6 *ult.*	abbatias
» 337 *a* » 11	humilitati	» 786 *b* » 15	humiliati
» 337 *a* » 29 *ult.*	decursarum	» 787 *a* » 3	decursurarum
» 337 *b* » 27 *ult.*	praefatis existentium	» 787 *b* » 5 *ult.*	praefato existentibus
» 338 *a* » 13	ut	» 788 *a* » 14 *ult.*	aut
» 339 *b* » 32	protensam	» 790 *b* » 1 *ult.*	protensâ
» 343 *b* » 17	concessa	» 797 *a* » 18	concesso
» 343 *b* » 17	nunquam	» 797 *a* » 19	quempiam
» 344 *a* » 29	iulii	» 798 *a* » 17	iunii
» 345 *b* » 17	Si	» 800 *a* » 15 *ult.*	Ii
» 347 *b* » 14	habito	» 803 *b* » 8	habitâ
» 351 *a* » 10 *ult.*	synodalibus	» 809 *b* » 18	synodalibus conciliis editis
» 351 *b* » 23 *ult.*	reversi	» 810 *a* » 15 *ult.*	reverti
» 351 *b* » 20 *ult.*	maturc	» 810 *a* » 11 *ult.*	maturae
» 351 *b* » 18 *ult.*	arbitramur	» 810 *a* » 8 *ult.*	arbitratur
» 354 *a* » 17	et facti	» 814 *a* » 3	iuris et facti
» 354 *b* » 12	litteris	» 814 *b* » 15 *ult.*	litteras
» 355 *a* » 25 *ult.*	Ecclesiae	» 816 *a* » 4	Ecclesia
» 356 *a* » 32 *ult.*	provincia earum	» 817 *b* » 12	provinciarum
» 359 *b* » 18 *ult.*	ab	» 823 *b* » 17	ob
» 361 *b* » 31	convocaret	» 826 *b* » 19	convocet
» 362 *a* » 31	quodcumque	» 828 *a* » 11 *ult.*	quod quicumque
» 362 *b* » 4 *ult.*	eius	» 828 *b* » 16 *ult.*	per eum
» 363 *a* » 2	praecipit	» 828 *b* » 9 *ult.*	praecepit
» 363 *a* » 16	constitutionis	» 829 *a* » 6	congregationis
» 364 *a* » 17	absolutos	» 830 *b* » 3 *ult.*	absolutas
» 365 *a* » 4 *ult.*	1286	» 833 *a* » 21	1669 (?)
» 365 *b* » 14 *ult.*	intenderat	» 834 *a* » 2	intenderet
» 367 *b* » 20	quem	» 837 *a* » 7	quam
» 367 *b* » 30 *ult.*	esse	» 837 *a* » 10 *ult.*	sese

ALEXANDRI VII

CONSTITUTIONES

Ab anno octavo pontificatus ipsius et deinceps.

An. C. 1662

CCCLXXXVI.

Prohibitio transitus fratrum Discalceatorum congregationis Gallicanae Ordinis SS. Trinitatis redemptionis captivorum ad Calceatos vel Discalceatos congregationis Hispaniae, cum praecepto, ut, qui hucusque transierunt, remittantur, etc.[1].

Alexander Papa VII,
ad futuram rei memoriam.

Expositio. § 1. Exponi nobis nuper fecerunt dilecti filii fratres Discalceati nuncupati congregationis Gallicanae Ordinis SS. Trinitatis redemptionis captivorum quod saepius evenit ut aliqui fratres congregationis huiusmodi, absque ullâ dispensatione apostolicâ, tam ad dicti Ordinis fratres Calceatos de familiâ, quam ad Calceatos modificatos nuncupatos et Discalceatos congregationis Hispaniae transire praesumant, et per superiores generales in conventibus suis recipiantur. Quod fieri nullo modo debet, nec potest; cum, praeterquamquod in dictae Gallicanae congregationis et regularis Observantiae maximum cedat detrimentum, id etiam in litteris erectionis congregationis huiusmodi, a felicis recordâtionis Urbano Papa VIII praedecessore nostro die XII septembris MDCXXIX in simili formâ Brevis emanatis, sub poenis apostasiae (nisi prius a Sede Apostolicâ dispensatio fuerit obtenta) expresse prohibeatur. Quare dicti exponentes nobis humiliter supplicari fecerunt ut sibi in praemissis opportunae providere de benignitate apostolicâ dignaremur.

An. C. 1662

§ 2. Nos igitur, eosdem exponentes specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositorum, qui praefatas Urbani praedecesso-

Confirmat ut in rubrica.

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

ris litteras inspexerunt partesque audiverunt, consilio, attentis narratis, auctoritate apostolicâ, tenore presentium, sub poenis eo ipso incurrendis privationis vocis activae et passivae necnon officiorum et inhabilitatis ad ea et alia quaecumque in posterum obtinenda, praecipimus et iniungimus tam generali et aliis quibuscumque superioribus regularibus Ordinis praefati, ac etiam Calceatorum modificatorum nuncupatorum, quam superioribus congregationum praefatorum Excalceatorum nationis Hispaniae, ut in futurum religiosos ullos memoratae congregationis Excalceatorum Gallicanae nullatenus recipiant, seu recipere audeant, atque hucusque receptos statim ad eamdem congregationem, a qua absque apostolicâ dispensatione discesserunt, remittant, exceptis iis, qui modo reperiuntur transitum fecisse ad Congregationem Excalceatorum Hispaniae: salvâ semper in praemissis auctoritate congregationis eorumdem cardinalium.

Redeuntes punire superioribus vetat.

§ 3. Praeterea praefatae congregationis Gallicanae superioribus simili modo, auctoritate et tenore praedictis, iniungimus ut eorumdem fratrum reditum religiosâ cum charitate excipiant, nec illos propterea (iis tantum exceptis, qui aliquorum perpetratorum criminum poenas subterfugituri discesserunt) ullis poenis aut privationibus afficiant; ac proinde ita circa praemissa fieri et exequi respective sub iam dictis poenis mandamus et praecipimus.

Clausulas apponit.

§ 4. Decernentes easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contraria tollit.

§ 5. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon, quatenus opus sit, praedictorum Ordinis et congregationum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides.

§ 6. Volumus autem ut earumdem praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique locorum, tam in iudicio quam extra illud, adhibeatur, quae ipsismet praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XV aprilis MDCLXII pontificatus nostri anno VIII[1].

Dat. die 15 aprilis 1662, pontif. anno VIII.

CCCLXXXVII.

Super contributione ecclesiasticorum regnorum Castellae et Legionis decem

1 Ab electione; edit. Main. legit VII (R. T.).

et novem millionum ducatorum cum dimidio pro rege catholico[1].

Carissimo in Christo filio nostro Philippo, Hispaniarum regi catholico, Alexander Papa VII.

Carissime in Christo fili noster, salutem et apostolicam benedictionem.

Procemium. Othodoxae fidei[2] conservandae et propagandae zelus, ac singularis in nos et Apostolicam Sedem devotio, aliaque catholici nomine[3] optimo iure insigniti regis praeclara merita, quae in maiestate tuâ caelesti gratiâ resplendent, plane exigunt ut subsidia pro eiusdem fidei et dominiorum tuorum praesertim adversus haereticorum conatus defensione a tuis subditis prompte tibi oblata, quantum cum Domino possumus, ac prout postulare videtur temporum conditio, adiuvemus.

Expositio. § 1. Cum itaque, sicut maiestatis tuae[4] nomine nobis nuper expositum fuit, laici subditi tuorum regnorum Castellae et Legionis in eorum comitiis seu curiis infrascriptum subsidium maiestati tuae praestare prompte obtulerint, et ad praedictum effectum consenserint impositioni gabellarum seu sisarum super vino, aceto, oleo et carne, videlicet octavae partis specierum vel pretii vini, aceti et olei, ac ultra sisas super carne antea impositas et trium regalium pro quolibet capite pecudum, et trium morapetinorum pro qualibet librâ carnis, quae minutatim venditur, sexdecimque morapetinorum pro qualibet mensurâ *arroba* nuncupatâ vini sisati, alteriusque morapetini pro qualibet mensurâ *acumbra* nuncupatâ vini etiam sisati, ac sexdecim morapetinorum pro qualibet mensurâ olei *arroba* nuncupatâ, et quatuor morapetinorum pro qualibet librâ candelarum de sevo et saponis, vel aliàs verioribus quantitatibus, impositarum et auctarum, quae sint exigendae et percipiendae durante sexennio incipiendo a primâ die augusti currentis anni MDCLXII, nempe pro summâ decem et novem millionum cum dimidio alterius millionis, ad rationem trium millionum et ducentorum et quinquaginta millium ducatorum monetae Hispaniae quolibet anno praedicti sexennii, solvendâ ex praedictis gabellis seu sisis super praedictas rerum species, ut praefertur, impositis et auctis, ita ut omnes tam laici quam ecclesiastici praedictorum regnorum, non solum ementes et vendentes, sed etiam illi, qui praedictas rerum species percipiunt ex propriis terrenis vel affictibus, aut respective emunt in vinis[1] vel olivis, seu colligunt pro decimis, aut etiam dono accipiunt, seu aliàs ex quovis alio redditu et introitu habent et consumunt, itaut omnes laici cuiuscumque status, gradus et conditionis ac praeeminentiae ad id subsidium contribuere et gabellas seu sisas huiusmodi solvere deberent, nec ullus laicus immunis aut exemptus esset, ecclesiastici quoque eorumdem regnorum, si et postquam nostra et huius Sanctae Sedis licentia et approbatio accesserit, in subsidio huiusmodi, scilicet in praedictis gabellis super eisdem speciebus impositis et auctis, contribuere, ac gabellas seu sisas praedictas iuxta litterarum nostrarum

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

2 Similem vide Pauli V Const. CCCVII, tom. XII, pag. 423; et Urbani VIII, Const. CLXXIII, tom. XIII, pag. 398, et Constit. CDLVIII, tom. XIV, pag. 324; et Innocentii X Constit. IX, tom. XV, pag. 347, et Const. CXLI, *ibid.* pag. 665 (R. T.).

3 Aptius in loc. parall. legitur *cognomine* (R.T).

4 Sequens expositio simillima est illi quae legitur in tom. XV, pag. 347 et 665 (R. T.).

1 In locis parallelis legit *uvis* pro *vinis* (R.T.).

in formâ Brevis super praedictâ licentiâ seu approbatione expediendarum formam, continentiam et tenorem persolvere deberent: idcirco pro parte eiusdem maiestatis tuae nobis fuit humiliter supplicatum pro approbatione oneris cleri, ecclesiarum, locorumque piorum et personarum ecclesiasticarum ad contribuendum in praedicto sexennio, incipiendo a praedicto mense augusti currentis anni MDCLXII et ut sequitur usque ad mensem augusti MDCLXVIII finiendo, in praedictis sisis et gabellis iam, ut praefertur, impositis et auctis pro solutione praedictorum millionum decem et novem cum dimidio alterius millionis, attento quod, ut maiestas tua asserit, agatur de communi defensione et interesse tam laicorum quam cleri, ecclesiarum, locorum piorum et personarum ecclesiasticarum praedictorum regnorum, quodque facultates laicorum ad summam praedictam conficiendam eâ, qua expedit, celeritate infra tempus opportunum non sufficerent.

Ecclesiasticis regnorum Castellae et Legionis imponitur contributio decem novem millionum ducatorum cum dimidio pro rege catholico.

§ 2. Nos igitur, nedum promptam et obsequentem eorumdem laicorum subditorum tuorum erga te oblationem, sed etiam maiestatis tuae erga Fidem Catholicam zelum commendantes, et ad ingentes sumptus, quibus maiestas tua gravatur ob assidua quae pro defensione Fidei Catholicae tuorumque regnorum et dominiorum iugiter in pluribus orbis partibus sustinet bella, paternae dirigentes considerationis intuitum, motu proprio, et ex certâ scientiâ et maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, volentes maiestatem tuam favore prosequi gratioso, clerum, omnesque et singulas ecclesias, loca pia, personasque ecclesiasticas, tam seculares, quam cuiusvis Ordinis, etiam exempti, etiam Societatis Iesu, et Apostolicae Sedi immediate subiecti, regulares, necnon monasteria utriusque sexus, conventus et collegia, ac capitula quarumcumque ecclesiarum regnorum Castellae et Legionis praedictorum, ac in eisdem regnis commorantes et commorantia et respective consistentes et consistentia, ad conferendum et contribuendum pro eorum ratâ ad instar laicorum in dictis gabellis seu sisis, quoad praedictam summam dumtaxat decem et novem millionum cum dimidio alterius millionis praedictorum monetae illorum regnorum, mediante scilicet solutione praedictarum gabellarum seu sisarum in praedictâ quantitate tantum et super praedictarum rerum speciebus dumtaxat in dictis regnis colligendis et consumendis, ut praefertur, impositarum durante sexennio dumtaxat a praedicto mense augusti currentis anni MDCLXII ut praemittitur incipiendo et ut sequitur finiendo, et non ultra, teneri et obligatos esse (non tamen quoad praedictas rerum species, quas clerus, ecclesiae, locaque pia praedicta et personae ecclesiasticae praedictae ex propriis terrenis seu decimis, et aliis quibuscumque redditibus propriis, per se, vel alios, etiam affictuarios suos, vel etiam ex eleemosynis, sive ostiatim sive alio quovis modo pro tempore datis et erogatis ac ipsis traditis, percipiunt, et pro divino cultu, seu propriis vel familiarum suarum usibus, iuxta taxationem, ubi super his partes discordes fuerint, ad instantiam cuiuslibet earum, expensis tamen perperam contradicentis, per Ordinarios locorum ecclesiasticos seu ab eis deputatos faciendam, consumunt, pro quibus omnino immunes et exempti sint); et quod[1] elapso praedicto sexennio exactio respectu ecclesiasticorum cesset, et nullatenus quo-

1 Vocem *quod* nos addimus (R. T.).

vis praetextu vel causâ continuari possit, etiamsi integra summa decem et novem millionum cum dimidio alterius millionis huiusmodi non fuisset exacta; quodque, si ante finem sexennii praedicti summa decem et novem millium cum dimidio alterius millionis ducatorum huiusmodi confecta fuerit, ecclesiastici praedicti amplius contribuere, et dictas gabellas seu sisas, ut praefertur, solvere non debeant, sed praesens gratia expiret, nullaque sit eo ipso; quodque clerus, ecclesiae, loca pia et personae ecclesiasticae praedictae durante praedicto sexennio non possint gravari ratione cuiusvis alterius novi augmenti praedictarum gabellarum et sisarum super eisdem, ac novae impositionis aliarum gabellarum et sisarum super quibuscumque rerum speciebus, nec etiam pro portionibus *iuros* nuncupatis de laicorum tantum consensu aliàs erectis et impositis, eorumque fructibus, nisi si et postquam beneplacitum nostrum seu a successoribus nostris concessum fuerit, aliàs, in quolibet casu contraventionis, quilibet contraveniens, eo ipso, absque aliâ monitione et declaratione, sententiam excommunicationis maioris, reservatâ illius, ut infra exprimitur, absolutione, incurrat, et ad restitutionem illius in quo excesserit teneatur, tenore earumdem praesentium decernimus et declaramus. Volentes etiam quod omnes et singuli ecclesiastici praefati solvere recusantes opportunis iuris et facti remediis per Ordinarios locorum ecclesiasticos tantum ad solutionem huiusmodi cogantur, non autem coram iudicibus laicis, sive exactoribus earumdem gabellarum, sive sisarum, neque coram quibusvis aliis iudicibus laicis aut ministris, sub poenâ excommunicationis maioris et aliis poenis a sacris canonibus et constitutionibus apostolicis inflictis et comminatis ipso facto sine aliâ monitione et declaratione incurrendis (a quibus a nemine, praeterquam a nobis et Romano Pontifice pro tempore existente, absolvi, etiam vigore quorumcumque privilegiorum apostolicorum, etiam cruciatae sanctae, nequeant) conveniri ullo modo possint seu debeant, sed a praedictis Ordinariis ecclesiasticis tantum ad solutionem huiusmodi compelli valeant. Quibus Ordinariis, sub interdicti ingressus ecclesiae et suspensionis a divinis, necnon omnibus et[1] singulis eiusdem maiestatis tuae officialibus et ministris, cuiuscumque status, gradus, conditionis, dignitatis et praeeminentiae fuerint, ac aliis quibuscumque, etiam speciali notâ dignis, etiam Apostolicae Sedis delegatis et commissariis, etiam cruciatae praedictae, ceterisque omnibus aliis, ad quos quomodolibet spectat et pro tempore spectabit, sub praedictâ excommunicationis maioris poenâ, ut praefertur, eo ipso incurrendâ, eius absolutione itidem, ut supra, reservatâ, ac sub obtestatione divini iudicis, et interminatione maledictionis aeternae districte praecipiendo mandamus, ne ecclesias et loca praedicta ac clerum et ecclesiasticos aliosque praefatos indebite neque ultra, praeter aut contra continentiam et tenorem praesentium nostrarum litterarum, gravent quomodolibet, nec a quoquam gravari permittant, et nedum contra quoscumque contravenientes et quomodolibet inobservantes ad sententiarum et poenarum praedictarum declarationem et promulgationem respective, sed etiam contra eosdem ecclesiasticos et regulares, etiam exemptos, nobisque et Sedis Apostolicae immediate subiectos, etiam Socie-

Conditiones nonnullae.

Contravenientes puniantur.

1 Coniunctionem *et* nos addimus. (R.T.)

tatis Iesu, solvere recusantes, ad quamcumque simplicem eorumdem exactorum requisitionem, etiam executive, ac quacumque appellatione remotâ, auctoritate nostra procedant.

Conditio. § 3. Volumus autem quod istud subsidium, respectu contributionis cleri et ecclesiarum locorumque piorum et personarum ecclesiasticarum praedictorum regnorum, scilicet decem et novem millionum praedictorum ducatorum cum dimidio alterius millionis, succedat loco quorumcumque onerum, gravaminum et impositionum etiam pro militibus et aliis quibuscumque impositorum, ac etiam loco quorumcumque aliorum subsidiorum super millionibus per felicis recordationis Innocentium Papam X aliosque praedecessores nostros hactenus approbatorum et concessorum, ita quod illorum vigore nihil amplius a clero, nec a quoquam ecclesiarum, locorum piorum et ecclesiasticorum praedictorum exigi possit, quodque pecuniae ex praedictis subsidiis et gabellis seu sisis, ut praefertur, a dictis ecclesiasticis exigendae, in praedictos et non in alios usus convertantur, super quo eiusdem maiestatis tuae eiusque ministrorum et officialium quorumcumque conscientias oneramus.

Clausulas addit. § 4. Decernentes praesentes litteras validas, firmas et efficaces existere et fore, sicque et non aliter quovis praetextu, ratione vel causâ per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, sublatâ quacumque omnibus et singulis, cuiuscumque gradus, status, conditionis, qualitatis, praeeminentiae et dignitatis, etiam ecclesiasticae, etiam individuâ mentione dignis, quomodolibet in contrarium iudicandi, definiendi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari, interpretari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariorum derogatio. § 5. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, etiam in generalibus conciliis editis, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, ecclesiis, regnis, personis, capitulis, monasteriis, conventibus, collegiis et aliis praedictis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis, in genere vel in specie, ac aliàs in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, approbatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro sufficienti illorum derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda esset, illorum tenores, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso exprimentur, praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides transumptorum. § 6. Ut autem praesentes nostrae litterae, cum opus fuerit, ad omnium notitiam facilius devenire possint, decernimus ut earum exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae sigillo munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Ma-

iorem, sub annulo Piscatoris, die XVIII aprilis MDCLXII, pontificatus nostri anno VIII.

Dat. 18 aprilis 1662, pontif. anno VIII.

CCCLXXXVIII.

Prorogatio subsidii quadringentorum et viginti millium ducatorum super fructibus ecclesiasticis universarum Hispaniarum et Sardiniae in favorem regis catholici[1].

Carissimo in Christo filio nostro Philippo, Hispaniarum regi calholico, Alexander Papa VII.

Carissime in Christo fili noster, salutem et apostolicam benedictionem.

Decreta Summorum Pontificum recenset et confirmat.

§ 1. Magnis causis adducti concessionem subsidii annui quadringentorum et viginti millium ducatorum ex fructibus et redditibus ecclesiasticis civitatum et locorum regnorum universarum Hispaniarum, ac etiam Sardiniae, claraе memoriae Philippo II, avo tuo, Hispaniarum regi catholico, ad certum tunc expressum tempus factam, et deinde pluries[2] etiam a Gregorio XIII, Sixto V, Gregorio XIV, Clemente VIII ac Paulo V, Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris, eidem Philippo avo, et claraе similiter memoriae Philippo III etiam Hispaniarum regi catholico, genitori tuo, et a recolendae memoriae Urbano VIII et Innocentio X, Romanis Pontificibus praedecessoribus pariter nostris, per diversas eorum respective, et praesertim dicti Clementis sub datum die IX februarii MDXCII pontificatus sui anno I, et die XVII iunii MDC[3] pontificatus item sui anno IX, et die XXX octobris MDCIII pontificatus similiter sui anno XII, et dicti Pauli sub datum die XXI iunii MDCV pontificatus sui anno I, et die VII septembris MDCXI pontificatus pariter sui anno VII, et die XII novembris MDCXV pontificatus item sui anno XI, ac die XXI octobris MDCXIX pontificatus etiam sui anno XV, necnon praedicti Urbani die XXVI martii MDCXXIV pontificatus sui anno I, et deinde III maii MDCXXXIV pontificatus pariter sui anno XI[4], ac die II iunii MDCXXXV pontificatus item sui anno XII, et sub die IX ianuarii MDCXXXIX pontificatus etiam sui anno XVI, ac Innocentii, praedecessorum, die II ianuarii MDCXLV pontificatus sui anno I[2], et novissime die XXII maii MDCLI pontificatus etiam sui anno VII, in huiusmodi etiam formâ Brevis expeditas litteras ad quinquennium prorogatam, litterasque omnes desuper confectas, quarum tenores praesentibus haberi volumus pro expressis, motu proprio ac ex certâ scientiâ nostrâ ac de apostolicae potestatis plenitudine ad aliud quinquennium a fine ultimodicti quinquennii, ut praefertur, prorogati numerandum extendimus et prorogamus.

Concedit ut in rubricâ.

§ 2. Et nihilominus maiestati tuae illud ipsum annuum subsidium quadrigentorum et viginti millium ducatorum, cum omnibus et quibuscumque indultis, facultatibus, concessionibus, extensionibus, clausulis et decretis in aliis tam Pii quam Gregorii XIII, Sixti V, Gregorii XIV, Clementis VIII, et Pauli V, et Urbani VIII ac Innocentii X praedecessorum praedictorum litteris contentis, ad praedictum quinquennium a fine quinque annorum ultimo concessorum

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

2 Male ed. Main. legit *plures* pro *pluries* (R. T.).

3 Male edit. Main. legit *1660* (R. T.).

1 Istae leguntur in tom. XIV, pag. 423; reliquae omnes desunt (R. T.).

2 Sub hoc dato alia habetur in tom. XV, pagina 351 *a* nostrae editionis, Constitutio Innocentii X, in qua erronee linea 11ª scripsimus ex edit. Main. *avo suo* pro *avo tuo* (R. T.).

ut praefertur, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, concedimus et assignamus. Ac propterea venerabili fratri Carolo archiepiscopo Corinthi moderno et pro tempore existenti nostro et Sedis Apostolicae apud maiestatem tuam nuncio, necnon dilecto filio Petro Paceco, iam eiusdem subsidii exactoribus et commissariis generalibus, et eorum cuilibet, plenam et liberam in praemissis facultatem et auctoritatem tribuimus, per se, vel alium, seu alios, quos ad id idoneos duxerint, ad executionem praemissorum, ac aliàs, iuxta facultates per dictos praedecessores aliis commissariis et exactoribus ipsis concessas, omni et quacumque appellatione postpositâ, procedendi, aliaque faciendi et exequendi, quae in praemissis et circa ea necessaria fuerint seu quomodolibet opportuna.

Contrariis derogat.

§ 4. Non obstantibus praemissis, necnon omnibus aliis, quae dicti praedecessores in suis litteris praedictis voluerunt non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis danda fides.

§ 4. Ut autem praesentes litterae, cum opus fuerit, facilius ad omnium notitiam deduci possint, decernimus ut earum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra ubique habeatur, quae ipsis praesentibus haberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem sub annulo Piscatoris, die XVIII aprilis MDCLXII, pontificatus nostri anno VIII.

Dat. die 18 aprilis 1662, pontif. anno VIII.

CCCLXXXIX

Diversae ordinationes pro felici statu et directione Congregationis clericorum regularium S. Pauli Decollati[1].

Alexander Papa VII ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

Iniuncti nobis caelitus pastoralis officii ratio postulat ut, paternam religiosorum virorum, pietatis studiis laudabiliter incumbentium, uberesque bonorum operum fructus in Ecclesiâ Dei proferre iugiter satagentium, curam[2] gerentes, illorum prospero regimini et felici directioni, quantum nobis ex alto conceditur, salubriter consulere studeamus, prout, prudenti deliberatione adhibitâ, in Domino cognoscimus expedire.

Decretum aliàs emanatum refert.

§ 1. Aliàs siquidem nos per quasdam nostras in simili formâ Brevis litteras, quarum tenorem praesentibus haberi volumus pro expresso, decrevimus ut dilectus filius praepositus generalis Congregationis clericorum regularium S. Pauli Decollati unâ cum assistentibus ipsius Congregationis ad quinquennium tunc proximum in domo regulari seu collegio S. Caroli de Catinariis nuncupati de Urbe eiusdem Congregationis resideret, ibique sedem ordinariam principalem haberet.

Statuit donum pro generali et assistentibus.

§ 2. Nunc autem, considerantes non modicam[3] inde hoc biennio praefatae Congregationi utilitatem provenisse, felici eiusdem Congregationis statui, progressui, directioni et tranquillitati peramplius et uberius censuimus esse providendum. Motu itaque proprio, non ad cuiusdam nobis super hoc oblatae

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

2 Pessime edit. Main. legit *curare* pro *curam* (R. T.).

3 Male edit. Main. legit *modica cum* pro *modicam* (R. T.).

petitionis instantiam, sed ex certâ scientiâ et maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, ut[1] perpetuis futuris temporibus praepositus generalis unâ cum assistentibus Congregationis praefatae in memorato collegio S. Caroli de Catinariis resideat, ibique sedem ordinariam principalem habeat, capitula vero generalia Congregationis huiusmodi in eodem collegio celebrari debeant, tenore praesentium decernimus pariter ac statuimus et ordinamus.

Collegium subiaceat soli generali.

§ 3. Volentes ut dictum collegium nullius particularis provinciae dictae Congregationis esse censeatur, sed immediate subiaceat praefato praeposito generali, qui ex quatuor provinciis, in quas eadem Congregatio divisa reperitur, earumve qualibet[2], post factas superiorum localium electiones, indifferenter arbitrio suo eligat religiosos, qui familiam ipsius collegii constituant. Porro, praeter praepositum generalem et quatuor assistentes ac procuratorem generalem Congregationis huiusmodi, nulli alii superiores vel religiosi privilegiati mansionem stabilem in dicto collegio habere possint. Praepositus vero generalis, postquam electus fuerit, solus per seipsum, antequam alii omnes superiores locales eligantur, secundum praepositum eligat, qui collegium huiusmodi dependenter ab ipso praeposito generali regat, ac omnibus et singulis praerogativis et praeeminentiis, quibus praepositi eiusdem collegii hactenus usi, potiti et gavisi fuerunt, pariformiter uti, potiri et gaudere, necnon capitulo provinciali provinciae romanae unâ cum socio suo interesse et ibidem in vocalem capituli generalis eligi valeat.

Nationalitas servetur in electionibus.

§ 4. Ut autem omnia maiora dictae Congregationis officia inter praefatas quatuor provincias aequâ lance distribuantur, statuimus ut unaquaeque ex eisdem provinciis proprios assistentem ac visitatorem et praepositum provincialem habeat, qui sint et esse debeant nationales respective earumdem provinciarum. Nationalis vero alicuius ex provinciis huiusmodi is esse intelligatur, qui vel in illâ sit natus, vel in aliquâ ex domibus novitiatus ipsius provinciae professionem regularem emiserit, vel in eâdem provinciâ decennii continui spatio mansionem ibidem habens fuerit commoratus; hac lege ut, qui semel declaratus fuerit unius esse provinciae, nationalitate alicuius ex aliis provinciis potiri nequeat, nisi in illâ de novo per decennium permanserit; qua super re etiam capituli generalis approbatio intervenire debeat. Quia vero duos primos eiusdem Congregationis superiores, nempe praepositum generalem et procuratorem generalem, viros spectatae virtutis et idoneitatis aliisque meritis eximie praestantes esse oportet; ideo volumus eosdem praepositum generalem et procuratorem generalem ex universo corpore dictae Congregationis, nullâ servatâ provinciarum distinctione, sed solâ virtutis et idoneitatis et meritorum huiusmodi contemplatione, assumi; idque locum habeat tam in casu quo eiusmodi praepositi generalis ac procuratoris generalis officia tempore celebrationis capituli generalis vacent, quam si per mortem, aliumve quemlibet eventum in decursu triennii contingat illorum vacatio. Ceterum, eveniente ante exactum triennium vacatione officiorum assistentis ac visitatoris et provincialis, qui in locum deficientis substituetur sive subrogabitur, illius provinciae na-

1 Male edit. Main. legit *ac* pro *ut* (R. T.).
2 Male eadem edit. habet *quaelibet* (R. T.).

tionalis esse debeat in qua vacatio contigerit; quod si quis reperiatur, qui, post expletum in officiis maioribus novennium, ab officiis et dignitatibus dictae Congregationis triennii spatio vacaverit, possit is quoque pariformiter sicut alii in officium vacans suffici seu subrogari.

Nonnullae aliae ordinationes.

§ 5. Porro, ad avertenda[1] gravia inconvenientia et praeiudicia quae in eâdem Congregatione ex perpetuâ vel minus diuturnâ maiorum illius officiorum duratione seu gestione exoriri possent, statuimus quoque et ordinamus ut nullus dictae Congregationis clericus regularis officia, ad quae fit electio in capitulo generali, videlicet assistentis ac visitatoris et procuratoris generalis, vel aliquod illorum, longiori quam novem annorum spatio gerere possit, quod novennium per tria capitula generalia integra constituatur; et hoc novennium explevisse censeantur tam illi qui aliquod ex dictis officiis continue exercuerint, quam ii qui ab uno ad aliud ex eisdem officiis transierint, itaut tam in proximo capitulo generali Congregationis huiusmodi, quam deinceps in perpetuum, illi, qui novem annis dicta tria officia seu aliquod ex illis exercuisse reperientur, in eo quod gerebant officio confirmari nequeant, nec ad aliquod aliud eiusdem Congregationis officium vel dignitatem, etiam praepositi seu superioris localis, eligi valeant, nisi, post peractum novennium huiusmodi, tribus annis in statu religiosi privati permanserint. Haec tamen dispositio locum non habeat in illis, qui officia praedicta, non vigore electionis a capitulo generali factae, sed iurium subrogationis sive successionis ex causâ vacationis in decursu triennii occurrentis gesserint; tempus enim officii vigore subrogationis sive suffectionis huiusmodi gesti nolumus in novennio computari, nisi sic subrogatus sive suffectus, quo tempore in officium vacans sufficietur seu subrogabitur, aliquod aliud ex eisdem officiis maioribus sibi a capitulo generali demandatum haberet; quo casu tempus gestorum duorum officiorum huiusmodi in praefato novennio continuo computabitur. Nec pariter habeat locum iam dicta dispositio in personâ praepositi generalis, ad cuius officium eligi possit quicumque ex praefatis clericis regularibus, licet novennium in exercitio maiorum officiorum huiusmodi complevisse reperiretur. Quinimo tam modernus quam pro tempore existens praepositus generalis absque ullâ limitatione temporis in capitulis generalibus ipsius Congregationis de triennio in triennium celebrari solitis in generalatu ad eum annorum numerum, quem pro maiori bono ipsius Congregationis capitulum generale convenire censuerit, confirmari valeat iuxta constitutiones eiusdem Congregationis. Et quia per easdem constitutiones cavetur expresse ut in quolibet capitulo generali duo assistentes in suis officiis confirmentur, statuimus pariter et ordinamus ut tam in proximo quam in aliis capitulis generalibus dictae Congregationis successive celebrandis illi solummodo possint et debeant in suis officiis respective confirmari, qui novennium continuum in praefatis officiis maioribus non compleverint; ita[1] tamen ut, si ad complementum novennii huiusmodi nondum pervenerint, etiamsi eis modicum temporis spatium, etiam aliquot mensium, deficeret, possint nihilominus in capi-

1 Male edit. Main. legit *evertenda* pro *avertenda* (R. T.).

1 Male edit. Main. legit *itaut*, et deinde iterum legit *ut* (R. T.).

tulo generali confirmari ad aliud triennium in officio assistentis, illudque durante triennio huiusmodi exercere etiam pro eo tempore quod ultra praefatum novennium excurret. Alii vero duo assistentes, qui tempore celebrationis capituli generalis novennium in assistentis vel alio seu aliis maiorum officiorum praefatorum complevisse reperientur, in eiusmodi assistentis munere nequeant confirmari, sed ab omni officio et dignitate per triennium vacare debeant, sicut supra expressum est; remanente tamen semper eis libero aditu ad generalatum iuxta ea quae superius ordinavimus.

Haec omnia servari mandat.

§ 6. Postremo omnia et singula praemissa ab illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit quomodolibet in futurum, sub privationis vocis activae et passivae, ac perpetuae inhabilitatis ad obtinenda officia dictae Congregationis, necnon excommunicationis latae sententiae poenis per contraventores eo ipso absque aliâ declaratione incurrendis, inviolabiliter et inconcusse observari mandamus et praecipimus.

Clausulae.

§ 7. Decernentes easdem praesentes litteras, et in eis contenta quaecumque, etiam ex eo quod quicumque in praemissis seu eorum aliquo interesse habentes seu habere quomodolibet praetendentes, cuiusvis status, gradus, ordinis, conditionis et dignitatis, aut aliàs speciali et individuâ mentione digni existant, illis non consenserint, aut ad ea citati, vocati et auditi, seu causae, propter quas praesentes emanarunt, adductae, verificatae et iustificatae non fuerint, aut ex aliâ quacumque quantumvis iustâ, legitimâ et privilegiatâ causâ, colore, praetextu et capite, etiam in corpore iuris clauso, etiam enormis, enormissimae et totalis laesionis, nullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrae aut interesse habentium consensus aliove quolibet quantumvis magno et substantiali defectu notari, impugnari, infringi, retractari, in controversiam revocari, aut ad terminos iuris reduci, seu adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque iuris, facti vel gratiae remedium intentari vel impetrari, aut impetrato, vel etiam motu, scientiâ et potestatis plenitudine paribus concesso, quempiam in iudicio vel extra illud uti seu se iuvare posse, sed ipsas praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, sicque et non aliter in praemissis omnibus et singulis censeri, atque ita per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos, aliosve quoslibet, quavis auctoritate et potestate fungentes et functuros, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrarie tollit.

§ 8. Non obstantibus praemissis, ac, quatenus opus sit, nostrâ et cancellariae apostolicae regulâ de non tollendo iure quaesito, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon Congregationis, provinciarum et collegii praedictorum, aliisque quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, sub quibuscumque verborum tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam de

rogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis, in genere vel in specie, etiam motu pari, ac etiam consistorialiter, aut aliàs quomodolibet, etiam iteratis vicibus, in contrarium praemissorum concessis, approbatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores, formas et occasiones praesentibus pro plene et sufficienter expressis, servatis, insertis et specificatis respective habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum specialiter et expresse ac plenissime et amplissime derogamus, ac derogatum esse volumus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis credi mandat. § 9. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique locorum et gentium tam in iudicio quam extra illud adhibeatur, quae ipsismet praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris die XVIII aprilis MDCLXII, pontificatus nostri anno VIII.

Dat. die 18 aprilis 1662, pontif. anno VIII.

CCCXC.

Extensio statuti Gregorii XV, ut canonicatus et praebendae poenitentiarii ecclesiarum metropolitanarum et cathedralium, in Hispaniarum regnis consistentium, eidem Sedi Apostolicae (non tamen ratione obitus apud eamdem) reservati, praevio concursu conferri debeant, ad ecclesias cathedrales et metropolitanas principatus Cataloniae, etc.[1].

Alexander Papa VII, ad perpetuam rei memoriam.

Expositio. Pro commissâ nobis divinitus omnium ecclesiarum sollicitudine in id peculiari studio incumbimus ut ipsarum eccclesiarum praesertim cathedralium et metropolitanarum beneficia, quibus fori poenitentialis cura annexa est, personis dignis et idoneis conferantur, quae iniunctum sibi gravissimum munus ad animarum salutem fructuose valeant adimplere.

Supplicatio. § 1. Nomine siquidem carissimi in Christo filii nostri Philippi Hispaniarum regis catholici nobis nuper expositum fuit quod aliàs felicis recordationis Gregorius Papa XV, praedecessor noster, ad ipsius Philippi regis instantiam, per quasdam suas sub plumbo anno Incarcarnationis Dominicae MDCXXII[2], idibus novembris, expeditas litteras statuit et ordinavit ut ex tunc perpetuis futuris temporibus omnes et singuli canonicatus et praebendae poenitentiarii quarumcumque metropolitanarum et cathedralium ecclesiarum in regnis Hispaniarum tunc et pro tempore existentium, tam eatenus instituti, quam deinceps quandocumque pro decretorum Concilii Tridentini complemento instituendi, quotiescumque illos, quibus-

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

2 Male edit. Main; legit *1662* (R. T.).

vis[1] modis, ex quorumcumque etiam ipsius Gregorii praedecessoris aut Romani Pontificis pro tempore existentis seu quorumvis cardinâlium etiam tunc viventium familiarium, continuorum commensalium, seu Romanae curiae officialium, aut aliàs quomodolibet reservationem inducentibus personis, etiam per cessum, etiam permutationis causâ in manibus eorum Ordinariorum, vel decessum (non tamen in curiâ aut apud Sedem Apostolicam), seu quamvis aliam dimissionem vel amissionem aut privationem, extra tamen eamdem curiam, seu religionis ingressum, aut matrimonii contractum eos tunc et pro[2] tempore obtinentium, seu ius in illis vel ad illos habentium, aut aliàs quibusvis modis (non tamen per obitum apud Sedem praefatam), ac etiam in aliquibus ex mensibus, in quibus beneficiorum ecclesiasticorum dispositio ipsi Gregorio praedecessori et Sedi praedictae, etiam per constitutiones apostolicas, seu cancellariae apostolicae regulas, erat et pro tempore foret reservata, vel etiam ordinariis collationibus[3] per easdem constitutiones seu regulas vel litteras alternativarum aut alia privilegia et indulta concessa eatenus et in posterum concedenda, simul vel successive vacare contigeret, etiamsi aliqui eorumdem canonicatuum et praebendarum poenitentiariorum actu tunc, ut praefertur, uti[4] aliàs quibusvis modis et ex quorumcumque personis (non tamen per obitum, ut praefertur, apud dictam Sedem) vacarent, et ex eo quod canonicatus et praebendas poenitentiarios huiusmodi obtinentes, seu in illis vel ad illos ius habentes, [1] ipsius Gregorii praedecessoris et quorumcumque Romanorum Pontificum eius praedecessorum seu successorum aut S. R. E. cardinalium etiam viventium et in dictâ curiâ praesentium familiares, continui commensales, seu dictae Sedis notarii, subdiaconi, acolythi, cappellani, litterarum apostolicarum abbreviatores, scriptores, cubicularii, scutiferi, proventuum et iurium camerae apostolicae debitorum collectores et subcollectores, seu quicumque alii curiae et Sedis praedictarum officiales, etiam sub diversis constitutionibus recolendae memoriae Pauli Papae II, etiam praedecessoris nostri, suorum et pro tempore existentium Romanorum Pontificum familiarium continuorum commensalium declaratoriis comprehensi, praesentes et futuri, quocumque nomine nuncupati, seu ex quavis aliâ causâ dispositioni apostolicae specialiter vel aliàs generaliter reservati, aut ex generali reservatione apostolicâ affecti seu ad Sedem eamdem devoluti existerent, per Ordinarios locorum et capitula dictarum ecclesiarum tantum praevio concursu per edictorum affixionem sub certis modo et formâ tunc expressis conferri deberent[2], cum diversis conditionibus et aliàs prout in praefatis dicti Gregorii praedecessoris litteris uberius dicitur contineri.

Gregorii XV decretum.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, canonicatu et praebendâ poenitentiarii[3] ecclesiae Barchinonensis per obitum quondam Petri Ioannis Archer, qui illos, dum viveret, obtinebat, nuper vacantibus, super eorumdem canonicatus et praebendae pro-

1 Male edit. Main. legit *quibus suis* pro *quibusvis* (R. T.).
2 Edit. Main. habet *quo* (R. T.).
3 Forsan legendum *collatoribus* pro *collationibus* (R. T.).
4 Forsan *vel* pro *uti* legendum (R. T.).

1 Hèic deest verbum *fuerint* (R. T.).
2 Male edit. Main. legit *deberet* (R. T.).
3 Potius lege *poenitentiariis* (R. T.).

visione, necnon affixione edictorum pro concursu desuper instituendo, controversiae inter venerabilem fratrem episcopum Barchinonensem, ac dilectos filios capitulum et canonicos eiusdem ecclesiae Barchinonensis fuerint exortae, et ad illos dilectus filius Iosephus Gallart, unus ex oppositoribus, electus fuerit; quia vero praetensum fuit in antecedenti dictorum canonicatus et praebendae vacatione, in qua dictus Petrus Ioannes defunctus de illis provisus fuit, memoratum statutum dicti Gregorii praedecessoris ecclesiasticos principatus Cataloniae minime comprehendere; dictus Philippus Rex statutum huiusmodi, exceptâ tamen dictâ ultimâ vacatione in qua ius quaesitum parti conservandum est, ad ecclesias dicti principatus a nobis, quatenus opus sit, extendi plurimum desideret:

Gregorii XV decretum confirmat.

§ 3. Nos igitur, Philippi regis votis hac in re favorabiliter, quantum cum Domino possumus, annuere cupientes, necnon praedictarum Gregorii praedecessoris litterarum tenorem praesentibus pro plene et sufficienter expresso ac de verbo ad verbum inserto habentes, supplicationibus eiusdem Philippi regis nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, praenarratum statutum et ordinationem memorati Gregorii praedecessoris, emanatasque desuper eius litteras praedictas, ac omnia et singula in eis contenta, ad quascumque cathedrales et metropolitanas ecclesias in dicto principatu Cataloniae nunc et pro tempore existentes, itaut et nunc[1] perpetuis futuris temporibus omnes et singuli canonicatus et praebendae poenitentiarii earumdem ecclesiarum, tam hucusque instituti, quam deinceps quandocumque pro supradicti Concilii Tridentini decretorum adimplemento instituendi, quotiescumque illos sicuti in praedictis Gregorii praedecessoris litteris expressum est vacare contigerit, praevio concursu per Ordinarios locorum et capitula dictarum ecclesiarum tantum per edictorum affixionem, et aliàs eisdem modo et formâ qui in dictis Gregorii praedecessoris litteris praescribuntur, habendo conferri debeant; et si canonicatus et praebenda poenitentiarii huiusmodi in mense apostolico vacaverint, aut aliàs, ratione personae vel loci, generaliter vel specialiter reservati seu affecti fuerint, ad illos pro tempore assumpti vel electi, intra sex menses a die eorum electionis per Ordinarios et capitula huiusmodi faciendae, litteras apostolicas desuper expedire, ac iura camerae apostolicae et aliis propterea debita solvere teneantur, ac servatis in aliis omnibus et per omnia dispositione et ordinationibus earumdem Gregorii praedecessoris litterarum, sine praeiudicio tamen iuris alteri hactenus quaesiti, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, quatenus opus sit, extendimus et ampliamus, dictasque ecclesias principatus Cataloniae in futurum gratiis per praedictas Gregorii praedecessoris litteras ecclesiis regnorum Hispaniarum concessis frui et gaudere debere decernimus et declaramus.

Decretum irritans.

§ 4. Decernentes pariter easdem praesentes letteras, etiam ex eo quod causae, propter quas emanarunt, coram locorum Ordinariis, etiam tamquam a Sede praefatâ delegatis, vel aliàs quomodolibet examinatae, iustificatae purificatae et approbatae, ipsique Ordinarii et alii inferiores collatores necnon quicumque interesse habentes ad id legitime vocati non fuerint, nec praemissis con-

1 Potius lege *ex nunc* (R. T.).

senserint, sed etiam enormis et enormissimae laesionis, vel alio quocumque praetextu, aut ex quavis aliâ causâ, quantumvis legitimâ, urgenti et iuridicâ, de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrae vel alio quocumque defectu notari, impugnari, invalidari, retractari, in ius vel controversiam revocari, aut ad terminos iuris reduci, seu adversus eas quodcumque iuris, facti vel gratiae remedium impetrari nullatenus posse, neque sub quibusvis similium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, aut aliis contrariis dispositionibus a nobis et quibuscumque aliis Romanis Pontificibus successoribus nostris et dictâ Sede, etiam motu proprio et ex certâ scientiâ ac de apostolicae potestatis plenitudine, pro tempore emanatis comprehendi, sed semper ab illis exceptas, et, quoties illae emanabunt, toties in pristinum et eum in quo antea quomodolibet erant statum restitutas, repositas et plenarie reintegratas, ac de novo etiam sub datâ posteriori per capitulum ecclesiarum huiusmodi pro tempore eligendâ concessas, validasque et efficaces fore et esse, vimque et robur validi inter Sedem ex unâ et capitulum praedictum ex alterâ partibus rite et recte initi, stipulati, ac etiam utrinque iurati contractus habere et perpetuo obtinere, ac suos plenarios et integros effectus sortiri, et ab omnibus inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

§ 5. Non obstantibus, quatenus opus sit, nostrâ et cancellariae apostolicae regulâ de iure quaesito non tollendo, aliisque apostolicis, ac in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, necnon ecclesiarum huiusmodi, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, ceterisque contrariis quibuscumque. Derogatio contrariorum.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XIX maii, MDCLXII, pontificatus nostri anno VIII.

Dat. die 19 maii 1662, pontif. anno VIII.

CCCXCI.

Super concordiâ solutionis pensionis reservatae a sanctae memoriae Gregorio XIII super fructibus abbatiae fontis Avellanae de anno MDLXXVIII *ad favorem collegii Neophytorum faciendae a collegio Germanico tantum in scutis mille et quatuorcentum de iuliis decem pro scuto in futurum*[1].

Alexander Papa VII, ad perpetuam rei memoriam.

Ad apostolicae dignitatis fastigium, meritis licet imparibus, divinâ dispositione evecti, illa, quae inter personas ecclesiasticas, pacis et concordiae studio ac ad componendas exortas inter collegia pro catholicae fidei conserva- Exordium.

1 Collegium Germanicum pro scholaribus nationis germanicae instituit Iulius III Const. XXI, tom. VI, pag. 459, et quasi destitutum restituit Gregorius XIII, Constitut. XXI, *Postquam Deo*, tom. VIII, pagina 52, cui redditus assignavit, *ibid.* § 3.

tione et propagatione pie salubriterque instituta controversias, provido prudentique conventa et decreta noscuntur esse consilio, ut firmius subsistant et exactius serventur, libenter, cum a nobis petitur, apostolici muniminis praesidio constabilimus.

Motiva.

§ 1. Exponi siquidem nobis nuper fecerunt dilecti filii rector collegii Germanici et Hungarici, ac deputati seu ministri collegii Neophytorum de Urbe, quod, cum inter eadem collegia super annuâ pensione mille scutorum auri (quam dudum felicis recordationis Gregorius Papa XIII, praedecessor noster, dicto collegio Neophytorum super fructibus, redditibus et proventibus monasterii abbatiae nuncupati S. Crucis de Avellana in Statu Urbinatensi memorato collegio Germanico et Hungarico per ipsum Gregorium praedecessorem uniti, adnexi et incorporati in perpetuum reservavit, constituit et assignavit) lis seu controversia penderet,

Pontifex commisit controversiam protectoribus collegii.

§ 2. Venerabiles fratres nostri Franciscus Portuensis Barberinus et Iulius Sabinensis episcopi Sachettus, necnon dilectus filius noster Benedictus tituli S. Honuphrii presbyter, S. R. E. cardinales, Odescalchus nuncupatus, dictorum collegiorum apud nos et Sedem Apostolicam protectores et iudices respective, quibus controversiam huiusmodi sine strepitu et figurâ iudicii amicabiliter terminandam commiseramus, ad sedandas lites, pro bono pacis, ac per viam transactionis et concordiae, unanimiter censuerunt valorem scuti auri in dies augescentem esse reducendum et taxandum ad rationem iuliorum quatuordecim, adeo ut in posterum perpetuis futuris temporibus collegium Germanicum teneatur solvere tantummodo annua scuta mille et quadringenta monetae romanae iuliorum decem pro quolibet scuto, sed, quoad terminos eatenus decursos et maturatos, deberet solvere, ut antea, ad rationem iuliorum quindecim pro quolibet scuto; insuper mandarunt ut idem collegium Germanicum pro unâ vice tantum solveret Neophytis scuta quadringenta monetae, hoc addito, ut, quatenus ipsum collegium Germanicum in futurum sit morosum per sex menses in solutione alicuius semestris maturati, cadat a commodo huius decreti et concordiae; et aliàs, prout in eorumdem cardinalium decreto desuper edito continetur.

Instrumentum transactionis.

§ 3. In cuius decreti exequutionem subinde praedictorum collegiorum nomine celebratum fuit publicum transactionis et concordiae huiusmodi instrumentum, tenoris qui sequitur, videlicet:

« In nomine Domini amen: Praesenti publico instrumento cunctis evidenter pateat et sit notum, quod anno a nativitate Domini nostri Iesu Christi MDCLXII, indictione XV, die vero VIII maii, pontificatus autem sanctissimi in Christo patris et domini nostri D. Alexandri divinâ providentiâ Papae VII, anno eius octavo, in mei Simii curiae eminentissimi et reverendissimi domini cardinalis vicarii et domini Vincentii Octaviani magistrorum viarum et neophytorum Urbis collegii notariorum in solidum rogatorum et infrascriptorum testium praesentiâ praesentes et personaliter constituti admodum reverendus pater Ioannes Hieronymus Galenus procurator specialiter constitutus ab admodum reverendo patre Aloysio Spinula rectore venerabilis collegii Germanici et Hungarici de Urbe ad infrascripta peragendum ex instrumento in actis mei Simii sub hodiernâ die recepto, ad quod, etc., necnon illustrissimus et reverendissimus dominus Franciscus Maria Antaldus dicti venerabilis

collegii Neophytorum vicesgerens, qui promisit ratificari facere omnia et singula in praesenti instrumento contenta a dominis deputatis seu ministris dicti venerabilis collegii infra octo dies et instrumentum ratificationis tradere ad effectum in praesenti instrumento inserendi, habentes certam notitiam decreti facti sub die XXI aprilis MDCLXII ab eminentissimis dominis cardinalibus Barberino, Sacchetto et Odescalcho specialiter per sanctissimum dominum nostrum deputatis super controversiâ pendente intèr eadem collegia ratione solutionis pensionis annuae scutorum mille auri in auro, olim a felicis recordationis Gregorio XIII reservatae Neophytis super fructibus abbatiae Avellanae unitae dicto collegio Germanico, prout habetur in memoriali et rescripto Suae Sanctitatis eisdem eminentissimis et reverendissimis dominis cardinalibus directo, tenoris sequentis, videlicet:

Gregorii XIII decretum.

Memoriale porrectum pro parte collegii Germanici S. D. N., ut causam committat cardinalibus utriusque collegii protectoribus.

§ 4. « Beatissimo Padre, in conformità degli ordini dati da Vostra Santità al padre rettore del collegio Germanico, riverentemente l'espone come il detto collegio, fondato dalla santa memoria di Gregorio XIII per mantenimento della Fede nei regni della Germania, ebbe per sua principale fondazione l'abbadia di Santa Croce dell'Avellana nello Stato d'Urbino, quale stimò di rendita di scudi sei mila d'oro in oro, riservando mille scudi d'oro in perpetuo per il collegio de' Greci, e mille altri simili per il collegio de' Neofiti, e duemila all'abbate della Rovere in sua vita, che furono trasferiti a diversi, e fece questo riparto acciò, terminando la pensione temporanea del detto abbate della Rovere, ne restassero quattro mila al collegio Germanico; sono calati talmente li frutti dell'abbadia, che oggidì rende pochissimo, ed è cresciuto il valore dell'oro il terzo di più, in maniera tale che il povero collegio Germanico non solo non gode parte della sua congrua porzione assegnatali, ma per pagare le sopradette pensioni in pochi anni è stato necessitato a prender a censo più di scudi diciotto mila de'quali ne paga l'interesse; onde il collegio, non potendo nemmeno mantenere la metà degli alunni che dovrebbe conforme all'intenzione del fondatore, con tanto danno della fede cattolica, è sforzato a ricorrere ai piedi di Vostra Santità, acciò rimetta questa causa alli signori cardinali Barberino, come protettore del collegio Greco e Germanico, ed al cardinale Odescalco, come protettore de' Neofiti, ed al cardinale Sacchetti come giudice ed esecutore della Bolla di detta unione, acciò, conoscendo la verità del fatto, facciano restituire da'pensionari al collegio Germanico il soprapiù de frutti, e poi o si assegni al collegio Germanico la sua congrua, conforme all'intenzione del fondatore, o vero si riparta l'abbadia che è divisa in tre corpi, dandone ad ognuno la sua parte conveniente, ovvero si diminuiscano le pensioni a proporzione della rendita, o si piglino quegli espedienti che meglio giudicheranno, acciò il collegio Germanico non vada totalmente in rovina, ed intanto, che non sia molestato per il termine corrente, perchè senza pigliare di nuovo a censo, non vi è forma di pagare; che il tutto, ecc.

Alla Santità di nostro signore, per il collegio Germanico.

Alli signori cardinali Barberino, Sacchetti ed Odescalchi, che vogliano terminare questa differenza per accordo, senza strepito, o figura di giudizio »;

Dictum quidem decretum partes ipsae habentes prae manibus, originale scilicet mihi Simio, copiam vero illius col-

lationatam dicto domino Octaviano tradiderunt inserendam huic instrumento pariter tenoris sequentis, videlicet:

Cardinalium decretum huiusmodi collegiorum protectorum.

§ 5. « Die XXI aprilis MDCLXII, in congregatione habitâ ab eminentissimis et reverendissimis dominis cardinalibus Barberino, Sacchetto et Odescalco deputatis per rescriptum sanctissimi domini nostri super controversiâ pendente inter collegium Germanicum et collegium Neophytorum ratione solutionis annuae pensionis scutorum mille auri in auro olim a felicis recordationis Gregorio XIII reservatae Neophytis super fructibus abbatiae Avellanae unitae collegio Germanico, iidem eminentissimi ac reverendissimi patres, ad sedandas lites, pro boño pacis, ac per viam transactionis et concordiae, unanimiter censuerunt valorem scuti aurei in dies augescentem reducendum et taxandum ad rationem iuliorum quatuordecim, adeo ut ab hac die imposterum perpetuis futuris temporibus collegium Germanicum teneatur solvere tantummodo annua scuta mille et quadringenta monetae romanae iuliorum decem pro quolibet scuto; sed, quoad terminos hactenus decursos et maturatos usque ad hanc diem, debeat[1] solvere, ut antea, ad rationem iuliorum quindecim pro quolibet scuto; insuper mandarunt, ut idem collegium Germanicum pro unâ vice tantum solvat Neophytis scuta quadringenta monetae; hoc addito ut, quatenus ipsum collegium Germanicum in futurum sit morosum per sex menses in solutione alicuius semestris maturati, cadat a commodo huius decreti et concordiae. Et iuxta haec mandarunt confici publicum instrumentum, et supplicari Sanctissimo pro confirmatione, cum impositione perpetui silentii, ac avocatione et extinctione litis.

F. cardinalis BARBERINUS, I. cardinalis SACCHETTUS, B. cardinalis ODESCALCUS, etc., sponte, etc., omni, etc. »:

Decretum acceptatur, et reverendus pater dominus Antaldus collegii neophitorum vicesgerens recipit a patre procuratore collegii Germanici scuta mille octingenta septuaginta tres, baioccos quinquaginta duo pro pensionibus decursis et decurrendis.

§ 6. Decretum ipsum unanimiter acceptarunt et acceptant, illique acquieverunt et aquiescunt, mutuâque stipulatione nobis notariis, etc., etiam per viam transactionis et concordiae, ac aliàs omni, etc., medio iuramento, tactis, etc., promiserunt et promittunt illud in omnibus et per omnia observare; et pro illius ulteriori exequutione praedictus illustrissimus et reverendissimus dominus Franciscus Maria Antaldus, praedicti Neophytorum collegii vicesgerens, nunc in mei, etc., testiumque, etc., *in contanti* habuit et recepit scuta mille octingenta septuaginta tria, baioccos quinquaginta duo, monetae, pro terminis pensionis decursis et decurrendis usque ad diem festivitatis sancti Ioannis Baptistae mensis iunii proxime venturi, necnon alia scuta quadringinta monetae pro unicâ vice tantum pariter *in contanti*, a supradicto venerabili collegio Germanico et Ungarico per manus dicti reverendi patris Galeni, mediante ordine sacro Monte Pietatis directo, quem ordinem ad se traxit, etc., dimissâ tamen penes nos illius copiâ collationatâ ad effectum in praesenti instrumento inserendi, tenoris sequentis, videlicet:

Tenor dicti Ordinis.

§ 7. « Collegio Germanico ed Ungarico. Signori provisori del sacro Monte della Pietà, li piacerà pagare al venerabile collegio de' Neofiti, e per esso all' illustrissimo e reverendissimo monsignor Francesco Maria Antaldi, vicegerente del collegio di essi Neofiti, scudi due mila ducento settantatre, baiocchi cinquantadue, moneta, quali faccio pagare, cioè scudi mille ottocento

1 Male edit. Main. legit *debebat* pro *debeat* (R. T.).

settantatre, baiocchi cinquantadue, per resto e saldo intiero pagamento di tutte le paghe decorse e da decorrere a tutta la paga di S. Giovanni di giugno prossimo avvenire 1662 della pensione di scudi mille, oro, riservata a suo favore sopra l'abbadia di Santa Croce dell'Avellana nello stato d'Urbino (compresovi anche scudi novantasei simili, pagati per le decime dovute dal detto collegio de' Neofiti alla reverenda camera apostolica) e scudi quattrocento per una volta tanto. Il tutto in conformità del decreto degli eminentissimi signori cardinali Barberino, Sacchetti e Odescalchi, deputati dalla Santità di Nostro Signore, e instromento di concordia oggi rogato per l'atto del Simio, notaro dell'eminentissimo vicario, *in solidum* con l'Ottaviani, notaro de' signori maestri di strada e collegio de' Neofiti, alli quali, ecc. in tutto e per tutto si abbia relazione, ecc., con ricevuta saranno ben pagati dal collegio Germanico ed Ungarico li 8 maggio 1862, per scudi duemila duecento settantatre e baiocchi cinquantadue moneta.

Giovanni Girolamo Galeno,
procuratore del detto collegio.

Et de pecuniis in eo contentis nunc, pro quando illas recipiet, se bene contentum et satisfactum vocavit, etc., et nihilominus exceptioni, speique, etc., ad cautelam renunciavit, et generaliter praedictum reverendum patrem Galenum praesentem, etc., et eius collegium, nobis notariis, etc., quo supra nomine, quietavit ac penitus absolvit, etc., etiam per pactum, etc., et per Aquilianam stipulationem, etc.

Partes conveniunt supplicare Sanctissimo pro confirmatione concordiae.

§ 8. Praeterea partes ipsae pro maiori firmitate praesentis instrumenti concorditer convenerunt ut supplicetur Sanctissimo, qui dignetur benigne illud confirmare, cum suppletione quorumcumque defectuum, tam personalium quam realium, ac tam substantialium quam formalium, et aliorum quorumcumque, et cum extinctione litis et impositione perpetui silentii, aliisque clausulis opportunis, inserendis in Brevi desuper expediendo sumptibus communibus. Quam quidem concordiam et transactionem, omniaque et singula in praesenti instrumento contenta, dictae partes, quibus supra nominibus, respective promiserunt habere rata, grata, valida atque firma, et inviolabiliter adimplere, ac tamquam rem iudicatam observare, contraque non facere, dicere, excipere, opponere, seu venire, aut aliquam exceptionem iuris et facti allegare, vel contra praemissa agere seu experiri, etiam praetextu quorumcumque iurium de novo repertorum, seu forsan quandocumque reperiendorum, et alio quovis praetextu, ingenio, causâ vel quaesito colore, etiam ex incognitis et inexcogitatis et hîc non expressis et in corpore iuris clausis, ac necessario exprimendis, quae omnia pro expressis et specificatis haberi voluerunt, etc., renunciantes, etc., hinc inde medio iuramento, tactis pectoribus, more, etc. (l. *De alimentis* et l. *Sub praetextu*, in secunda parte, c. *De transactione* atque, l. *De his*, et l. *Cum ii*, ac l. *Qui cum tutoribus* ff. eodem, et l. fine c. *De revocatione donationis beneficiorum et privilegiorum*), absolutionis a iuramento, restitutionis in integrum, tam principaliter quam incidenter, enormis et enormissimae laesionis, ceterisque legibus, statutis et privilegiis in favorem ipsarum partium quomodolibet faciendis; quia sic, etc., aliàs ultra praecisam, etc., teneri voluerunt ad omnia damna, etc.; de quibus, etc., pro quibus, etc., dictus reverendus pater Galenus dictum venerabile col-

legium, eiusque bona, etc., iura, etc., dictus vero illustrissimus dominus Antaldus pariter dictum collegium Neophytorum, eiusque bona, etc., iura, etc., in ampliori formâ reverendissimae camerae apostolicae cum clausulis, etc., obligarunt, etc., citra, etc., appellationi, etc., renunciarunt, etc., et consenserunt, etc., unica, etc., et sic tactis pectoribus, more, etc., iurarunt, etc., super quibus, etc.

Actum Romae, domi solitae habitationis praefati illustrissimi domini Antaldi positae in regione Campitelli, praesentibus dominis Ioanne Baptista Signio quondam Ioannis Thomae Ianuensis, et domino Nicolao Antonio de Ascaniis filio quondam Leonardi Baresis, testibus, etc.

Ego Antonius Franciscus Maria Simius, curiae causarum eminentissimi et reverendissimi domini cardinalis vicarii notarius, de praemissis rogatus praesens instrumentum subscripsi et publicavi, meoque solito signo signavi requisitus».

Decretum Pontifex confirmat una cum instrumento et transactione desuper celebrata inter partes.

§ 9. Cum autem, sicut eadem exposito subiungebat, firmiora et stabiliora sint illa, quae apostolicae confirmationis robore communiuntur: nobis propterea dicti exponentes humiliter supplicari fecerunt ut in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolicâ dignaremur.

§ 10. Nos igitur, dictos exponentes specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, necnon litterarum memorati Gregorii praedecessoris super reservatione, constitutione et assignatione pensionis, ac unione, annexione et incorporatione monasterii huiusmodi respective emanatarum tenores et datas, aliaque etiam speciali et individuâ mentione et expressione digna, praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, supradictum memoratorum Francisci ac Iulii et Benedicti cardinalium decretum, confectumque in illius exequutionem instrumentum praeinsertum, cum omnibus et singulis in illis respective contentis, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, perpetuo confirmamus et approbamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos iuris et facti, necnon solemnitatum quarumcumque in similibus etiam de necessitate observandarum, aliosve quoslibet etiam formales et substantiales ac undecumque resultantes defectus, si qui in praemissis vel eorum aliquo quomodolibet intervenerint, aut intervenisse dici, censeri vel praetendi possent, supplemus et sanamus, ac penitus et omnino tollimus et abolemus.

Lites et controversias supprimit et partibus perpetuum silentium imponit.

§ 11. Praeterea lites et controversias quascumque super praemissis inter praedicta collegia Germanicum et Hungaricum ac Neophytorum quovis modo exortas, illarum statum et merita, nominaque et cognomina ac qualitates iudicum et collitigantium, et alia etiam specificam et individuam mentionem et expressionem requirentia, praesentibus itidem pro plene et sufficienter expressis habentes, a quibusvis iudicibus et tribunalibus ad nos harum serie avocamus, illasque etiam perpetuo supprimimus et extinguimus, ac perpetuum desuper utrique parti silentium imponimus.

Decretum irritans.

§ 12. Decernentes easdem praesentes ac praeinsertas litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quomodocumque spectabit, plenissime suffragari, et ab illis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 13. Non obstantibus quacumque litis pendentiâ, aliisque praemissis, ac, quatenus opus sit, recolendae memoriae Pauli II et aliorum Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum de rebus Ecclesiae non alienandis, et aliis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon dictorum collegiorum et aliis quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, eisdem collegiis, eorumque rectoribus et ministris, ac personis quibuslibet, sub quibusvis verborum tenoribus et formis, ac cum quibuscumque etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis, in genere vel in specie, ac aliàs in contrarium quomodolibet concessis, approbatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso et formâ in illis traditâ observatâ, exprimerentur et insererentur, praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXIII maii MDCLXII, pontificatus nostri anno VIII.

Dat. die 23 maii 1662, pontif. anno VIII.

CCCXCII.

Confirmat decretum sacrae congregationis episcoporum et visitationis apostolicae pro dotandis octo puellis de parochiâ S. Andreae de Fractis.

Alexander Papa VII,
ad futuram rei memoriam.

Recenset decretum.

Emanavit nuper a congregatione venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium et dilectorum filiorum Romanae curiae praelatorum, super negotiis visitationis apostolicae ecclesiarum et locorum piorum almae Urbis nostrae a nobis institutae deputatorum, decretum tenoris qui sequitur, videlicet:

« Praevia commissione Sanctissimi aliàs emanavit a sacrâ congregatione visitationis apostolicae decretum infrascripti tenoris, videlicet:

§ 1. Cum in causâ romanâ electionis octo puellarum pauperum inter Marchionem Paulum, nepotem et haeredem marchionis Octavii de Bubalis, et custodes societatis SS. Sacramentii in ecclesiâ S. Andreae de Fractis, reve-

rendus pater dominus Pinellus iudex delegatus a bonae memoriae cardinali Montalto ipsius societatis protectore anno MDCXX definitive sententiaverit dicto marchioni Paulo licuisse ac licere dictas octo puellas ad subsidium dotale a dicto marchione Octavio in suo testamento relictum eligere ac nominare ex iis quae sibi videbuntur et ex quibusvis Urbis regionibus fuerint indistincte, et nullâ habitâ ratione loci et parochiae ubi dictae puellae degant et habitent; cumque sententia huiusmodi lata fuerit inauditis et indefensis puellis parochiae praedictae ecclesiae S. Andreae ac regionis Columnae, quae praetendunt has octo puellas vigore memorati testamenti primo eligi debere ex illis quae pro tempore erunt sub dictâ parochiâ, et, si in eâ non sint in numero sufficienti, eligi debere ex puellis regionis Columnae: sacra congregatio visitationis apostolicae, ne iura pauperum puellarum depereant ex carentiâ legitimi defensoris, censuit dandum esse ex officio curatorem praedictis puellis parochiae S. Andreae et regionis Columnae, prout dari mandavit, ad hoc ut, ipso curatore illarum defensionem subeunte, huiusmodi causa cognosci et pro iustitiâ terminari possit. Datum die XII ianuarii MDCLXII.

§ 2. Quam congregationis sententiam die XVIII eiusdem sanctissimus dominus noster ad se relatam approbavit, iussitque praedictam causam simpliciter et de plano ac sine strepitu et figurâ iudicii tam in petitorio quam in possessorio ex integro cognosci ac fine debito terminari in eâdem congregatione visitationis apostolicae, cui ad effectum praemissum Sanctitas Sua tribuit facultates omnes necessarias et opportunas, et, quatenus opus sit, supradictas puellas adversus quaecumque praeiudicia restituit.

§ 3. Subinde in executionem praeinserti decreti curatore puellis deputato, et servatis aliàs servandis, eadem sacra congregatio emininentissimorum ac reverendissimorum S. R. E. cardinalium dominorum praelatorum visitationis ac apostolicae, partium procuratoribus et advocatis saepius auditis, scripturisque ac iuribus utrinque exhibitis mature perpensis, causâque accurate discussâ, proponente eminentissimo et reverendissimo domino cardinali Imperiali ex unanimi patrum sententiâ censuit, tam octo pauperes puellas a praenominato marchione Paulo eligendas, quam alias eligendas a praedictis custodibus et parocho dictae ecclesiae S. Andreae, primum eligi debere ex illis quae pro tempore erunt sub dictâ parochiâ sancti Andreae, et quae in eâ continue habitaverint saltem spatio duorum annorum, et, si non sint in dictâ parochiâ in numero sufficienti, eligi debere ex puellis regionis Columniae, quod si nec sint in dictâ regione, tunc demum eligi posse ac debere ex aliis regionibus, prout videbitur praedicto marchioni Paulo et omnibus successoribus in haereditate marchionis Octavii testatoris et respective custodibus et parocho supradictis, sententiamque desuper latam et assertas[1] renunciationem litis et rem iudicatam minime afficere memoratas puellas parochiae S. Andreae ac regionis Columnae, nec eis aliquo modo officere. Et ita sacra congregatio declaravit et pronunciavit, non tantum praedicto, sed et omni alio meliori modo, sicque ab eminentissimo et reverendissimo domino cardinali pro tempore protectore societatis praedictae eiusque iudice deputato, atque ab omnibus, ad quos pertinet et in posterum pertinebit, omnino servari praecepit; in contra-

1 Ni maveris legere *assertam* (R. T.).

rium deductis et allegatis nequaquam refragantibus.

Datum die XX aprilis MDCLXII.

P. FAGNANUS, secretarius ».

Confirmat prout in rubrica. § 4. Cum autem firmiora et stabiliora sint illa, quae apostolici muniminis fulciuntur praesidio: idcirco nos, firmiori dicti decreti robori, efficaciae et observationi consulere cupientes, motu proprio, ac ex certâ scientiâ et maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, decretum praeinsertum, ad omnia et singula in eo contenta, tenore praesentium confirmamus et approbamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos iuris et facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Clausulae. § 5. Decernentes easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, plenissime suffragari, et ab illis respective inviolabiliter observari, nec de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio, aut intentionis nostrae vel interesse habentium consensus aliove quolibet defectu notari, infringi, retractari, in controversiam revocari, aut ad terminos iuris reduci, seu adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque iuris, facti vel gratiae remedium intentari vel impetrari, seu impetrato, vel etiam motu, scientiâ et potestatis plenitudine paribus concesso, quempiam in iudicio vel extra illud uti seu se iuvare ullatenus unquam posse, sicque et non aliter per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac praedictae societatis protectorem, et alios S. R. E. cardinales, ceterosque quoslibet quacumque auctoritate et potestate fungentes et functuros, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Non obstantibus omnibus et singulis praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die III iunii MDCLXII, pontificatus nostri anno VIII.

Dat. die 3 iunii 1662, pontif. an. VIII.

CCCXCIII.

Confirmatio decretorum a generali Ordinis Eremitarum sancti Augustini pro felici regimine conventus et collegii maioris nuncupati civitatis Parisiensis dicti Ordinis in visitatione editorum, et a capitulo generali approbatorum, cum illorum insertione[1].

Alexander Papa VII, ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium. Pastoralis officii, quo, divinâ dispositione, Ecclesiae catholicae regimini praesidemus, sollicitudo nos admonet, ut, paternam christifidelium, qui e fluctibus seculi in religiosae vitae portum confugerunt, curam gerentes, illa, quae pro felici eorum regimine et directione provide prudenterque constituta esse noscuntur, quo firmius subsistant et serventur exactius, apostolici muniminis praesidio roboremus.

Expositio. § 1. Exponi siquidem nobis nuper fecit dilectus filius Petrus Lamfranco-

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

nius, prior generalis Ordinis fratrum Eremitarum sancti Augustini, quod eius in generalatu dicti Ordinis praedecessor in visitatione conventus maioris nuncupati civitatis Parisiensis eiusdem Ordinis diversa decreta pro bono conventus huiusmodi gubernio regularisque observantiae conservatione edidit, quae subinde a novissimo praefati Ordinis capitulo generali approbata fuerunt sub infrascripto tenore, videlicet:

Decretum recenset.

« Magister frater Paulus Luchinius Pisaurensis, totius Ordinis fratrum Eremitarum sancti Augustini prior generalis et commissarius apostolicus.

Ea est humanarum rerum conditio, ut, quanto sibi nobiliorem locum et nomen vindicant, tanto pluribus subiacent[1] fortunae casibus, quibus sublimis eorum situs undique exagitetur, et si fieri potest maximis dehonestetur maculis. Quod cum neminem per singula discurrentem latere queat, tutius erit erumpentes silentio coërcere voces, quam ex iis humanis eloquiis depromere fraudi materiam. Verum, nobis tacentibus, per se ipsum eloquetur hic conventus et generale nostrum collegium, cuius antiqua praeeminentia crebris dissidiis, non uno sed diverso modo ac tempore, non sine maximi animi nostri dolore, iam fere labefactata cernitur. Plurimum sane ad illius decus et nominis gloriam confert quod in amplissimâ opulentissimâque totius regni christianissimi civitate, veluti in tutissimâ ac munitissimâ arce, collocetur, ut ex illâ, doctrinâ sanâ et mansuetudine sapientiae, tenebras ignorantiae penitus dissipare, et adversus pestilentissima vitiorum omnium monstra totis viribus praevalere conetur; quod tot christianissimorum regnorum, serenissimorumque principum, nobilissimorum procerum, atque illustrium virorum protectione ac munificentiâ nobilitetur; et quod denique inter praecipua et nobiliora facultatis theologiae Parisiensis membra adscribatur, quae, cum sit florentissimi Galliarum regni gloria, et tam cultorum suorum, quam exterorum, ex omnibus totius orbis partibus in eam confluentium, multitudine, pietate, doctrinâ atque fide orthodoxâ insignis, litteratorum omnium ad se allicit convertitque animos. Sed, proh dolor! unde eadem gloriae, honoris, atque praeeminentiae monumenta, inde dissidiorum ac litium semina enasci ut plurimum dignoscuntur. Hinc enim desiderium impatiens ad illud convolandi hos sollicitat; istinc gloria insigniri laureâ doctorali in hac almâ facultate corda aliorum accendit; illinc denique ibidem remanendi diutius quam par est, in aliorum et conventus praeiudicium, corda quorumdam torquet; quae omnia, ubi primum ad generalatus apicem nullis nostris suffragantibus meritis evecti, cum mature perpendissemus, ad instar evangelici pastoris commissi gregis salutem tantum prospicientes, et nostram corporalem penitus despicientes, apostolicâ tum benedictione tum facultate obtentâ, non laboribus deteriti, non difficultatibus labefactati, non satanae adversarii colluctatione fracti, valde nimis asperum terrae marisque, fluctuosum, aerumnis ac periculis refertum iter suscipiendum bonum duximus, ut Parisiensem istum maiorem conventum et generale nostrum collegium, rege christianissimo annuente, personaliter specialiter lustraremus. Cuius aequitate, pietate ac potenti patrocinio erga nostram religionem protecti, ab instituti operis cursu per aliquot dies pro viribus nunquam de-

1 Legendum foret *subiaceant* (R. T.).

stitimus; sed ad moderandos mores, corrigendos excessus, componendas controversias, et ad ea, quae ad Dei cultum et disciplinam regularem, neque[1] conservandam, sed et augendam spectant, toti fuimus; idque munere et gratiâ Christi. Quod, peractâ visitatione huius maioris conventus et collegii nostri Parisiensis, assequi faciliori viâ minime existimavimus, quam innovando, declarando, moderando et extendendo respective decreta praedecessorum nostrorum edita pro ipsiusmet conventus et collegii felici gubernio et monasticâ disciplinâ, et quaedam alia de novo addendo, non immerito censuimus, sicut de facto, auctoritate utriusque officii quo fungimur, ea respective nunc innovamus, declaramus, moderamur, limitamus, extendimus et addimus, nec non sic innovata, declarata, moderata, limitata, extensa et addita perpetuo inviolabiliter servari volumus. Et id quidem de consilio admodum reverendi patris magistri Thomae Eguichens, Galliarum apud nos assistentis et prioris huiusce conventus et collegii, atque auditis pluries verbo et scriptis in diversis congregationibus coram nobis super hac re hoc in monasterio habitis, et per nos ad id expresse convocatis, omnium provinciarum Galliae provincialibus cum ipsarum et conventuum generalium deputatis, necnon item omnibus huius familiae religiosis, non solum virtute scrutinii secreto peracti, sed etiam informationis extra iudicialiter acceptae, ac proinde plenum omnino istius conventus et collegii statum habentes. Quae quidem decreta nunc et futuris perpetuo temporibus ab omnibus fratribus[2] et fratribus, qui in hoc conventu et collegio de praesenti immorantur et in posterum de familiâ commorabuntur, eâdem duplici auctoritate, ut praefertur, inviolabiliter servari volumus, mandamus atque praecipimus, sub poenis in ipsis contentis; reliquis omnibus decretis et definitionibus non apostolicis, quomodolibet aliunde emanatis et approbatis seu roboratis, hunc maiorem conventum et generale nostrum collegium modo peculiari contravenientibus[1], quae hic reticentur, prorsus abrogatis, cassatis et irritatis, ne ulla in posterum vel scrupuli, vel dubitationis, aut litigii occasio supersit. Decreta autem huiusmodi immediate apponuntur post tenorem Brevis apostolici a sanctissimo domino nostro Papa Alexandro VII, feliciter regnante, nobis specialiter elargito.

Tenor Brevis apostolici.

Tenor Brevis Apostolici.

Foris: Dilecto filio Paulo Luchino Pisaurensi, priori generali fratrum eremitarum S. Augustini.

Intus: Alexander Papa VII; dilecte fili, salutem et apostolicam benedictionem.

Inter alias nostrae pastoralis sollicitudinis curas, quibus premimur, illae non postremo cordis loco insident, quibus de cunctorum religiosorum statu prospere dirigendo assidue cogitamus. Ad istum autem fratrum eremitarum S. Augustini Ordinem, quem in visceribus gerimus charitatis nostrae, paternae considerationis intuitum dirigentes, illud praecipue in optatis habemus, ut per tuae circumspectionis ministerium illius personarum status salubriter ubique dirigatur, et ad debitae reformationis normam in spiritualibus et temporalibus reducatur; et, si quid ab eisdem personis contrarium Ordini et honestati praesumatur, ad omnipotentis Dei gloriam et animarum salutem

1 Potius lege *nedum* pro *neque* (R. T.).
2 Potius legendum *patribus* (R. T.).

1 Forsan *concernentibus* (R. T.).

et religionis augumentum salubriter corrigatur. Ut igitur in[1] commissum tibi fratrum eremitarum generalatus officium ad omnipotentis Dei laudem et ipsius Ordinis propagationem et utilitatem valeas eo salubriter exercere, quo nostrae et apostolicae auctoritatis amplius suffultus fueris praesidio, nos, motu proprio, et ex certâ scientiâ nostrâ, te, de cuius integritate, doctrinâ, rectitudine, prudentiâ, dexteritate et experientiâ specialem in Domino fiduciam habemus, in toto Ordine praedicto, ac omnibus et singulis illius provinciis, ubi fratres dicti Ordinis sunt, tam citra quam ultra montes, et praecipue in infrascriptis provinciis et congregationibus Calceatorum ac Discalceatorum, nostrum et Apostolicae Sedis commissarium, cum plenâ, liberâ et omnimodâ facultate et auctoritate commissarii apostolici in toto Ordine praedicto, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, constituimus, deputamus, ac tibi in virtute sanctae obedientiae praecipimus, committimus et mandamus, quatenus, si et postquam ad partes ultramontanas, et praesertim Franciae, Aragoniae, Cataloniae, Beticae, Castellae et Portugalliae te personaliter conferre contigerit, omnes et singulos ipsius Ordinis provincias et congregationes, tam Calceatorum quam Discalceatorum, et speciatim Franciae S. Guillelmi Tolosani, Aquitaniae, Provinciae et Narbonensis, Burgundiae et Coloniae provincias domosque et loca quaecumque, eorumque praesidentes, conventus et personas quascumque visitare procures. Nos enim tibi, durante tui generalatus officii tempore, tam officii generalis huiusmodi quam etiam[2] auctoritatibus, tam praedictarum provinciarum Calceatorum et Discalceatorum, quam etiam alia quaecumque Ordinis et congregationis praedictorum domos et loca, ubicumque tam citra quam ultra montes consistentia, eorumque personas, tam in capitibus quam in membris, ac etiam in spiritualibus et temporalibus, quoties expedire tibi videbitur et placuerit, visitandi, et super his quae inquirenda fuerint inquirendi, ac in iis quae reformatione noveris indigere, prout necessarium fuerit, iuxta canonicas sanctiones et regularia ipsius Ordinis instituta ac sacrosancti Concilii Tridentini decreta reformandi, corrigendi et emendandi, ad rectitudinisque tramitem reducendi, et ubique inter religiosos eiusdem Ordinis, ac quarumcumque illius provinciarum et congregationum, tam Calceatorum quam Discalceatorum, discordias, differentias ac lites quascumque decidendi ac terminandi, ac eosdem religiosos ad pacem et concordiam reducendi, ac personas dicti Ordinis, etiamsi praesidentes fuerint, si dissidiosae, scandalosae, aut aliàs criminosae existant, iuxta regularia ipsius Ordinis instituta et excessuum qualitatem puniendi, necnon discolos, in virtute sanctae obedientiae, sub censuris et poenis tuo arbitrio imponendis, ut a malis incoeptis desistant et ad cor redeant monendi et requirendi, seu moneri et requiri faciendi, et, si spretis monitionibus huiusmodi incorrigibiles fuerint, elapsis terminis per te vel subdelegatum tuum statutis, eosdem tamquam membra putrida ab eodem Ordine per te vel alium expellendi et abiiciendi, necnon, quae tu praemissis[1] decreveris, firmiter observari, ac omnia et singula alia, quae iuxta instituta et consuetudinem Ordinis huiusmodi ad omnipotentis Dei honorem, religionis

1 Praepositio *in* redundat (R. T.).

2 Deesse videtur *commissarii apostolici* (R.T.).

1 Deesse videtur *auctoritatibus* (R. T.).

augumentum, animarum salutem et christifidelium bonorum[1] exemplum, et aliàs circa salubre regimen et felicem successum domorum, locorum, ac personarum eorumdem necessaria noveris seu quomodolibet opportuna, faciendi, statuendi et exequendi, ordinandi et disponendi, necnon contradictores quoslibet et rebelles, cuiuscumque dignitatis, status, gradus, ordinis, praeeminentiae, nobilitatis, excellentiae vel conditionis fuerint, per excommunicationis, suspensionis et interdicti ac depositionis ab eorum officiis, aliasque formidabiliores, de quibus tibi videbitur expediens, sententias, censuras et poenas, sublato diffugii et appellationis obstaculo, etiam auctoritate apostolicâ compescendi, et, si opus fuerit, auxilium brachii secularis invocandi, plenam et liberam, auctoritate praedictâ, facultatem concedimus per praesentes. Et ut reformatio huiusmodi iuxta sincerum cordis nostri desiderium liberius subsequatur, omnes et singulos principes, proceres, barones et alios dominos temporales, ac quorumcumque parlamentorum consiliarios, necnon communitates et universitates in Domino requirimus et hortamur attente, venerabilibus autem fratribus archiepiscopis, episcopis et aliis locorum Ordinariis, praelatis ecclesiasticis, ac personis in dignitate ecclesiasticâ constitutis, nostrisque et Apostolicae Sedis nunciis districte mandamus, quatenus, divinae maiestatis intuitu, ac pro eorum in hanc sanctam Sedem reverentiâ ac devotione ac religionis zelo, te benigno desiderio et pro affectu sic sincere commendatum suscipiant, ac de tuto tibi accessu et libero redditu[2] provideant, et aliàs benevolis favoribus efficaciter assistant, ita quod praesentes debitum effectum sortiantur, et Ordo ipse in statu prospero ac felici successu valeat inibi salubriter conservari. Praecipientes nihilominus in virtute sanctae obedientiae, ac sub excommunicationis latae sententiae, ac suspensionis a divinis, necnon privationis omnium et singulorum privilegiorum et indultorum tam in provinciis quam in congregationibus praedictis a Sede Apostolicâ concessorum et *maris magni* nuncupatorum, ac[1] absolutionis omnium officiorum, necnon inhabilitatis ad illa et alia in dicto Ordine obtinenda, sententiis, censuris et poenis per singulos non parentes incurrendis, omnibus et singulis dicti Ordinis professoribus, cuiuscumque gradus aut conditionis extiterint, tam coniunctim quam divisim, ut tibi, ultra obedientiam, quam tibi iure ipsius generalatus officii exhibere tenentur, etiam tamquam commissario nostro efficaciter pareant et obediant, ac eisdem professoribus sub similibus censuris et poenis, ne ad seculare forum vel auxilium, per se vel alium, directe vel indirecte, mediate vel immediate, quovis praetextu seu quaesito colore, recursum habere, et huiusmodi commissionem nostram seu quaevis alia mandata et scripta apostolica in dicto Ordine impedire quoquo modo praesumant, inhibemus. Decernentes irritum et inane quidquid secus contigerit. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon privilegiis, indultis, libertatibus, exemptionibus et litteris apostolicis, eisdem congregationibus, etiam ex observantiâ, aliàs quomodolibet nuncupatis, domibus, locis et personis praedictis, in genere vel in specie, et favore regularis observantiae, etiam per quoscumque Romanos Pontifices praedeces- Clausulae.

1 Videtur legend. *bonum* pro *bonorum* (R. T.).
2 Potius lege *reditu* (R. T.).

1 Male edit. Main. legit *ab* pro *ac;* et postea aptius lege *ammissionis* pro *absolutionis* (R.T.).

sores nostros, et forsan per nos et Sedem praedictam, aut illius legatos, sub quibuscumque tenoribus et formis, etiam per modum statuti perpetui, etiam motu et scientiâ similibus, etiam imperiali vel regis consideratione, et ex quibusvis causis etiam iteratis vicibus concessis, approbatis et innovatis, et forsan quod ipsae personae per alios quam eorum priores provinciales visitari et reformari non possint disponentibus; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio facienda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum inserti forent, praesentibus pro sufficienter expressis habentes, quoad praemissa specialiter et expresse derogamus, illaque adversus praesentes nullatenus suffragari eâdem auctoritate decernimus, contrariis quibuscumque; aut si aliquibus communiter aut divisim ab eâdem sit Sede indultum quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Derogatio contrariorum.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXVI iunii MDCLVII, Pontificatus nostri anno III.

G. GUALTERIUS.

A tergo autem: Dilecto filio Paulo Luchino Pisaurensi priori generali fratrum eremitarum S. Augustini.

Loco † sigilli.

§ 1. *De cultu divino.*

Tenor decreti. I. Officium divinum, tam diurnum quam nocturnum, horis a[1] temporibus statutis, summâ cum veneratione, iuxta ritum S. R. E., constitutiones et caeremoniale Ordinis nostri, ab omnibus debite ac devote recitetur, quod ut sine errore aliquo persolvatur, quotidie in fine prandii lector mensae, audito surgendi signo, altâ et intelligibili voce enunciabit, ac etiam singulis diebus sabbati, et in vigiliâ cuiuslibet festivitatis, tabulam officiorum[1] omnium per hebdomadam vel in solemnitatibus occurrentibus deputandorum servandam.

II. Matutinum, quod per totum anni circulum (excepto triduo ante Pascha), iuxta laudabilem consuetudinem huius conventus et collegii, dicetur mediâ nocte, singulis diebus dominicis et festis primae et secundae classis integre decantetur; in reliquis autem diebus festivis, et in festis secundae classis non festivis, saltem laudes item decantentur; dum autem integre decantabitur matutinum, ad illud surgere teneantur omnes et singuli per nostras constitutiones non exempti, aut non legitime impediti; ceteris vero diebus, quibus non decantatur, media eorumdem pars per alternas hebdomadas ad illud dicendum surgere teneatur.

III. Quod item, peractâ oratione serotinâ, illico dicatur in choro ab omnibus et singulis, qui, vel ex privilegio, vel ex iusto impedimento, non tenentur ad illud surgere mediâ nocte. Matutinum quoque de Beatâ[2], quando dicendum erit, in choro dicatur post orationem serotinam, cui intersint omnes et singuli etiam exempti, nemine prorsus excepto.

IV. Singulis diebus ab omnibus per mediam horam orationi mentali vacetur in choro, ab iis quidem, qui dixerunt

1 Legendum *ac* pro *a* (R. T.).

1 Forsan legendum *officiariorum* pro *officiorum* (R. T.).

2 Videtur deesse *Virgine* vel *Maria* (R. T.).

matutinum mediâ nocte, statim eo persoluto; ab aliis vero omnibus, qui non mediâ nocte interfuerunt matutinis, ab horâ sexquintâ matutinâ usque ad sextam. Exceptis tamen festis in quibus mediâ nocte integre decantatur matutinum; in eo enim persolvendo insumuntur duae horae, et adhuc matutinis horis plures decantantur missae maiores; unde illis diebus non conventualiter, sed private, pro temporis opportunitate, unusquisque vacabit orationi mentali.

v. Pro festis diebus ii qui sunt de corpore studii, alternis vicibus, iuxta ordinem scholarum, numerum studentium, et dispositionem patris prioris, intersint[1] officio divino; ceteri vero, iuxta ea quae disponunt constitutiones nostrae, part. I, cap. III, § 7 et 8. A litaniis vero B. Mariae Virginis, quae singulis diebus sabbati per totum anni circulum immediate post vesperas, et tempore quadragesimae post completorium processionaliter per claustra decantantur, nullus cuiuscumque qualitatis et tituli abesse audeat.

VI. Feriis sextis inter octavas Paschae et Pentecostes, non secus ac in reliquis feriis sextis per annum, cantetur officium parvum B. Mariae Virginis de Gratiâ, vulgo *Benedicta tu* nuncupatum.

VII. Quando fores ecclesiae sunt apertae, et quotiescumque divinum persolvitur officium in choro, aut missae celebrantur, nullus audeat deambulare per ecclesiam, aut per claustra, vel alio loco publico, in quibus tunc adsunt seculares; neque etiam aliis temporibus extra communem recreationem huc vel illuc per conventum, claustra, hortum aut per dormitoria vagari; sed unusquisque, orando, vel meditando, legendo, aut studendo, in propriâ cellulâ remaneat. Contrafacientes severe a patre priore arguantur, vel etiam puniantur; qua in re eiusdem patris prioris conscientiam graviter gravamus.

VIII. Singulis feriis sextis, peractâ oratione serotinâ, et antequam matutinum de sero incipiatur, ab omnibus, iuxta morem istius conventus et collegii, in choro communis habeatur disciplina, cum recitatione psalmi *Miserere mei Deus*, antiphonae *Christus factus est*, atque orationum[1] *Respice, quaesumus, Domine,* et aliarum quae habentur in caeremoniali Ordinis; qui vero a tali disciplinâ abfuerint[2], dicto matutino, vel aliâ ipsis commodiori horâ, eodem modo faciant disciplinam, sive in choro, sive in ecclesiâ.

IX. Nullus sacerdos ad secularium confessiones audiendas praesentetur locorum Ordinariis approbandus nisi debitâ aetate triginta annorum et capacitate praeditus, ac insuper rigorosum prius subierit examen. Idem dicendum de praedicatoribus. Cum istis tamen, re mature inspectâ, poterit pater prior, iuxta locorum et temporum exigentiam, dispensare super aetate, quatenus scilicet ante trigesimum annum, de licentiâ Ordinariorum, tempore praedicationis adventus et quadragesimae audiant confessiones extra hanc nostram ecclesiam.

X. Nullus etiam ad sacros ordines mittatur quin peracto philosophiae cursu per aliquod tempus theologiae vacaverit; ad presbyteratus[3] vero ordinem nullus item mittatur nisi ad minus per annum integrum eidem theologiae ope-

1 Edit. Main. legit *intersit* (R. T.).

1 Pessime edit. Main. legit *oratorium* pro *orationum* (R. T.).

2 Edit. Main. legit *adfuerint* pro *abfuerint* (R. T.).

3 Edit. Main. legit *presbyteratum* (R. T.).

ram dederit. Ceterum ad nullum sacrum ordinem aliquis promovendus patribus consilii proponatur, quin prius rigorose tam de philosophiâ quam de theologiâ atque etiam de cantu examinatus per examinatores infra deputandos fuerit approbatus.

XI. Semel in anno unusquisque religiosus huius familiae per octo aut decem dies, iuxta patris prioris dispositionem et uniuscuiusque complexionem, vacet exercitiis spiritualibus; nec aliquis admittatur ad studia tum philophiae, tum theologiae, nec etiam ad aliquem sacrum ordinem, quin prius iisdem exercitiis spiritualibus, ut supra, vacaverit.

§ II. *De disciplinâ ac regimine conventus.*

I. Cum nedum bonum nomen sed etiam bona temporalia istius nostri conventus et collegii adeo in dies decrescant, ut, nisi de opportuno provideatur remedio, brevi ad extremum redigetur exitium, fietque in stuporem et sibilum omnibus transeuntibus, quorum[1] malorum causas serio in hac nostrâ visitatione indagantes, non aliunde quam ex non sufficienti religiosorum, tam in spiritualibus quam in temporalibus, experientiâ originem trahere comperimus. Cum enim, iuxta illius antiquas leges, non admittat de familiâ nisi vel eos qui in ipsâ[2] professionem emiserunt (quos conventuales vocant), vel studentes, vel officiales; illi vero, sive conventuales, perpauci sint superstites; studentes autem, transactis sex annorum studiis, quinimo et graduati, gradibus susceptis, eorumdem[3] legum virtute redituri sint in proprias provincias, ut[4] supervenientibus aliis studentibus locum cedant: hinc fit ut vix sacerdotio initientur quin statim et verbum Dei disseminent et sacramentum confessionis administrent, in nostrae sacrae religionis maximum dedecus et contra praescriptum nostrarum constitutionum; hinc etiam fit ut nulli fere adsint, qui, observatis annorum curriculis, de rebus conventus, collegii et ecclesiae comprobatam habeant notitiam. Nec iuvat quod ex diversis Galliae provinciis assumantur officiales etiam aliquando provectae aetatis; quia aut penitus ignorant ecclesiae et monasterii statum, aut multoties minus idonei inveniuntur, unde parum communi utilitati incumbunt; aut denique quia, ex gravitate et multitudine negotiorum animo cadentes, officiis ipsis commissis non ut par esset accurate vacant. Quibus malis pro viribus occurrere debentes, pluries super iis verbo et scripto auditis omnium Galliae provinciarum patribus provincialibus cum earumdem et conventuum generalium deputatis, ad id per nos in hoc monasterium convocatis expresse et congregatis, et praeterea omnibus fere religiosis huius familiae, prout fusius in prooemio horum articulorum continetur, nullum certe aliud efficacius remedium excogitare potuimus, quam ex eisdem provinciis determinatum assumere patrum numerum, ipsosque perpetuo affiliare in hoc maiori nostro conventu et collegio, quatenus eiusdem rebus tum spiritualibus tum temporalibus sedulo invigilent, bonis exemplis ac documentis iuvenes comprimant, seculares aedificent, et ad amicos et devotos Ordinis conservandos, multiplicandos, et maxime ad habendam gratiam maiestatis christianissimae, principum, magnatum et primariae auctoritatis hominum istius curiae et civitatis Parisiensis, sedulo

1 Syntaxis mallet *horum* quam *quorum* (R.T.).
2 Aptius forsan legeretur *ipso* (R. T.).
3 Videretur legendum *earumdem* (R. T.).
4 Male edit. Main. legit *et* pro *ut* (R. T.).

laborent. Quod ut suaviori modo fiat, censuimus ipsos patres affiliandos pro hac primâ vice a nobis assumendos esse ex eorum numero qui nunc in ipso conventu et collegio commorantur, cum praesertim ipsorum virtus, capacitas, sufficientia, et in rebus agendis dexteritas sit nobis satis comprobata.

Filios conventus constituit.

II. Iis ergo et aliis iustis de causis animum nostrum moventibus, auctoritate utriusque officii nobis commissi, hos patres de facto assumimus, nominâmus, declaramus et constituimus, prout declaratos, constitutos, nominatos et assumptos esse volumus filios huiusce conventus et collegii, nimirum reverendos patres magistros facultatis Parisiensis Franciscum Viogue, Laetum Bardaul, Andream Abayl, Honoratum Lambrochum, Nicolaum Diet, Gabrielem Simian; baccalaureos vero Nicolaum Robino, Thomam Florensem et Vincentium Mathes; et praeterea Ioannem Lacroix, procuratorem huius monasterii, Petrum Royer, depositarium, et Aphrodisium Remes pietatis directorem. Damus insuper plenam et omnimodam facultatem ac potestatem admodum reverendo patri magistro Thomae Guicheus, apud nos pro provinciis Galliae assistenti, et tunc priori huiusce conventus et collegii, ut ad beneplacitum suum nomine nostro nominet, assumat et constituat filios alios etiam quatuor patres sibi benevisos, ut cum supradictis duodecim a nobis iam nominatis componatur numerus sexdecim fratrum sacerdotum; quos omnes sexdecim, sic a nobis iam nominatos, aut auctoritate nostrâ, ut praefertur, nominandos, nunc prout ex tunc, sicut etiam alios omnes in posterum eligendos et constituendos ut infra, perpetuo affiliamus in hoc conventu et collegio, cum omnibus iuribus, praerogativis, privilegiis, gratiis, praeeminentiis, ceterisque aliis, quibus per nostras constitutiones frui, potiri et gaudere solent filii aliorum conventuum generalium, eâ tamen lege ut, si quis ipsorum aliquando non religiose vixisse aut aliquid commisisse deprehendatur (quod Deus avertat), propter quod iuxta Ordinis constitutiones e conventu expellendus esset, de huiusmodi excessu vel excessibus debite convictus, tunc reverendissimus pater generalis pro tempore ipsum vel ipsos remittat in provinciam vel provincias, cuius vel quarum erant originaliter filii.

III. Ceterum, ne in posterum supersit aliqua dubitandi occasio quomodo et ex quibus provinciis assumi debeant huiusmodi affiliandi sexdecim patres, mandamus et decernimus ut sexdecim loca (hac[1] unicâ vice dumtaxat exceptâ) aequaliter dividantur inter ipsas Galliae provincias, quae in hoc conventu et collegio habuerint sexdecim studentes, vel saltem quatuordecim, inter quos sint decem aut ad minus octo fratres, quorum nullus ad sacrum presbyteratus ordinem promoveri debeat nisi per duos annos integros legibus fratrum iuxta morem istius conventus et collegii satisfecerint, et insuper admittant magistros in sacrâ theologiâ facultatis Parisiensis cum ipsorum privilegiis; ita ut nec plures nec pauciores.

Ex illo sexdenario numero uni[2] quam alteri provinciae tribuatur, sed singulis provinciis sit aequalis distributio: unde, occurrente vacatione ex praedictis sexdecim locis iam, ut praefertur, repletis vel replendis, habitâ vacatione[3] huiusmodi aequalitatis, repleatur ex provinciâ, cuius erat filius qui morte vel alio casu defuerit, modo non excedat

1 Male edit. Main. legit *ac* pro *hac* (R. T.).
2 Videtur legendum *non plus uni* (R. T.).
3 Forsan *ratione* pro *vacatione* legend. (R.T.).

aequalitatem, quo casu replendus erit ex aliâ provinciâ iuxta ordinem iam inter ipsos statutum, quae nunc ad aequalitatem non habuit. Praeterea statuimus ut, quotiescumque et quomodocumque aliquis ex praedictis sexdecim locis vacaverit, pater provincialis illius provinciae, cui ad aequalitatem competere debet huiusmodi locus vacans, de assensu definitorii capituli provincialis, vel congregationis intermediae, vel etiam capituli privati, tres patres in scriptis praesentabit[1] patribus consilii istius maioris conventus et collegii nostri, ut ex illis tribus ipsi fratres[2] consilii unum eligere valeant pro occupando loco vacante; quod si primâ vice non sequatur electio, denuo alios tres eodem modo praesentabit patribus consilii, et quoad usque sequetur electio; de quo statim certiorem faciant reverendissimum patrem generalem pro tempore existentem.

IV. Conventus maneat, sicut fuit hactenus, generalis, et generalissimum collegium, curae, regimini et protectioni nostris et successorum nostrorum immediate subiectum, administrandum tamen, regendum et gubernandum, tam in spiritualibus quam in temporalibus, per superiores et officiales sive ex praefato conventu et collegio, ut supra, affiliatos vel affiliandos, sive ex provinciis et communitatibus Galliarum assumendos et eligendos, modo tamen admittant magistros in sacrâ theologiâ facultatis Parisiensis cum ipsorum privilegiis, et in hoc celeberrimo studio habeant sufficientem studentium numerum, iuxta dicta numero praecedenti.

V. Unde non solum qui a nobis et successoribus nostris, verum etiam qui a patribus provincialibus provinciarum Galliae ad studendum huc missi fuerint, recipiantur iuxta facultatem et possibilitatem conventus et collegii; qui ne hac in parte gravetur, nullus ad studendum philosophiae mittatur prius quam aliquis cursus philosophicus incipiatur. Quare, ut provinciae tempore debito suo[1] studentes ad hoc studium mittere valeant, mandamus et praecipimus patri priori pro tempore, sub poenâ suspensionis per sex menses ab officio, ut, duo menses antequam studia philosophica incipiantur, scribat ad omnes et singulos provinciales et superiores communitatum Galliae quod tali mense et tali die inchoabuntur studia philosophiae: quod si aliquis provincialis, vel alius superior, non expectato huiusmodi tempore, aliquem vel aliquos studentes in hunc conventum et collegium mittere praesumpserit, nullo modo recipiantur, sed in suas provincias illico remittantur.

VI. Officiales in posterum sint dumtaxat prior, superior, sacrista, procurator, magister seu director pietatis, et depositarii, iuxta numerum provinciarum quae in hoc conventu et collegio habuerint, ut dictum est, sufficientem numerum studentium, et admiserint magistros, ut supra; praeter quos sit unus regens et duo professores in sacrâ theologiâ. Deputatorum autem munus, hoc triennio elapso, ab ipsis depositariis exerceatur, ita ut qui imposterum eligentur in depositarios, censeantur de facto electi in deputatos.

VII. Consilium, quo dumtaxat totus conventus administrandum et omnes electiones faciendae sunt, componetur deinceps ex patribus priore, magistris in sacrâ theologiâ, regente theologiae, professoribus, baccalaureis de licentiâ superiore, magistro seu directore pie-

1 Legendum foret *praesentet* (R. T.).
2 Aptius lege *patres* (R. T.).

1 Legerem *suos* pro *suo* (R. T.).

tatis, sacristâ, procuratore et depositariis: baccalaurei vero extra licentiam, qui tempore publicationis horum decretorum ad consilia conventus et collegii non fuerint admissi, nullo modo in posterum ad illa admittantur.

VIII. Prior ceterique officiales eligentur per turnum provinciarum de triennio in triennium iuxta ordinis nostri constitutiones, videlicet pater prior in vigiliâ Pentecostes; ceteri vero omnes vel eodem die, aut saltem infra eiusdem solemnitatis octavam, quando scilicet pater prior de novo electus praesens fuerit; si vero absens eligatur, tunc iuxta antiquum morem differatur huiusmodi officialium electio usque ad vigiliam vel antevigiliam divae Magdalenae, et non ultra; interim pater prior absolutus, ut vicarius noster generalis, regat conventum usque ad prioris electi adventum; quorum uterque, sicut et ceteri officiales triennii proxime elapsi, gaudet suffragio in electionibus praedictorum officialium.

IX. Electioni patris prioris praesidebit pater aliquis, quem reverendissimus pater generalis pro tempore ad hoc munus specialiter deputabit, qui tali electioni vocem activam etiam habebit; quod si forte litterae deputationis huiusmodi praesidentis tempore debito non pervenerint, eo casu electioni patris prioris praesidebit pater magister primus familiae sive consilii, et magistris omnibus aut absentibus aut impeditis, praesidebit qui primum in consilio locum habuerit post priorem; electioni autem officialium praesidebit prior de novo electus quovis tempore fiant electiones ante vigiliam Magdalenae.

X. Prior si praesens eligatur, statim atque fuerit a patre praesidente confirmatus; si vero absens, quo primum advenit, sui prioratus functiones exercebit; verumtamen pro se et ceteris officialibus de novo electis unâ cum patribus consilii absque morâ[1] confirmationem a reverendissimo patre priore generali pro tempore postulabit, mittendo ei acta omnia praedictarum electionum, non tamen diminuta, sed integra, cum numero vocalium, et quotquot uni vel alteri suffragati fuerint (tacito numero suffragantium), ita ut in praedictis actis reverendissimo patri generali liquido constet quot vota singuli concurrentes habuerint, ne scilicet canonica electio propter incertitudinem facti aliquando in dubium ponatur, et ut lites, quae exinde ut plurimum exoriri solent, omnino eradicentur; et hoc sub poenâ nullitatis ipsorum actorum. Quorum deinde confirmationem vel infirmationem, restrictionem vel ampliationem, quam faciet idem pater generalis, statim atque pater prior receperit, sub poenâ suspensionis ab officio, inalteratam et sinceram coram omnibus patribus et fratribus in capitulo ad sonum campanellae, ut moris est, congregatis publice legendam demandabit, quatenus de voluntate patris generalis, omnibus liquido constare possit. Si vero aliquis prior ita negligens repertus fuerit ut se et suos officiales quam citius confirmandos, ut praefertur, non curaverit, ab eodem reverendissimo patre generali puniatur etiam usque ad officii privationem, si ita sibi videbitur expedire, prout definitur in constitutionibus de provinciali electo (part. III cap. VII, num. 4, § 2).

XI. Qui a praedictis patribus consilii ad aliqua officia electi fuerint, de ipsorum electione a patre priore statim moneatur[2], et ipse si[3] absens eligatur, a

1 Male edit. Main. habet *more* pro *morâ* (R.T.).
2 Potius legendum *moneantur* (R. T.).
3 Potius lege *et, si ipse* (R. T.).

patribus consilii, ac etiam respective patres provinciales et superiores communitatum; a quibus si electi licentiam obtinuerint, absque morâ se conferant in hunc conventum et collegium, ut officia, ad quae electi fuerunt, exerceant; quod si huiusmodi licentia ipsis denegetur, nunc prout ex tunc futuris perpetuis temporibus concedimus patri priori, pro tempore electo, ut nostro et successorum nostrorum nomine patribus sic electis vel electo veniendi concedat obedientiam, absque eo quod possit vel possint a quacumque auctoritate nobis inferiore[1].

Prioris et aliorum officium.

XII. Prioris officium erit totum conventum regere et administrare cum plenariâ auctoritate iuxta praescriptum nostrarum constitutionum; superioris vero, illius vices gerere, maxime in choro et in rebus quae ad disciplinam regularem pertinent; regentis autem bis in hebdomadâ lectionem habere de theologiâ positivâ aut morali, ac insuper omnibus actibus studiorum invigilare, et curare ut lectiones et concertationes a professoribus statutis horis et temporibus habeantur, item compellere studentes omnes ut singulis lectionibus, concertationibus et actibus studiorum intersint, utpote cum[2] omnes de studio in his quae sunt studii specialiter subiecti sint; ad ipsum quoque spectabit theses baccalaureorum et ceteras publicas quorumlibet studentium approbare, antequam publice defendantur; scholares philosopiae vacaturos de humanioribus litteris, atque etiam ad sacros ordines mittendos et ad confessiones audiendas atque ad conciones habendas, cum eodem patre priore et aliis examinatoribus in principio cuiuslibet triennii per patres consilii deputandos[4], examinare, ac tandem in omnibus studiorum actibus et consiliis ad studium pertinentibus post patrem priorem primum locum obtinere.

Directoris pietatis officium.

XIII. Directoris pietatis officium erit diligenter invigilare ut pietatis studium ac orationis amor vigeat inter iuniores non sacerdotes curae suae commissos; ipsos legem Dei docere et ea omnia quae ad cultum divinum spectant, eosque visitare, capitulum de culpis seorsum semel in hebdomadâ tenere, exhortantes[2] habere, et cetera omnia tam intra quam extra dormitoria seu novitiatum agere et praestare, quae agenda et praestanda magistro novitiorum circa novitios praescribunt nostrae sacrae constitutiones, part. II cap. III.

XIV. Cum per easdem sacras nostras constitutiones, part. V cap. I, iste conventus et collegium digniorem prae ceteris locum obtineat, nec cap. VII, § II eiusdem partis[3] illius privilegiis in studiorum et studentium formam deroget, eapropter aequum est ut quanto ceteris eminet, tanto amplioribus favoribus et gratiis perfruatur, adeo ut ad modum provinciarum regatur. Unde, iis et aliis rationibus animum nostrum moventibus, concedimus patribus priori et consilii pro tempore, quod, si aliquando contingat aliquod officium per mortem, renunciationem, aut quocumque alio modo vacare, ut[4] infra octo dies alium vel alios officiales ex provinciâ vel provinciis, ex qua vel ex quibus erant filii praecedentes officiales, electione substituant, duraturos usque ad novam dumtaxat officialium electionem suo tempore et de more faciendam. Quoad vero pa-

1 Deest verbum *impediri* (R. T.).
2 Legendum *cui* pro *cum* (R. T.).

1 Videtur legendum *deputandis* (R. T.).
2 Forsan *exhortationes* (R. T.).
3 Pessime edit. Main. legit *Patris* pro *partis* (R. T.).
4 Particula *ut* redundat (R. T.).

tris prioris officium servetur Ordinis constitutio, part. III, cap. II, § 2, itaut, quod ibi dicitur de visitatoribus provinciae et de immediato praedecessore provincialis, intelligatur dictum de patribus superiore et consilii respectu reverendissimi patris generalis pro tempore, quem deinde de novâ substitutione, ut supra, per electionem certiorem reddant. Nemini liceat, post captam possessionem alicuius officii, illi renunciare, nisi accedat assensus in scriptis patrum consilii; secus facientes, ipso facto et absque ulteriori declaratione, per triennium utrâque voce sint privati et perpetuo huius conventus et collegii mansione.

XV. Nullus pater, aut frater, vel clericus, nec ad habitum, nec item ad professionem in hoc conventu et collegio admittatur, nec de familiâ commoretur, si non sit aut affiliatus, ut supra, aut officialis, aut studens, aut de corpore studii (exceptis tamen quaestoribus, aut si aliqui sint necessarii ad ministeria chori vel ad alia negotia domestica); pro fratribus autem laicis iuxta conventus necessitatem aliqui recipi poterunt ad habitum et professionem (quae omnia arbitrio et prudentiae[1] patris prioris pro tempore iudicandum relinquimus), modo tamen a patribus consilii ad novitiatum[2] et ad professionem admittantur.

XVI. Ad studendum missus nullus recipiatur, nisi nigro et albo habitu sit honeste indutus, aut pro eisdem vestibus congruam pecuniae summam secum attulerit patri procuratori statim consignandam; hospites autem omni cum charitate et devotione iuxta monasterii facultatem et uniuscuiusque qualitatem recipiantur; transactis vero tribus diebus, si ad aliqua negotia ulterius remanere voluerint, pro victu communi persolvant taxatam secundum tempus a patribus consilii summam, aliter dimittantur; quamdiu vero manserint, legibus hospitum teneantur et obligentur, iuxta Ordinis constitutiones, part. II cap. XVII § 2 et sequentibus.

XVII. Studentibus redeuntibus in suas provincias conventus non teneatur dare cappam, nec solvere viaticum, nisi per triennium integrum sacerdotio in hoc conventu et collegio functi fuerint: et tunc pro hinc remoticribus dabuntur viginti librae ad summum; ceteris vero ad normam ipsarum viginti librarum, ponderatâ uniuscuiusque itineris distantiâ; quoad officiales autem relinquitur prudentia patribus[1] prioris et consilii, qui, iuxta meritum personarum et qualitatem officiorum, unicuique subministrabunt sufficiens et honestum viaticum.

XVIII. Cum ex mutuis fratrum percussionibus ingentia oboriri comprobentur mala, adeout in perniciem et ultimam ruinam istius conventus et collegii nihil magis cedat; quare, ut iis occurramus malis, ordinamus et statuimus ut quicumque frater animo irato aliquem percusserit, statim et nullâ interpositâ morâ, ab hoc conventu et collegio indispensabiliter perpetuo expellatur, poenas per constitutiones nostras, part. VI cap. IV, taxatas, iuxta qualitatem percussionis et personae percussae, ac scandali, cum primum in suam provinciam pervenerit, subiturus. Idcirco mandamus patri priori pro tempore ut de huiusmodi excessu quamprimum moneat venerandum patrem provincialem illius provinciae, cuius erit filius iam expulsus, quatenus ipse venerandus pater

1 Edit. Main. legit *prudentia* (R. T.).

2 Edit. Main. habet *novitatum* pro *novitiatum* (R. T.).

1 Potius lege *prudentiae patrum* (R. T.).

provincialis, statim atque ad illum pervenerit delinquens, poenas condignas absque ullâ dispensatione subire compellat; super quibus oneramus tum patris prioris tum patris provincialis conscientias.

XIX. Et quia maior fere pars redditus conventus et collegii absumitur in viaticis solvendis officialibus tam in eundo quam redeundo, quando ex absentibus patribus eliguntur; ideo, ut huic malo saltem in parte et quantum possumus etiam de opportuno provideamus remedio, mandamus et praecipimus ut deinceps depositarii semper eligantur ex praefato sexdecim patrum affiliatorum numero, nimirum per turnum provinciarum iuxta formam superius praescriptam; ceteri vero officiales, ac etiam prior, relinquitur patrum consilii libertati et prudentiae, ut, quotiescumque de illis facienda erit electio, [1] an magis conducat ad Dei gloriam et bonum regimen istius conventus et collegii si eligantur ex absentibus, quam ex praesentibus, vel viceversâ, modo tamen ut inter ipsos servetur, sicut supra, provinciarum turnus.

XX. Conventus non tenebitur aliquas facere expensas pro graduandis, exceptis professoribus, qui actu per quatuor annos integros digne et laudabiliter iudicio patrum prioris et consilii professi fuerint; si tamen tunc habuerint conciones tempore adventus et quadragesimae, eleemosynae ex eis provenientes, quae in deposito conventus reponere tenebuntur ad vitandam proprietatem, pro dictis impensis insumentur; eleemosynae vero ex quibuscumque aliis eorum concionibus provenientes, et generaliter eleemosynae omnes tum studentium tum officiariorum aliorumque omnium ex missis, concionibus, piorum oblationibus provenientes, et aliae demum quocumque titulo cuilibet irrogatae, cedant omnino in communione conventus et collegii bonorum, nec cuipiam liceat quidpiam sibi ex illis retinere, sub crimine et poenâ proprietatis et furti; sed integre teneantur omnia consignare inter manus depositariorum efficaciter in deposito reponenda et asservanda, ut in communem conventus et collegii usum impendantur.

1 Videtur deesse *iudicent* aut simile (R. T.).

§ III. *De clausurâ, refectorio et aliis officinis.*

I. Quoniam manifestâ experientiâ innotescit nihil magis perfectioni regulari adversari, et bonam famam cuiuslibet monasterii perdere posse, quam nimia fratrum per vicos et plateas civitatum circuitio: idcirco ad disciplinae huius conventus et collegii stabilitatem stricte praecipimus patri priori pro tempore ut hac in parte sedulo invigilet observationi nostrarum constitutionum, part. II cap. XIII, nec alicui concedat facultatem eundi in civitatem nisi ex gravi causâ prius ab ipsomet cognitâ et examinatâ, et gravi assignato socio. Invigilet praeterea ut ianitor iuxta easdem Ordinis constitutiones diligenter et fideliter suum exequatur officium; secus faciens, illum publice arguat, puniat, et, si non se emendaverit, e conventu irremissibiliter expellat.

II. Nemini, quavis praeeminentiâ, gradu aut dignitate polleat, licitum sit e conventu egredi quin prius nomen suum annotet in tabulâ foribus ianitoris appensâ, in qua omnium patrum et fratrum nomina de more conscribuntur, quod idem in reditu de more observabunt; contrafacientes a patre priore graviter puniantur. Et cum nihil perniciosius homini religioso dari queat, quam si indulgeat potius ventri quam menti, unde huiusmodi per nostras con-

stitutiones, part. III cap. XII, § 8, infames declarantur: quare sub poenâ manifestae rebellionis mandamus atque praecipimus ne aliquis audeat bibere aut comedere in civitate aut in suburbiis, neque adire quamcumque domum pro gaudio[1] aut coenâ sumendis, nisi urgente gravissimâ causâ, et adhuc accedente patris prioris licentiâ, quam nullo modo concedere debet nisi honestis et bene morigeratis religiosis, quando scilicet a parentibus vel ab amicis particularibus aut a benefactoribus conventus et collegii invitantur.

III. Nulli concedatur abesse a mensâ communi nisi infirmis vel valde senibus; quod si aliqui, rationabili accedente causâ, a patre priore obtinuerint licentiam extra refectorium prandio vel coenâ excipere aliquos parentes, amicos vel benefactores, aut aliquos fratres hospites, id faciat ad parvam hospitum aulam, aut in aliquo alio loco communi, nunquam vero in refectorio, nec in cellis fratrum quorumcumque, sive intra sive extra dormitoria existant; qui autem, hoc nostro spreto mandato, contrafecerint, poenâ arbitrariâ per patrem priorem graviter puniatur.

IV. Secundae mensae invigilet, modo pater prior, modo superior, aut aliquis alius ad hoc munus specialiter deputatus, quatenus religiose et modeste omnia ibidem peragantur. Ut autem omnes simul et semel absolvant primam mensam, peractâ lectione Sacrae Scripturae, et in diebus veneris lecto capitulo sexto regulae sancti patris nostri Augustini, claudatur refectorium, quod ex illâ horâ nemini aperiatur comedendi causâ, sed expectet secundam mensam, quae circa finem primae pulsabitur, fientque in eâ benedictio et gratiarum actiones sicut in primâ, sine cantu tamen; cui mensae secundae deputabuntur ministri ad legendum et interveniendum[1] sicut primae, in qua item non minus servabitur modestia quam silentium.

V. Tam in favorem studiorum, quam praesertim ad tollendos abusus furtive et clam edendi carnes tempore decurrenti a[2] festivitate omnium sanctorum usque ad adventum Domini ecclesiasticum, indulgemus patri priori ut pro eo tempore dispensare valeat super eisdem carnibus edendis, praeterquam diebus mercurii, quibus sicut et diebus veneris et sabbati ieiunium rigorosum mandamus observari. Ut autem salubris ieiunandi frequentia non minuatur, carnium tantum esum in ieiuniis Ordinis nostri limitamus, ita ut non interdicatur mos istius civitatis Parisiensis edendi ova et lacticinia in praedictis ieiuniis quae non occurrunt tempore adventus ecclesiastici et quadragesimae ac in vigiliâ sancti patris nostri Augustini, in quibus ieiuniis ab esu ovorum et lacticiniorum abstineri omnino volumus et praecipimus. Declaramus pariter quod, quando in constitutionibus nostris habetur quod aliquis fructus vel etiam frustum panis in parvâ quantitate ministrari debeat in collationibus, non ita rigorose intelligendae sint ut disiunctim unum vel aliud, sed coniunctim utrumque[3] administrari possint[4].

VI. Si quis e refectorio, infirmariâ, camerâ hospitum, culinâ, vel ex aliâ officinâ publicâ utensilia communia detulerit, etiam cum animo reportandi, pro

1 Videtur *prandio* pro *gaudio* legend. (R. T.).

1 Potius lege *inserviendum* pro *interveniendum* (R. T.).

2 Edit. Main. legit *e* pro *a* (R. T.).

3 Male, ut puto, edit. Main. legit *utcumque* pro *utrumque* (R. T.).

4 Potius lege *possit* (R. T.).

primâ vice publice arguatur, pro secundâ severe corrigatur, pro tertiâ vero ei disciplina imponatur; quod si non se emendaverit, augeatur ei poena ad patris prioris arbitrium. Si autem in tantum progressus fuerit malum ut illa vel aliquid aliud furatus fuerit, de hoc latrocinio confessus vel convictus tamquam fur e conventu perpetuo indispensabiliter reiiciatur. Denique, qui ob infirmam valetudinem victu communi sustentari nequiverit, in suam remittatur provinciam.

VII. Ut patres confessarii, praesertim qui studio concionum simul occupantur, magis assuescant casibus conscientiae, a lectore mensae prandii et coenae quotidie legatur de aliquo summista inter bibliam et librum spiritualem, nec etiam tempore refectionis concedatur silentii solvendi facultas.

§ IV. *De dormitoriis.*

I. Singulis diebus quibus matutinum mediâ nocte integre decantatur, pulsato signo silentii post orationem serotinam, conveniant omnes fratres ante sacellum beatae Mariae Virginis, quod situm est in ipsorum maiori dormitorio, ubi, iuxta antiquum morem, genibus flexis devote recitabunt eiusdem beatae Mariae Virginis litanias cum solitis antiphonis et orationibus; quibus persolutis, claudantur omnia dormitoria, quorum claves deferantur patri priori vel alteri de ipsius mandato per totam noctem servandae. Quando vero mediâ nocte[1] decantatur matutinum, et ad illud dicendum alternis vicibus surgunt fratres, tunc litaniae dicantur, ut supra, ab illâ dumtaxat mediâ fratrum parte quae non est surrectura. Quod si aliquis ausu temerario seras portarum dormitoriorum, vel alicuius alterius portae, aut etiam arcae conventus fregerit, vel claves adulterinas habuerit, absque morâ irremissibiliter e conventu expellatur.

II. Qui sine expressâ prioris licentiâ introduxerint seculares in aliquod dormitorium, vel cellam aliquam, quamvis propriam, duplicatam poenam constitutionum Ordinis, part. II cap. VII, § 5 latam contra eos religiosos qui intrant cellam alterius fratris, respective subeant; neque in cellis dormitoriorum, neque etiam in ipsis dormitoriis, nisi in calefactoriis, publice habeatur ignis; neque sine lumine audeat quis de nocte incedere, neque etiam, et quidem sub poenâ eiectionis e conventu, affigere candelam ligno vel alteri materiei combustibili, vel etiam dormiendo accensam relinquere: unde non utantur candelabri nisi ferrei.

III. Praeter magistrum pietatis, qui in exercitiis spiritualibus ex officio instruere tenetur praedictos fratres, pater prior alios[1] tres, vel quatuor, vel etiam plures, si opus fuerit, deputet, qui eosdem fratres studiosissime de ecclesiae cantu instruant; praedicti autem fratres nunquam e dormitorio egrediantur, aut per conventum vadant, nisi bini et bini; contrafacientes graviter puniantur.

IV. Nec item fas sit in[2] praedictis fratribus gallice loqui, etiam in assignatis sibi dormitoriis, vel extra cum sociis vel sacerdotibus nostris, nisi aliquando a patre priore licentia ad id ipsis concedatur, nimirum dum habentur recreationes in horto, vel alii[3] secus facientes dure puniantur. Non sinat pater prior ea mobilia, quae sunt in cellis eorumdem fratrum, ac etiam patrum, a quocumque vendi, alienari vel alio asportari, et hoc sub poenâ pro-

1 Heic videtur deesse *non* iuxta ea quae dicta fuerunt supra pag. 28, num. II (R. T.).

1 Male edit. Main. legit *alii* (R. T.).

2 Praeposit. *in* redundare videtur (R. T.).

3 Forsan legendum *vel alibi;* (R. T.).

prietatis ementibus, vendentibus, alienantibus, aut asportantibus infligendâ; unde per numerum cellarum signentur ipsarum mobilia, grabata, stragula, mensae, sedilia, ceteraque suppellectilia omnia; quare, si, post haec, aliqua in alicuius cellâ suo numero signata non reperiantur suppellectilia, habitator illius cellae tamquam fur habeatur et puniatur.

§ V. *De studiis.*

I. Ad studia tam philosophica quam theologica nullus admittatur nisi praevio rigoroso examine approbetur, nimirum pro philosophiâ de humanioribus litteris, et pro theologiâ de philosophiâ; ad neutrum vero nisi sit bene morigeratus et exercitiis spiritualibus per octo aut decem dies secundum patris prioris dispositionem prius vacaverit; quod etiam praestare tenebitur dum a cursu philosophiae ad cursum theologiae erit transiturus.

II. Examinatores pro admittendis ad cursum philosophiae erunt patres prior, regens studii, baccalaureus, et eiusdem philosophiae professores; pro admittendis vero ad theologiam, ad sacros ordines, ad conciones et ad confessiones audiendas, praeter patres priorem, regentem et studii baccalaureum, erunt etiam duo theologiae professores cum directore pietatis et duobus graduatis familiae a patribus consilii in principio cuiuslibet triennii ad hunc effectum deputandis; eâ tamen lege ut pater prior unâ cum patribus regente et altero theologiae professore ad praedicta examina facienda procedere valeat et debeat, aliis examinatoribus ad sonum campanellae monitis et convocatis non accedentibus.

III. Bis saltem singulis annis habeatur examen publicum per supradictos examinatores et etiam alios quoscumque graduatos, qui huic examini interesse voluerint, ad probandum quinam in studio proficiunt et qui non proficiunt, ut isti a collegio expellantur; discoli autem et irreligiosi, cuiuscumque provinciae seu communitatis, ter publice moniti, nisi resipiscant, de consensu patris prioris, regentis, et directoris pietatis respectu fratrum, et studii baccalaurei respectu sacerdotum, a collegio irremissibiliter expellantur et sine morâ in suas provincias remittantur.

IV. Studentes duobus annis philosophiae et quatuor theologiae incumbent; quibus sex annis transactis, quicumque ad baccalaureatum promoti non fuerint, in suas provincias remittantur. Ceterum, ne aliquis per fraudem possit sibi prorogare huiusmodi tempus, ordinamus ut unus specialiter deputetur liber, in quo nomina et cognomina ad studia accedentium, cum die et anno eorum receptionis, a studii[1] baccalaureo annotentur, apud quem huiusmodi liber de more remaneat, qui etiam in praedicto libro conscribet quando et sub quibus professoribus cursum philosophicum et theologicum peregerunt, ut inde testimonium pro graduandis in facultate Parisiensi desumi possit; annotet quoque in praefato libro, quo tempore habita fuerunt[2] supradicta examina, et quomodo unusquisque iis satisfecerit.

V. Ne torpeant studia huius conventus et collegii, unica dumtaxat singulis bienniis, et quidem die quarto vel tertio augusti quando dominica incidit in praedictum diem quartum, fiat baccalaureorum electio; quod biennium incipiet die IV augusti anno MDCLXII, ut scilicet baccalaurei electi tempore opportuno

1 Male ed. Main. legit *studiis* pro *studii* (R. T.).
2 Forsan *fuerint* pro *fuerunt* (R. T.).

valeant se sistere sacrae facultati Parisiensi, et primo examini per ipsam faciendo debite, ut par est, satisfacere; unde, qui ad baccalaureatum a patribus priore et consilii electi fuerint, nobis et successoribus nostris pro tempore confirmandi praesentabuntur, ut postea cum nostris litteris confirmatoriis sacrae se sistant, tempore debito, facultati Parisiensi, in qua admissi, iuxta eiusdem facultatis leges, cursus suos seu licentias perficient; post adeptum vero licentiae gradum, per quindecim tantum menses a die eiusdem licentiae adeptionis voce, privilegiis, consuetis, et mansione in hoc conventu et collegio gaudebunt; transactis autem huiusmodi quindecim mensibus, in suas provincias revertentur, nec amplius erunt de familiâ huius conventus et collegii nisi a patribus consilii pro tempore ad aliquod officium eligantur; et hoc quidem ut sequentibus baccalaureis et magistris novis locum cedant.

VI. Ad baccalaureatum non eligantur nisi sacerdotes, etiamsi fuerint in provinciis; et in defectum sacerdotum, eligi poterunt fratres, modo, antequam de tentativâ respondeant, possint initiari aliquo sacro ordine. Nulli vero eligantur nisi habuerint cetera requisita iuxta leges et consuetudinem receptam huius conventus et collegii, nimirum ut cursum philosophicum per duos, et theologicum per tres item circiter annos, atque actus studii in hoc conventu et collegio pie et laudabiliter absolverint, et insuper habuerint testimonia professorum, ipsorumque magistrorum pietatis, de vitâ, moribus et cantu atque doctrinâ, patribus consilii prius exhibenda.

VII. Et ne in electione baccalaureorum aliquâ inferatur provinciis iniuria vel habeatur personarum acceptio, in singulis electionibus[1] (quoad fieri poterit) assumetur aliquis ex qualibet provinciâ, sin minus in sequentibus electionibus assumatur aliquis ex provinciâ quae in praecedentibus electionibus nullum habuit baccalaureum, modo in eâ recipiatur[2] aliquis capax tali gradu iuxta praescripta in superiori numero, et sic successive in aliis electionibus ex iis provinciis, quae, ut dictum est, habuerint in hoc studio sufficientem numerum studentium et admiserint magistros in sacrâ theologiâ cum eorumdem praerogativis et privilegiis.

VIII. Munus regentis, iuxta antiquam consuetudinem huius conventus et collegii, successive exercent[3] qui officio baccalaurei studii et praesentati functi fuerint, qui a patribus consilii eligentur per turnum provinciarum; quorum uterque per annum officio regentis fungetur. Unus ad minus sit lector in philosophiâ, cuius partes erunt bis in die lectiones tradere et explicare, serotinasque concertationes suis discipulis semel item in die habere, desides ac in classe delinquentes corrigere; quod si officium suum recte ac diligenter peregerit, honorificum aliquod ei tribuatur pro unico actu facultatis Parisiensis, si aliquando a patribus consilii in baccalareum eligi contingat.

IX. Duo ex sacrâ facultate Parisiensi graduati sint theologiae professores, duobus, aut etiam tribus trienniis, si ita reverendissimo patri generali pro tempore (ex patribus consilii huius conventus et collegii assumendi[4]) videbitur expedire, duraturi, qui scholaribus suis bis in die legant, unus scilicet de ma-

1 Male edit. Main. habet *electoribus* pro *electionibus* (R. T.).

2 Forsan *reperiatur* pro *recipiatur* (R. T.).

3 Ni legendum sit *exerceant* (R. T.).

4 Male edit. Main. legit *assumendis* (R. T.).

ne, et alter post meridiem, et successive quotidie de sero in conferentiis eos exerceant, ad studendum compellant, atque negligentes, aut nolentes in iis quae studii sunt ipsis obedire, ad patres priorem et regentem deferant, quatenus poenâ condignâ, etiam eiectionis e conventu et collegio, puniantur; insuper caveant a peregrinis et novis opinionibus, praesertim ne in suis lectionibus, explicationibus et disputationibus quidquam immisceant, quod explicite vel implicite videatur sapere propositiones Iansenii damnatas, et hoc quidem sub poenis contentis in nuperrimis constitutionibus apostolicis Urbani VIII, Innocentii X et Alexandri VII[1] feliciter regnantis, quas ab omnibus recipi, acceptari et servari absque ullâ tergiversatione sub eisdem poenis praecipimus et mandamus.

x. Ne ex varietate et multiplicitate statutorum, quae pro temporum vicissitudine rerumque exigentiâ hucusque a praedecessoribus nostris posita sunt, ulla amplius dubitationis vel litigii supersit occasio, ea omnia quomodolibet (ut etiam diximus in prooemio horum decretorum), nisi auctoritate apostolicâ emanata, approbatione firmata et roborata fuerint, annullamus, cassamus et irritamus, prout annullata, cassata et irrita duplici nostrâ auctoritate volumus et declaramus; praecipientes propterea omnibus et singulis nobis inferioribus, in meritum salutaris obedientiae, et sub rebellionis nostrae ac expulsionis e conventu poenis, et in subsidium, excommunicationis maioris latae sententiae, quam, hac unicâ pro trinâ canonicâ monitione praemissâ in his scriptis, licet inviti ferimus, ut istis nostris decretis in omnibus pareant atque obediant, ne quovis praetextu vel quaesito colore, directe vel indirecte, per se vel per alios, contra aliquid moliri, attentare, vel ex eis immutare, moderari, restringere, ampliare, infirmare, cassare, vel illorum publicationem et exequutionem impedire aut retardare, sub eisdem poenis, vel praesumant; secus autem, si quid in contrarium quavis auctoritate intra nostram religionem (capituli generalis exceptâ) tentatum vel statutum vel innovatum fuerit, omnino irritum, cassum et invalidum censeri et haberi volumus, decernimus, declaramus, atque mandamus.

xi. Verumtamen, si aliquae difficultates aliquando forte oriantur circa praedictorum decretorum intelligentiam et mentem nostram, significabuntur reverendissimo patri generali pro tempore, cuius interpretationi standum omnino erit. Denique in reliquis observantiis, in iis decretis non expressis, ab omnibus, qui nunc sunt aut in posterum erunt et manebunt in hoc conventu et collegio de familiâ respective, serventur Summorum Pontificum sanctiones, et speciatim Ordinis nostri constitutiones, unde tota nobis propria tradita vivendi norma. Ceterum, ne huiusmodi decreta in oblivionem tradantur, mandamus patri priori moderno ut ea registrari faciat in libro studii, et tam ipsi quam suis successoribus prioribus praecipimus in meritum Spiritus Sancti ut futuris perpetuis temporibus semel saltem in anno publice coram toto conventu legenda curent et mandent. Datum in nostrâ visitatione huius nostri maioris conventus et collegii Parisiensis, die XXI mensis octobris, anno MDCLIX.

Frater PAULUS LUCHINUS,
prior general. et commissarius apost.
Loco † sigilli.

F. AURELIUS MANCINUS,
secretarius Ordinis.

1 Male, ut patet, edit. Main. legit *VIII* (R.T.).

Prior generalis confirmat decretum.

Magister frater Petrus Lanfranconus, Anconitanus, totius Ordinis fratrum Eremitarum sancti Augustini prior generalis:

Ad ea, quae piae et sancte ad consequendam et augendam disciplinam regularem statuta sunt, eo libentius intendimus, quo exinde maiorem Dei gloriam et christifidelium utilitatem proventuram fore dignoscimus. Quare, cum reverendissimus pater magister Paulus Luchinus Pisaurensis, praedecessor noster, personaliter visitans maiorem conventum et collegium nostrum Parisiense, ut illud ad primariam tam bonorum et sacrarum litterarum sapientiam quam monasticae disciplinae institutum reduceret, aliqua, partim ex constitutionibus Ordinis, partim ex institutis aliorum priorum generalium praedecessorum nostrorum, partim propria ipse ediderit decreta, quae tamen ex diversis emergentibus casibus nondum fuerunt publicata; proinde ipsorum originalia idem reverendissimus pater magister Paulus Luchinus nobis remisit, quatenus de opportuno in hoc capitulo generali curaremus procedi remedio. Quibus[1] proinde, his omnibus per nos praefato capitulo expositis, censuit deputandos esse aliquos graves patres, qui, visis et examinatis huiusmodi decretis, referrent, prout de facto deputavit admodum reverendos patres magistros Hieronymum Valvasonum Mediolanensem, totius Ordinis nostri procuratorem generalem, et Iosephum Interamnensem, Italiae assistentem, quorum postea auditis et exacte ponderatis votis, idem capitulum generale statuit praefata decreta esse confirmanda, sicut illa omnia et singula confirmavit, et, quatenus opus sit, denuo edidit, roburque capituli generalis perpetuis futuris temporibus ipsis adiecit, et sub poenis in eis contentis, et aliis ad arbitrium nostrum infligendis, publicari et servari mandavit. Idcirco, eodem nomine et auctoritate praefati capituli generalis hac in parte nobis commissâ, omnia et singula retroscripta decreta approbamus, ratificamus, confirmamus et in quantum opus est innovamus, prout ratificata, approbata et innovata esse volumus et mandamus. Praecipientes, in meritum salutaris obedientiae, et sub poenis in ipsis decretis contentis, et aliis ad arbitrium nostrum infligendis, ipsorum publicationem et observantiam iuxta modum et formam in ipsis praescriptam; dantes propterea admodum reverendo patri magistro Thomae Guichens assistenti Galliae absoluto et priori, atque eius successoribus prioribus praefati conventus et collegii generalis maioris Parisiensis, omnimodam et necessariam potestatem etiam implorandi auxilium brachii secularis; declarantes praeterea in novâ sexdecim patrum affiliatione, de qua § II num. I et II, non comprehendi patres conventuales, qui nunc actualiter in ipso existunt de familiâ, qui, quamdiu vixerint, volumus et mandamus ut ibi degant tamquam illius filii per superiores cum omni benevolentiâ tractandi. Verum, ipsis per mortem vel quocumque alio modo deficientibus, alios eorum loco suppleri non posse prohibemus. Datum apud S. Augustinum de Urbe in comitiis generalibus die IX iunii MDCLXI.

Frater PETRUS LANFRANCONIUS,
generalis ind.

Loco † sigilli.

Fr. AURELIUS MANCINUS,
secretarius Ordinis.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, firmiora et stabiliora sint illa quae apostolicae confirmationis

1 Videtur legendum *Qui*, nempe capitulum generale, pro *Quibus* (R. T.).

patrocinio muniuntur; nobis propterea dictus Petrus prior generalis humiliter supplicari fecit ut in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Omnia decreta praeinserta Summus Pontifex confirmat.

§ 3. Nos igitur, ipsum Petrum priorem generalem specialis favore gratiae prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, omnia et singula decreta praeinserta, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, perpetuo confirmamus et approbamus; illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos iuris et facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Clausulae.

§ 4. Decernentes easdem praesentes litteras necnon decreta praeinserta semper firma, valida et efficacia existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab illis, ad quos quovis modo spectat et pro tempore quandoeumque spectabit, inviolabiliter et inconcusse observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariorum derogatio.

§ 5. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon, quatenus opus sit, praefatorum conventus et Ordinis, aliisve quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitatis aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, approbatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresderogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die x iunii MDCLXII, pontificatus nostri anno VIII.

Dat. die 10 iunii 1662, pontif. anno VIII.

CCCXCIV.

Confirmatio decreti congregationis super negotiis Ordinis Praemonstratensium, et communitatis antiqui rigoris nuncupatae dicti Ordinis, quo cavetur unionem seu aggregationem unius vel plurium monasteriorum dicti Ordinis dictae congregationi antiqui rigoris a vicario abbatis generalis in posterum nullatenus fieri debere, nisi omnes religiosi professi illius monasterii per vota secreta consenserint in illud reformationem introduci, praecesseritque licentia abbatis generalis; etc., eamdemque aggregationem non aliter faciendam esse quam iuxta formulam praescriptam in decreto huic Brevi inserto[1].

Alexander Papa VII,
ad perpetuam rei memoriam.

Decretum sacrae congregationis.

§ 1. Emanavit nuper a congregatione nonnullorum venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium et dilectorum filiorum Romanae curiae prae-

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

latorum super negotiis Ordinis Praemonstratensium a nobis deputatâ[1] decretum tenoris qui sequitur, videlicet:

« Ut reformatio, seu congregatio et communitas antiqui rigoris, in Ordine Praemonstratensium a Paulo V felicis recordationis instituta, et ab aliis Summis Pontificibus eius successoribus confirmata, felicius et cum pace omnium, quorum interest, per monasteria eiusdem Ordinis diffundi et propagari possit, sacra congregatio eminentissimorum et reverendissimorum S. R. E. cardinalium ac dominorum praelatorum super negotiis praedicti Ordinis a sanctissimo domino nostro specialiter deputata, auditis procuratoribus tam Ordinis quam communitatis huiusmodi, reque accurate discussâ, censuit unionem seu aggregationem unius vel plurium monasteriorum ipsius Ordinis memoratae communitati antiqui rigoris a vicario abbatis generalis in posterum nullatenus fieri debere, nisi omnes et singuli religiosi professi illius monasterii per vota secreta consenserint in illud reformationem introduci, praecesseritque licentia in scriptis ipsius abbatis generalis (qui tamen eam non deneget nisi ex iustis et rationabilibus causis, quas deducere teneatur infra quatuor menses ad beatissimum Romanum Pontificem); eamdemque monasterii aggregationem non aliter faciendam esse quam iuxta formulam infrascriptam, videlicet:

Formula de monasterii aggregatione faciendâ.

« Nos frater N., vicarius generalis communitatis antiqui rigoris Ordinis Praemonstratensium, viso actu capitulari, quo omnes religiosi professi monasterii N., fratres N. N. N., facientes totam communitatem dicti monasterii eiusdem nostri Ordinis, per vota secreta consenserint[2] nostram reformationem introduci in hoc suum monasterium, de licentiâ nobis specialiter in scriptis concessâ a reverendissimo domino patre N. abbate Praemonstratensium et totius Ordinis generali sub die ..., concordavimus cum praedictis religiosis de summâ pecuniae scutorum ... de trimestri in trimestre anticipate solvendâ, et de quantitate vini doliorum ..., frumenti sextariorum ..., et aliarum rerum, videlicet..., temporibus..., pro eorum victu et sustentatione assignandâ, et pro eorum portionibus congruis, ratam[2] proventuum huius monasterii, promittimusque ex iis redditibus, qui supersunt, deductis praedictis portionibus congruis, tot alere religiosos nostrae communitatis, qui sufficiant ad restituendam conservandamque disciplinam et observantiam regularem. Et ipsi praenominati religiosi ex parte suâ, cognoscentes se ex vi professionis suae adstrictos ad observantiam statutorum communium Ordinis, denuo promiserunt eamdem observantiam, nihil praetendentes relaxationis ex hac aggregatione sui monasterii cum aliis reformatis, et quod intererunt choro ad officia divina simul cum ipsis reformatis celebranda, quod iidem praenominati inter se manducabunt in eâdem mensa omnes communiter, quod habitabunt in clausurâ regulari, ad quam nullus pateat aditus mulieribus, sub obedientiâ sui abbatis (si reformationem non susceperit), vel superioris reformati, sive sit abbas, sive prior. Consenserunt insuper et voluerunt ut portionum suarum congruarum, tam in pecuniâ, quam in vino, frumento et aliis supra assignatis pro eorum victu et sustentatione, omnimoda dispositio et dispensatio sit apud abbatem suum (si reformationem in se[2] non susceperit), vel apud superio-

1 Male edit. Main. legit *deputatae* (R. T.).
2 Aptius lege *consenserunt* (R. T.).

1 An aliquid desit iudicet lector scius (R. T.).
2 Videtur legendum *ipse* pro *in se* (R. T.).

rem reformatum, vel apud fratrem N., unum ex ipsis religiosis cedentibus ad hoc a superiori reformato de aliorum consensu electum; ita tamen ut, si aliquis ex praedictis religiosis superiorem aliquem ex Ordine invenerit qui eum in suo monasterio admittere velit, ad illud, ex dispensatione ad hunc effectum generaliter concessâ a Summo Pontifice, migrare poterit, et huius portio congrua persolvetur superiori qui eum admiserit. Hisque inter patres sic stabilitis, praedicti omnes religiosi declararunt et declarant se cedere omnibus suis iuribus in hoc monasterio ad Dei gloriam et ad regularis observantiae restitutionem in favorem nostrae praedictae communitatis antiqui rigoris; nosque posse libere, quando commodum nobis fuerit, possessionem capere eiusmodi monasterii. Acta in monasterio N., die..., etc. ».

Supradicta sacra congregatio futuris temporibus servari voluit.

Quae omnia eadem sacra congregatio futuris tantum temporibus observari voluit, ita ut nihil inde deduci possit praeiudicii adversus reformationem ad hanc usque diem per diversa Ordinis monasteria introductam.

Datum Romae, die VII maii MDCLXII.

P. FAGNANUS, secretarius ».

Confirmat decretum Pontifex.

§ 2. Cum autem, sicut dilecti filii procuratores tam Ordinis quam communitatis antiqui rigoris huiusmodi nobis subinde exponi fecerunt, ipsi dictum decretum, pro firmiori illius subsistentiâ et observatione, apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri summopere desiderent: nos, specialem illis gratiam facere volentes, personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae, existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, decretum praeinsertum, autoritate apostolicâ, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos iuris et facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Clausulae.

§ 3. Decernentes easdem praesentes litteras et decretum praeinsertum semper firma, valida et efficacia existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, plenissime suffragari, et ab illis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contraria tollit.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon praefatorum Ordinis ac reformationis seu congregationis et communitatis, eorumque monasteriorum quorumvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis credi mandat.

§ 5. Volumus autem ut earumdem

praesentium litterarum transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique locorum et gentium tam in iudicio quam extra illud adhibeatur, quae ipsismet praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XII iunii MDCLXII, pontificatus nostri anno VIII.

Dat. die 12 iunii 1662, pontif. anno VIII.

CCCXCV.

Declaratio invaliditatis electionis vicariorum capitularium ecclesiae Parisiensis ante admissam cessionem cardinalis de Retz factae, et ab illis successive gestorum[1].

Alexander Papa VII,
ad futuram rei memoriam.

Enarratio. § 1. Cum, sicut accepimus, postquam dilectus filius noster Ioannes Franciscus Paulus Gondus S. R. E. presbyter cardinalis de Retz nuncupatus, tunc ecclesiae Parisiensis ex concessione et dispensatione apostolicâ praesul, qui iamdiu a suâ ecclesiâ absens illius regimini per vicarios suos generales et alios officiales vacabat, eamdem ecclesiam Parisiensem pure et sempliciter, quantum in se erat, renunciaverat et cesserat, seu ad renunciandum et cedendum in manibus nostris procuratorem constituerat, et carissimus in Christo filius noster Ludovicus Francorum rex christianissimus venerabilem fratrem Petrum, tunc Tolosanum, nunc Parisiensem archiepiscopum, vigore concordatorum dudum inter Sedem Apostolicam et clarae memoriae Franciscum I, dum vixit, etiam Francorum regem, super nominatione personarum, certis inibi expressis modis qualificatarum, ad ecclesias in regno Franciae privilegio eligendi non suffultas pro tempore vacantes promovendarum, per regem Franciae pro tempore existentem Romano Pontifici faciendâ initorum, nobis ad dictam ecclesiam nominaverat, dilectus filius syndicus capituli eiusdem ecclesiae Parisiensis, vel alius quisquis fuerit, huiusmodi renunciationem adhuc a Sede Apostolicâ praedictâ non admissam et dictam nominationem praefato capitulo retulerit, ac proposuerit instans ut administrationi ecclesiae consuleretur, exquisitisque suffragiis, tandem in eam sententiam (quamvis dissentientibus nonnullis) itum fuerit ut vicarii capitulares eligerentur; et huic decreto decanus, qui primarius ex duobus vicariis archiepiscopalibus generalibus erat, acquieverit, unâque cum aliis novos vicarios, qui capituli nomine ecclesiae administrationem susciperent, pariformi consensu elegerit:

Motiva huius Constitutionis. § 2. Nos, considerantes tempore factae electionis vicariorum capitularium huiusmodi praefatam ecclesiam Parisiensem non vacasse, neque dictum Ioannem Franciscum Paulum cardinalem ab eius vinculo absolutum fuisse, sed illi eo tempore adhuc praefuisse, cum nos demum die V iunii proxime praeteriti cessionem ecclesiae huiusmodi per eum in manibus nostris factam admiserimus et ex nunc vacare decreverimus;

Electionem vicariorum capitularium invalidam esse decernit. § 3. Ac proinde dictam electionem vicariorum capitularium praepropere factam fuisse: propterea, de venerabilium fratrum nostrorum eiusdem S. R. E. cardinalium Concilii Tridentini interpretum (ad quos suprascriptam facti seriem discutiendam transmisimus, ut circa illam

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

eorumdem cardinalium sententia nobis referretur) consilio, eamdem electionem vicariorum capitularium, et ea quae ab illis sic electis fuerunt successive gesta, minime valida fuisse, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales etiam de latere legatos, dictaeque Sedis nuncios, et alios quoslibet, quavis auctoritate et potestate fungentes et functuros, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, declaramus et decernimus.

Derogatio contrariorum. § 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon, quatenus opus sit, dictae ecclesiae Parisiensis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XVII iulii MDCLXII, pontificatus nostri anno VIII.

Dat. die 17 iulii[1] 1662, pontif. anno VIII.

CCCXCVI.

Revocatio quarumdam ordinationum per universitatem et homines artis vaccinariorum Urbis a Suâ Sanctitate per Breve confirmatarum, cum decreto quod, circa contractus super pellibus tam concinnatis quam rudibus ineundos, aperitionem novarum apothecarum, et divisionem macellorum, is stylus de cetero in perpetuum servetur, qui servabatur antequam dictae declarationes et Breve emanarent[1].

Alexander Papa VII, ad perpetuam rei memoriam.

Priores suas litteras recenset Pontifex. § 1. Aliàs emanarunt a nobis litterae in simili formâ Brevis, tenoris qui sequitur, videlicet: *Alexander Papa VII ad futuram rei memoriam.* Exponi Nobis nuper fecerunt, etc.[2].

Eas revocat. § 2. Cum autem, sicut plurimarum[3] personarum fide dignarum relatu nobis innotuit, dilecti filii consules dictae artis vaccinariorum potestate sibi per praeinsertas declarationes seu ordinationes a nobis ut praefertur confirmatas attributâ abutantur, graviaque inde nascantur inconvenientia non sine boni publici detrimento, ac artium vaccinariorum et macellariorum, illarumque hominum damno et praeiudicio: nos, opportunum his malis remedium adhibere, necnon publicae privataeque hominum dictarum artium utilitati consulere cupientes, motu proprio, ac ex certâ scientiâ et maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, declarationes seu ordinationes, ac super eorum confirmatione et approbatione expeditas litteras nostras praeinsertas, omniaque et singula in illis contenta et expressa, tenore praesentium perpetuo revocamus, abrogamus, cassamus, irritamus et annullamus, viribusque et effectu penitus et omnino vacuamus, ac revocata, abrogata, cassata, irrita, et nulla, viribusque et effectu vacua esse et perpetuo fore; necnon, circa contractus super pellibus tam concinnatis quam rudibus seu nondum concinnatis ineundos, et aperitionem

1 Edit. Main. ad marg. habet *iunii* (R. T.).

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

2 Vide Constit. CCXXVIII (*al.* 226) huius Pontificis, tom. XVI, pag. 427.

3 Edit. Main. legit *plurimum* (R. T.).

novarum apothecarum, seu officinarum, ac distributionem et divisionem macellorum, eum stylum et morem, qui, antequam ordinationes seu declarationes et litterae nostrae praeinsertae emanarent, servabatur, et quo uti tunc solitum erat, de cetero perpetuis futuris temporibus, ab illis ad quos spectat et pro tempore quovis modo spectabit, inviolabiliter et inconcusse servari, ac in usum reduci debere; nec quemquam eisdem nostris litteris, in iudicio vel extra illud, uti seu se iuvare posthac ullatenus posse, decernimus et declaramus, ac statuimus et ordinamus.

Exequutorem praesentium deputat.

§ 3. Mandantes propterea dilecto filio praesidenti grasciae dictae Urbis ut stylum et morem solitum huiusmodi, et alia quae circa praemissa pro bono dictarum artium et grasciae gubernio ordinari oportere iudicaverit, faciat auctoritate nostrâ a praefatis consulibus et hominibus artium huiusmodi, ceterisque ad quos spectat et spectabit quomodolibet in futurum, omni morâ et tergiversatione, recursu et reclamatione remotis, exacte et inviolabiliter observari; nos enim eidem praesidenti grasciae quamcumque necessariam et opportunam ad id facultatem harum serie tribuimus et impertimur.

Clausulas apponit.

§ 4. Decernentes easdem praesentes litteras, etiam ex eo quod consules et alii praefati, ceterique cuiusvis status, gradus, ordinis, praeeminentiae et dignitatis existentes, etiam speciali et individuâ mentione digni, in praemissis vel eorum aliquo interesse habentes, seu habere quomodolibet praetendentes, ad illa vocati, citati et auditi, seu causae, propter quas ipsae praesentes emanarint, adductae, verificatae et iustificatae non fuerint, vel ex aliâ qualibet quantumvis iustâ[1], legitimâ et privilegiatâ causâ, ingenio, colore, praetextu et capite, etiam in corpore iuris clauso, etiam enormis, enormissimae et totalis laesionis, nullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrae vel interesse habentium aut habere quovis modo praetendentium consensus aliove quolibet etiam formali et substantiali defectu notari, impugnari, infringi, rescindi, retractari, in controversiam vocari, aut ad terminos iuris reduci, seu adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque iuris, facti vel gratiae remedium intentari vel impetrari, aut impetrato, vel etiam motu, scientiâ et potestatis plenitudine paribus concesso, quempiam in iudicio vel extra illud uti seu se iuvare posse, sed ipsas praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, plenissime suffragari, et ab illis respective inviolabiliter observari, sicque et non aliter in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. camerarium seu procamerarium, et alios cardinales, etiam de latere legatos, necnon camerae apostolicae praesidentes clericos, et dictae Urbis senatorem, aliosque quoslibet earumdem camerae et Urbis officiales et ministros quacumque auctoritate et potestate fungentes et functuros, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et autoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogat contrariis.

§ 5. Non obstantibus praemissis, ac,

1 Edit. Main. legit *iuxta* (R. T.).

quatenus opus sit, nostrâ et cancellariae apostolicae regulâ de non tollendo iure quaesito, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon praefatarum artium et Urbis, aliisve quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis eorumque reformationibus, et novis additionibus, stylis, usibus et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, sub quibuscumque verborum tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis, in genere vel in specie, etiam motu, scientiâ et potestatis plenitudine similibus, ac etiam consistorialiter, et aliâs quomodolibet in contrarium praemissorum concessis, confirmatis, et pluries innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores, formas et occasiones praesentibus pro plene et sufficienter expressis, servatis et insertis respective habentes, illis aliâs in suo robore permansuris, latissime et plenissime ac specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXI iulii MDCLXII, pontificatus nostri anno VIII.

Dat. die 21 iulii 1662, pontif. anno VIII.

CCCXCVII.

Confirmatio privilegiorum, gratiarum et indulgentiarum fratrum eremitarum S. Pauli primi eremitae sub regulâ S. Augustini in regno Portugalliae degentium[1].

Alexander Papa VII, ad perpetuam rei memoriam.

Decreta aliâs edita recensentur.

§ 1. Aliàs emanarunt a nobis litterae in simili formâ Brevis, tenoris qui sequitur, videlicet: *Alexander Papa VII, ad perpetuam rei memoriam.* In supremo militantis Ecclesiae etc.[2].

Expositio.

§ 2. Cum autem, sicut dilecti filii fratres dictis Ordinis S. Pauli primi eremitae sub regulâ S. Augustini in regno Portugalliae degentes nobis nuper exponi fecerunt, ipsi, qui (ut asserunt) eiusdem cum fratribus Ordinis praefati in Hungaria degentibus instituti existunt, credant se praeinsertarum litterarum commodo et effectu gaudere debere, tametsi sub superiore generali a priore generali dictorum fratrum Hungariae distincto vivant, et nihilominus, ad tollendum omne dubium quod super eâ re exoriri posset, opportune sibi a nobis in praemissis provideri et ut infra indulgeri summopere desiderent: nos, specialem ipsis exponentibus gratiam facere volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine nobis super hoc

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

2 Ut in Const. CCVI (*al.* 204) huius Pontificis, tom. XVI, pag. 397.

humiliter porrectis inclinati, eisdem superiori generali et fratribus dicti Ordinis S. Pauli primi eremitae in regno Portugalliae degentibus singulas Urbani et aliorum praedecessorum nostrorum litteras apostolicas praeinsertas, et privilegia, indulta, facultates, libertates, immunitates, exemptiones, praerogativas, praeeminentias, indulgentias, favores et alias gratias universas spirituales et temporales praefato Ordini S. Pauli primi eremitae, eiusque priori seu superiori generali, et fratribus, necnon ecclesiis, cappellis, oratoriis, domibus, et aliis locis, bonis et rebus praefatis, tam per memoratos, ut praefertur, et alios Romanos Pontifices praedecessores nostros, etiam per viam extensionis et communicationis, quam per quoscumque imperatores, reges, duces et alios principes ac personas seculares quomodocumque et qualitercumque respective concessas et concessa, cum omnibus et singulis inde legitime sequutis et sequuturis (quatenus tamen privilegia huiusmodi sint in usu, nec hactenus revocata, aut sub aliquâ revocatione comprehensa), et aliàs iuxta praeinsertas Urbani praedecessoris nostrasque litteras, auctoritate praefatâ, tenore presentium, pariter perpetuo confirmamus et approbamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus ac omnes et singulos iuris et facti defectus, si qui quomodolibet in eisdem intervenerint, supplemus.

Confirmat omnia contenta in rubricâ.

Clausulae.

§ 3. Decernentes pariter easdem praesentes ac praeinsertas litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac praefato Ordini S. Pauli primi eremitae eiusque superiori generali et fratribus in regno Portugalliae huiusmodi degentibus, et aliis ad quos quovis modo spectat et spectabit in futurum, plenissime suffragari, et ab illis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

§ 4. Non obstantibus praemissis, necnon omnibus et singulis illis quae in praeinsertis litteris concessa sunt non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Contraria tollit.

§ 5. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo dicti superioris generalis vel alterius personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique locorum et gentium, tam in iudicio quam extra illud, adhibeatur, quae ipsismet praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die VII augusti MDCLXII, pontificatus nostri anno VIII.

Dat. die 7 augusti 1662, pontif. anno VIII.

CCCXCVIII.

Quod Ioannes Paulus Oliva, vicarius generalis Societatis Iesu, possit relinquere et alienare collegia et domos ipsius Societatis, iuxta facultatem sibi traditam a congregatione generali.

Alexander Papa VII,
ad futuram rei memoriam.

Exponi nobis nuper fecit dilectus filius Ioannes Paulus Oliva, vicarius generalis Societatis Iesu, quod, vigore con-

Expositio.

stitutionum dictae Societatis auctoritate apostolicâ confirmatarum, eidem Societati competit facultas relinquendi et alienandi collegia et domos ipsius Societatis; quam facultatem congregatio generalis dictae Societatis novissime habita ipsi Ioanni Paulo vicario generali concessit; quodque praepositi generales, qui pro tempore fuerunt dictae Societatis, iis casibus, quibus sperabatur suspensionem sufficere posse, collegia suspendere soliti fuerunt, donec redditus illorum ita aucti essent, ut tuendis seu manutenendis ipsis collegiis sufficerent.

Motiva. § 1. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, praedictus Ioannes Paulus vicarius generalis, ut penuriae, in qua collegium Tropiense eiusdem Societatis reperiebatur, consuleret, idem collegium suspenderit quousque exsoluto aere alieno, quo obstringitur, ad statum primaevae fundationis reductum fuerit; venerabilis vero frater episcopus Tropiensis suspensionem huiusmodi per sequestra bonorum dicti collegii impedire praetenderit: nobis propterea dictus Ioannes Paulus vicarius generalis humiliter supplicari fecit ut sibi in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolicâ dinaremur.

Summus Pontifex confirmat quod continetur in rubricâ. § 2. Nos igitur, ipsum Ioannem Paulum vicarium generalem specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, concessionem facultatis relinquendi et alienandi collegia et domos dictae Societatis, memorato Ioanni Paulo vicario generali ab ultimâ congregatione generali praedictâ factam ut praefertur, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos iuris et facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus. Praeterea praedictum collegium Tropiense, iuxta illius suspensionem ab eodem Ioanne Paulo vicario generali sicut praemittitur factam, suspensum remanere debere; ipsi vero Ioanni Paulo vicario generali in futurum alia quoque collegia dictae Societatis, in quacumque mundi parte existentia, quando, ac iis modo et formâ, quibus ei necesse fore videbitur, suspendere licere, auctoritate et tenore praedictis declaramus.

Clausulae. § 3. Decernentes easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac dicto Ioanni Paulo vicario generali plenissime suffragari, et ab illis, ad quos spectat et spectabit quovis modo in futurum, inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contraria tollit. § 4. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon, quatenus opus sit, dictae Societatis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, in contrarium praemissorum quomodolibet concessis con-

firmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores presentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die VII augusti, MDCLXII, pontificatus nostri anno VIII.

Dat. die 7 augusti 1662, pontif. anno VIII.

CCCXCIX.

De promovendis ad ordines in Urbe et in sex vicinis episcopatibus.

Alexander Papa VII, ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium. Apostolica sollicitudo humilitati nostrae divinitus imposita nos admonet ut circa illos, qui in almâ Urbe nostrâ, ex qua in omnes christiani orbis partes bonorum operum exempla ubertim promanant, vicinisque episcopatibus, sacris addicuntur ministeriis, et in hierarchicum Ecclesiae coetum cooptantur, ea salubriter constituamus, quae, maturâ consultatione adhibitâ, in omnipotentis Dei gloriam et animarum salutem cedere et cessura esse arbitramur.

Clerici ordinandi examinentur. §. 1. Motu itaque proprio, et ex certâ scientiâ et maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, tenore presentium statuimus et ordinamus, ut, quicumque in eâdem Urbe, ratione originis, vel beneficii ecclesiastici, aut domicilii, vel cum litteris dimissoriis proprii Ordinarii, ad minores vel sacros ordines promoveri volent, per mensem ante generales ordinationes dilectum filium nostrum et pro tempore existentis Romani Pontificis in dictâ Urbe vicarium in spiritualibus generalem adeant[1], et de ipsius mandato ab examinatoribus ad hoc deputatis, non paucioribus quam tribus, ac simul congregatis, super scientiâ ad unumquemque ordinem requisitâ sedulo examinentur, et peracto examine renuncientur quotcumque ab his idonei iudicati fuerint.

Bonum testimonium habere debent. § 2. Deinde ad minores quidem ordines promovendi bonum a parocho et a magistro scholae, in qua educantur, testimonium habeant, de quo publicum eidem vicario exhibeant documentum. Pro iis vero qui ad singulos maiores ordines erunt assumendi, idem vicarius parocho, aut alteri cui magis expedire videbitur, committat, ut, nominibus ac desiderio eorum, qui volent promoveri, publice in basilicâ Lateranensi et in propriâ cuiusque parochiali ecclesiâ propositis, de ipsorum ordinandorum natalibus, genere, aetate, moribus et vitâ, ordinibus ante susceptis, titulis ad quos promoti sunt vel promoveri cupiunt, ceterisque qualitatibus requisitis iuxta sacrorum canonum et Concilii Tridentini dispositionem a fide dignis diligenter inquirat, et litteras testimoniales ipsam inquisitionem factam continentes ad ipsum vicarium quamprimum transmittat.

Per decem dies exercitiis spiritualibus vacare debent. § 3. Et nihilominus, quoties[2] aliquem ex sacris ordinibus suscipere voluerint, ad sacerdotes in id deputatos personaliter se conferant, a quibus decem saltem dierum spatio ante ordinationem in eorum domo inclusi de omnibus ad digne suscipiendos et rite exercendos ordines requisitis erudiantur, et de hoc

1 Pessime edit. Main. legit *audeant* pro *adeant* (R. T.).

2 Forsan *quoti* pro *quoties* legendum (R.T.)..

testimoniales eorumdem sacerdotum ad ipsum vicarium deferant, nec sine huiusmodi litteris quisquam ad ullum sacrum ordinem promoveatur, nec cum aliquo super examine et inclusione huiusmodi dispensari possit, nisi consultis nobis seu Romano Pontifice pro tempore existente.

Forenses quomodo ordinandi.

§ 4. Denique in sex episcopatibus prope Urbem, in quibus non sunt suffraganei, quicumque ad minores vel sacros ordines volent promoveri cum litteris dimissoriis sui Ordinarii ad memoratum vicarium et non ad alium antistitem directis ad Urbem accedant, ibique et non alibi ordinentur, servatâ in omnibus formâ superius praescriptâ. Ubi vero sunt suffraganei, nemo ad aliquem ex maioribus ordinibus assumatur, nisi prius, praeter ea quae a sacris canonibus et eiusdem concilii decretis sancita sunt, ad minus per decem dies a dictis sacerdotibus in Urbe deputatis, in eorum aedibus inclusus ut supra, fuerit eruditus, ac litteras testimoniales eorumdem sacerdotum ad ipsum suffraganeum detulerit. Suffraganeus autem, qui contrafecerit, ab exercitio pontificalium per annum, promoti vero tam ab eisdem suffraganeis, quam etiam in Urbe, non servatâ formâ praesentis Constitutionis, ab exequutione ordinum sic susceptorum, donec nobis et successoribus nostris Romanis Pontificibus visum fuerit, ipso iure sint suspensi.

Clausulae.

§ 5. Decernentes easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab illis, ad quos spectat et quandocumque spectabit, inviolabiliter observari, sicque et non aliter per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos, et alios quoslibet, quavis auctoritate, praeeminentiâ et potestate fungentes et functuros, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, sciênter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contraria tollit.

§ 6. Non obstantibus apostolicis, ac in universalibus provincialibusque ac synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Publicatio.

§ 7. Ut autem praesentes litterae ad omnium notitiam facilius devenire possint, volumus ut illa, seu earum exempla, ad valvas praefatae Lateranensis ac Principis Apostolorum de Urbe basilicarum, et cancellariae apostolicae, necnon in acie Campi Florae, ut moris est, publicentur et affigantur, sicque publicatae et affixae omnes et singulos, quos illae concernunt, perinde arctent et afficiant, ac si unicuique personaliter intimatae fuissent, utque earumdem praesentium litterarum transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio vel extra adhibeatur, quae praesentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die VII augusti MDCLXII, pontificatus nostri anno VIII.

Dat. die 7 augusti 1662, pontif. anno VIII.

CD.

Confirmatio declarationis et incorporationis provinciae Bohemiae Ordinis fratrum Minorum sancti Francisci inter provincias reformatas Italiae dicti Ordinis a ministro generali et capitulo generali eiusdem Ordinis factarum [1].

Alexander Papa VII,
ad futuram rei memoriam.

Exordium. Debitum pastoralis officii, quod, auctore Deo, gerimus, postulat ut, paternam christifidelium, qui e fluctibus seculi in religiosae vitae portum confugerunt, curam gerentes, felici illorum statui consulere studeamus, sicut cognoscimus in Domino salubriter expedire.

Expositio. § 1. Exponi siquidem nobis nuper fecit dilectus filius minister provincialis provinciae Bohemiae Ordinis fratrum Minorum sancti Francisci de Observantia nuncupatorum, quod, cum dilecti filii fratres dictae provinciae dilecto filio ministro generali et capitulo generali anno MDCLVIII Toleti celebrato dicti Ordinis supplicassent ut eamdem provinciam reformatam declararent eamque aliis provinciis reformatis Italiae eiusdem Ordinis aggregarent, praefatum capitulum generale eis hac in re gratificatum est, dictusque minister generalis die X decembris MDCLX per suas litteras definitorio dictae provinciae directas eamdem provinciam reformatam declaravit, ac illam inter provincias reformatas Italiae Ordinis huiusmodi incorporavit.

Confirmat decretum. § 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, dictus minister provincialis praemissa, pro firmiori illorum subsistentiâ, apostolicae confirmationis nostrae robore communiri summopere desideret: nos, ipsum ministrum provincialem specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, declarationem et incorporationem dictae provinciae Bohemiae inter praefatas provincias reformatas Italiae sicut praemittitur factas, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos iuris et facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Clausulae. § 3. Decernentes eamdem provinciam Bohemiae in posterum tamquam unam ex reformatis nationis Italiae in omnibus et quoad omnia fore et habendam esse, ipsasque praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariis derogat. § 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon, quatenus opus sit, Ordinis et provinciarum huiusmodi, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consue-

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

tudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, approbatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XI augusti MDCLXII, pontificatus nostri anno VIII.

Dat. die 11 augusti 1662, pontif. anno VIII.

CDI.

Confirmatio formae pro electione discretorum vocalium capituli generalis Congregationis secularis clericorum Doctrinae Christianae in Gallia[1].

Alexander Papa VII, ad futuram rei memoriam.

Supplicatio. § 1. Exponi nobis nuper fecit dilectus filius Franciscus Avias, presbyter et procurator generalis Congregationis secularis clericorum Doctrinae Christianae in Gallia, quod, cum nos per quasdam nostras in simili formâ Brevis litteras eorum[2] numerum vocalium capituli generalis dictae Congregationis determinaverimus, et inter illos duos pro qualibet provinciâ ipsius Congregationis discretos eligi voluerimus, nec ullam tamen in eisdem litteris pro faciendâ dictorum discretorum electione formam praescripserimus, eadem congregatio in ultimo eius capitulo generali formam in electione discretorum huiusmodi servandam stabilivit tenoris qui sequitur, videlicet:

Forma pro electione discretorum vocalium capituli generalis.

§ 2. « Debito tempore a patre provinciali designando unusquisque vocalis, prius fusis ad Deum precibus, scribit in unâ schedulâ duos sacerdotes, alterum rectorem, et non rectorem alterum, quos aptiores ad hoc munus in Domino iudicaverit; schedulae colligentur in fasciculum unum, sigillo domus sive collegii signandum, et a duobus subditis vocalibus mittendum ad rectorem domus scrutinii quam pater provincialis designaverit; qui de receptione epistolae et fasciculi schedularum rectorem domus mittentem, quamprimum poterit, certum faciet, ut, si forte esset amissus, iterum congregetur capitulum domus ad eligendum de novo. Cum autem omnium domorum schedulas repererit praedictus rector, congregato suo capitulo, eas omnes miscet prius, deinde eas omnes aperit coram omnibus suis vocalibus, et omnium nomina in illis scripta simul cum duobus ab eisdem vocalibus nominatis fideliter et exacte notat, et duos illos qui plura habuerint suffragia discretos esse declarat; statimque scribit ad patrem provincialem, qui eos monebit[1], ut tempore debito adsint capitulo generali, sumpto a domo scrutinii suae electionis testimonio a rectore et secretario illius subsignato; si autem contingat duos aut plures aequalem habere suffragiorum numerum, antiquior professione ex illis censetur discretus ».

Formam praeinsertam confirmat Pontifex.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, dictus Franciscus formam praefatam, pro firmiori et stabiliori illius observatione et subsistentiâ, apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri summopere desideret: nos, ipsum Franciscum specialibus fa-

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

2 Forsan vox *eorum* delenda (R. T.).

1 Male edit. Main. legit *monerit* pro *monebit* (R. T.).

voribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, praeinsertam formam a memorato capitulo generali pro electione discretorum vocalium capituli generalis Congregationis praefatae factam ac stabilitam, ut praefertur, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos iuris et facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Decretum irritans.

§ 3. Decernentes easdem praesentes litteras semper firmas validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, perpetuo inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon, quatenus opus sit, dictae Congregationis eiusque provinciarum et domorum, quantumlibet etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, approbatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides.

§ 5. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique locorum, tam in iudicio quam extra illud, adhibeatur, quae ipsismet praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XII augusti MDCLXII, pontificatus nostri anno VIII.

Dat. die 12 augusti 1662, pontif. an. VIII.

CDII.

Confirmatio decretorum et statutorum super institutione et felici directione conventus in provinciâ Romanâ pro secessu fratrum Minorum strictioris observantiae Ordinis sancti Francisci ab eminentissimo protectore eiusdem Ordinis, in vim facultatis sibi a congregatione episcoporum et regularium concessae, de voto vicarii generalis reformatorum ac ministri generalis dicti Ordinis factorum et editorum[1].

Alexander Papa VII,
ad futuram rei memoriam.

Proœmium.

Ecclesiae catholicae regimini, meritis licet imparibus, divinâ dispositione praesidentes, illa, quae pro felici religioso-

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

rum virorum, in humilitatis spiritu et strictioris regulae observantiae vota sua Altissimo reddere iugiter satagentium, directione pie sapienterque constituta et stabilita esse noscuntur, libenter, cum a nobis petitur, apostolici muniminis patrocinio roboramus.

Expositio.

§ 1. Exponi siquidem nobis nuper fecit venerabilis frater Ludovicus episcopus Placentinus provinciae Compostellanae, quod aliàs venerabilis frater noster Franciscus episcopus Portuensis sanctae Romanae Ecclesiae cardinalis Barberinus nuncupatus, Ordinis fratrum Minorum sancti Francisci de Observantiâ nuncupatorum apud nos et Sedem Apostolicam protector, vigore facultatis sibi a congregatione venerabilium fratrum nostrorum eiusdem sanctae Romanae Ecclesiae negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositâ concessae, de voto dilectorum filiorum primum quidem vicarii generalis reformatorum et deinde ministri generalis Ordinis praedicti, nonnulla decreta et statuta, super institutione et felici directione conventus in provinciâ Romanâ pro secessu fratrum Minorum strictioris observantiae dicti Ordinis, fecit et dedit per suas patentes litteras desuper expeditas tenoris qui sequitur, videlicet:

Decretum cardinalis protectoris.

« Franciscus, miseratione divinâ episcopus Portuensis cardinalis Barberinus, sanctae Romanae Ecclesiae vicecancellarius, ac Ordinis sancti Francisci protector, corrector et gubernator.

Placuit sacrae congregationi eminentissimorum dominorum cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositae supplicem libellum fratris Bonaventurae Barchinonensis strictioris observantiae Ordinis sancti Francisci nobis remittere tenoris sequentis, videlicet:

Supplicatio in illo inserta.

« Eminentissimi e reverendissimi signori.

Per osservanza sempre maggiore della regola del P. S. Francesco, e per uniformarsi col sentimento delle constituzioni serafiche, e per aumentare nelle solitudini e nelle più umili e nude povertà lo spirito, e finalmente per ritrovare nella totale abbiezione di se stesso, e nel più risoluto divortio delle genti la dal Padre S. Francesco tanto inculcata ritiratezza e povertà, fra Bonaventura da Barcellona, riformato laico di S. Francesco, conformandosi con le migliori direzioni dell'istituto, e con sentimento piissimo delle costituzioni e dello stile commendabile delle più accreditate premure de'superiori maggiori dell'Ordine, umilmente supplica l'EE. VV. d'esser fatto degno d'un convento dei più ritirati e nascosti, dove, con quei compagni e guardiano che dal superiore gli saranno prescritti, possa egli, con le ordinazioni che più quadreranno allo zelo immenso dell'EE. VV. e de'superiori maggiori, ricoverarsi col solo intento di servire a Dio nella pura e letterale osservanza della regola del Padre S. Francesco. Quam Deus, etc. ».

Rescriptum sacrae congregationis.

Sacra congregatio eminentissimorum dominorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praeposita, iubente sanctissimo domino nostro, antescriptas preces remisit eminentissimo huiusmodi Ordinis apud hanc Sanctam Sedem protectori[1], qui, unà cum generali eiusdem Ordinis, quidquid sibi in Domino, et ad regulariter[2] disciplinam restaurandam fovendamque expedire visum fuerit, pro eorum arbitrio et prudentiâ,

1 Male ed. Main. legit *protectorem*, vel antea legi debuit *remisit ad eminentissimum* (R. T.).

2 Ni legendum sit *regularem* (R. T.).

matur̃e decernant, statuant, servarique praecipiant.

Romae, die VIII mensis maii MDCLXII.

M. card. GINETTUS.

Loco ✝ sigilli.

E. episcopus Camerinensis, secretarius.

Sequitur decretum cardinalis protectoris.

Nos vero, re matur̃e perpensâ, inhaerentes auctoritati et facultati nobis concessae a praedictâ sacrâ congregatione vigore rescripti praeinserti, pro directione eiusdem conventus et regularis disciplinae in eo stabiliendae conservatione, infrascripta decreta sancire et promulgare censuimus, videlicet:

Statuta conventus in provinciâ romanâ pro secessu patrum Minorum strictioris observantiae.

Statuta ab ipso condita.

I. Ad eum secessum destinatus[1] conventus S. Mariae, ut vocant, de Gratiis, Ponticelli.

II. Cupientes eo se recipere teneantur humiliter petere eius rei facultatem a patre ministro provinciali, qui adeo petitioni obsistere non possit, ut etiam debeat humaniter indulgere, nisi rationabilem habeat obsistendi causam.

III. Nemo ad id cogi possit aut impediri, dummodo patri guardiano unâ cum discretis post diligens examen videatur idoneus.

IV. Custodiat unusquisque regulam sine glossâ, quemadmodum a P. S. Francisco eam accepit, vivatque in obedientiâ patris guardiani, provincialis et superiorum generalium.

V. Nullus possit ad praesulatum, dignitatem, gradumve infra vel extra religionem aspirare, vel, electus ad dignitatis aliquem gradum extra praefatum conventum, illum suscipere sine consensu guardiani ac discretorum sui conventus; si vero, contra quam dictum est, aliquis fuerit[1], perpetuo sit ab eo conventu exclusus.

VI. Nemo ex hoc conventu sine guardiani discretorumque consensu removeri possit absque iustâ causâ, neque sponte discedere citra necessitatem, nisi post mensem a die in quo primum abeundi facultatem petierit a superiore, ut interim experiantur fratres de ipsorum socio an instabilitate vel ullâ tentatione ducatur ut digredi velit, illumque Deo commendent.

VII. In guardianum eligetur unus aliquis ex fratribus huius conventus a patre provinciali cum definitorio, suffragiis secretis, secundum Breve felicis recordationis Urbani VIII, approbandus praeterea ab eminentissimo cardinali protectore magistroque generali.

VIII. Fratrem discedere volentem, vel guardiani discretorumque iudicio minime idoneum, inquietum vel pacis perturbatorem, patres possint ad patrem provincialem mittere, eique instare orantes ut a saepius memorato conventu eum amoveat, aliumque ad locum transferat; qui provincialis pro suâ charitate provideat, et petentibus satisfaciat, nisi eidem secus videatur ex rationabili causâ.

IX. Caveat unusquisque ne in sermonibus, tum publicis, tum privatis, se vel alios fratres huius conventus praeferat ceteris in probitate, perfectione, regulaeque custodiâ, eoque detrahat proximo suo, sed agere curet id quod agit humiliter vivendo et servando unitatem spiritus in vinculo pacis; praevaricatores vero severius puniantur.

X. Liceat guardiano ceterisque fratribus huius conventus sancire nova statuta pro strictiori vivendi ratione, quae

1 Potius *destinatur* legendum (R. T.).

1 Videtur legendum *ausus fuerit* vel *fecerit*, aut simile (R. T.).

non adversentur sacris canonibus, apostolicisque constitutionibus, et generalibus statutis fratrum reformatorum, eaque secretis suffragiis probari debeant, et ab omnibus observari ad maiorem Dei gloriam fratrumque spiritualem profectum, dummodo recognoscantur prius et approbentur a ministro generali.

Supradicta decreta servari mandat cardinalis protectoris.

Supradicta autem decreta et statuta, de voto etiam primum vicarii generalis reformatorum deinde ministri generalis eiusdem Ordinis sancita, ab omnibus religiosis in supradicto conventu commorantibus et Deo servientibus, in perpetuum valitura, inviolabiliter observari volumus et mandamus.

Ut autem supradicta firmius subsistant, illustrissimus et reverendissimus episcopus Placentiae, nuper orator catholici Hispaniarum regis, humiliter supplicat Sanctitati Vestrae, ut dignetur illa confirmare per suas litteras in formâ Brevis. In quorum fidem, etc.

Datum Romae, die XXXI iulii MDCLXII.

F. cardinalis BARBERINUS, protector.

Loco † sigilli.

AGAPITUS COLORTIUS, secretarius.

Confirmat Pontifex.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, firmiora et stabiliora sint, exactiusque serventur, illa quae apostolicae confirmationis praesidio communiuntur, nobis propterea dictus Ludovicus episcopus humiliter supplicari fecit, ut in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolicâ dignaremur. Nos igitur, eiusdem Ludovici episcopi votis hac in re favorabiliter annuere cupientes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, praeinserta decreta et statuta a memorato Francisco cardinali protectore facta et edita ut praefertur, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos iuris et facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Clausulae.

§ 3. Decernentes easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contraria tollit.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon, quatenus opus sit, praefatorum Ordinis et provinciae, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, approbatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi etc., illorum[1] tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

1 Male edit. Main. legit *etiamsi illorum* (R.T.).

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXX augusti MDCLXII, pontificatus nostri anno VIII.

Dat. die 30 augusti 1662, pontif. anno VIII.

CDIII.

Donativum extraordinarium regni Siciliae regi catholico faciendum occasione dotis reginae christianissimae dicti regis natae [1].

Venerabili fratri archiepiscopo Panormitano,

Alexander Papa VII.

Venerabilis frater,
salutem et apostolicam benedictionem.

Expositio. § 1. Exponi nobis nuper fecit carissimus in Christo filius noster Philippus Hispaniarum rex catholicus, quod (cum dilecti filii tres hominum status, seu tria brachia, ecclesiasticum, militare et demaniale nuncupata, regni Siciliae ultra pharum, cuius ipse Philippus etiam rex existit, de mense martii MDCLXI eidem Philippo regi, occasione dotis carissimae in Christo filiae Mariae Theresiae Francorum reginae christianissimae, ipsius Philippi regis natae, donativum extraordinarium quinquaginta millium scutorum, certis modo et formâ ac pro hac vice dumtaxat exigendum, obtulerint) venerabiles archiepiscopi, episcopi et archimandrita et aliae ecclesiasticae personae dicti regni certam ratam, non excedentem sextam partem praedictorum quinquaginta millium scutorum solvendorum ut praemittitur, sponte suâ in eisdem comitiis, accedente tamen ad hoc nostro et Sedis Apostolicae beneplacito, persolverere obtulerunt, et forsan etiam persolverunt.

§ 2. Cum autem, sicut eadem exposition subiungebat, ex eo praesertim quod per Lateranense concilium novissime celebratum, diversasque alias canonicas sanctiones, sub certis censuris et poenis caveatur expresse, ne reges, principes et alii potentatus ab archiepiscopis, episcopis, abbatibus et aliis personis ecclesiasticis, etiam sponte offerentibus, aliquam pecuniarum summam sive subventionem recipiant, dictus Philippus rex ac eius regni illius ministri dubitent, ratam praedictam ante obtentum beneplacitum apostolicum recipiendo, censuras et poenas huiusmodi incurrere et forsan incurrisse; nobisque propterea dictus Philippus rex humiliter supplicari fecerit, pro suae et dictorum ministrorum conscientiae quiete, quatenus praemissis nostram et huius sanctae Sedis auctoritatem interponere dignaremur:

Regi catholico auctoritatem concedit compellendi ad solutionem episcopos aliosque.

§ 3. Nos igitur, eiusdem Philippi regis votis hac in re favorabiliter annuere volentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, fraternitati tuae per praesentes committimus et mandamus, ut, constito tibi per legitimas probationes de expresso maioris partis cleri, seu archiepiscoporum, episcoporum et aliarum personarum ecclesiasticarum secularium et cuiusvis Ordinis regularium dicti regni consensu, et quod reliqui vel reliquae personae non consentientes vocati et vocatae fuerint, oblationi et promissioni necnon solutioni per archiepiscopos, episcopos et archimandritam et alias personas ecclesiasticas factis, pro hac vice tantum, nostram et Sedis praedictae auctoritatem vigore praesentium interponas, ipsosque archiepiscopos, episcopos et alias personas huiusmodi, etiamsi sint de illis quae pro minori cleri parte praemissis non consenserint, ad ea tamen vocati et vocatae fuerint, ad solutionem eorum

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

ratae opportunis iuris et facti remediis cogas et compellas;

Quaedam facultas.

§ 4. Et nihilominus archiepiscopis, episcopis et archimandritae, aliisque ecclesiasticis personis praedictis, ut ratam huiusmodi, per eos ut praemittitur oblatam et promissam, persolvere, ac dictus Philippus rex et eius ministri eam petere et recipere absque conscientiae scrupulo, seu censurarum et poenarum praedictarum incursu, libere et licite valeant, auctoritate nostrâ concedas et indulgeas, ipsosque archiepiscopos, episcopos et archimandritam, aliasque personas ecclesiasticas et earum singulas, quatenus ipsi dictam ratam iam promiserint et solverint, necnon eumdem Philippum regem eiusque ministros praedictos, si eamdem ratam iam perceperint, ab omnibus et singulis censuris et poenis propterea quomodolibet incursis, eâdem auctoritate absolvas, et absolutos fore censeas et declares. Et quod omnes et singuli pensionarii, seu ii quibus loco pensionum fructus in totum vel in partem reservati existunt, cuiuscumque dignitatis vel conditionis sint (exceptis tamen S. R. E. cardinalibus, necnon dualus perpetuis pensionibus annuis, unâ quidem bis mille ducentorum super Cataniensis, alterâ vero pensionibus huiusmodi mille octingentorum scutorum monetae dicti regni Siciliae super Mazariensis mensarum episcopalium respective fructibus, redditibus et proventibus, ad favorem operis pii per memoratum Philippum regem in basilicâ S. Mariae Maioris de Urbe fundati, a praedicto Innocentio praedecessore per suas anno Incarnationis Dominicae MDCXLVII, IX octobris, desuper sub plumbo expeditas litteras reservatis) ad huiusmodi ratae solutionem in omnibus et per omnia, perinde ac si nominatim ratam eamdem se soluturos obtulissent (clausulis et decretis in litteris apostolicis reservationum pensionum et fructuum huiusmodi etiam consistorialiter appositis, et quod dictae pensiones ab omni decimâ, subsidio charitativo et quovis alio onere, tam ordinario quam extraordinario, quavis auctoritate, etiam pro expeditione tam offensivâ quam defensiva contra Turcas et alios infideles, et reipublicae christianae hostes ab illorum conatibus defensione, seu inexcogitabili causâ, a Romano Pontifice pro tempore existente, etiam ad imperatoris, regum, ducum et aliorum instantiam, illorumque contemplatione et intuitu, etiam motu proprio et ex certâ scientiâ impositis et imponendis, aut aliàs qualitercumque, exemptae sint, nequaquam obstantibus), teneantur et efficaciter obstricti sint, ipsique archiepiscopi, episcopi et archimandrita, aliaeque personae, quarum ecclesiae, monasteria et alia beneficia ecclesiastica annuis pensionibus apostolicâ auctoritate assignatis gravata et onerata sunt, ([1] ratam pensionariorum suorum, seu eorum quibus fructus huiusmodi sunt reservati, vere et realiter, et quacumque fictione cessante, persolverint), suâ propriâ auctoritate postmodum penes se retinere possint, nec propterea sententias, censuras et poenas in eisdem pensionum reservationibus contentas incurrant, eâdem auctoritate decernas.

Contrariis derogat.

§ 5. Non obstantibus praemissis, ac quibusvis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon ecclesiarum, monasteriorum et beneficiorum huiusmodi, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, exemptionibus, immunitatibus, etiam in corpore iuris

1 Particula *si* vel *quatenus* vel *dummodo* necessario hic est supplenda (R. T.).

clausis, ac litteris apostolicis quibusvis generaliter vel specialiter concessis, necnon litteris reservationum, pensionum et fructuum huiusmodi, ac quibusvis obligationibus, etiam in formâ camerae, etiam cum iuramento, ac censurarum et mandati exequutivi suceptione, vel aliàs desuper factis (etiamsi de illis eorumque totis tenoribus de verbo ad verbum mentio seu quaevis alia expressio habenda sit, et in eis caveatur expresse quod per huiusmodi clausulas generales, etiam specialem mentionem importantes, eis derogatum esse non censeatur, aut derogari non videatur, nisi certis modo et formâ in illis expressis plene observatis); quibus omnibus, eorum tenores praesentibus pro expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Pauperes ecclesiastici ne graventur.

§ 6. Ceterum, volentes providere ne pauperes ecclesiastici ad contributionem huiusmodi graventur, te hortamur attente, ac in virtute sanctae obedientiae tibi mandamus, quatenus pauperes ecclesiasticos, qui in redditibus annuis nihil aut parum, etiam usque ad valorem decem unciarum, scuta viginti quinque monetae illius regni constituentium, inclusive, habent, ad contributionem praedictam per quoscumque quavis auctoritate fungentes cogi aut compelli nullo modo permittas.

Transumptorum fides.

§ 7. Volumus autem quod exactio pecuniarum huiusmodi ab ecclesiasticis per personas ecclesiasticas, a dicto Philippo rege seu moderno regni praedicti prorege nominandas et per te deputandas, fieri debeat, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis (quod si secus in aliquo praemissorum factum fuerit, qui contravenerit, in poenas et censuras incurrant[1], perinde ac si praesentes litterae non emanassent); quodque etiam praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra in omnibus et per omnia adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die IV septembris MDCLXII, pontificatus nostri anno VIII.

Dat. die 4 septembris 1662, pontif. anno VIII.

CDIV.

Commissio officiali Bisuntino contra Guglielmum Humbertum Praecipianum et alios inobedientes canonicos ecclesiae Bisuntinae[2].

Dilecto filio Ioanni Dorivalio, archidiacono Luxoviensi et canonico ecclesiae, necnon officiali curiae Bisuntinae,

Alexander Papa VII.

Dilecte fili,

salutem et apostolicam benedictionem.

Litterae prius editae recensentur.

§ 1. Aliàs emanarunt a nobis litterae in simili formâ Brevis, tenoris qui sequitur, videlicet:

Alexander Papae VII, ad futuram rei memoriam. Iustitiae exigit ratio, etc.[3].

Motiva.

§ 2. Cum autem (sicut non sine gravi animi nostri dolore subinde accepimus) memorati Guglielmus Humbertus Praecipianus et alii canonici eius electores,

1 Cohaerenter lege *incurrat* (R. T.).

2 Ex Regest. in Secret. Brev.

3 Tenor dictarum litterarum omittitur, quia iam illum habes in suo ordine sub dato V decembris MDCLXI, pontificatus anno VII, tom. XVI, pag. 735.

tantum abest ut, paternis nostris monitionibus et correctionibus huiusmodi debitâ humilitate morem gerentes, atque apostolicis mandatis reverenter, ut iustum est, parentes, ab omnibus illis actibus, qui eis et cuilibet eorum per praeinsertas litteras nostras expresse interdicti sunt, sese penitus abstinuerint, ut etiam (quod deplorandum est, maiorique animadversione compescendum) actibus capitularibus ceterisque praefatis (inani forsan praetextu cuiusdam assertae absolutionis, ad certum tempus dumtaxat et cum reincidentiâ, a praefato episcopo Andrevillensi dictae ecclesiae Bisuntinae suffraganeo per eos fucato verbalis paritionis supposito extortae) sese intrudere atque immiscere ausi sint et audeant, illique et praesertim dictus Guglielmus Humbertus se ipsos ad alia officia, munera et forsan dignitates eligi ac deputari satagant:

Committit ut in rubricâ.

§ 3. Propterea nos, qui ausus huiusmodi temerarios, et in praeiudicium apostolicae auctoritatis tendentes, nullo modo dissimulare possumus, nec debemus, motu, scientiâ et deliberatione similibus, discretioni tuae iterum in virtute sanctae obedientiae, ac sub poenâ excommunicationis per te, nisi huic mandato nostro parueris, incurrendae, committimus et mandamus, ut statim atque praesentes litteras receperis, omni postpositâ morâ, eumdem Guglielmum Humbertum Praecipianum ac singulos canonicos eius electores praefatos (quorum nomina et cognomina, si hactenus publicata non fuerint, publicari facias) a supradictis suspensionis, ac privationis, ceterisque a nobis per praeinsertas litteras inflictis poenis minime liberatos nec pro liberatis habendos esse, sed, quatenus a memorato episcopo Andrevillensi, sicut praemittitur, aut aliàs quandocumque et qualitercumque absoluti fuerint, in easdem poenas reincidisse, illisque adhuc innodatos et illaqueatos esse, auctoritate apostolicâ declares et decernas.

Facultas per poenas procedendi.

§ 4. Et, quatenus illi se ab actibus capitularibus huiusmodi, et aliis, ut supra, ipsis interdictis, non abstinuerint, eosdem ac singulos eorum qui contrafecerint, necnon eos qui illos ad actus praefatos quoquo modo ac praetextu receperint aut admiserint, vel propria vota sive suffragia per se ipsos aut eorum procuratores pro electione aut deputatione ad quaecumque officia, munera vel dignitates illis aut cuilibet eorum dederint, eo ipso excommunicationis sententiam, a qua nemo a quoquam nisi a nobis seu pro tempore existente Romano Pontifice tantum, praeterquam in mortis articulo constitutus, absolvi possit, damnabiliter incurrisse, dictâ auctoritate declares pariter et pronuncies et publices; nos enim quamcumque necessariam et opportunam ad praemissa facultatem et potestatem tibi harum serie, eâdem auctoritate, tribuimus et impartimur.

Clausulae.

§ 5. Decernentes easdem praesentes litteras, etiam ex eo quod quilibet in praemissis interesse habentes ad illa vocati et auditi non fuerint, de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrae aliove quolibet defectu notari, impugnari, infringi, retractari, aut ad terminos iuris reduci, seu in controversiam revocari minime posse, sed ipsas praesentes litteras et in illarum executione a te facienda firma, valida et efficacia existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, sicque et non aliter in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici audi-

tores, ac S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos, aliosve quoslibet quavis auctoritate, praeeminentiâ et potestate fungentes et functuros, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contraria tollit. § 6. Non obstantibus praemissis, necnon omnibus et singulis illis, quae in praeinsertis litteris voluimus non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis credi mandat. § 7. Ceterum volumus pariter ut earumdem praesentium litterarum transumptis, manu notarii pubblici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique tam in iudicio quam extra illud adhibeatur, quae praesentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XI septembris MDCLXII, pontificatus nostri anno VIII.

Dat. die 11 septembris 1662, pontif. anno VIII.

CDV.

Quod superiores Congregationis Cassinensis S. Benedicti, ac etiam monasteriorum Sublaci, ac Farfae, ceterique monachi, non accedant Romam absque licentiâ abbatis S. Pauli ac procuratoris generalis.

Alexander Papa VII,
ad futuram rei memoriam.

Prooemium. Ad apostolicae dignitatis fastigium, meritis licet imparibus, divinâ dispositione evecti, illis, quae pro decoris monastici disciplinaeque regularis conservatione provide costituta esse noscuntur, libenter, cum a nobis petitur, apostolici muniminis adiungimus firmitatem.

Expositio. § 1. Exponi siquidem nobis nuper fecit dilectus filius Iacobus Romanus, procurator generalis Congregationis Cassinensis Ordinis S. Benedicti, quod dilecti pariter filii praesidens generalis et visitatores dictae Congregationis in eorum dietâ Ferrariae nuper celebratâ decretum ediderunt tenoris qui sequitur, videlicet:

Decretum dietae Ordinis. « Salutaribus monitis eminentissimi domini cardinalis Barberini Congregationis nostrae protectoris, quibus pro eorumdem observantiâ cum suis particularibus litteris, sub datum Romae die XIX mensis aprilis proxime elapsi dietae capitulari directis, enixe institit, ut par est, obtemperare volentes, omnibus et singulis Congregationis nostrae praelatis, etiam monasteriorum nostrorum Sublaci, Farfae, ac monachis cuiuscumque conditionis, prohibemus, et penitus interdicimus, a nostris constitutionibus non recedentes, accessum ad Urbem, quovis praetextu, absque licentiâ prius in scriptis a reverendis patribus abbate S. Pauli de Urbe et procuratore generali in curiâ pro tempore existentibus obtentâ.

§ 2. Nulli supradictorum, post eumdem accessum ad Urbem, liceat alibi etiam in domibus secularium propinquorum, praeterquam in monasterio S. Callisti, sese recipere, commorari, et multò minus iuxta [1] easdem constitutiones nostras pernoctare, sub poenâ suspensionis a quocumque gradu ipso facto ab omnibus incurrendâ. Iisdem pariter in virtute sanctae obedientiae praecipimus ut associati et omnino cu-

1 An legendum *contra* pro *iuxta*, iudicet lector scius (R. T.).

cullati per Urbem incedant, ne gradus abbatialis et monasticus, ex dimissione sui dignioris habitus, debito honore privetur. Quae omnia, tam in almâ Urbe, quam in aliis insignioribus civitatibus, praecipue Neapolis et Panormi, observanda esse decernimus ».

Decretum praeinsertum confirmat.

§ 3. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, dictus[1] Iacobus procurator generalis decretum huiusmodi, quo firmius subsistat et servetur exactius, apostolicae confirmationis nostrae patrocinio cummuniri plurimum desideret: nos, ipsum Iacobum procuratorem generalem specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus extiterit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, et absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine nobis nuper hoc humiliter porrectis inclinati, decretum praeinsertum, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos iuris et facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Clausulas apponit.

§ 4. Decernentes easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 5. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon, quatenus opus sit, praedictorum Ordinis et Congregationis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus; cerisque contrariis quibuscumque.

Fides danda transumptis.

§ 6. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra adhibeatur, quae praesentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXVI septembris MDCLXII, pontificatus nostri anno VIII.

Dat. die 26 septembris 1662, pontif. anno VIII.

CDVI.

Quod spolia defunctorum canonicorum regularium SS. Salvatoris procuratori generali eiusdem Congregationis omnino applicari debeant.

1 Edit. Main. legit *dicti* pro *dictus* (B. T.).

Alexander Papa VII,
ad futuram rei memoriam.

Motiva huius Constitutionis.

Aliàs, pro parte tunc existentis abbatis generalis Congregationis canonicorum regularium SS. Salvatoris, congregationi tunc existentium S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositorum exposito, quod ipse, iuxta mandatum dictae congregationis cardinalium, in capitulo generali praedictae Congregationis canonicorum regularium Venetiis anno superiore MDCXLIX celebrato unâ cum definitoribus decretum ediderat, quod spolia defunctorum canonicorum regularium Congregationis huiusmodi transmitterentur a praelatis localibus ad procuratorem generalem ipsus Congregationis, ad effectum solvendi debita cameraria monasteriorum particularium, et his deficientibus publica religionis Romae contracta cum montistis et censuariis; quodque decretum huiusmodi ab ipso abbate generali et definitorio in dietâ eo anno Florentiae habitâ etiam renovatum et plenissime confirmatum ac a multis exacte observatum et practicatum fuerat, sed nonnulli alii renitentes erant, illique parere recusabant, sub vanis praetextibus et subterfugiis, allegantes dictum decretum constitutionibus apostolicis ac decretis praedictae congregationis cardinalium et sacris canonibus adversari, licet nihil super eâ re producerent;

Supplicatio.

§ 1. Ideoque pro parte dicti abbatis generalis memoratis cardinalibus supplicato ut praedicti decreti observationi opportune providerent: emanavit ab eorumdem cardinalium congregatione decretum tenoris qui sequitur, videlicet:

Sacrae congregationis decretum.

« Sacra congregatio, etc., inhaerendo resolutionibus aliàs factis in particulari congregatione pro sublevandis oneribus duodecim congregationum monasticarum, praenarratum decretum a definitorio capituli generalis anno MDCXLIX Venetiis editum, et nuper in praeteritâ dietâ innovatum, pro satisfaciendis dumtaxat debitis onerum cameralium ac montistarum et censuariorum huiusmodi ad particularia monasteria, si adsint, sin minus, ad commune religionis spectantibus, et non aliàs, virtute praesentium, sanctissimo domino nostro annuente, approbat et confirmat, ac ab omnibus, ad quos spectat, inviolabiliter observari, ac ad praedictos usus solummodo applicari mandat et praecipit, sub poenâ contrafacientibus privationis vocis activae et passivae, praelaturae et officiorum, necnon perpetuae inhabilitatis ad quaecumque alia obtinenda, rehabilitatione eidem sacrae congregationi reservatâ: constitutionibus apostolicis et eiusdem Ordinis statutis aliisque quibuscumque in contrarium non obstantibus. In quorum fidem etc. Datum Romae, die xv iulii MDCL ».

Decretum confirmat Pontifex.

§ 2. Cum autem, sicut dilectus filius Ioannes Maria Lancius, procurator generalis dictae Congregationis canonicorum regularium SS. Salvatoris nobis nuper exponi fecit, ipse decretum praeinsertum, pro firmiori et stabiliori illius observatione, apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri summopere desideret: nos, ipsum Ioannem Mariam procuratorem generalem specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et

absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibs episcoporum et regularium praepositorum consilio, observantiam praeinserti decreti, sub poenis in eo contentis, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, iniungimus; salvâ tamen semper in praemissis auctoritate congregationis eorumdem cardinalium.

Clausulae. § 3. Decernentes easdem praesentes letteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariis derogat. § 4. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon, quatenus opus sit, praedictae Congregationis canonicorum regularium, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides. § 5. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae praesentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXVII septembris MDCLXII, pontificatus nostri anno VIII.

Dat. die 27 septembris 1662, pontif. anno VIII.

CDVII.

Declaratio quod personae, quae a superioribus Congregationis Missionis deputabuntur ad alias functiones dictae Congregationis quae proximum spectant, etc., subsint quoque locorum Ordinariis quoad functiones huiusmodi et ea quae illas concernunt; et alia declarantur.

Alexander Papa VII, ad perpetuam rei memoriam.

Exordium. Pastoralis officii humilitati nostrae divinitus impositi sollicitudo nos admonet ut congregationum[1] virorum uberes in Ecclesiâ Dei bonorum operum fructus proferre iugiter satagentium statum opportunis rationibus constabilire studeamus, sicut cognoscimus in Domino salubriter expedire.

Motiva. § 1. Aliàs siquidem nos, nonnulla dubia, super statu Congregationis Missionis in Gallia inceptae ac olim a Sede Apostolicâ approbatae enata, tollere volentes, eamdem Congregationem, sicut praefertur inceptam et approbatam, auctoritate apostolicâ confirmavimus et approbavimus, cum emissione votorum simplicium castitatis, paupertatis et obedientiae, necnon stabilitatis

1 Male edit. Main. legit *Congregationem* (R.T.).

in dictâ Congregatione, ad effectum se toto vitae tempore saluti paupĕrum rusticanorum applicandi, post biennium probationis faciendâ; statuentes ut dicta Congregatio exempta esset a subiectione locorum Ordinariorum in omnibus, excepto quod personae, quae a superioribus eiusdem Congregationis deputarentur ad missiones aliquas, subessent ipsis Ordinariis tantum quoad missiones et ea quae illas concernerent, et aliàs, prout in nostris desuper in simili formâ Brevis die XXII septembris MDCLV expeditis litteris, quarum tenorem praesentibus pro plene et sufficienter expresso haberi volumus, uberius continetur.

Declarat prout in rubricâ.

§ 2. Nunc autem alia quoque dubia, quae super praemissis seu illorum occasione suboriri[1] possent, opportunae declarationis ministerio removere cupientes, ac dilectum filium Renatum Almeras, modernum dictae Congregationis superiorem generalem, specialis favore gratiae prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium Concilii Tridentini interpretum consilio, quod personae, quae a superioribus memoratae Congregationis Missionis deputabuntur ad alias functiones ipsius Congregationis quae proximum spectant, quales sunt seminaria ecclesiasticorum externorum regere et in illis docere, exercitia spiritualia tam ordinandis, ut se digne ad ordinum susceptionem disponant, quam aliis tradere, collationes de rebus spiritualibus cum ecclesiasticis externis in domibus dictae Congregationis habere et illas dirigere, subsint quoque eisdem locorum Ordinariis quoad functiones huiusmodi et ea quae illas concernunt, eo modo quo de missionibus dictum est.

§ 3. Praeterea, quod, antequam aliquis per votorum pro praefatâ Congregatione a nobis ut praefertur approbatorum emissionem in eâdem Congregatione admittatur, debeat biennium probationis explevisse, auctoritate praefatâ, tenore praesentium, declaramus.

Clausulae.

§ 4. Decernentes easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, inviolabiliter observari, et illis respective plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari, et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogat contrariis.

§ 5. Non obstantibus litteris apostolicis super erectione dictae Congregationis emanatis, in quibus caveri dicitur expresse quod clerici, anno probationis exacto, si idonei iudicati fuerint, corpori eiusdem Congregationis inserantur, necnon, quatenus opus sit, praefatis nostris litteris, ac omnibus et singulis illis, quae in illis concessimus non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis credi mandat.

§ 6. Volumus autem ut praesentium litterarum transumptis, etiam impres-

1 Edit. Main. legit *subori* (R. T.).

sis, manu alicuius notarii publici seu dictae Congregationis Missionis secretarii subscriptis, et sigillo alicuius personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae seu superioris generalis eiusdem Congregationis munitis, eadem prorsus fides ubique locorum et gentium, tam in iudicio quam extra illud, adhibeatur, quae ipsismet praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die VII octobris MDCLXII, pontificatus nostri anno VIII.

Dat. die 7 octobris 1662, pontif. an. VIII.

CDVIII.

Confirmatio brevium super divisione provinciae S. Ioannis Baptistae, erectioneque B. Petri de Alcantara Discalceatorum sancti Francisci nuncupatorum [1].

Alexander Papa VII, ad futuram rei memoriam.

Expositio. Aliàs pro parte dilecti filii Petri Roche, commissarii generalis curiae fratrum familiae ultramontanae Ordinis Minorum sancti Francisci de Observantiâ nuncupatorum, congregationi venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositae exposito, quod, iuxta mandatum et decretum capituli generalis dicti Ordinis anno MDCLVIII celebrati, ad instantiam fratrum provinciae S. Ioannis Baptistae eiusdem Ordinis nobis humiliter supplicatum fuerat ut eamdem provinciam in duas dividi concederemus;

§ 1. Nosque per quasdam nostras in simili formâ Brevis litteras, quarum initium *Sacrosancti apostolatus officium* etc., facultatem faciendi divisionem huiusmodi concesseramus, cum erectione novae provinciae Ordinis praedicti sub titulo B. Petri de Alcantara; et subinde, ad petitionem huius novae provinciae, praeviâ informatione a dilecto filio ministro provinciali dicti Ordinis habitâ, per alias nostras etiam in forma Brevis litteras, quae incipiunt *Aliàs nos carissimi*, etc., ministrum provincialem, ac custodem et definitores novae provincae huiusmodi deputaveramus; ac per ambas litteras praedictas novem conventus assignaveramus eidem novae provinciae, quae octo conventuum possessionem adepta [1] fuerat, dicta vero provincia S. Ioannis Baptistae conventum Murciae, qui praecipuus inter dictos novem conventus erat, retinuerat vigore concordati inter ambas partes facti, sed postmodum, cum huiusmodi concordatum praedictis nostris litteris praeiudicaret, dicta nova provincia procuratorem ad Romanam curiam miserat ad effectum proponendi causam in praedictâ cardinalium congregatione, quae, utriusque partis rationibus auditis, sententiam dederat ad favorem praedictae novae provinciae, dictumque concordatum nullum declaraverat, ac memoratum conventum Murciae eidem novae provinciae restitui debere decreverat; verum praedicta provincia S. Ioannis Baptistae executioni apostolicarum in simili formâ Brevis litterarum super praemissis emanatarum restiterat; tandem, post gravissima scandala non solum in civitate Murciae sed etiam in universo Hispaniarum regno secuta, eumdem conventum Murciae dictae novae provinciae consignaverat;

1 Vide Const. CCL (*al.* 248), *Sacrosancti*, huius Pontificis, tom. XVI, pag. 480; et Const. CCCVIII, *Aliàs nos*, ibid. pag. 596, in quibus agitur de hac controversiâ.

1 Male edit. Main. legit *adempta* (R. T.).

atque ita huic quidem provinciae novem conventus assignati reperiebantur, in alterâ vero provinciâ S. Ioannis Baptistae praedictâ vigintiseptem conventus remanserant:

Decretum sacrae congregationis.

§ 2. Et in eâdem expositione subiuncto quod dicta provincia S. Ioannis Baptistae novas lites pro advocandis[1] illis, quae per ternas nostras in formâ Brevis litteras stabilita sunt, movere praetendebat, id vero occasionem aliarum maximarum perturbationum et offensionum praeberet: ideoque memoratae cardinalium congregationi supplicato ut perpetuum super praemissis silentium imponeret, quo, et scandala religioni periculosa cessarent, et fratrum quieti et tranquillitati consuleretur: emanavit ab eâdem congregatione decretum tenoris qui sequitur, videlicet:

§ 3. « Sacra congregatio eminentissimorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praeposita, ad quam sanctissimus dominus noster preces huiusmodi remisit (cum, sub die XXVIII aprilis proxime praeteriti, causâ iterum partibus auditis et abunde informantibus propositâ, eminentissimo Franciotto referente, decreverit ad provinciam S. Ioannis Baptistae spectare vigintiseptem conventus, remanente conventu Murciae ad provinciam Beati Petri de Alcantara iuxta resolutionem iam factam), inhaerendo huic declarationi aliisque decretis et Brevibus apostolicis super hac materiâ emanatis, ut tandem differentiis, controversiis, litibus et discordiis quibuslibet finis imponatur, vigore praesentium stricte praecipit et iniungit, sub poenis eo ipso incurrendis excommunicationis, privationis vocum et officiorum, aliisque arbitrio sacrae congregationi infligendis, omnibus et singulis dictarum provinciarum et totius Ordinis religiosis, tam superioribus quam subditis, ut iuxta praemissa, necnon in reliquis iuxta dispositionem praedictorum decretorum et Brevium, omnino et absque ullâ tergiversatione, etiam sub praetextu novi recursus ad hanc sanctam Sedem habendi, pareant et exequantur, nec directe vel indirecte se opponere aut contradicere praesumant. Quapropter sub iisdem poenis perpetuum desuper silentium imponit et impositum esse declarat; appellationibus, praetensionibus, iuribus, decretis quoque, ac Brevibus apostolicis in contrarium forsan facientibus, ceterisque non obstantibus quibuscumque.

Romae XV septembris MDCLXII.

M. card. GINETTUS ».

Supplicatio pro decreti confirmatione.

§ 4. Cum autem, sicut praedictus Petrus nobis nuper exponi fecit, ipse decretum huiusmodi, pro firmiori illius subsistentiâ et observatione, apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri summopere desideret: nos, ipsum Petrum specialis favore gratiae prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati,

Confirmatio decreti sacrae congregationis.

§ 5. Decretum praeinsertum, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus; salvâ tamen semper in praemissis auctoritate praedictae congregationis cardinalium.

1 Forsan *avocandis* vel *revocandis* (R. T.).

Decretum irritans.

§ 6. Decernentes easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, plenissime suffragari, et ab illis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariis derogat.

§ 7. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon, quatenus opus sit, praefatorum Ordinis et provinciarum et conventus Murciae, aliisve quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XI octobris MDCLXII, pontificatus nostri anno VIII.

Dat. die 11 octobris 1662, pontif. anno VIII.

CDIX.

Impositio decimae in regnis Castellae et Legionis ac Aragoniae et Valentiae, necnon in principatu Cataloniae atque insulis Balearibus et Sardiniae, omnibusque provinciis et ditionibus in eis comprehensis, in subsidium praesentium necessitatum regis catholici[1].

Alexander Papa VII, ad perpetuam rei memoriam.

Expositio.

§ 1. Cum[2], sicut charissimus in Christo filius noster Philippus Hispaniarum rex catholicus nobis nuper exponi fecit, ipse pro fidei catholicae regnorumque et dominiorum suorum defensione adeo gravia expensarum onera hactenus subire coactus fuerit, et ad praesens cogatur, ut non solum ordinarios et extraordinarios regnorum suorum redditus, verum etiam omnia illorum aeraria fere exhauserit, et propterea nobis humiliter supplicari fecerit ut super ecclesiarum in suis regnis Castellae et Legionis ac Aragoniae et Valentiae, necnon principatu Cathaloniae, atque insulis Balearibus et Sardiniâ, omnibusque provinciis et ditionibus in dictis regnis et insulis comprehensis existentium peculio, Christique Domini patrimonio, aliquod subsidium pro subventione praesentium necessitatum ipsius Philippi regis catholici eiusque regnorum defensione imponere de benignitate apostolicâ dignaremur: nos, ad ingentia eiusdem Philippi regis maiorumque suorum erga religionem catholicam et hanc sanctam Sedem Apostolicam merita paternae dirigentes considerationis intuitum, ac horum contemplatione illum specialis favore gratiae prosequi volentes, supplicationibus dicti Philippi regis nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de attributae nobis a Domino apostolicae potestatis plenitudine, tenore praesentium, indicimus et imponimus unam semel in duobus

Supplicationibus exponentis indulget, et confirmat ut in rubricâ.

1 Ex Regest. in Secr. Brev.

2 Similem vide Const. c Innoc. X in tom. XV, pag. 359 (R. T.).

annis proximis, illorum nempe singulo pro medietate, persolvendam decimam, quae in totum ad summam octingentorum millium ducatorum monetae Hispaniae ascendat, iuxta ratam a venerabili fratre Carolo archiepiscopo Corinthi, nostro et praedictae Sedis in regnis Hispaniarum nuncio, taxandam, omnium fructuum, reddituum, proventuum, iurium, obventionum, emolumentorum et distributionum quotidianarum omnium ecclesiarum archiepiscopalium, episcopalium, collegiatarum, parochialium, necnon monasteriorum et conventuum, ac etiam mensarum abbatialium, capitularium, tam cathedralium et metropolitanarum, quam quarumcumque collegiatarum ecclesiarum, necnon conventualium, prioratuum quoque, praeposituarum, praeceptoriarum, canonicatuum et praebendarum, dignitatum, personatuum, administrationum etiam fabricae et officiorum, ceterorumque beneficiorum ecclesiasticorum, cum curâ et sine curâ, secularium, ac S. Benedicti, S. Augustini, Cluniacensis, Cisterciensis, Praemonstratensis, ac quorumcumque aliorum Ordinum utriusque sexus, etiam mendicantium annuos reditus habentium, tam virorum quam mulierum, necnon congregationum regularium, institutorum regularium, et societatum, etiam Societatis Iesu, et praeterea hospitalium, necnon Beatae Mariae Theutonicorum, S. Iacobi de Spatha, Alcantara, Calatrava, de Avis et Montesia, necnon S. Lazari et aliarum quarumcumque militiarum (exceptis tamen S. R. E. cardinalibus, ac fratribus militibus S. Ioannis Hierosolymitani, qui pro sui tutelâ contra Turcas et alios infideles alienis auxiliis quotidie indigent, et, quoad curata, iis quorum centum, quo vero ad simplicia beneficia ecclesiastica, iis quorum annui redditus summam vigintiquatuor ducatorum auri de camerâ non excedunt) in praedictis regnis Castellae et Legionis ac Aragoniae et Valentiae, necnon principatu Cataloniae, atque insulis Balearibus et Sardiniâ, omnibusque provinciis et ditionibus in eisdem regnis et insulis comprehensis existentium, ac similiter omnium pensionum super praemissis assignatarum et assignandarum, percipiendam et exigendam a quibuscumque archiepiscopis, episcopis, primatibus, praepositis, decanis, capitulis, canonicis, rectoribus, beneficiatis, abbatibus, prioribus, commendatariis, abbatissis, priorissis, fratribus, militibus, et aliis quocumque nomine nuncupatis, secularibus et regularibus, ceterisque, cuiuscumque dignitatis, status et conditionis existentibus, praefata quocumque iure, modo, occasione et titulo obtinentibus seu detinentibus et obtenturis, necnon oeconomis et administratoribus perpetuis seu temporalibus, usufructuariis, ac fructus, pensiones, res et alia quaecumque huiusmodi iura et bona ex quacumque causâ, quavis auctoritate, in toto vel in parte, sibi reservata aut concessa habentibus vel habituris, secularibus et regularibus Ordinum, congregationum, militiarum et hospitalium praedictorum, necnon ab ipsis ecclesiis, capitulis, conventibus, Ordinibus, congregationibus, collegiis, hospitalibus, militiis, mensis, massis et locis, quocumque privilegio et exemptione reali, personali et mixtâ, antiquâ et immemorabili, pacificâ et continuatâ suffultis, quos omnes (exceptis supradictis) collectoribus, ut infra deputandis, volumus decimam praedictam infra duos annos proximos, illorum videlicet singulo pro medietate, persolvisse.

Clausulae.

§ 2. Decernentes nullas omnino exemptiones et immunitates exactionem

huiusmodi impedire posse, sicque per quoscumque iudices ordinarios et commissarios, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super is a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Sanctio poenalis.

§ 3. Ut autem supradicta diligenter et fideliter executioni demandentur, eumdem Carolum archiepiscopum modernum et pro tempore existentem, nostrum et Sedis praedictae in dictis regnis Hispaniarum nuncium, cuius integritas et prudentia nobis iam pridem cognita est, et alias ecclesiasticas personas, si ita ei videbitur, ab eo nominandas, decimae praedictae collectores cum omnibus iurisdictionibus, quae aliis huiusmodi collectoribus de iure vel consuetudine quomodolibet competunt, auctoritate et tenore praedictis constituimus et deputamus; mandantes ut, quidquid inde per se vel personas ecclesiasticas praedictas seu subcollectores suos exegerit, id omne, redditâ prius sibi per personas deputandas huiusmodi praemissorum omnium ratione, thesaurario ipsius Philippi regis in supradictos et non alios usus convertendum consignari faciat: ac eidem nuncio plenam, liberam et amplam ac absolutam potestatem tribuimus taxam et repartimentum huiusmodi, pro praedictâ summâ octingentorum millium ducatorum monetae Hispaniae dumtaxat conficiendâ, omni et quamcumque appellatione, recursu, nullitatis dictione, ac in integrum restitutione penitus remotis, faciendi et praescribendi; praedictos omnes ad decimam huiusmodi pro ratâ quemlibet iuxta praedictam taxam tangente persolvendam etiam per edictum locis publicis affigendum, etiam sub censuris et poenis ecclesiasticis, monendi et requirendi; non parentes, contumaces et fraudantes in censuras et poenas praedictas incidisse declarandi; proprietates, fructus, res et bona ipsorum apprehendendi, et usque ad satisfactionem retinendi; contradictores, perturbatores, molestatores et rebelles quoscumque, eisque auxilium, consilium vel favorem, publice vel occulte, quovis quaesito colore praestantes, cuiuscumque dignitatis, gradus et ordinis fuerint, praedictis aliisque censuris et poenis ecclesiasticis, necnon pecuniariis, ceterisque iuris et facti remediis opportunis compellendi, illasque etiam iteratis vicibus aggravandi; eos vero, qui debite satisfecerint, ab omnibus censuris et poenis supradictis in formâ Ecclesiae consuetâ absolvendi; praeterea quascumque personas ecclesiasticas in collectores et subcollectores fide et facultatibus idoneos in omnibus civitatibus, dioecesibus, provinciis et ditionibus praedictorum regnorum et principatus et insularum, quotquot expedierit, constituendi, eumque vel eos arbitrio suo revocandi; negligentes et morosos removendi, ac alium seu alios subrogandi quotiescumque ei videbitur; in delinquentes et contumaces per se vel alium seu alios, etiam simpliciter et de plano ac sine strepitu et figurâ iudicii, inquirendi, ac meritis poenis puniendi; modos et formas in praedictis servandos praescribendi; dubia quaecumque in praemissis forte oritura declarandi.

Derogatio contrariorum.

§ 4. Non obstantibus felicis recordationis Bonifacii Papae VIII praedecessoris nostri de unâ, et in concilio generali editâ de duabus dietis, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon ecclesiarum, monasterio-

rum, Ordinum, congregationum, hospitalium et locorum praedictorum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, stabilimentis, usibus et naturis; quodque personis praedictis, earumque ecclesiis et locis, vel quibusvis aliis, communiter vel divisim, a Sede Apostolicâ sit indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto, necnon personis, eorumque nominibus, cognominibus, ecclesiis, monasteriis, Ordinibus et locis huiusmodi, mentionem; et quibuslibet aliis privilegiis, exemptionibus, immunitatibus, in genere vel in specie, etiam S. R. E. camerario, et aliis camerae apostolicae ministris, etiam ex causâ onerosâ, quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis, et solutiones decimarum aliter quam secundum antiquam taxam et nisi in universali decimarum per orbem impositione fieri prohibentibus; necnon promissionibus, donationibus, obligationibus, iuramentis, renunciationibus, vinculis et cautelis in assignatione praedictarum pensionum factis (quibus per impositionem decimae huiusmodi minime teneri, neque eis[1], quoad praemissa, contra quemcumque locum habere declaramus); aliisque indultis et litteris apostolicis, generalibus vel specialibus, cuiuscumque tenoris existant, per quae praesentibus non expressa, aut totaliter non inserta effectus eorum impediri valeat quomodolibet vel differri, et de quibus eorumque totis tenoribus habenda sit in nostris litteris mentio specialis; quae omnia contra praedicta nolumus cuiquam suffragari; ceterisque contrariis quibuscumque.

1 Potius lege *eas* vel *ea* pro *eis*. (R. T.).

§ 5. In percipiendâ vero decimâ praescriptâ, piae memoriae Clementis Papae V. etiam praedecessoris nostri in Concilio Viennensi editam constitutionem (ac praesertim quod nec calices, nec libri, ceteraque ecclesiarum ornamenta divino cultui dicata, aliave supellex ecclesiastica ex causâ pignoris capi, recipi, vel distrahi, aut aliàs quomodolibet occupari debeant) ubique praecipimus observari; quinimo volumus, ut, illius occasione, ecclesiae, monasteria, aliaque pia et sacra loca quaecumque debitis propterea non fraudentur obsequiis, ac divinus in iis cultus et solitus Altissimo famulantium et ministrorum numerus nullatenus minuatur, nec eis quoquo modo iniuncta onera aut pia, quae exerceri solent, opera et officia ullo modo minuantur, seu negligantur, sed eorum congrue supportentur onera consueta; quodque propter praedictam decimae impositionem quibuscumque iuribus nostris, et collegii S. R. E. cardinalium, ac camerae nostrae apostolicae praefatae, quae ratione ecclesiarum ac monasteriorum et aliorum beneficiorum vacantium et vacaturorum solvi debuerint, in aliquo minime praeiudicetur; praesentium vero litterarum exempla, etiam impressa, manu alicuius notarii publici subscripta, et alicuius personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae sigillo obsignata, eamdem in iudicio et extra illud ubique locorum fidem facere, quam ipsae originales facerent, si essent exhibitae vel ostensae.

Constitutionem Clementis V servari mandat.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XX octobris MDCLXII, pontificatus nostri anno VIII.

Dat. die 20 octobris 1662, pontif. anno VIII.

CDX.

Licentia episcopo et clero civitatis Pactensis, eiusque territorii, contribuendi summam viginti millium scutorum pro redemptione dictae civitatis et casalis de Surrentino, eiusque territorii [1].

Alexander Papa VII, ad futuram rei memoriam.

Prooemium. Apostolatus officium, quod auctore Deo gerimus, exigit ut ad ea, quae libertatis ecclesiasticae conservationem ac personarum quarumlibet in sortem Domini vocatarum utilitatem concernunt, libenter intendamus, et pastoralis nostrae sollicitudinis partes desuper interponamus, prout, maturâ deliberatione adhibitâ, cognoscimus in Domino salubriter expedire.

Expositio. § 1. Exponi siquidem nobis nuper fecerunt venerabilis frater modernus episcopus Pactensis, ac dilecti filii dignitates obtinentes, canonici, aliique praebendati cathedralis ecclesiae, necnon presbyteri, diaconi, subdiaconi et clerus universus civitatis Pactensis, eiusque territorii, quod dilectus filius Ascanius Ansalonus, dux terrae *della Montagna* nuncupatae, olim casalis dictae civitatis, et ad illius territorium spectantis, eamdem civitatem Pactensem, quae inter civitates regni Siciliae quinta, nonnullisque aliis episcopalibus eiusdem regni civitatibus ordine et maioritate superior existit, cum casali de Surrentino eiusque territorio ante aliquos annos subreptitie, ut creditur, a carissimo in Christo filio nostro Philippo Hispaniarum rege catholico, qui et Siciliae rex existit, emit; venditio tamen civitatis ac casalis de Surrentino et territorii huiusmodi effectum nondum habuit, quia status publici militares et ecclesiastici[1] dictae civitatis eiusque territorii, et praecipue ecclesiastici, illi se se opposuerunt, cum emptionem huiusmodi Dei servitio ac conservationi eorum libertatis et patriae naturalis, necnon quieti civium et incolarum, tam laicorum quam ecclesiasticorum, adversari cognoscerent. Nam ex causâ emptionis dicti casalis *della Montagna* nuncupati, effectum sortitae[2], ac venditionis civitatis et casalis de Surrentino eiusque territorii huiusmodi longae lites ac dissentiones inter praefatum Ascanium ducem ac status dictae civitatis exortae fuerunt, propter quas personae eorumdem status[3], et praesertim ecclesiasticae, dicti Ascanii ducis odium incurrerunt. Unde, si venditio huiusmodi effectum haberet, et laicis dura nec ferenda subiectio, et ecclesiasticis plurimae gravesque difficultates subeundae forent. Et licet ab eisdem statibus, ut hoc importabile iugum evitarent, diversae viae tentatae, multique recursus ad memoratum Philippum regem habiti fuerint; tandem tamen compertum est id fieri nequire nisi mediante praestatione octoginta millium et amplius scutorum monetae; pro quibus colligendis status secularis et militaris eam maiorem, quam pro modo facultatum suarum poterunt, pecuniarum quantitatem contribuere parati sunt; idque mediantibus quibusdam annuis impositionibus, super quibus assensum dilecti filii nobilis viri moderni proregis dicti regni Siciliae iam obtinuerunt.

Motiva. § 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, laicorum facultates praestandae integrae summae pecuniarum huiusmodi non sufficiant, dicti vero exponentes (provide considerantes de re

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

1 Potius *militaris et ecclesiasticus* (R. T.).
2 Edit. Main. legit *sortita* (R. T.).
3 Legendum *statuum* (R. T.).

utili et necessariâ ac non minus status ecclesiastici quam laicorum commodum concernente agi, et laicos, qui in ecclesiasticorum familiis sunt, iisdem quibus ecclesiastici exemptionibus ac immunitatibus frui solere, dictumque statum ecclesiasticum proinde considerabilius forsan universi corporis membrum existere) mediantibus praefatis impositionibus usque ad summam viginti millium scutorum parium, easque pecunias, quae pro integrâ summae huiusmodi praestatione necessariae fuerint, sponte contribuere intendant, si nostra et huius Sanctae Sedis sibi super hoc licentia suffragetur et facultas; eâ tamen lege ut eiusdem summae exactio fiat per subcollectorem ecclesiasticum ab omnibus exponentibus praedictis coniunctim deputandum, qui facultatem habeat exigendi ab eisdem annuatim, aut aliâ formâ quam congruere existimaverint cum ecclesiasticis ad dictam contributionem obligatis, idque usque ad integram satisfactionem eiusdem summae, quae in redemptionem civitatis Pactensis ac casalis de Surrentino et territorii praefatorum, et non in alios usus converti debeat, nec ante solvatur, quam contractus venditionis civitatis et casalis de Surrentino et territorii huiusmodi, inter memoratum Philippum regem et dictum Ascanium ducem, ut praefertur, initus, omnino rescissus et dissolutus fuerit: nobis propterea iidem exponentes humiliter supplicari fecerunt ut sibi in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolicâ dignaremur. Nos igitur, ipsos exponentes specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, ac considerantes quod episcopus et clerus praedicti pro redemptione huiusmodi tantam necessitatem et utilitatem adspexerint ut absque ullâ exactione ad relevandas communes utilitates et necessitates, laicorum facultatibus non suppetentibus, subsidia per ecclesiasticos existimaverint conferenda, inhaerendo constitutioni generali concilii Lateranensis sub felicis recordationis Alexandro Papa III praedecessore nostro celebrati, eisdem exponentibus, ut ipsi usque ad memoratam summam viginti millium scutorum ad effectum praefatum, servatis tamen modo et formâ ac conditionibus et ordinationibus supra expressis, contribuere libere et licite possint et valeant, licentiam et facultatem, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, concedimus et impertimur.

Concedit Pontifex ut in rubrica.

§ 3. Non obstantibus apostolicis, ac in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, necnon praefatae cathedralis Pactensis, aliarumque ecclesiarum, et aliis quibuslibet, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et ex-

Contraria tollit.

presse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die III novembris MDCLXII, pontificatus nostri anno VIII.

Dat. die 3 novembris 1662, pontif. an. VIII.

CDXI.

Conceditur procuratoribus et commissariis generalibus curiae Ordinis Minorum de Observantiâ et Reformatorum sancti Francisci cismontanae familiae votum perpetuum in propriis provinciis.

Alexander Papa VII, ad futuram rei memoriam.

Exordium. Ratio iustitiae exigit ut illi, qui multos pro religione labores sustinuerunt, congruis honoribus et gratiis decorentur.

Decreti confirmatio. § 1. Volentes itaque dilectis filiis procuratoribus et curiae commissariis generalibus fratrum Minorum, tam de Observantiâ, quam Reformatorum nuncupatorum, Ordinis sancti Francisci, qui rerum usu tractandis et procurandis in Romanâ curiâ gravioribus Ordinis huiusmodi negotiis acquisito pollere noscuntur, et quorum opera proinde eorum provinciis plurimum[1] utilitatis allatura[2] esse speramus, gratiam facere specialem, eorumque singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, omnibus et singulis procuratoribus et commissariis curiae generalibus fratrum Minorum, tam de Observantiâ quam Reformatorum, familiae cismontanae huiusmodi, qui sua respective officia triennii continui spatio hactenus gesserunt, et posthac quandocumque pari spatio gesserint, ut, depositis eisdem officiis, suffragium sive votum perpetuum consultivum, electivum et decisivum in quibusvis capitulis et congregationibus suae quisque provinciae dicti Ordinis habere et ferre, illoque uti, frui et gaudere libere et licite possint et valeant, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, concedimus et indulgemus.

Sanctio poenalis. § 2. Mandantes propterea in virtute sanctae obedientiae dilectis filiis ministris provincialibus et aliis superioribus et fratribus dictarum provinciarum, ceterisque ad quos spectat et spectabit quomodolibet in futurum, ut memoratos procuratores et commissarios curiae generales praesentis gratiae commodo et effectu pacifice frui et gaudere sinant et faciant, nec illos desuper a quoquam quomodolibet indebite molestari, perturbari vel inquietari permittant;

Clausulas addit. § 3. Ac decernentes easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

1 Male edit. Main. legit *plurium* (R. T.).
2 Forsan *operam ... allaturam* (R. T.).

Contrariis derogat.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon, quatenus opus sit, Ordinis ac familiae et provinciarum huiusmodi, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliâs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis credi mandat.

§ 5. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra adhibeatur, quae praesentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibite vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die IV decembris MDCLXII, pontificatus nostri anno VIII.

Dat. die 4 decembris 1662, pontif. anno VIII.

CDXII.

Quod clerici religionis Ministrantium Infirmis in quibusvis functionibus, tam publicis quam privatis, praeferantur laicis etiam antiquioris professionis [1].

Alexander Papa VII, ad futuram rei memoriam.

Sacrae congregationis decretum recensetur.

Aliàs emanavit a congregatione venerabilium fratrum nostrorum sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium sacris ritibus praepositorum decretum tenoris qui sequitur, videlicet:

§ 1. « Religionis Ministrantium Infirmis. Expositum est sacrae rituum congregationi laicos religionis Ministrantium Infirmis praesumere sibi praecedentiam deberi a clericis eiusdem religionis professione posterioribus, in omnibus et quibuscumque actibus, tam publicis quam privatis. Propterea supplicatum fuit declarari, quaenam regula inter ipsos super iure praecedendi servanda sit.

Et sacra eadem congregatio, tollendis dissensionibus praesertim inter ecclesiasticas personas addicta, ac ne ob praefatas contentiones et lites mutuae inter eos charitatis ardor frigescat, sed omnes in eiusdem charitatis vinculo et in humilitatis spiritu iuxta suam vocationem Deo famulentur, declaravit clericos predictos in quibusvis actibus et functionibus, tam publicis quam privatis, laicis praefatis etiam antiquioris professionis praeferendos esse. Die XIX augusti MDCLXII.

IOANNES episcopus Sabinensis
cardinalis SACHETTUS ».

Decretum Pontifex confirmat.

§ 2. Cum autem, sicut dilectus filius procurator generalis Congregationis clericorum regularium Ministrantium Infirmis nobis nuper exponi fecit, ipse decretum huiusmodi, pro firmioris illius subsistentiâ et observatione, apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri desideret: nos, ipsum procuratorem generalem specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus

1 Haec consuetudo viget in omnibus religionibus bene ordinatis. De hoc ordine vide ad Constit. CCLXXXIX (*al.* 265) Urbani VIII, *Romanus Pontifex*, tom. XIII, pag. 660.

extiterit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, decretum praeinsertum, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus; salvâ tamen semper in praemissis auctoritate congregationis praedictorum cardinalium.

Decretum irritans. § 3. Decernentes easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis [1], ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, plenissime suffragari, et ab illis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum. § 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon, quatenus opus sit, dictae Congregationis clericorum regularium, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die VI decembris MDCLXII, pontificatus nostri anno VIII.

Dat. die 6 decembris 1662, pontif. anno VIII.

CDXIII.

Incorporatio provinciae et quatuor monasteriorum Congregationis canonicosum S. Georgii in Algâ Venetiarum in regno Siciliae existentium praedictae Congregationi, etc. [1].

Alexander Papa VII, ad futuram rei memoriam.

Militantis Ecclesiae regimini divinâ dispositione praesidentes, ad ea sollicitis studiis intendimus, per quae felici prosperoque congregationum quarumlibet ad omnipotentis Dei gloriam ipsiusque Ecclesiae decus et ornamentum pie prudenterque institutarum gubernio opportunâ ratione consulitur. Proœmium.

Confirmat ut in rubrica. § 1. Cum itaque, sicut accepimus, in regno Siciliae existant quatuor monasteria seu collegia Congregationis canonicorum S. Georgii in Algâ Venetiarum, videlicet S. Iacobi Panormi, et S. Rosaliae Agrigenti, ac S. Mariae de Ravanusa, et S. Calogeri de Naro Agrigentinae dioecesis, unam provinciam constituentia cum provinciali qui a capitulo provinciali eorumdem canonicorum eligitur, nec tamen a generali Congregationis confirmatur aut visitatur, nec ad generale capitulum accedit; nos, animadvertentes valde expedire ut membra caput sequantur, et in unum corpus coalescant, ad regularem disciplinam instaurandam, motu proprio, et ex certâ scientiâ et maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, praedictam provinciam, et singula illius

1 Male edit. Main. legit. *ab illis* (R. T.).

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

memorata monasteria seu collegia, tenore praesentium unimus, annectimus et incorporamus praedictae Congregationi S. Georgii in Algâ Venetiarum, ita ut cum reliquis dictae eiusdem Congregationis monasteriis unum corpus et unam eamdemque Congregationem constituant, et illorum canonici, sicut antea, provinciale capitulum celebrent de triennio in triennium, sibique provincialem eligant, qui a generali Congregationis confirmationem accipere et ad generale capitulum accedere teneatur, ut tam ipse provincialis quam monasteria praedicta et illorum canonici et personae subsint obedientiae, visitationi, correctioni et omnimodae iurisdictioni generalis ipsius Congregationis.

Clausulae. § 2. Decernentes easdem praesentes litteras, etiam ex eo quod quilibet in praemissis interesse habentes seu habere quomodolibet praetendentes illis non consenserint, nec desuper vocati, citati et auditi fuerint, aut ex aliâ quacumque causâ, colore, praetextu et capite, etiam in corpore iuris clauso, nullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrae aut interesse habentium consensus aliove quolibet defectu notari, impugnari, infringi, retractari, aut ad terminos iuris reduci, seu adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque iuris, facti vel gratiae remedium impetrari, aut impetrato, vel etiam motu, scientiâ et potestatis plenitudine paribus concesso, quempiam in iudicio vel extra illud uti seu se iuvare posse; sed ipsas praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, plenissime suffragari, et ab illis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariis derogat. § 3. Non obstantibus praemissis, ac, quatenus sit opus, de iure quaesito non tollendo, aliisque nostris et cancellariae apostolicae regulis, et aliis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon provinciae et monasteriorum et collegiorum huiusmodi, aliisve quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, eisdem provinciae et monasteriis seu collegiis, illorumque superioribus et personis quibuslibet, sub quibuscumque verborum tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis, in genere vel in specie, etiam motu pari, ac etiam consistorialiter, aut aliàs quomodolibet, etiam iteratis vicibus, in contrarium praemissorum concessis, approbatis, et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omis-

so, et formâ in illis traditâ observatâ, exprimerentur et insererentur, praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die VI decembris MDCLXII pontificatus nostri anno VIII.

Dat. die 6 decembris 1662, pontif. anno VIII.

CDXIV.

Confirmatio erectionis custodiae Lotharingiae fratrum Minorum Ordinis sancti Francisci Recollectorum, cum declaratione, quod illi competant omnia privilegia et praerogativae verae custodiae, necnon si qua alia a Sede Apostolicâ indulta fuerint[1].

Alexander Papa VII, ad futuram rei memoriam.

Exordium. Inter gravissimas multiplicesque curas, quibus ex impositae nobis divinitus servitutis munere assidue urgemur, in eam peculiari studio incumbimus, ut felici prosperoque religiosorum virorum leve Christi iugum sub arctioris vitae instituto laudabiliter portantium statui, quantum nobis ex alto conceditur, salubriter consulamus.

Supplicatio. § 1. Exponi siquidem nobis nuper fecit dilectus filius Bartholomaeus Deumont custos custodiae Lotharingiae fratrum Minorum Ordinis sancti Francisci de Observantia recollectorum nuncupatorum, quod aliàs, videlicet anno MDCXXX, dicta custodia, iuxta quasdam felicis recordationis Gregorii Papae XIII et Clementis Papae VIII praedecessorum nostrorum constitutiones pro reformatione editas, ad instantiam dilectorum filiorum nobilium virorum Lotharingiae, ac supplicantibus fratribus provinciae Franciae Parisiensis dicti Ordinis, qui iuxta puritatem regulae eiusdem sancti Francisci ab eis professae vivere desiderabant, in custodiam reformatam Ordinis huiusmodi, assignatis ad hoc tribus conventibus, erecta fuit, et ad huius rei confirmationem subinde a recolendae memoriae Urbano Papa VIII praedecessore pariter nostro litterae in simili formâ Brevis obtentae fuerunt.

Motiva. § 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, dilecti filii fratres Cordigeri et non reformati dictae provinciae, reformationi huiusmodi contrarii, praetendant praefatas Urbani praedecessoris litteras non esse sufficientes, et captâ occasione belli et absentiae memoratorum ducum ab illo tempore fratres recollectos dictae custodiae molestare nunquam cessaverint, tandem vero pro pace habendâ in capitulo generali Ordinis praefati anno MDCLVIII Toleti celebrato determinatum fuerit, ut custos ad nos pro obtinendis novis super confirmatione erectionis custodiae huiusmodi litteris apostolicis recurreret: nobis propterea dictus Bartholomaeus humiliter supplicari fecit ut in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Confirmat decretum iam latum. § 3. Nos igitur, ipsum Bartholomaeum specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositorum, qui rem mature considerarunt, consilio, attentis narratis, erectionem custodiae huiusmodi, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, approbamus et confirmamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos iuris et facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus, ipsique custodiae omnia privilegia et praerogativas verae custodiae, necnon si quae alia eidem a Sancta Sede Apostolicâ indulta fuerunt, competere declaramus.

Clausulas apponit.

§ 4. Decernentes easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, plenissime suffragari, et ab illis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contraria tollit.

§ 5. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon, quatenus opus sit, Ordinis et provinciae et conventuum huiusmodi, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, approbatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XI decembris MDCLXII, pontificatus nostri anno VIII.

Dat. die 11 decembris 1662, pontif. anno VIII.

CDXV.

Confirmat constitutionem capituli generalis fratrum Congregationis Discalceatorum Ordinis B. Mariae de Mercede redemptionis captivorum, circa renunciationem officiorum commendatorum et rectorum collegiorum ipsius Congregationis.

Alexander Papa VII,
ad futuram rei memoriam

Expositio.

Aliàs pro parte dilecti filii procuratoris generalis Congregationis fratrum Discalceatorum noncupatorum Ordinis B. Mariae de Mercede redemptionis captivorum venerabilibus fratribus nostris S. R. E. cardinalibus negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositis exposito, quod per constitutiones dictae Congregationis, a felicis recordationis Urbano Papa VIII praedecessore nostro confirmatas, cavebatur expresse, ad evitandam constitutionum multitudinem, ne in futurum ulla constitutio approbari et confirmari posset nisi in capitulis generalibus examinata et approbata fuisset; quodque pro felici eiusdem Congregationis regimine edita fuerat constitutio ut commendatores et rectores collegiorum ipsius Congregationis in medio administrationis suorum officiorum illa in definitorio provinciae renunciare,

ac per epistolas pleno definitorio directas rationem domorum regularium, quas renunciarent, ac conventualium in eis degentium, necnon pecuniarum et bonorum ad easdem spectantium reddere deberent, et in potestate definitorii provinciae huiusmodi esset admittere eiusmodi resignationes, vel illas recusare, sicuti ipsi definitorio pro Dei et religionis servitio expedire videretur;

§ 1. Et in eâdem expositione subiuncto, quod haec constitutio in quatuor congregationibus generalibus successive habitis approbata fuerat, eiusque procurator generalis, probe conscius utilitatis, quae ex illâ praedictae Congregationi provenerat et proveniebat, illam, ac omnia quae in illius observationem facta fuerant et in posterum fierent, auctoritate apostolicâ confirmari plurimum desiderabat: emanavit e congregatione praedictorum cardinalium decretum tenoris qui sequitur, videlicet.

Decretum sacrae congregationis.

§ 2. « Sacra congregatio eminentissimorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praeposita, attentis narratis, et pro meliori gubernio religionis huiusmodi, censuit praedictam constitutionem, seu statutum, iuxta petita approbandam et cofirmandam esse, prout praesentium vigore approbat et confirmat, eique apostolicae auctoritatis robur adiicit, suumque effectum sortiri decernit; contrariis quibuscumque non obstantibus.

Romae XXIV novembris MDCLXII.

M. Cardinalis GINETTUS ».

Decretum praeinsertum confirmat Pontifex.

§ 3. Cum autem, sicut praedictus procurator generalis nobis nuper exponi fecit, ipse decretum huiusmodi pro firmiori illius subsistentiâ, apostolicae confirmationis nostrae robore communiri summopere desideret: nos, ipsum procuratorem generalem specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, decretum praeinsertum, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus; salvâ tamen semper in praemissis auctoritate eiusdem congregationis cardinalium.

Clausulae.

§ 4. Decernentes easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, plenissime suffragari, et ab illis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contraria tollit.

§ 5. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon, quatenus opus sit, Ordinis et Congregationis fratrum huiusmodi, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores

praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XVIII decembris MDCLXII, pontificatus nostri anno VIII.

Dat. die 18 decembris 1862, pontif. anno VIII.

CDXVI.

Confirmatio statutorum ac decretorum capituli generalis Oscensis Ordinis Beatae Mariae de Mercede redemptionis captivorum[1].

Alexander Papa VII,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium. Ad pastoralis dignitatis fastigium, nullo licet meritorum nostrorum suffragio, per ineffabilem divinae bonitatis abundantiam evecti, illa, quae pro felici prosperoque religiosorum virorum qui e fluctibus seculi in regularis vitae portum confugerunt, assumptoque suavi Christi iugo, Altissimi obsequiis sese devoverunt, ac uberes bonorum operum fructus per Dei gratiam proferre iugiter satagunt, regimine et gubernio prudenter et salubriter constituta esse noscuntur, libenter, cum id a nobis petitur, apostolici muniminis praesidio roboramus.

Sequuntur decreta. § 1. Exponi siquidem nobis nuper fecit dilectus filius Franciscus de la Rosa, vicarius generalis Italiae et Siciliae ac procurator generalis totius Ordinis fratrum Beatae Mariae de Mercede redemptionis captivorum, quod in ultimo capitulo generali dicti Ordinis, in conventu Oscensi die XV octobris MDCLVIII celebrato, pro felici eiusdem Ordinis directione editae fuerunt nonnullae constitutiones, quae a congregatione venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositâ in nonnullis emendatae sunt, tenoris qui sequitur, videlicet:

Definitores provinciales et generales. « I. Ad pleniorem observationem motusproprii sanctissimi felicis recordationis Urbani VIII de expulsione regularium delinquentium, iuxta id quod similiter decretum est in capitulo generali Barbastrensi et Murciensi proxime celebratis[1], praedictum generale definitorium[2] decrevit designare, ac designavit in singulis provinciis totius praedicti Ordinis sex consultores, quatuor scilicet provinciae definitores et duos definitores generales, de quorum sex consilio reverendissimus magister generalis possit in criminosos et incorrigibiles expulsionis ferre sententiam.

Similiter autem decrevit quod, ex[3] cuiuslibet praedictorum sex consultorum defectu, illius loco duo electores generales pro tali provinciâ succedant, habitâ attentione quod dignior prius designatus minus digno intelligatur.

II. Item decrevit praedictum generale definitorium quod in omnibus provinciis patres definitores earum, necnon definitores et electores generales, dum praedictis officiis funguntur, omnibus exemptionibus, gratiis et privilegiis magistrorum de numero gaudeant.

Capitulum generale quando celebrandum. III. Item, habitâ consideratione laborum quos patres vocales ad capitulum generale Barbastrense et Murciense pro-

1 Vide aliam confirmationem statutorum pro fratribus Discalceatis eiusdem Ordinis in Constit. CCCXXXVII, Urbani VIII, tom. XIV, pag. 66, *Sacri apostolatus*.

1 Vel *celebrato* vel *capitulis* legend. (R. T.).
2 Edit. Main. legit *definitorum* (R. T.).
3 Videtur legendum *in* pro *ex* (R. T.).

xime celebratum concurrentes, hiemalibus molestiis glacierum, nivium fluminumque inundantium in itineribus sunt passi, quin et vocales ad capitulum generale Barchinonense praeteritum convocatos canicularibus ferventis solis caloribus summopere vexatos fuisse, idemque semper imminere periculum, et alia maxima incommoda (ut si contingat in maiori hebdomadâ celebrari) provide prudenterque timeri, si capitula generalia futura (iuxta decretum capituli generalis Toletani a sanctissimo domino nostro Urbano VIII confirmatum), magistratu Ordinis quovis modo vacante, quatuor solum mensibus expletis, quocumque anni tempore accidat, celebrentur: praedictum generale definitorium, tot calamitatibus occurrere satagens, carumque pressuram evadere cupiens, seriâ et maturâ attentione decrevit ut in posterum capitulum generale, magistratu Ordinis quovis modo vacante, si per quatuor menses ante festum Pentecostes id evenerit, in vigiliâ dicti festi celebretur; si autem successerit mors magistri generalis, vel alia ut praefertur vacatio, intra tempus quatuor mensium ante dictum festum, tunc ad sabbatum dominicae tertiae octobris eiusdem anni celebratio capituli generalis differatur: et similiter si magistratus vacatio praedicta per quatuor menses ante dictum sabbatum dominicae tertiae octobris acciderit, in tali sabbato dictae dominicae celebretur; si autem intra tempus quatuor mensium ante dictam dominicam tertiam octobris contigerit, tunc ad sabbatum seu vigiliam Pentecostes anni immediate futuri transferatur. Insuperque decrevit praedictum generale definitorium, propriis inhaerendo constitutionibus, celebrationem capitulorum generalium semper in sabbato, et non aliâ die fieri debere. Unde in hunc finem, et pro maiori declaratione praefati decreti, statuit quod, si quatuor menses a vacatione generalatus expleantur ante sabbatum Pentecostes, celebratio capituli fiat in sabbato Pentecostes; et similiter, si expleantur ante dominicam tertiam octobris, celebratio capituli fiat in sabbato ante dominicam praedictam tertiam octobris; si vero quatuor menses a vacatione generalatus expleantur post festum Pentecostes, intra octavam tamen dicti festi, celebratio capituli generalis fiat in sabbato ante dominicam SS. Trinitatis; et similiter, si praedicti quatuor menses dictae vacationis expleantur post dictam dominicam tertiam, intra octavam tamen illius, celebratio capituli generalis fiat in sabbato primo post dictam tertiam dominicam octobris, et non ultra, ne ob tam paucos dies electio magistri generalis in tam longum tempus differatur. Interim autem, donec capitulum generale novaque electio fiat, prior monasterii Barchinonensis semper sit caput et vicarius generalis totius religionis. Praedictumque generale definitorium suppliciter et humiliter exorat sanctissimum dominum nostrum Papam ut huiusmodi decretum pro suâ benignitate confirmare, et praefatum dicti capituli generalis Toletani ad ipsius instantiam confirmatum a sanctissimo Urbano VIII, prout huic contrariatur, derogare dignetur.

Provincialia capitula quando celebranda.

IV. Item praedictum generale definitorium decrevit ut deinceps in perpetuum celebrentur capitula provincialia verno tempore, circumcirca dominicam *Cantate*, sabbato ante ipsam, et quod, si in dicto tempore magistratus Ordinis vacaverit, capituli vel capitulorum provincialium celebratio usque ad aliam dominicam *Cantate* immediate futuram prorogetur; ut sic fiat conformius constitutionibus religionis, iuxta caput quar-

tum secundae distinctionis, ubi sic: « Religio (vacante scilicet quovis modo magistratu Ordinis) in eodem prorsus statu perseveret, sicut fuerat ante vacationem magistratus »: et in cap. VI eiusdem distinctionis de capitulo provinciali sic: « Celebretur tamen praedictum capitulum in dominicâ *Cantate*, in qua futuris temporibus in toto Ordine celebranda sunt inviolabiliter capitula provincialia».

Contributiones in duas partes dividendae.

V. Item praedictum generale definitorium, utilitati provinciarum Novae Hispaniae et *del Perù* in regnis Indiarum occidentalium, earumque levamini consulens, ne superfluis sumptibus et contributionibus nimis graventur, decrevit ut de cetero contributiones pro vestuariis magistri generalis, in illis provinciis fieri solitae, minime fiant, sed pro vestuariis magistri generalis et sumptibus procuratoris generalis curiae Romanae, et negotiis seu litibus in eâ concurrentibus, designavit praedictum generale definitorium medietatem contributionum, quae in illis provinciis pro vestuariis suorum vicariorum generalium fiunt, iuxta ea quae fieri consueverunt, ita ut tales contributiones in duas aequales partes dividantur, quarum una magistro generali in Hispaniam mittatur, altera vero ipsis vicariis generalibus pro sui officii sumptibus designetur.

In vacantia graduum definitorium provideat.

VI. Item, cum dubitatum fuisset in praedicto definitorio, ad quem facultas exponendi ad religionis gradus attineat, post disertam iurium inquisitionem declaratum fuit pertinere ad quodlibet definitorium cuiuslibet provinciae non solum approbationem lecturae vel praedicationis ad praedictos gradus, sed facultatem exponendi ad illos, quae[1] tamen expositio ad futuram vacantem ex decreto sanctissimi Pauli V est prohibita; similiter declaravit praedictum generale definitorium (ne gradus suspensi per longum tempus maneant, ex quo plura praevidentur bono regimini imminentia damna, et ne religiosi aliàs idonei et approbati illis orbentur usque ad capitulum futurum) posse definitorium provinciale praedictam facultatem exponendi, quae iure nostrarum constitutionum definitorio provinciali privative competit, concedere reverendissimo patri magistro generali, ut, quoties graduum vacatio contigerit, possit exponere ad talem determinatam vacantem quemlibet ex approbatis a definitorio provinciali. Insuper decrevit praedictum generale definitorium; ita, et iuxta hoc decretum, disponendum fore caput XXV nostrarum constitutionum de magistris et praesentatis.

Iura prioris Barchinonensis magistratu vacante.

VII. Item confirmavit praedictum generale definitorium quod iam decretum est in capitulis generalibus Hobrensi, Barbastrensi et Murciensi proxime celebratis circa facultatem et potestatem reverendi patris prioris Barchinonensis, magistratu vacante, tamquam supremi religionis capitis et vicarii generalis totius Ordinis, de et super confirmatione graduum vacantium tempore sui regiminis; et praedictum definitorium generale, nemine discrepante, declaravit reverendum patrem priorem Barchinonensem, ratione sui officii praedicti, habere sufficientem facultatem et auctoritatem ad confirmationem graduum conferendam iure nostrarum constitutionum, dist. I, cap. IV, his verbis: « Vicesque et potestatem magistri generalis in omnibus, prout in his constitutionibus sancitur, habeat ».

Concordia inter patres Cataloniae et Aragoniae.

VIII. Item, desiderans praedictum generale definitorium inter patres principatus Cataloniae et Aragoniae iurgia sedare et pacem stabilire, decrevit ut

1 Edit. Main. legit *qui* pro *quae* (R. T.).

de cetero in capitulis provincialibus provinciae Aragoniae eligatur ad minus unus ex patribus principatus Cataloniae in definitorem provincialem.

Stylus litterarum patentium.

IX. Item decrevit praedictum generale definitorium, ad perpetuam rei memoriam, quod tam reverendissimus magister generalis, quam provinciales, commendatores, et vicarii generales in fine quarumcumque litterarum patentium et aliarum testimonialium scripturarum, professionum, etc., hoc utantur stylo, ut, post numeratum Domini annum, similiter scribere debeant annum fundationis Ordinis, his verbis: « a fundatione nostri Ordinis, anno N. ».

Missa de B. V. quolibet sabbato celebranda.

X. Item praedictum generale definitorium decrevit quod in die sabbati cuiuscumque hebdomadae, post Primam, secundum antiquam religionis consuetudinem, inviolabiliter celebretur missa de B. Virgine in omnibus conventibus totius Ordinis iuxta ritum romanum, cui intersint omnes religiosi cuiuscumque gradus aut qualitatis extiterint, reverendissimo magistro generali non excepto. Similiter eâdem die, post completorium, ad cantandum antiphonam *Salve* in cappellâ maiori ecclesiae conveniant.

Missae pro fratribus defunctis celebrandae etiam novitiis.

XI. Item decrevit quod eadem suffragia, quae pro quolibet religioso professo decedente celebrantur ac debent celebrari, eadem etiam pro religioso novitio defuncto celebrentur: rursusque[1] commendator domus, ubi aliquis religiosus tam professus quam novitius obierit, quamprimum poterit, certiores faciat tam provincialem quam commendatores illius provinciae de fratris morte, nomine et officio, ut pro illo supraposita suffragia fiant; tenenturque commendatores seu praelati conventuum nomen defuncti fratris scribere in tabellâ ad hunc effectum in choro vel in sacristiâ destinatâ, et solito triennio retinendâ et renovandâ, quam debeant visitatores in suis visitationibus sedulo examinare, et an suffragia pro defunctis sint integre persoluta. Similiterque, auditâ morte sanctissimi domini nostri Papae, in singulis conventibus nostri Ordinis solemnes exequiae pro ipso fiant, idemque pro eminentissimo cardinali nostrae religionis protectore, et pro rege et reginâ catholicis, totius religionis patronis et fundatoribus, fiat. Qualibet feriâ secundâ (tempore Paschali excepto) post Primam cantetur missa quotidiana defunctorum, qua finitâ, fiat processio secundum antiquam consuetudinem religionis: quod si dicta feria secunda aliquo festo solemni impedita fuerit, in tertiam vel in quartam feriam transferatur, ut in caeremoniali nostri Ordinis notatur.

Et pro Papa, cardinali protectore, rege reginâque defunctis.

Oratio mentalis bis facienda quotidie.

XII. Item, cum ex nostris constitutionibus quotidie bis mentaliter orare teneamur, decrevit praedictum generale definitorium tempus primae orationi toto anni tempore dimidiam saltem horam immediatam ante Primam destinare, taliter quod primo mane omnes fratres in choro conveniant, ubi, genibus flexis, invocato Spiritu Sancto antiphonâ *Veni, Sancte Spiritus, reple tuorum corda fidelium, et tui amoris in eis ignem accende,* dicatur[1]: *Sub tuum praesidium confugimus, sancta Dei Genitrix, nostras deprecationes ne despicias in necessitatibus nostris, sed a periculis cunctis libera nos semper, Virgo gloriosa et benedicta.* ℣. *Emitte Spiritum tuum,* etc. *Ora pro nobis, sancta Dei Genitrix,* etc. *Salvos fac servos tuos,* etc. *Domine, exaudi,* etc. *Dominus vobiscum,* etc. *Ore-*

1 Videtur deesse particula *quod*, vel legendum *rursus quod* (R. T.).

1 Verbum *dicatur* nos addimus ad syntaxem adimplendam (R. T.).

mus: Deus, qui corda fidelium, etc. *Deus virtutum, cuius est totum quod est optimum, insere pectoribus nostris amorem tui nominis, et praesta in nobis religionis augmentum, ut quae sunt bona nutrias, ac pietatis studio, quae sunt nutrita, custodias. Defende quaesumus Domine, B. Mariâ semper Virgine intercedente, istam ab omni adversitate familiam, et toto corde tibi postratam ab hostium propitius tuere clementer insidiis. Per Christum Dominum nostrum. Amen.* Secundo etiam conveniant post completorium, factoque saltem post dimidiam orationis horam signo a praelato, hebdomadarius incipiat antiphonam: *Conceptio tua, Dei Genitrix Virgo, gaudium annunciavit universo mundo, ex te enim ortus est Sol Iustitiae Christus Deus noster, qui solvens maledictionem dedit benedictionem, et confundens mortem donavit nobis vitam sempiternam*, prout in rituali Ordinis notatur. Cum hoc ita decretum sit in aliis capitulis generalibus, nempe Bilbilitano, Hobtensi et Burtinensi; iuxta ipsum ordinanda est constitutio ubi designat tempus orationis immediate post Nonam vel Matutinas.

Disciplina faciendа. XIII. Item, praeter disciplinas a constitutione assignatas, et eas, quae fiunt quartâ et sextâ feriâ per totum quadragesimale tempus, decrevit praedictum generale definitorium quod omnibus feriis sextis per totum adventum, servari religione stabilitum, vespere omnes fratres conveniant in choro vel ecclesiâ, et ibi communem faciant disciplinam; similiterque alias communes disciplinas, quibus in pluribus conventibus nostri Ordinis magno proventu ac aedificatione religiosi se exercent, praedictum generale definitorium laudavit et approbavit.

Ieiunia. XIV. Item statuit quod, praeter ieiunia in nostris constitutionibus statuta, teneantur ieiunare omnes fratres (ut est laudabilis et antiqua consuetudo religionis) in omnibus vigiliis festivitatum B. Mariae Virginis, dominae ac patronae nostrae, et in vigiliâ sancti nostri Petri Nolasci.

Praelati ne absint nec abesse permittant a refectorio. XV. Item decrevit quod commendatores seu praelati conventuum nunquam a refectorio absint, nullumque religiosum, tam ex magistris, quam ex praesentatis, abesse permittant; quod si commendator seu praelatus conventus crebro et saepius a refectorio abfuerit, officio et commendâ privetur.

Vestiarium. XVI. Item decrevit quod patres commendatores provideant religiosis omnia necessaria ad vestitum; et ille, qui habitum integrum in triennio, et calceamenta toties quoties opus et requisitus fuerit, suis subditis non dederit, puniatur in capitulo provinciali ad arbitrium definitorii, et sit inabilis ad ceteras praelaturas.

Poenae delinquentium. Praeterea, pro notitiâ cap. XVI primae distinctionis nostrarum constitutionum et sequentium, ubi de levi culpâ, de gravi, graviori et gravissimâ culpâ agitur, declaravit praedictum generale definitorium notari deberi materiam eiusdem delicti puniendam poenis gravis vel levis culpae, quod debet intelligi (ne videatur inconsequentia vel oppositio[1] constitutionum) iuxta gravitatem vel levitatem materiae, quae in moralibus aggravant vel diminuunt culpam. Et insuper decrevit debere praedictis capitibus addi poenas, quae per varia capita nostrarum constitutionum sunt dispersae, unicuique propria adaptando, et insimul colligendo cum relatione ad proprias et congruas constitutiones, ut facilius in promptu habeantur; ut sta-

1 Male ed. Main. legit *opposito* pro *oppositio* (R. T.).

tutum fuit in capitulo generali Murciensi.

Ad triremes.

XVII. Item decrevit quod religiosus, qui ea delicta commiserit, quibus poena in constitutionibus declarata debetur, si triremium, de sententiâ iuridicâ generalis magistri aut provincialis cum duobus definitoribus vel praelatis ad triremes mittatur tempore pro qualitate criminis debito, non per expulsionem a religione, sed per exspoliationem habitus; transacto vero tempore poenitentiae, redire tenetur ad religionem, et se suis praelatis praesentare, ut de eius conventualitate provideant; et tunc inter reliquos fratres habitu eodem indutus commoretur.

Reditus prohibiti.

XVIII. Praeterea decrevit quod nemo religiosorum possit habere reddítus annuales, seu census, nisi de licentiâ Sedis Apostolicae, iuxta constitutionem sanctissimi domini Urbani VIII; quod si secus fiat, qui habuerit, ipsis statim privetur, et applicentur conventibus seu monasteriis, quibus ex vi constitutionis pertinent.

Receptio novitiorum.

XIX. Item, quia capite XXIII distinctionis primae *de recipiendis ad Ordinem* habetur quod nullus recipiatur in Ordine nisi de consensu maioris vel sanioris partis conventus, decrevit praedictum generale definitorium, quod illa clausula, *vel sanioris partis*, deleatur, semper enim debet recipi, qui recipiendus fuerit de consensu maioris partis.

Super transitu religiosorum.

XX. Item decrevit quod nullus religiosus alienae professionis, cuiuscumque qualitatis aut conditionis extiterit (exceptis nobilibus militaribus), possit ad nostram religionem admitti, super quo taxatur magistro generali potestas: similiter magistro generali et procuratori generali in Romanâ curiâ taxatur potestas suum praebendi consensum super transitu religiosorum ex Discalceatâ ad nostram primitivam seu de Observantiâ familiam. Insuper nullus ad habitum nostrae religionis admittatur, nisi prius de genere, moribus et vitâ, accuratâ et fide dignâ informatione, et aliis quae expresse habentur in nostris constitutionibus praedictis cap. XXIII, commendatori et communitati plenae illius conventus, ubi recipiendus est, clare constet.

Decretum Sixti V servétur.

XXI. Praeterea observari praecipimus decretum ex motu proprio sanctissimi domini Sixti V, quo decrevit, quod nullus ex sacrilego aut incestuoso concubitu usque ad tertium consanguinitatis vel affinitatis gradum natus ad habitum admittatur, neque ad professionem in aliquâ religione; quod si secus fiat, professionem decernit esse nullam, eosque facit inhabiles ad profitendum et ad ascendendum ad quoscumque gradus aut dignitates; reliquosque illegitimos ex alio thoro natos, spurios, vel naturales, etiam aliàs legitimatos, ad religionem admitti non posse aut debere, nisi prius illorum vitâ et moribus diligenter cognitis et circumstantiis universis, fide dignis testimoniis, ita ut eorum receptio videatur profutura universae religionis commodo et utilitati eius; super quo in generali vel provinciali capitulo, maturâ deliberatione habitâ, unanimi consensu definitorium[1] et provincialis vel generalis, ad habitum regularem approbentur. Et nihilominus hi sic recepti ad gradus, honores et dignitates Ordinis perpetuo sint inhabiles nisi a Sede Apostolicâ specialiter dispensetur cum eis.

Vicarii conventuum non possunt admittere novitios.

XXII. Praeterea declaramus vicarios conventuum non esse praelatos cum sufficienti auctoritate et potestate ad admittendum vel tradendum habitum

1 Videtur legendum *definitorum* (R. T.).

novitiis; poterit tamen, si sit praesidens in capite, vacante officio commendatoris, etiamsi per suspensionem ab officio, ceteris ut supra concurrentibus.

Annus probationis.

XXIII. Insuper decrevit praedictum generale definitorium, quod in praedicto capite XXIII *De recipiendis ad Ordinem*, ubi dicitur: «et tempus probationis assignetur ei (novitio scilicet) a praelato», addatur: « iuxta decretum sacrosancti Concilii Tridentini, sess. XXIII, et de iure, quod est integer annus, post quem immediate novitius est admittendus ».

Professio novitiorum.

XXIV. Item decrevit praedictum generale definitorium quod in capite XXV praedictae primae distinctionis, ubi agitur de professione, addantur haec: « Et similiter irrita et nulla sit professio illorum, qui ex sacrilego aut incestuoso concubitu usque ad tertium consanguinitatis vel affinitatis gradum sunt nati, iuxta motumproprium felicis recordationis Sixti PP. V, quem generale capitulum Murciense in Ordine nostro servari decrevit; et pariter sit irrita et nulla professio illorum, qui in aliâ regulari religione fuerint professi, iuxta decretum capituli generalis Toletani a sanctissimo Urbano VIII confirmatum: si vero, tacitâ veritate, vel expressâ falsitate, huiusmodi defectus habentes professionem emiserint, quocumque tempore id cognoscatur, ab Ordine nostro penitus tamquam non professi expellantur ».

Contra defraudantes bona redemptionis.

XXV. Item decrevit praedictum generale definitorium quod, qui bona redemptionis in aliquo defraudasse repertus fuerit, non solum voce activâ et passivâ in perpetuum privatus existat, sicut, inter alias poenas, cap. XXVIII distinctionis primae nostrarum constitutionum statuitur, sed illum sic delinquentem nec provincialis nec generalis magister ad totales voces restituere, et ab eâ poenâ liberare possit, nisi solum universum definitorium generale unanime et conforme, ac nemine discrepante, et nisi restitutis ablatis. Et similiter decrevit quod bona redemptionis nequeant a conventibus pretio comparari, nisi, infra vigintiquatuor horarum spatium, pretium pro emptione in communi deposito praedictae redemptionis reponatur; quod si contrarium per aliquos praelatos fiat, poenis in praedictâ constitutione assignatis subiaceant.

Insuperque declaravit praedictum generale definitorium quod poenae constitutionum in bona religionis defraudantes non tantum sunt excommunicatio et privatio vocis activae et passivae, sed etiam privatio officiorum in totâ religione, et ita sunt in posterum intelligendae et infligendae.

Magistratu vacante quis debeat esse vicarius generalis.

XXVI. Item, quia statutum est a capitulo generali Toletano et a sanctissimo Urbano VIII felicis recordationis confirmatum, quod, si, quando officium generalatus vacaverit et fuerit notificata vacatio conventui Barchinonensi, non sit prior electus, tenentur patres conventuales dicti conventus intra spatium vigintiquatuor horarum priorem de more iuxta constitutiones eligere; decrevit praedictum generale definitorium quod, si secus fecerint, in gubernium religionis et officium vicarii generalis succedat provincialis, aut vicarius provincialis in capite illius provinciae ubi erit celebrandum capitulum generale immediate futurum. Deficiente vero provinciali, aut praedicto vicario provinciali, succedat commendator illius domus, in qua celebrandum est praedictum capitulum. Quod similiter observandum est si prior Barchinonensis, tempore quo magistratus vacaverit, fuerit legitime impeditus gubernio religionis, iuxta decretum capituli generalis Bilbilitani a

capitulis Oscensi, Barbastrensi et Murciensi confirmatum.

Alternativa magistri generalis.

XXVII. Item, cum servari debeat alternativa in officio magistri generalis, taliter quod unâ vice sit ex coronâ Aragoniae et Galliae ac Italiae, alterâ ex coronâ Castellae, inclusis provinciis Vandaliae et Indiarum, ex decreto sanctissimi Clementis VIII felicis recordationis, praedictum generale definitorium decrevit quod, si magister electus obierit ante absolutionem capituli suae electionis, non iudicetur eius alternativa expleta, sed secundum eamdem debeat de novo fieri electio magistri generalis: quae praedicta alternativa debet intelligi ex filiis cuiuslibet provinciae in ipsâ inclusae, qui in eâ professionem emiserunt, non tamen adoptati, huiuscemodi enim nullatenus tali alternativâ possunt gaudere; consequenterque tempus vacationis et officii vicarii generalis minime tenetur expectari de novo, casu quo magistratus, ut dictum est, ante absolutionem capituli suae electionis vacaverit.

De casu renunciationis magistratus.

XXVIII. Item, quia in capite II distinctionis secundae nostrarum constitutionum, ubi agitur de vacatione magistratus, non exprimitur peculiaris vacatio, quae potest fieri per renunciationem, declaravit praedictum generale definitorium posse magistrum generalem libere renunciare magistratum, nullâ aliâ causâ adhibitâ nec desideratâ; quae renunciatio poterit ab ipso, vel per se, vel per procuratorem suum legitimum, fieri; et erit sufficiens si coram provinciali, definitoribus et electoribus generalibus illius provinciae, in qua extiterit, fiat, dummodo secretarius religionis testimonio fidem faciente eam testificetur; quod testimonium commendator domus vel secretarius per nuncium specialem ad priorem Barchinonensem, vel ad quem officium vicarii generalis spectaverit, mittat, qui statim vacationem magistratus omnibus fratribus domus illius, in qua fuerit, in capitulo congregatis, praedicto testimonio fidem faciente, manifestet, et tunc ab omnibus solemniter obedientiam recipiat coram tali nuncio de omnibus his testimonia fide digna recipiente, ut de anno, die et horâ possessionis officii vicarii generalis omnibus iuridice constet; quamprimumque talis vicarius generalis ad omnes provincias litteras suas patentes, tam obedientiae, quam convocationis ad capitulum generale celebrandum, transmittat: et consequenter praedictum generale definitorium declaravit quod in capitibus nostrarum constitutionum, ubi exprimuntur causae vacationis magistratus, ut decessus, etc., addatur et exprimatur haec peculiaris, nempe renunciatio.

Insuper declaravit praedictum generale definitorium (ad omnem ambiguitatem tollendam) quod tempus gubernii vicariatus generalis totius Ordinis non habeat locum, nec habere possit, casu quo expleatur electionis sexennium. Praeterea declaravit quod, etsi iure nostrarum constitutionum omnes vocales capituli generalis convocati iudicentur ad capitulum generale quando expletur sexennium, magister tamen generalis tenetur opportuno tempore illos ad celebrationem dicti capituli convocare.

Electores.

XXIX. Item, cum, praeter electores magistri generalis a constitutione, capite III distinctionis II, determinatos, duo alii in qualibet provinciâ designentur, et canonicâ electione similiter per secreta suffragia eligantur, ex decreto capituli generalis Matritensis a subsequentibus et diuturnâ consuetudine confirmato, ita ut in qualibet provinciâ quinque sint electores suffragium habentes in capitulo generali, provincialis nempe, et quatuor

socii, quorum duo titulo definitorum, alii vero electorum generalium gaudent; decrevit praedictum generale definitorium quod, qui titulo electorum designantur, tantum habeant suffragium in qualificatione vocalium ante electionem, et in electione magistri, ac domus capitularis, non autem in aliis definitoriis, servando in hoc consuetudinem religionis a capitulo generali Murciensi approbatam et confirmatam: et similiter, quia dicti definitores et electores capituli generalis debent esse gradu magisterii vel praesentaturae insigniti, vel saltem per viginti annos a professione antiqui, ut in electione magistri possint habere suffragium, iuxta decretum capituli generalis Barchinonensis a subsequentibus confirmatum et observatum; decrevitque[1] praedictum generale definitorium quod tempus praedictae antiquitatis viginti annorum per authenticum et fide dignum transumptum professionis constare debet.

Procurator Romanae curiae.

XXX. Item, cum quicumque in Romanâ curiâ in officio procuratoris generalis[2] strenue et cum approbatione communi per quinquennium se gesserit, si fuerit magister, vocem habeat in capitulo generali proxime immediate futuro, ex decreto capituli generalis Toletani a sanctissimo Urbano VIII confirmato; decrevit praedictum generale definitorium quod talis procurator generalis non tantum habeat vocem in electionibus capituli generalis, verum etiam in omnibus definitoriis illas subsequentibus usque ad absolutionem capituli, cum praecedentiâ loci ad omnes definitores generales.

Subrogatio definitoris vel electoris generalis.

XXXI. Item praedictum generale definitorium approbavit ac confirmavit statutum capituli generalis Murciensis, quo decernitur quod in electione definitoris vel electoris generalis, loco illius qui morte vel impedimento legitimo capitulo generali assistere nequit, quae a definitoribus provinciae simul cum provinciali fieri debet, vocem habeat magister generalis, si praesens fuerit, minime tamen vicarius generalis Ordinis, qui loco magistri succedit.

Magistratu vacante, nemo possit privari voce activâ et passivâ nisi ex iure sit inhabilis.

XXXII. Item approbavit et confirmavit praedictum generale definitorium statutum capituli generalis Murciensis, quo decernitur quod non possit vicarius generalis aut provincialis a die vacationis magistratus usque ad novam magistri generalis electionem aliquem electorem voce activâ privare; quod etiam extendit hoc praedictum generale definitorium ad vocem passivam: quod si, ratione alicuius delicti, vel ob alias causas, sit inhabilis, et suffragandi actione ex iure communi vel nostrarum constitutionum careat, a capitulo generali ante electionem accuratim scrutetur, ac decidatur.

Vocales et vicarius capituli generalis.

XXXIII. Item, cum omnes vocales capituli generalis, ut moris est, die immediate praecedenti ad diem electionis in conventu designato ad illam conveniant; ibi a praeside Ordinis et capituli benigne suscipiantur, et vicarius capituli nominetur, qui iurisdictionem ordinariam super omnes capitulares et alios fratres ad capitulum concurrentes exercebit: talis autem vicarius est eligendus ex capitularibus illius provinciae, in qua celebratur capitulum generale, vir providus, religiosus, pacificus et virtute praeditus: quam consuetudinem approbavit ac confirmavit capitulum generale Murciense, et hoc praedictum generale definitorium decrevit servari.

Vigilia electionis.

Eâdem autem die, qua praedicti vocales ad electionem in praefato conventu convenerint, vespertinâ sessione congregatâ, et factâ commemoratione pro sanctissimo domino nostro Papa, et

1 Aptius lege *decrevit* (R. T.).

2 Edit. Main. legit *generali* (R. T.).

felici statu Ecclesiae, et pro rege, pro benefactoribus Ordinis et captivis christianis, vivis atque defunctis, prout in capite XVII de capitulo quotidiano in nostris constitutionibus statuitur, praeses electionis brevem et piam orationem habeat, qua patres electores de fine conventionis moneat, simulque ad electionem novi magistri generalis recte, legitime et canonice peragendam hortetur, virtutesque, prudentiam et doctrinam viro eligendo necessarias exponat; qua peractâ, ad examen vocalium procedat et primo praecipiat, idque secundo et tertio moneat, ut si quis aliquem vocalium in definitorio aliquo impedimento legitimo vel censurâ ecclesiasticâ innodatum (ratione cuius in electione non habeat suffragium) assistere sciverit, continuo manifestet. Quod si aliquis reperiatur et sufficienter probetur tale pati impedimentum, a definitorio declaretur, et de capitulo eiiciatur; ita ut in hac sessione omnes vocales examinentur, et ad futuram die sequenti electionem certo numero statuantur.

De electione magistri generalis.

Et die sequenti, primo mane, ad auroram, omnes vocales legitimâ voce ad electionem pridie designati in loco capitulari conveniant, ibique celebretur missa Spiritus Sancti, et concio litteralis latino idiomate ad electores habeatur, exhortando eos ad rectam et bono communi utilem electionem. Quâ finitâ, omnes, flexis genibus, hymnum *Veni creator Spiritus* cantent, et praeses surgens dicat: *Emitte Spiritum tuum*, etc., *Dominus vobiscum*, etc., *Oremus: Deus qui corda fidelium*, etc.; et sic ad electionem procedatur, formâ iuris iuxta nostras constitutiones servatâ. Magister generalis post electionem, usquedum a Sanctâ Sede confirmationem sui officii obtineat, eo fungatur, non tantum sub titulo vicarii generalis, ut in constitutionibus sancitur, sed etiam generalis electi, ex consuetudine religionis ad hoc praedicto generali definitorio approbatâ et confirmatâ.

Electio fit per excessum.

XXXIV. Circâ quod est observandum, ut omnis ambigendi locus relegetur, quod, si numerus suffragiorum sit impar, verbi gratiâ, si vocales sint viginti et novem (qui numerus ex duabus partibus inaequalibus constat, quarum una habet quindecim, alia vero quatuordecim), ille qui habuerit quindecim suffragia, dummodo non sit ex numero eligentium, sit legitime electus, si vero ex numero illorum sit, indiget alio suffragio ultra quindecim, ut suum ipsius suffragium sibi profuisse non aestimetur; si autem in aliquâ schedulâ seu suffragio scrutatores reperiant aliquam subscriptionem vel signum aut chirographum, ratione cuius deveniant in cognitionem eligentis, vel si nihil reperiant scriptum, aut si aliquod suffragium in favorem alicuius inepti reperiant, non propterea aliquod praeiudicium electioni sequatur; sed talis schedula subscripta et signata velut alba, aut[1] in favorem inepti, separetur, et pro suffragio cassato reputetur et habeatur, ac postea cum ceteris comburatur; quae omnia servari debent, tam in praedictâ electione magistri, quam in electione provincialis, ac in omni electione canonice faciendâ.

Potestas magistri generalis.

XXXV. Item praedictum generale definitorium confirmavit, quod capitulum generale Murciense erga officium magistri generalis decrevit, nempe quod magister generalis in toto Ordine generalem habeat potestatem: illam (inquam) quae iure superioribus cuiuslibet religionis est concessa, et in posterum concedenda, ad omnia, ad quae ex no-

1 Particulam *aut* nos addimus (R. T.).

stris constitutionibus non limitatur, curamque praecipuam totius Ordinis et administrationem gerat, unde per se solum eam potestatem in toto Ordine habeat in omnibus et singulis, quam provincialis in suâ provinciâ, et commendator in suâ commendâ; insuper eam, quae ad rationem sui officii ex iure communi, ex privilegio, vel ex nostris constitutionibus ad eum spectat; verumtamen in inferiorum praelatorum ministerio non se immisceat, nisi vel ob eorumdem defectum, vel cum prudentiâ, et quando ratio id postulaverit; semper tamen inferiores illi parere teneantur; et licet capite XXXI *de modificatione poenarum* primae distinctionis nostrarum constitutionum detur facultas magistro generali dispensandi et mitigandi in poenis a constitutionibus taxatis, monetur tamen ne libere et cum facilitate dispenset, nisi transactâ iam maiori parte poenitentiae, praevisisque in poenitentibus manifestis et evidentibus signis doloris et correctionis.

Iuramentum a generali praestandum.

In iuramento, a generali electo, post electionem, iuxta nostras constitutiones, praestando, debet addi, et iurare tenetur, se observaturum capita concordiae initae cum familiâ Discalceatâ circa ministerium redemptionis, prout in eâ continetur.

De capitulis provincialibus.

Poterit magister generalis praesidere in capitulis provincialibus per se ipsum, vel per vicarium suum idoneum et prudentem ad hoc specialiter deputatum; et primam vocem habebit, tam ipse, quam eius vicarius, in omnibus electionibus, ordinationibus et definitoriis usque ad absolutionem capituli.

De litteris convocatoriis.

Tempore electionis poterit magister generalis convocare ad celebrationem capituli provincialis omnes vocales illius provinciae litteris convocatoriis, eas mittendo immediate provinciali illius provinciae, ut eas continuo manifestet et notas faciat in capitulo pleno conventus, ubi praesens extiterit; deinde eas ad omnes alios suis consuetis itinerariis mittat. Si autem magister generalis, aut eius vicarius, fuerit in aliquo conventu illius provinciae, ubi tale capitulum celebrandum sit, prius praedictae litterae convocatoriae notae fiant praedicto conventui in capitulo pleno, et postea eas mittat ut dictum est.

Quod si magister generalis huiusmodi litteras convocatorias opportuno tempore (duobus, inquam, mensibus immediatis ante complementum triennii) non miserit, provincialis, et in eius defectu vicarius provincialis, suis litteris ad celebrationem dicti capituli convocare poterit: eadem facultas vicario magistri in praesidem capituli nominato conceditur. Magister generalis, in concurrentiâ capitulorum provincialium, potest quodlibet eorum per quadraginta dies a complemento triennii quocumque anni tempore anteponere vel postponere, ut[1] uni et alteri interesse possit, ex decreto sanctissimi felicis recordationis Clementis VIII, et novâ declaratione S. C. R. sub die XII decembris de anno MDCXLV; quae facultas etiam conceditur ab hoc generali definitorio, decretum capituli generalis Murciensis confirmando, praedicto magistro generali, quamvis non sit concurrentia capitulorum, sed unicum tantum celebrandum, si aliàs expedire visum fuerit.

De electionibus officiorum.

XXXVI. Ad magistrum pertinebit (iuxta constitutiones nostras de instructione officiorum) in electionibus, si praesens fuerit, electores dirigere, modeste, charitative et religiose eos monendo, hortando et instruendo, imo etiam suaviter suadendo ad eligendam personam digniorem et magis idoneam capituli,

1 Male edit. Main. legit *et* pro *ut* (R. T.).

ipsius virtutes veras et regimini necessarias ostendendo, et, quando abfuerit[1], per litteras ad capitulum et electores missas dirigendo.

De dispensationibus.

XXXVII. Quamvis iure nostrarum constitutionum, capite v distinctionis secundae, magister generalis possit dispensare cum fratribus in nonnullis rebus, aliquas gratias et exemptiones (absque tamen aliorum praeiudicio) religiosis concedere; nihilominus tamen, ut cessent multa inconvenientia, quae experientia magna esse comprobavit, magistro generali imposterum illas concedere, vel cum fratribus dispensare minime licebit: exposuit tamen praedictum generale definitorium quod poterit generalis magister declarare aliquos frui exemptionibus (quas reales appellat praedictum generale definitorium), illis scilicet, quibus ratione officii, gradus, et antiquitatis quadraginta annorum in religione gaudere possunt, tam iuxta constitutiones nostras, quam Sanctae Sedis decreta, necnon et aliorum capitulorum generalium.

Devolutio electionis provincialis in magistrum generalem.

XXXVIII. Item decrevit quod ius eligendi provincialem devolvatur in magistrum generalem, casu quo electores in capitulo congregati infra tres dies a primo electionis inclusive de personâ eligendâ non convenerint, vel electio non fuerit facta iuxta sacros canones, constitutiones et decreta Ordinis, iureque cassanda venerit: tunc namque magister eliget provincialem. In ceteris vero electionibus, forma nostrarum constitutionum observari debet.

XXXIX. Item decrevit quod, qui fuerunt magistri generales, habeant immediationem magistro successori, et locum immediatum praelatis, et in omnibus congregationibus, tam generalibus, quam provincialibus, cuiuscumque provinciae, in qua tempore convocationis interfuerint, vocem et votum electivum et decisivum habeant, sicut quilibet ex definitoribus et electoribus dictae congregationis, similiterque locum immediatum praesidi.

Vicarii generales Indiarum.

XL. Item confirmavit et approbavit praedictum generale definitorium, quod capitulum generale Toletanum statuit erga vicarios generales Indiarum, nempe quod praedicti vicarii generales Indiarum iustis de causis possunt a magistro Ordinis ab officio amoveri, eorumque regimen debet esse iuxta nostrarum constitutionum tenorem, qui nequeunt nominare commissarios generales in eorum absentiâ, praecipue in illis provinciis, in quibus saltem ad unum conventum pervenerint; sed liberum relinquant regimen patribus provincialibus, nisi ob casum et gravem causam ad visitationes[1] moventem, quam per propriam personam facere nequeant. Quod si secus fiant praedictae nominationes, nullius valoris aut roboris esse declaramus. Et quamvis tales vicarii generales possint confirmare et annullare capitula provincialia et provincialium electiones, minime tamen poterunt eas annullare, similiterque nec suspendere, vel privare provinciales valebunt, nisi prius legitimâ causâ iuridice actâ et conclusâ. Et in casu quo poena suspensionis debeat imponi, prius duos praelatos seu definitores consulere tenentur, ad privationem vero quatuor. Hac formâ sententia producta a vicario generali et quatuor definitoribus habeat effectum exequutivum, qualibet appellatione interpositâ; et cum eisdem definitoribus, quorum consensu provincialem privaverit vel suspenderit, vicarium eligat provincialem, ne provincia maneat orbata gubernio.

1 Male item legit *obfuerit* pro *abfuerit* (R. T.).

1 Potius lege *visitationem* (R. T.).

Vicarii generales Indiarum non possunt nominare vicarium provincialem;

XLI. Praeterea praedictum generale definitorium approbavit et confirmavit, quod capitulum generale Murciense decrevit erga praedictos vicarios generales Indiarum, nempe quod, deficiente provinciali absque nominatione vicarii provincialis, non poterunt huiusmodi vicarii generales Indiarum nominare vicarium provincialem, sed succedere debet in officio commendator domus, ubi celebrandum est provinciale capitulum immediate futurum, et suo ordine definitores. Tamen praedicti vicarii generales Indiarum ratione sui officii habent ius convocandi ad celebrationem capituli provincialis, in eoque praesidendi. Habent similiter suffragium in omnibus electionibus et definitoriis intra capitulum.

Sed convocandi capitulum provinciale in eoque praesidendi.

Doctrinarii.

XLII. Insuper praedictum generale definitorium approbavit et confirmavit decreta capituli generalis Toletani, quo decernitur quod praedicti vicarii generales Indiarum non possunt vocare religiosos doctrinarios ad visitationem extra suam doctrinam, nec ipsi ita vocati tenentur adire, sed in eisdem doctrinis debent vicarii generales vel eorum visitatores ab ipsis rationem petere. Nec extra praedictam visitationem possunt doctrinarios privare, sed hoc fiat praecedente causâ legitimâ, qua iuxta nostras constitutiones privantur commendatores suis commendis. Et nunquam doctrinarii a suâ doctrinâ decedant[1] usque dum successor advenerit.

De procuratore generali in curiâ Romanâ.

XLIII. Praeterea, cum ex nostris constitutionibus, capite XIII distinctionis secundae, electio procuratoris generalis Ordinis in curiâ Romanâ pertineat ad magistrum generalem et generale capitulum, hoc praedictum generale definitorium confirmavit, quod generale capitulum Murciense decrevit, nempe quod, si post factam nominationem praedictam tale officium procuratoris generalis Ordinis in curiâ Romanâ vacaverit per mortem, renunciationem, privationem, vel per aliam legitimam causam, ius nominandi de novo penes praedictum magistrum generalem maneat.

1 Forsan *recedant* legendum (R. T.).

Praecedentia procuratoris generalis.

XLIV. Insuper confirmat praedictum generale definitorium, quod capitulum generale Murciense decrevit, videlicet quod talis procurator generalis, qui ad magisterium ascenderit ex praesentaturâ iuxta decretum capituli generalis Toletani confirmatum a sanctissimo domino Urbano VIII, optionem[1] habeat loci inter magistros suae provinciae cum praecedentiâ ad omnes qui in eâ ad talem gradum fuerint promoti post ipsum, si aliàs habet conditiones et requisita iuxta constitutiones et decreta apostolica ad magisterium de iustitiâ obtinendum: quod si praedictis qualitatibus fuerit destitutus, locum habeat immediatum omnibus magistris de numero. Denique si fuerit magister, et iuxta superius dicta suffragatus fuerit in capitulo generali, gratiis et exemptionibus eorum, qui fuerunt provinciales, gaudebit, absque optione tamen praecedentiae ad eos qui postea fuerint provinciales.

Procurator generalis in curiâ regiâ.

XLV. Praeterea praedictum generale definitorium statuit quod, eâdem formâ ac praedictus, procurator generalis in curiâ regiâ ad negotia quae in ipsâ sese obtulerit peragenda; approbans in hoc et confirmans antiquam religionis consuetudinem.

Triennium officii provincialis.

XLVI. Insuper approbavit et confirmavit, quod statutum fuit in capitulo generali Murciensi, nempe quod triennium officii provincialis computari debet secundum annos ecclesiasticos, non iuxta solares, ita ut regulariter celebre-

1 Absurde ed. Main. legit *opinionem* (R. T.).

tur capitulum et electio novi provincialis sabbato ante dominicam, in qua per triennium ante fuerat celebratum capitulum. Et similiter confirmavit decretum capituli generalis Murciensis, quo statuitur, quod, si per duos menses ante complementum triennii non fuerint litterae convocatoriae magistri generalis notificatae provinciali provinciae, in qua celebrandum est capitulum, poterit provincialis litteras suas convocatorias expedire, secus tamen si a magistro fuerint expeditae. Quod si nullae fuerint notoriae factae vocalibus, sciant se esse convocatos ad celebrationem capituli die, quo, iuxta dicta supra, expletur triennium.

Vocales capituli provincialis.

In capitulo autem provinciali primam vocem habeat magister generalis, vel ille, qui eius loco praesidet. Praeter assignatos a constitutione, etiam habent vocem in capitulo definitores provinciae, dummodo sint per triginta annos a professione antiqui, et procuratores generales cuiuslibet provinciae, iuxta decreta plurimorum capitulorum generalium, quae a capitulo generali Murciensi et ab hoc approbata et firmata sunt.

Vicarius capituli provincialis.

XLVII. Praeterea approbavit et confirmavit praedictum generale definitorium declarationem capituli generalis Murciensis erga caput VI secundae distinctionis nostrarum constitutionum, ubi agitur de nominatione vicarii capituli provincialis. Decernit igitur quod ubi dicitur: *provincialis nominet in vicarium capituli*, ponatur *praeses capituli*; sub hoc enim titulo declaratur ius praesidentis capituli, modo magister generalis sit, eiusque vicarius, aut provincialis, seu quicumque praefuerit dicto capitulo: idemque servandum est in aliis capitibus, et ubicumque agitur de provinciali tamquam praeside, ut omnino tollatur aequivocatio.

Electio capituli provincialis.

XLVIII. Insuper decrevit praedictum generale definitorium, approbans et confirmans statuta capituli generalis Murciensis, quod ad electionem capituli provincialis omnes vocales conveniant in domo assignatâ celebrationi capituli vigiliâ dominicae *Cantate*, vel alterius dominicae a convocatione capituli designatae (semper enim electiones in sabbato fieri debent), nullusque locum capitularem ingrediatur usquedum ad sonitum campanae omnes vocentur. Et eodem die, ut consuetudinis est in religione nostrâ, vespertinâ sessione omnes congregentur, et a praeside capituli, aliquâ brevi et eleganti oratione, finis, ad quem convenerint, proponatur, simulque eos ad electionem novi provincialis exhortetur. Deinde referat omnes fratres per triennium defunctos in illâ provinciâ; et statim surgat, et dicatur *De profundis*, etc., ut habetur in constitutionibus; deinde ad qualificationem seu examen eorum, qui in tali electione vocem et suffragium habent, procedatur, fiatque legitima et canonica regulatio omnium iuxta formam constitutionum. Die sequenti ad auroram omnes vocales simul ingrediantur capitulum, et servetur forma electionis, prout in constitutionibus. Et electores capituli provincialis teneantur intra triduum convenire in personâ eligendâ, et legitime ac canonice eligere provincialem, aliàs devolvitur ius ad magistrum generalem. In aliis vero electionibus omnes praestent suffragia iuxta formam nostrarum constitutionum. Et, si persona electa in provincialem fuerit absens a provinciâ, poterit magister generalis de consilio definitorum nominare vicarium provincialem ad regimen provinciae cum omnimodâ facultate a nostris constitutionibus vicariis provincialibus concessâ, quem provincialis

electus revocare non poterit, nec de novo alterum nominare, usquedum suam provinciam ingrediatur. Post electionem vero provincialis, et iuramentum ab ipso praestitum, omnes e capitulo processionaliter egrediantur, et ad ecclesiam procedant, cantando hymnum *Te Deum*, etc., ubi prostratus provincialis electus accipiat benedictionem a praeside, ut ex antiquâ religionis consuetudine fit, iuxta formam in capite IV distinctionis secundae nostrarum constitutionum de electione magistri contentam: magister autem generalis tenetur confirmare electionem provincialis canonice et iuxta formam nostrarum constitutionum factam: quod si renuerit illam confirmare, causas et defectus canonicos erga electionem vel personam electam manifestare debet. Provincia autem Galliae et Italiae infra tempus quatuor mensium tenentur praesentare coram magistro generali electionem sui provincialis: quod si infra dictum tempus eam non praesentaverint, electio sit irrita et nulla.

Provincialis non potest privare commendatores commendâ.

XLIX. Insuper decrevit praedictum generale definitorium, approbans et confirmans quod statutum fuit in praedicto capitulo generali Murciensi, nempe quod provincialis per tempus duorum mensium ante celebrationem capituli provincialis non potest privare commendatores suâ commendâ, licet possit eos ab officio suspendere usque ad celebrationem capituli, in quo votum et suffragium habebunt. Et quamvis provincialis iure constitutionum in aliquibus casibus possit nominare vicarium provincialem, in hoc tamen iure et facultate non succedit vicarius provincialis, etiamsi sit in capite; sed casu, quo morte vel alio titulo defecerit, in officio vicarii provincialis succedent qui iure nostrarum constitutionum sunt vocati provincialatu vacante, absque substitutione vicarii provincialis, usquedum magister generalis, si fieri potest, erga hoc provideat: et si provincialem mori contingat absque eo quod nominet vicarium provincialem in sui officii successorem, tunc temporis sit in liberâ potestate magistri generalis confirmare in vicarium provincialem talis provinciae commendatorem domus futuri capituli provincialis, vel, si maluerit, alium ex patribus ad dictum officium ab ipsis constitutionibus vocatis, vel quemvis alium ex totâ ipsâ provinciâ pro suo arbitrio, prout melius iudicaverit. Et in hoc sensu sunt legitime intelligenda verba constitutionis, capite VII distinctionis secundae, ubi sic: « Vel in eo casu magister provideat in illâ provinciâ quisquis[1] debeat esse vicarius provincialis »; huiuscemodi autem declaravit praedicta verba capitulum generale Bilbilitanum: in hac autem facultate nominandi vicarium provincialem minime succedit vicarius generalis totius religionis, cum illi non liceat electores mutare, aut novos eligere ad capitulum generale. Quod si tempore sui gubernii provincialem mori contingat absque nominatione vicarii provincialis, sit eius successor commendator domus ubi celebrandum est capitulum provinciale immediate futurum, et suo ordine definitores, iuxta nostras constitutiones.

Vicarius provincialis.

De casu quo provincialis renunciat.

L. Praeterea decrevit praedictum generale definitorium, similiter confirmans statuta praedicti capituli generalis Murciensis, quod, si provincialatus vacaverit per renunciationem, non poterit provincialis renuncians successorem vicarium provincialem nominare, sed succedant in tali officio a constitutione nominati, eo ordine quo decreto antecedenti est exposita et declarata constitutio. Si autem provincialis fuerit im-

Provincialis impeditus.

1 Forsan legendum *quis* pro *quisquis* (R. T.).

peditus bello, peste vel alio titulo, taliter quod per se neque maiorem partem provinciae gubernet, neque pro illâ vicarium provincialem instituerit, qui eius loco moderamini provinciae invigilet, poterit magister vicarium provincialem nominare cum omnimodâ facultate, iuxta nostras constitutiones, usquedum provincialis gubernio sit expeditus, vel vicarium suum instituat. Et quamvis provincialis infirmitate, absentiâ, vel alio titulo impeditus vicarium provincialem iuxta facultatem nostrarum constitutionum instituerit, non intelligatur talem vicarium morte succedere in officio, nisi id specialiter in litteris patentibus declaretur; sed tunc temporis succedant nominati a constitutionibus, veluti si nullum vicarium et successorem nominasset.

Subrogatio provincialis impediti ad capitulum generale.

LI. Insuper decrevit praedictum generale definitorium quod, provinciali vel vicario provinciali in capite omnino impedito, tempore quoad capituli generalis celebrationem instante, eius loco vocem habebit in electione magistri generalis (ne sua provincia hoc suffragio orbetur) qui iure nostrarum constitutionum ad officium vicarii provincialis est vocatus, nempe commendator domus, ubi celebrandum est capitulum provinciale proxime futurum, vel definitores provinciae, servato ordine antiquitatis.

Quatuor socii provincialis.

LII. Praeterea, cum, ex antiquâ Ordinis consuetudine a pluribus capitulis generalibus approbatâ et stabilitâ, fiat electio quatuor sociorum provincialis ad suffragandum in capitulo generali, duorum nempe definitorum generalium, et duorum electorum, praedictum generale definitorium decrevit confirmare decretum capituli generalis Murciensis, quod in capite VIII distinctionis secundae nostrarum constitutionum, ubi dicitur: *fiat electio duorum sociorum ipsius provincialis*, dicatur *quatuor sociorum*, quae electio fieri non poterit ex eis qui fuerint electi ad tale munus in capitulo provinciali proxime antecedenti, nempe sub eodem tilulo: quapropter, qui fuerunt definitores, poterunt eligi in electores, et e contra.

Subrogatio definitoris vel electoris generalis.

LIII. Praeterea praedictum generale definitorium, confirmans similiter statuta praefati capituli generalis Murciensis, decrevit quod, si quis definitor aut elector generalis infirmari contigerit, aut si aliquâ causâ impeditus instante tempore celebrationis capituli generalis, poterit provincialis, simul cum definitoribus provinciae, alterum illius loco eligere et substituere, etiamsi legitime impeditus titulum suum renunciare noluerit, absque praeiudicio tamen iuris eius, si forte impedimentum cessaverit et capitulo interfuerit; tunc enim iure suo gaudebit, ac electioni suffragabitur, etiamsi alter eius loco electus fuerit; et, si definitor provinciae ab illâ abfuerit, et definitorium pro emergentibus casibus sit congregandum, poterit provincialis simul cum aliis definitoribus loco absentis alium eligere, qui vocem in definitoriis habeat.

Definitorium capituli provincialis.

LIV. Insuper praedictum generale definitorium, simul confirmans statuta capituli generalis Murciensis, decrevit quod in definitorio capituli provincialis, faciendo post electionem provincialis, conveniant praesidens capituli, provincialis electus, et provincialis vel vicarius provincialis absolutus, et quatuor definitores provinciae, qui omnes suffragium decisivum habent, tam in electionibus commendatorum, quam in decretis quae pro bono regimine et provinciae reformatione statuuntur; et provincialis absolutus vel vicarius provincialis habebit locum immediatum a dextris praesidentis in omnibus congre-

gationibus, usque ad absolutionem capituli. Provincialis absolutus, vel eius vicarius, seu visitator, manifestare debet definitorio, quae ex suis visitationibus reformatione digna repererit et notaverit, ut praeerventur vel corrigantur, prout convenientius visum fuerit, causasque omnes, informationes et processus in suo triennio formatos teneantur successori tradere, minimeque comburantur, nisi eorum fratrum qui e vitâ iam decesserint: quapropter in capite IV distinctionis secundae nostrarum constitutionum consequenter delenda sunt verba illa, nempe: *provincialis de consilio definitorum,* etc., et ponenda sunt haec: *praesidens capituli de consilio provincialis electi et absoluti, ac definitorum,* etc.: et similiter in capite X eiusdem distinctionis secundae delenda sunt verba illa: *postea solus provincialis,* etc., et ponenda haec: *postea solus praesidens capituli cum provinciali electo, provinciali absoluto et definitoribus,* etc.

Provincialis absolutus.

Praerogativa praesidis definitorii.

LV. Insuper decrevit praedictum generale definitorium, quod, si in his, quae a definitorio provinciali decernuntur, suffragia sint divisa in partes aequales, praevalebit pars cum qua concordaverit praeses: quod etiam est observandum, quoties in decursu triennii ad aliquid decernendum definitores convenerint. In electionibus vero ius nostrarum constitutionum, ut rite et canonice fiant, servari debet. Si tamen definitores congregati infra tres dies (a primâ electionis inclusive) de personâ eligendâ non convenerit, devolvitur in magistrum generalem ius eligendi, sicut in electione provincialis.

Praeses capituli provincialis.

LVI. Insuper decrevit praedictum generale definitorium quod in capite II distinctionis secundae nostrarum constitutionum, ubi dicitur: « quartâ die conveniant omnes in capitulo », addantur sequentia: « ibique a praeside capituli fiat oratio brevis spiritualis et devota, qua praelatos electos in munere sui officii exequendo instruat, dirigat et moneat; deinde a secretario capituli coram omnibus legantur decreta et statuta a definitorio pro maiori reformatione eiusdem provinciae; ulterius etiam legatur edictum S. Inquisitionis, ut est laudata et antiqua consuetudo nostrae religionis »: quibus praepositis, debet continuari praedictum caput, prout in dictis nostris constitutionibus continetur.

Alternativa in provinciâ Aragoniae et Cataloniae servanda.

LVII. Praeterea, cum in provinciâ Aragoniae circa electionem provincialis servetur alternativa, ita et taliter quod unâ vice provincialis sit ex Catalonia vel Sardinia, et aliâ vice regni Aragoniae et Navarrae, dummodo reperiatur persona habilis et requisita habens ad officium provincialis exercendum, et praedicta alternativa debeat pensari non penes originem et filiationem naturalem, sed iuxta professionem in religione, taliter quod, qui professionem emiserit in conventibus Aragoniae vel Navarrae, poterit esse provincialis in eius alternativâ, etiamsi natione sit Catalanus, et e contra, ut quaelibet occasio praeiudicii cuicumque parti penitus evellatur, praedictum generale definitorium decrevit ac declaravit quod nemini faveat adoptio in conventibus alicuius partis ut illius alternativâ gaudere possit, sed semper debet pensari penes filiationem ex reali professione emissâ.

De redemptoribus provinciarum Aragoniae et Valentiae.

LVIII. Insuper praedictum generale capitulum decrevit quod patres redemptores provinciarum Aragoniae et Valentiae, dum ad redimendos captivos proficiscuntur, simul eant, neque aliqua inter eos sit superioritas, sed unusquisque suum librum deferat, ubi adnotabit omnia ad redemptionis munus

pertinentia, sicut redemptores Castellae et Vandaliae faciunt.

Carceres in qualibet provinciâ.

LIX. Praeterea approbavit et confirmavit, quod statutum est in capitulo generali Murciensi, nempe quod in qualibet provinciâ, expensis ipsius, carceres designentur, in quibus religiosi pro qualitate criminum detineantur et purgentur, et, iuxta decretum sanctissimi Urbani VIII, eorum incorrigibilitas tentetur: pro expensis vero tam ad formationem carcerum, quam ad sustentationem delinquentium, conventus provinciae iuxta dispositionem provincialis contribuant, et in qualibet provinciâ depositum instituatur, in quo processus et causae religiosorum serventur[1], simulque formetur liber, in quo notentur causae, seu processus, ita ut registrati maneant; quae omnia provinciales successoribus suis fideliter conferre tenentur.

Consiliarii conventuum.

LX. Praeterea praedictum generale definitorium approbavit et confirmavit declarationem factam a capitulo generali Murciensi erga consiliarios conventuum, de quo agitur capite XIII secundae distinctionis nostrarum constitutionum, videlicet: quod in quolibet conventu Ordinis omnes patres graduati debent esse consiliarii, et ut tales teneri, et ubi non fuerint tres graduati, vicarius conventus, praedicator conventualis, et magister novitiorum sunt in consilium vocandi; semper tamen supponendum est quod, si aliquis graduatus ibi degerit, vocandus sit: et iuxta hunc tenorem praedictum caput ordinari debet.

Designatio commendatorum.

LXI. Praeterea approbavit et confirmavit praedictum generale definitorium, quod statutum est a capitulo generali Murciensi erga dispositionem capitis XV secundae distinctionis nostrarum constitutionum, consequenter ad alia statuta supra posita, nempe quod praedictum caput tenore huiuscemodi incipiat: «Commendatores domorum Ordinis nostri a praesidenti capituli, ac provinciali electo, et provinciali absoluto, simulque cum quatuor definitoribus provinciae, designentur et provideantur».

Commendatores intra triennium praestare tenentur vestiarium omnibus conventualibus.

LXII. Insuper approbavit et confirmavit decretum capituli generalis Murciensis, quo statuitur quod commendatores intra triennium religiosis omnibus conventualibus vestiarium praestare tenentur sub poenâ privationis vocis activae et passivae in capitulo proxime futuro, etiamsi aliàs magistri vel praesentati extiterint. Commendatores autem observare tenentur motumproprium sanctissimi Urbani VIII circa bona Ecclesiae non alienanda, et iuxta hoc debet disponi tenor clausulae praedictae alienationis, firmo ac servato supradicto capite XV.

Prior domus Barchinonensis non eligatur nisi sit magister vel praesentatus.

LXIII. Praeterea, cum ex decreto sanctissimi domini Clementis VIII, nullus in priorem domus Barchinonensis possit eligi, nisi fuerit magisterii vel ad minus praesentaturae gradu insignitus, et electio aliter facta irrita sit et nullius valoris, capitulum generale Murciense de anno MDCXXXVI declaravit ac decrevit debere esse talem praesentaturam de lecturâ et de numero provinciae: quod statutum hoc praedictum generale definitorium approbavit et confirmavit.

Si praesentatus, habeatur ut magister post vicariatum adeptum.

LXIV. Praeterea, cum in capitulo generali Toletano decretum sit quod prior Barchinonensis (qui, ex iure nostrarum constitutionum, vacante generalatu ante expletum sexennium, in officio vicarii generalis cum plenâ iurisdictione succedit), si, quando dictum vicariatum adierit, sit solum praesentatus, ipso facto magister, ob officii gravitatem et regimen totius religionis, habeatur, nominetur et sit (quod decretum confirmatum fuit a sanctissimo domino Urbano VIII); nunc praedictum generale definitorium

1 Edit. Main. legit *servetur* (R. T.).

declarat quod ut talis magister teneatur, et inter magistros suae provinciae locum habeat, si per undecim annos in lecturâ artium et sacrae theologiae cum approbatione definitorii dictae provinciae se exercuerit: locus autem antiquitatis computari debet à die qua vicariatu generali functus fuit: decernitque praedictum generale definitorium quod, si magister de numero suae provinciae fuerit cum fungi aggreditur dicto vicariatu generali, exemptionibus provincialis (sicut si praedicto munere functus fuisset) gaudeat, cum praecedentiâ ad ceteros magistros suae provinciae, et loco immediato omnibus qui fuerunt provinciales et erunt.

De munere visitatoris.

LXV. Praeterea decrevit praedictum generale definitorium quod visitator diligenter in visitationibus suis curet de bonis et eleemosynis pro redemptione captivorum, provideatque ut in omnibus conventibus procuratores sive commissarii redemptionis pro ipsis eleemosynis colligendis sint destinati religiosi zelo et charitate ferventes, et eos, quos negligentes in tali munere repererit, suis officiis privet, et poenis pro suo arbitrio puniât, aliosque loco ipsorum substituat. Similiter diligenti curâ provideat de aliis officiis, de vicario, procuratore, magistro novitiorum, depositariis et sacrista. Insuper visitatores in suis visitationibus summopere inquirant si commendatores a suis subditis munera aliqua accipiant. Quod si (proh! dolor) eorum aliquos munerum amatores invenerint, eos propriis commendis privent. Eamdemque similiter faciat inquisitionem magister generalis per totum Ordinem, tam circa ipsos commendatores, quam circa provinciales. Quod si donorum receptores invenerit (praecipue ab illis, quibus officium vel commendam contulerint), hos omnes et singulos, tam commendatores quam provinciales, propriis officiis privet, ipsos etiam publicis poenitentiis et castigationibus, omni et summo cum rigore, adstringendo, ut illis in correctionem, reliquis vero fratribus sit in exemplum.

Poenae contra munerum receptores a subditis.

Nemo potest recusare in suis causis praelatos legitimos.

LXVI. Insuper decrevit praedictum generale definitorium (sub poenâ privationis vocis activae et passivae per decennium et reclusionis per biennium, ac gravioris culpae) quod nullus ex nostris religiosis possit recusare in suis causis praelatos legitimos et ordinarios, nec recusatio sit valida, si illam faciat, donec per duos ex patribus commendatoribus propinquioribus, vel per duos patres definitores, videantur, infra terminos et tempus a sacris canonibus et conciliis praefixum et statutum, causae recusationis, an fuerint sufficientes: interim autem, donec infra terminos et tempus a sacris canonibus et conciliis praefixum et statutum causae recusationis discutiuntur, praelati recusati suspendere debent excusationem[1] causarum; ac similiter statuit, sub poenâ privationis vocis activae et passivae in perpetuum, et inhabilitatis perpetuae ad obtinendum quodlibet officium, ne litterae deprecatoriae impetrentur a religiosis, per se vel interpositam personam, directe vel indirecte, ob obtinendum aliquod officium vel munus nostri Ordinis, neque ad id favoribus personalibus utantur.

Desertores Ordinis ne iterum admittantur.

LXVII. Praeterea approbavit et confirmavit praedictum generale definitorium decretum capituli generalis Murciensis, nempe quod, qui semel professionem emiserunt, et ad seculum qualibet ex causâ regressi sunt, ulterius non possint admitti de novo ad religionem, nisi de licentiâ magistri generalis, vel nisi

1 Videtur legendum *exequutionem* pro *excusationem* (R. T.).

in articulo mortis humiliter habitum et professionem petierint, non tamen ut inter nos iterum commorentur.

Sacerdotes iter agentes ubique sacrum faciant.

LXVIII. Insuper statutum fuit quod religiosi sacerdotes iter agentes, ubicumque occasionem sacrum celebrandi repererint, non praetermittant. Nullique religioso causâ infirmitatis detur licentia de monasterio exeundi ad domos seculares; super quo conscientiae praelatorum onerantur, ut decrevit generale capitulum Murciense.

Nullus religiosus ingrediatur aulam regiam nisi, etc.

LXIX. Praeterea approbavit ac confirmavit praedictum generale definitorium, quod decretum fuit a praedicto capitulo generali Murciensi, nempe quod nullus religiosus audeat ingredi curiam regiam nisi immediate post duodecim horas commendatori conventus Matritensis se praesentaverit; quod si aliquis contrarium fecerit, a commendatore incarceretur, donec a provinciali veniam recipiat.

Negotia non eâdem die resolvantur qua praeposita sunt.

LXX. Praeterea approbavit et confirmavit praedictum generale definitorium decretum capituli generalis Toletani a capitulo generali Murciensi similiter approbatum et confirmatum, videlicet ut nullum negotium ad bona temporalia conventuum pertinens, quod patribus in capitulo proponi necessum sit, eodem die, quo proponitur, resolvatur; sed in diem sequentem eius resolutio differatur. Praecipiturque patribus commendatoribus in virtute sanctae obedientiae, et sub poenâ privationis officiorum, ne in contrarium huius decreti quidquam agant; idque observetur quotiescumque, re gravi, cuiuscumque materiae illa sit, propositâ conventui, aliquis ex fratribus affirmet se ad illius resolutionem consultatione et studio indigere; et sub eisdem poenis praecipitur commendatoribus ne supplicas et petitiones, quae pro negotiis conventuum mittuntur ad superiores subscriptis nominibus religiosorum, subscribere compellant, quin prius in capitulo pleno legantur, ibique publice ab omnibus subscribantur; et, sub poenâ gravioris culpae per duos menses, praecipitur religiosis ne aliter praedictas petitiones subscribere audeant vel praesumant, ut decretum fuit in praedicto capitulo generali Murciensi.

Requisita ad magisterium vel praesentaturam.

LXXI. Cum, ex decreto sanctissimi domini Clementis VIII, nemo ad praesentaturam exponi possit, qui non legerit (ultra tres annos logicae et philosophiae) duos alios theologiam scholasticam, assistendo conferentiis, et aliis actibus pro magistris designandis; similiter nullus ad magisterium assumi, qui non legerit quotidie unam lectionem theologiae scholasticae per spatium sex annorum supra illos quinque ad praesentaturam requisitos, et qui de sero semper adfuerit conferentiis, aut praesidendo, aut replicando, et unoquoque anno praesederit alicui actui publico, seu publicis disputationibus: praedictum generale definitorium decrevit et declarat quod, si lectores in cathedrâ alicuius universitatis (de licentiâ tamen superiorum) fuerint occupati sive in lectione continuâ artium sive sacrae theologiae per spatium quinque vel undecim annorum, ad praesentaturam vel magisterium assumi possunt.

Requisita ad lecturam artium vel theologiae.

LXXII. Praeterea, cum iuxta decretum capituli generalis Toletani a sanctissimo Urbano VIII confirmatum, nullus ad lecturam artium vel sacrae theologiae promoveatur, nisi factâ oppositione, in qua per unam horam de materiâ sortitâ per vigintiquatuor horas antecedentes publice legat, et per spatium alterius horae argumentis oppositorum satisfaciat, quo examine acto, tamquam sufficiens approbetur; praedictum generale definitorium declaravit quod, si,

praedictâ approbatione omissâ in lecturâ aliquâ se exercuerit, nullius sit valoris ad praedictos gradus obtinendos, obtentioque eorum nulla et irrita sit. Praedictum autem examen decrevit capitulum generale Murciense quod fieri debet in materiâ lecturae, ad quam promovetur, nec sufficit approbatio ad lecturam artium, ut pro theologiâ approbatus quis iudicetur, nec e contra, et anni praedicti lecturae ad gradus obtinendos debent esse completi, taliter quod pro uno anno non possunt admitti duo cursus, sed singuli singulis annis respondere debent, aliàs irritos et nullos esse: quae omnia praedictum generale definitorium approbavit et confirmavit.

Nemo praesentetur nisi baccalaureus.

LXXIII. Praeterea decrevit praedictum generale definitorium quod nullus ad gradum praesentaturae exponatur nisi prius ad baccalaureatus gradum in aliquâ visitatione sit admissus, vel a magistro Ordinis, aut a provinciali suae provinciae sit promotus: praedicta autem requisita ad gradus praesentaturae et magisterii de numero designata minime possunt suppleri per alia merita, exercitia, vel obsequia religioni exhibita, cuiusvis qualitatis extiterint: quod si imposterum aliqui tales gradus absque praedictis requisitis et conditionibus receperint, ex nunc tamquam irriti et nullius valoris esse declaravit capitulum generale Murciense, in memoriam revocans et observari praecipiens Bullam sanctissimi domini Pauli V ad hunc effectum specialiter expeditam, salvâ semper auctoritate apostolicâ in praedictis dispensandi.

De probationibus annorum lecturae.

LXXIV. Cum, ex decreto capituli generalis Toletani a sanctissimo domino Urbano VIII confirmato, probationes seu informationes annorum lecturae fieri debeant immediate ab ipsis provincialibus vel suis visitatoribus specialiter in scrutinio secreto visitationum, et publice per testimonia sanioris partis conventus, ita ut ad hunc effectum commissionem nulli possit tribuere nisi tempus celebrationis capituli instet, et ad tales conventus provincialis non possit venire; praedictum generale definitorium decernit et declarat quod probationes et informationes lecturarum supradicto modo factae praesentari tenentur in capitulo provinciali coram definitorio, et ibidem examinari et approbari quae approbatione dignae repertae fuerint. In quo examine habeant ius se opponendi lectores quilibet, qui rationes aliquas in contrarium proponendas habuerint. Praeterea huiusmodi approbationes, hoc rigoroso examine a definitorio factae, non iudicantur sufficientes ad confirmationem sive praesentaturae sive magisterii; sed ulterius requiritur ut a definitorio intra capitulum, penes quod est ius et facultas (cum aliàs commode fieri non possit), ad tales gradus exponatur. Et, cum nullus exponi possit nisi in vacante determinatâ, ex decreto sanctissimi domini Pauli V, nec confirmari nisi prius sit expositus; poterit definitorium provinciale (ne gradus suspensi per longum tempus maneant, ex quo plura praevidentur bono regimini imminentia damna) magistro generali facultatem concedere ut exponat unum ex approbatis, quem maluerit, quocumque tempore vacatio gradus accidat. Insuperque dictus magister generalis extra capitulum generale, loco et vice talis capituli, potest confirmare in gradibus praesentaturae et magisterii, quotiescumque aliquem vacare contigerit, quemlibet ex admissis rite, et ut fas est, a definitorio provinciali, iuxta decretum sanctissimi domini Pauli V; et hac eâdem auctoritate

gaudet prior Barchinonensis, et quilibet alius, dum officio vicarii generalis totius religionis fungitur, iuxta decreta nostrarum constitutionum.

Quinam admittendi ad magisterium.

LXXV. Praeterea decrevit et declaravit praedictum generale definitorium quod in cap. XXV distinctionis secundae nostrarum constitutionum, ubi dicitur quod *solum sunt admittendi ad magisterium qui fuerint in conclusionibus publicis in capitulo generali vel provinciali approbati*, addendum est, *aut saltem in aliquo nostri Ordinis collegio sive conventu studiorum.*

Magister promotus.

LXXVI. Insuper praedictum generale definitorium statuit ac ordinavit quod magister generalis in confirmatione gradus magisterii designet aliquem magistrum confirmatum in promotorem ad talem gradum formâ nostrarum constitutionum conferendum, a quo promovendus solemniter gradum recipiat intra duos menses post confirmationem: aliter autem maneat ipso facto tali gradu privatus.

De praecedentiis tum extra tum intra capitulum.

LXXVII. Praeterea hoc praedictum generale definitorium decrevit, iuxta decretum capituli generalis Toletani a sanctissimo domino Urbano VIII confirmatum, et similiter iuxta decreta capituli generalis Murciensis, quod, ut omnino deinceps litigia circa ordinem sedendi evitentur inter magistros et praesentatos, servetur ordo iuxta gradus non vero professionis antiquitatem. Definitores provinciae et definitores ac electores generales, si sint magistri, praecedant omnes alios magistros; si vero magistri non fuerint, sint magistris immediati, etiamsi non sint praesentati, inter ipsos tamen ordo antiquitatis servetur. Haec ita sunt extra capitulum. Intra capitulum vero, si sit provinciale, definitores provinciae antecedunt omnes, excepto praesidente et provincialibus electo et absoluto. In capitulo vero generali, provinciales sint immediati praesidenti iuxta provinciarum antiquitates, deinde prior Barchinonensis, si non praesideat, postea procurator generalis in curiâ Romanâ, postea definitores generales iuxta antiquitatem suarum provinciarum, et denique eodem ordine succedant omnes electores generales. Prior vero Barchinonensis, qui vicarius generalis totius Ordinis fuerit, intra provinciam Aragoniae, si fuerit magister, omnes alios magistros praecedat; si autem praesentatus, omnes illos[1] antecedat praesentatos. Patres autem provinciales servent inter se provincialatus sui antiquitatem, etiamsi alio fungantur officio. Socii magistri generalis locum habeant immediatum patribus provinciae, in qua extiterint, ita ut omnes magistros praecedant. Patres graduati aliarum provinciarum, in quacumque provinciâ de licentiâ superiorum extiterint, sint immediati graduatis talis provinciae, ita ut si fuerit magister, immediatus omnibus magistris, et si praesentatus, omnibus praesentatis.

Spolia fratrum defunctorum.

LXXVIII. Cum, ex decreto sanctissimi domini Clementis VIII, bona stabilia, et ad legitimam fratris e vitâ decedentis pertinentia, quae iuxta constitutionem spectabant ad domum ubi professionem emisit, sint conferenda et veniant in ius monasterii, ubi talis religiosus habitum religionis suscepit; praedictum generale definitorium, inhaerendo statutis capitulorum generalium Hobtensis, Burtinensis et Murciensis, statuit et decernit quod bona mobilia sic distribuantur: habitus et vestes inter religiosos magis indigentes, libri vero a magistro vel provinciali conventibus studiorum (prout melius expedierit) impertiantur: alia tamen bona (si quae fuerint), so-

1 Aptius lege *alios* (R. T.).

lutis ante omnia debitis defuncti, in quatuor partes aequales dividantur; quarum prima conventui, in quo habitum suscepit, tribuatur; altera provinciali pro expensis provinciae conceditur; alia in custodiâ religiosi, a magistro generali designati, pro sumptibus eius, ubicumque extiterit, reponatur; ultima denique ad magistrum pro expensis sui officii et negotiis curiae Romanae mittatur.

Nova et completior constitutionum editio ordinatur.

LXXIX. Denique propositum fuit praedicto generali definitorio, quod aliàs in capitulo generali Barbastrensi ad instantiam eminentissimi domini cardinalis de Lugo, nostrae religionis proctectoris, fuerat decretum, videlicet, ut ad unguem maturâ inquisitione nostrae constitutiones examinentur, et iudicii trutinâ perquirantur; nam multa cum in illis reperiantur obstrusa, aliaque omissa notentur, quae saepius in variis capitulis generalibus ad validius regularis observantiae fulcrum sunt notata, indigent additione et explicatione: quapropter, praefatis omnibus diversis sessionibus mature in hoc praedicto generali definitorio collectis, et unanimi omnium consensu decretis et confirmatis, praedictum generale definitorium auctoritatem suam et facultatem, qua ex vi nostrarum constitutionum capite II distinctionis secundae gaudet, eâ meliori formâ, viâ et modo, quo poterat, et necessarium esset, substituit et subtituere dixit in auctoritatem nostri reverendissimi generalis electi, ut nomine totius generalis definitorii et religionis suppliciter oraret Sanctissimum pro confirmatione horum decretorum, ut efficacius perpetuam observantiam assequantur; eaque et alia decreta a Sanctâ Sede approbata et confirmata, omniaque illa, quae per tria capitula generalia sunt et fuerunt approbata (quae omnia, iure nostrarum constitutionum, ut in earum prooemio continetur, vim constitutionis in toto Ordine habent et habere debent) recollecta, singulis capitibus praedictarum nostrarum constitutionum adaptentur et inserantur, et iuxta ea praedicta capita disponantur et corrigantur, omni inconsequentiâ et contradictione accuratim attentâ et relegatâ; sicque disposita noster reverendissimus generalis electus typis mandet, ut[1], quamprimum possit, ad omnes provincias (pro eorum observantiâ) remittat ».

Praeinsertas constitutiones confirmat Pontifex.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, dictus Franciscus procurator generalis, constitutiones huiusmodi, quo firmius subsistant et serventur exactius, apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri summopere desideret: nos, ipsius Francisci procuratoris generalis votis hac in re, quantum cum Domino possumus, benigne annuere, eumque specialis favore gratiae prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de memoratorum cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositorum consilio, praeinsertas constitutiones per novissimum Ordinis huiusmodi capitulum generale compilatas, ac a praefatis cardinalibus visas, et mature ac diligenter examinatas, atque in nonnullis emendatas, et in antescriptam formam ac tenorem redactas, auctoritate apostolicâ, tenore

1 Potius lege *et* pro *ut* (R. T.).

praesentium, approbamus et confirmamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos iuris et facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus, ac dictas constitutiones exinde, subsequutâ earum publicatione, per omnes et singulos dicti Ordinis religiosos, tam superiores quam subditos, respective in usum recipi, et perpetuo observari mandamus et praecipimus.

Clausulae. § 3. Decernentes easdem praesentes litteras et constitutiones praeinsertas semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum. § 4. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon praedicti Ordinis, eiusque provinciarum ac conventuum et locorum regularium quorumlibet, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis et ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides transumptorum. § 5. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra adhibeatur, quae praesentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die xx decembris MDCLXII, pontificatus nostri anno VIII.

Dat. die 20 decembris 1662, pontif. anno VIII.

CDXVII.

Constitutio super regimine superiorum Societatis Iesu.

Alexander Papa VII,
ad perpetuam rei memoriam.

Proœmium. Debitum pastoralis officii, quo Ecclesiae Catholicae regimini divinâ dispositione praesidemus, exigit ut, paternam dilectorum filiorum presbyterorum et clericorum regularium Societatis Iesu, quae ab ipsis fundationis suae primordiis in re christianae religionis iuvandâ, promovendâque infidelium et haereticorum conversione, et horum pertinaciâ retundendâ, ac iuventute litteris et probis moribus informandâ, Christique fidelibus in viam mandatorum Dei dirigendis (adiuvante Domino) sedulo semper et fructuose laboravit, ac etiam nunc strenue laborat, curam peculiari studio gerentes, illa, quae prospero felicique ipsius Societatis regimini et progressui impedimentum adferre noscuntur, e medio tollamus et abrogemus, sicut magistra rerum experientia suadet, et nos, maturâ consultatione adhibitâ, ad omnipotentis Dei gloriam salubriter expedire arbitramur.

Quid Paulus V decreverit.

§ 1. Dudum siquidem (postquam a congregatione quintâ generali dictae Societatis petitum fuerat ut ipsius congregationis auctoritate statueretur ne superiorum localium eiusdem Societatis officia ultra triennium continuarentur, dicta vero congregatio decreverat nullum tempus esse praefigendum, sed servandum esse decretum LXXXVII congregationis secundae generalis ipsius Societatis) felicis recordationis Paulus Papa V praedecessor noster, certo sciens totum sanctae huius et nunquam satis laudatae religionis stabilimentum in viridi instituti ipsius et decretorum super hoc in generalibus congregationibus eiusdem Societatis editorum observantiâ consistere, illamque ab impugnationibus, molestiis et calumniis vindicare, et in sui instituti integritate, puritate, quiete et pace conservare cupiens, per suas sub plumbo, anno Incarnationis Dominicae MDCVI, pridie nonas septembris, super instituti dictae Societatis confirmatione emanatas litteras, supradicta et alia quaecumque decreta, statuta et ordinationes, quae institutum et Societatem huiusmodi, illiusque gubernandi rationem quomodolibet concernunt, in generalibus congregationibus edita, confirmavit, ac praepositum generalem, ceterosque superiores Societatis praefatae tunc et pro tempore existentes paterne hortatus est et monuit ut observationi dictorum decretorum serio invigilarent, ac eos, qui, novitati studentes, aliquid contra liberam et sine ullâ triennii aut certi temporis praefixione superiorum localium gubernationem per se vel alios quoscumque, quavis auctoritate et dignitate fulgentes, quomodolibet machinari ausi fuissent, tamquam perturbatores sui Ordinis, et rerum novarum molitores, praeter poenas in supradictis decretis contentas, ipsius praepositi pro tempore existentis arbitrio coërcerent, corrigerent et punirent, et aliàs prout in eisdem Pauli praedecessoris litteris uberius continetur.

Quid Innocentius X.

§ 2. Postmodum vero recolendae memoriae Innocentius Papa X, etiam praedecessor noster, per suas in formâ Brevis litteras de I ianuarii MDCXLVI expeditas, inter alia statuit, mandavit, praecepit et ordinavit ut omnes et singuli dictae Societatis provinciales, visitatores, praepositi, rectores, superiores locales, et alii officiales iurisdictionem seu superioritatem habentes, quomodolibet nuncupati, exceptis magistris novitiorum, in eorum respective muneribus, superioritatibus, ministeriis, administrationibus et officiis praedictis, quomodocumque nuncupatis, per triennium dumtaxat durare deberent, ea que[1], elapso triennio huiusmodi, eo ipso vacarent, et vacare censerentur, ipsique ad alia quaevis eiusdem Societatis munera, superioritates, ministeria, administrationes et officia praedicta quomodolibet nuncupata, etiam vice-provincialis, seu vice-praepositi, vel vice-rectoris[2], nullatenus eligi, seu assumi, vel deputari valerent, nisi per annum cum dimidio saltem, a fine dicti triennii computandum, à praedictis muneribus, superioritatibus, ministeriis, administrationibus, et officiis cessassent: decernens[3] praemissa omnia et singula in perpetuum inviolabiliter, sub excommunicationis latae sententiae ac suspensionis a divinis, privationis vocis activae et passivae ac officiorum quorumlibet, inhabilitatisque ad illa et quaevis alia in posterum obtinenda poenis, ipso facto, absque aliâ declaratione, tam per mandantes, procurantes,

1 Edit. Main. legit *iique* (R. T.).
2 Edit. Main. legit *vice-rectores* (R. T.).
3 Edit. Main. legit *decernes* (R. T.).

eligentes et deputantes, quam recipientes et exequentes, irremissibiliter incurrendis, observari debere; neque adversus illa, seu illorum aliquod, ipsiusque Innocentii praedecessoris constitutionem huiusmodi, per praepositum generalem pro tempore existentem, aut quamcumque congregationem etiam generalem, vel quemlibet alium superiorem et officialem dictae Societatis, aut eiusdem Innocentii et pro tempore existentis Romani Pontificis Sedisque Apostolicae nuncios, vel sanctae Romanae Ecclesiae cardinales, etiam de latere legatos, et quosvis alios quacumque potestate fungentes, unquam dispensari, disponi vel derogari posse, et quamcumque dispensationem, dispositionem et derogationem adversus praemissa, seu eorum aliquod, eamdemque Innocentii praedecessoris constitutionem, per praefatos seu ipsorum aliquem pro tempore quomodolibet factam sive concessam, nullam prorsus ac nulliter et subreptitie obreptitieque extortam fore et esse, ac censeri et haberi, neminique ullatenus suffragari debere, et aliàs cum diversis ordinationibus, decretis, clausulis et derogationibus in eisdem Innocentii praedecessoris litteris plenius contentis et expressis.

Moderatio praefati statuti Innocentii X.

§ 3. Verum subinde, pro parte dilecti filii Goswini Nickel praepositi generalis dictae Societatis nobis exposito, quod vacatio munerum, superioritatum, ministeriorum et officiorum praedictorum post lapsum triennii, necnon eorum, qui illis functi fuissent, ab illis per annum cum dimidio cessatio, sicut praemittitur, praescripta, maxima bono Societatis praedictae regimini adferrent incommoda, et tunc, quia, ob calamitates et contagii suspiciones quibus nonnullae provinciae laborabant, commercium reperiebatur interdictum, difficilior redderetur vacationis et cessationis huiusmodi observatio: nos, supplicationibus eiusdem Goswini praepositi generalis nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, supra expressum Innocentii praedecessoris statutum, mandatum, praeceptum et ordinationem huiusmodi ad sesquiannum tunc proximum suspendimus, et successive dictum sesquiannum ad alium sesquiannum, ac iterum ad triennium respective extendimus et prorogavimus. Praeterea, cum dictus Goswinus praepositus generalis nobis iterum exponi fecisset, quod provinciae Indiae Societatis praedictae litterarum nostrarum in formâ Brevis super suspensione huiusmodi primo loco ad sesquiannum ut praefertur factâ emanatarum beneficio maxime indigebant, illoque frui vix poterant, quia priusquam de eisdem litteris nuncius ad illas partes perferretur[1], aut iam elapsus, aut prope finem futurus erat dictus sesquiannus: nos, ipsius Goswini praepositi generalis precibus benigne annuentes, similem suspensionem statuti, mandati, praecepti et ordinationis memorati Innocentii praedecessoris, quantum quidem ad provincias, domos, collegia et loca quaecumque dictae Societatis in Indiis tam orientalibus quam occidentalibus, et alibi, extra Europam dumtaxat, consistentes et consistentia attinebat, ad septem annos a die XIV novembris MDCLVI computandos fecimus.

Alia moderatio

§ 4. Ac demum, cum, nomine dilectorum filiorum congregationis generalis, quae fuit undecima eiusdem Societatis, nobis expositum fuisset, quod ex iamdictis suspensionibus maximum toti Societati beneficium atque emolumentum provenerat; quia vero praefixum in litteris nostris desuper emanatis tempus tunc incipiebat fluere versus

1 Edit. Main. legit *praeferretur* (R. T.).

finem, eadem congregatio communibus votis, ac nemine penitus discrepante, denuo opportune in praemissis a nobis provideri plurimum desiderabat: nos, humilibus ipsius congregationis generalis precibus inclinati, praedictum Innocentii praedecessoris statutum, mandatum, praeceptum et ordinationem ut munera, superioritates, admnistrationes, ministeria et officia huiusmodi elapso triennio vacent, et illis functi, nisi postquam ab eis per sesquiannum cessaverint, ad alia quaevis munera, superioritates, ministeria, administrationes et officia nullatenus eligi, seu assumi, vel deputari valeant, quantum quidem ad provincias, domos, collegia et loca in Europa ad aliud quadriennium; quantum vero ad provincias, domos, collegia et loca quaecumque eiusdem Societatis in Indiis tam orientalibus quam occidentalibus, et alibi extra Europam consistentes et consistentia spectat, respective, ad alios octo annos denuo suspendimus, et aliàs prout in quinis nostris in simili formâ Brevis litteris, primis quidem die XXIV iulii MDCLVI, et alias die XIV novembris eiusdem anni, et die VII iulii MDCLVII, et die XXVIII augusti MDCLVIII, et novissimis die VII decembris MDCLXI desuper expeditis plenius continetur.

Motiva illud revocandi.

§ 5. Cum autem, sicut accepimus, sanctus Ignatius, dictae Societatis fundator, in constitutionibus ipsius Societatis statuerit ut penes praepositum generalem esset tam electio omnium rectorum, quam amotio ab eo munere, nullo praefixo temporis spatio, sed solum prout ei convenientius in Domino videretur; et, licet idem sanctus Pater alibi in eisdem constitutionibus dixisse reperiatur provinciales ad triennium ut plurimum constituendos esse, statim tamen subiunxerit etiam id temporis spatium contrahi et prorogari posse, quando ad maiorem Dei et Domini nostri gloriam id fore iudicaretur; at vero pro rectoribus vel superioribus localibus neque triennium ut plurimum praescribendum censuerit, sed totam durationem regiminis illorum pendere voluerit ab arbitrio praepositi generalis, prout ad maiorem Dei gloriam expedire duceret; de cessatione autem superiorum ad sesquiannum, vel aliud tempus, nullibi meminerit, nec aliquid super eâ re statuendum censuerit, sed praepositi generalis iudicio, sicut alia multa, id in genere reliquerit, et ipsemet quamdiu vixit in praxi absque tali cessatione societatem gubernaverit; haecque gubernandi ratio a piae memoriae Paulo III, Iulio III, et Gregorio XIII, ac Gregorio XIV Romanis Pontificibus praedecessoribus pariter nostris (qui Gregorius XIV, per suas sub plumbo, anno Incarnationis Dominicae MDXCI, IV kalendas iulii expeditas litteras, quarum initium est *Ecclesiae catholicae*, etc., expresse statuit ut electio superiorum quorumcumque esset tota penes praepositum generalem, iuxta constitutiones, cum potestate illorum facultatem revocandi, restringendi, vel augendi, et denique eosdem ab officio removendi, prout in Domino iudicaret expedire) approbata et confirmata, et post obitum memorati sancti Ignatii in eâdem Societate cum ingenti illius bono servata fuerit;

Clemens VIII Papa.

§ 6. Et (licet anno MDXCIV similis recordationis Clemens Papa VIII, etiam praedecessor noster, vivae vocis oraculo per bonae memoriae Franciscum, dum vixit, S. R. E. cardinalem Toletum nuncupatum congregationi quintae generali memoratae Societatis significato mandaverit ut tam provinciales quam rectores dictae Societatis non durarent

ultra triennium) nihilominus tamen ipse Clemens praedecessor, motus precibus eiusdem Societatis, mitigaverit variis modis illud suum mandatum, quod postea praefatus Paulus V praedecessor per suas litteras supradictas (decretum congregationis quintae generalis supra expressum specifice confirmans, et praefixionem termini in gubernatione superiorum localium graviter improbans, ac machinatores contra id decretum tamquam perturbatores Societatis gravissimis poenis plecti iubens) omnino abrogavit;

Sequuntur motiva revocationis.

§ 7. Cumque dicta Societas subsequenti tempore usque ad dictam praefatam Innocentii praedecessoris constitutionem praefatum gubernandi modum magno cum fructu ipsiusque Societatis tranquillitate servaverit; editâ vero eâdem constitutione plurimis gravissimisque affecta fuerit incommodis, multoque plura et graviora pericula inconvenientia subitura extiterit, nisi nos per suspensiones praefatas illis occurrissemus; et ex his nostris suspensionibus seu dispensationibus per septem fere annos magnae et multiplices dictae Societati utilitates obvenerint, nec quidpiam alicuius momenti in contrarium nobis exhibitum fuerat[1], ut proinde e re eiusdem Societatis maximopere futurum videatur, si eiusdem Innocentii praedecessoris ordinatio supradicta penitus abrogetur:

Pontifex abrogat statutum Innocentii X.

§ 8. Hinc est quod nos, dictae Societatis felici directioni, religiosisque progressibus et incrementis, quantum nobis ex alto conceditur, consulere cupientes, necnon praefatarum nostrarum, ac Gregorii XIV, Pauli V et Innocentii X, aliarumve quarumlibet eorumdem et aliorum praedecessorum nostrorum praefatorum litterarum Societatem praefatam concernentium, ac ipsius Societatis constitutionum, et decretorum generalium illius congregationum, tenores et datas, aliaque, etiam speciali et individuâ mentione digna, praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, eorumdemque Pauli III, Iulii III, Gregorii XIII, Gregorii XIV, et Pauli V praedecessorum, qui omnes dictas constitutiones sancti Ignatii et rationem gubernandi in eis expressam laudarunt, approbarunt et confirmarunt, vestigiis inhaerentes, motu proprio, ac ex certâ scientiâ et maturâ deliberatione nostris, et apostolicae potestatis plenitudine, memorati Innocentii praedecessoris statutum, mandatum, praeceptum et ordinationem ut omnes et singuli eiusdem Societatis provinciales, visitatores, praepositi, rectores, superiores locales, et alii officiales iurisdictionem seu superioritatem habentes, quomodolibet nuncupati, exceptis magistris novitiorum, in eorum respective muneribus, superioritatibus, ministeriis, administrationibus et officiis praedictis quomodocumque nuncupatis per triennium dumtaxat durare debeant, eaque, elapso triennio huiusmodi, eo ipso vacent, et vacare censeantur, ipsique ad alia quaevis eiusdem Societatis munera, superioritates, ministeria, administrationes et officia praefata, quomodolibet nuncupata, etiam viceprovincialis, seu vice-praepositi, vel vice-rectoris, nullatenus eligi, seu assumi, vel deputari valeant, nisi per annum cum dimidio saltem, a fine dicti triennii computandum, a praedictis muneribus, superioritatibus, ministeriis, administrationibus et officiis cessaverint, pluries a nobis suspensa, ut praefertur, et, quatenus illa concernunt, praedictas eiusdem Innocentii praedecessoris litteras (firmâ tamen et illaesâ ac in suo robore in reliquis omnibus et singulis

1 Videtur legendum *fuerit* pro *fuerat* (R. T.).

remanente earumdem Innocentii praedecessoris litterarum dispositione), tenore praesentium, perpetuo revocamus, abrogamus, cassamus, irritamus et annullamus, viribusque et effectu penitus et omnino vacuamus.

Clausulae. § 9. Decernentes easdem praesentes litteras, etiam ex eo quod quicumque in praemissis interesse habentes, seu habere quomodolibet praetendentes, ad illa vocati, citati et auditi non fuerint, nec illis consenserint, aut ex aliâ quacumque causâ, occasione, praetextu et capite, etiam in corpore iuris clauso, nullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrae aut interesse habentium consensus aliove quolibet etiam substantiali et individuam expressionem requirente defectu notari, impugnari, redargui, rescindi, infringi, retractari, aut ad terminos iuris reduci, seu adversus illas aperititionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque iuris, facti vel gratiae remedium intentari vel impetrari, aut impetrato, vel etiam motu, scientiâ et potestatis plenitudine paribus concesso, quempiam in iudicio vel extra illud uti seu se iuvare posse; sed ipsas praesentes litteras semper et perpetuo firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quomodocumque spectabit, plenissime suffragari, sicque et non aliter in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos, et alios quoslibet, quavis auctoritate et potestate fungentes et functuros, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogati contrariorum. § 10. Non obstantibus dicti Innocentii praedecessoris litteris, necnon omnibus et singulis illis, quae memorati Gregorius XIV ac Paulus V et Innocentius praedecessores voluerunt in suis, et nos voluimus in nostris respective litteris praefatis non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides. § 11. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici vel secretarii dictae Societatis subscriptis, et sigillo praepositi vel vicarii generalis eiusdem Societatis, aut alicuius personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra adhibeatur, quae praesentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die I ianuarii MDCLXIII, pontificatus nostri anno VIII.

Dat. die 1 ianuarii 1663, pontif. anno VIII.

CDXVIII.

Prohibitio ecclesiasticis civitatis Barchinonensis et principatus Cataloniae ne excommissas super sortitione officialium faciant[1].

Alexander Papa VII,
ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium. Pastoralis officii, quod auctore Deo gerimus, sollicitudo nos admonet ut gregem dominicum curae nostrae creditum ab omni offensione securum prae-

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

stare, ac in viam salutis, aspirante superni favoris auxilio, dirigere, et abusus quoscumque, praesertim illos, quos caeca cumulandae per fas et nefas pecuniae cupiditas, omnium malorum secundum Apostolum radix, in boni publici perniciem invexit, opportunis sanctionibus, quantum in nobis est, tollere studeamus.

Supplicatio. § 1. Nomine siquidem christianissimi in Christo filii nostri Philippi, huius nominis IV, Hispaniarum regis catholici nobis nuper exposuit dilectus filius noster Paschalis S. R. E. diaconus cardinalis de Aragoniâ nuncupatus, quod aliàs (cum in civitate Barchinonensi et principatu Cataloniae, ubi vetus viget consuetudo quosdam officiales civitatis et principatus huiusmodi annis singulis per sortem eligendi seu deputandi, perniciosus quidam abusus in grave publicae utilitatis detrimentum a multis annis introductus reperiretur, ut multae personae catalogos seu listas nominum sortitionis officialium huiusmodi causâ in urnâ ponendorum seu positorum haberent, ac super futuro eventu aliquorum extractionis et electionis seu deputationis ad officia sic sortito faciendae sponsiones seu promissiones, quas excommissas vocant, inter se sub magnis pecuniarum summis facerent, et hac occasione superstitionibus, aliisque modis illicitis, conscientias graviter laedentibus, ac Dei servitio bonoque publico adversantibus, uterentur) clarae memoriae Philippus III, dum vixit, earumdem Hispaniarum rex catholicus, ut his malis remedium adhiberet, peculiarem pro praefatis civitate Barchinonensi et principatu Cataloniae constitutionem edidit, qua poenam triremium illis imposuit, qui catalogis seu listis nominum huiusmodi ad effectum dictarum sponsionum seu excommissarum uterentur, illosque retinerent, ac eiusmodi sponsiones seu excommissas facerent, eâque poenâ in reos pro tempore severe animadverti iussit. Quoniam vero, sicut eadem expositio subiungebat, eiusmodi abusus penitus evelli nequit nisi praefatorum catalogorum seu listarum usus ac sponsiones huiusmodi etiam ecclesiasticis, tam secularibus quam regularibus, districtâ sanctione interdicantur, cum etiam inter eos (quod maxime dolendum est) idem abusus irreperit, et sub illorum clypeo laici, qui poenae praefatae metu vetita per dictam constitutionem palam et per se ipsos perpetrare non auderent, secretis machinationibus ipsius constitutionis vim eludere, illique fraudem facere moliantur: nobis propterea praefatus Paschalis cardinalis, memorati Philippi IV regis nomine, humiliter supplicavit ut in praemissis opportune providere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Prohibitio, ut in rubricâ. § 2. Nos igitur, eiusdem Philippi regis desideriis quantum nobis ex alto conceditur favorabiliter annuere ac publicae utilitati consulere cupientes, huiusmodi supplicationibus inclinati, omnibus et singulis civitatis Barchinonensis et principatus Cataloniae praefatorum personis ecclesiasticis, tam secularibus quam cuiusvis Ordinis, congregationis, militiae, societatis vel instituti regularibus, cuiuscumque status, gradus, qualitatis, conditionis, dignitatis et praeeminentiae existant, ne catalogos seu listas nominum, sortitionis officialium civitatis et principatus huiusmodi causâ, in urnâ, sicut praemittitur, ponendorum, seu pro tempore positorum, ad effectum faciendi sponsiones sive promissiones seu excommissas huiusmodi, penes se habere, vel per interpositam personam retinere, aut illis quovis modo uti, nec dictas sponsiones seu excommissas di-

recte vel indirecte aut aliàs quomodocumque et qualitercumque facere vel inire, aut illis intervenire audeant quomodolibet vel praesumant, sub privationis canonicatuum et praebendarum, ac dignitatum etiam post pontificales maiorum in cathedralibus et principalium collegiatis ecclesiis, personatuum, administrationum, officiorum, aliorumve quorumlibet, cum curâ et sine curâ, beneficiorum ecclesiasticorum, quovis modo qualificatorum, per eas in titulum, commendam, vel administrationem, aut aliàs quomodolibet nunc et pro tempore obtentorum, quoad seculares, et privationis vocis activae et passivae, quoad regulares, necnon excommunicationis latae sententiae quoad utrosque, a qua nemo a quoquam, nisi a nobis seu pro tempore existente Romano Pontifice, praeterquam in mortis articulo constitutus absolvi possit, per contraventores ipso facto incurrendis poenis, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, perpetuo prohibemus et interdicimus.

Contravenientium poenae.

§ 2. Praeterea venerabilibus fratribus episcopo Barchinonensi, ceterisque memorati principatus Cataloniae episcopis et archiepiscopis, nunc et pro tempore existentibus, per easdem praesentes committimus et mandamus ut ipsi et eorum quilibet, uti nostri et huius sanctae Sedis Apostolicae ad hoc specialiter delegati, etiam sine ullis adiunctis, in suis[1] quisque civitatibus et dioecesibus, contra quoscumque ecclesiasticos tam seculares quam regulares praefatos, etiam quibusvis privilegiis, libertatibus et exemptionibus suffultos, et ab ordinariâ iurisdictione exemptos, ac nobis et dictae Sedi immediate subiectos, qui praesentem constitutionem transgressi fuerint, ad[2] declarationem incursus poenarum huiusmodi auctoritate nostrâ procedant, illasque irremissibiliter exequantur, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis: nos enim eidem Barchinonensi, ceterisque episcopis et archiepiscopis praefatis, quamcumque necessariam et opportunam ad id facultatem et potestatem, harum serie, eâdem auctoritate, tribuimus et impertimur.

Exequutores deputat.

§ 3. Decernentes easdem praesentes litteras semper et perpetuo firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, inviolabiliter observari, sicque et non aliter in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac eiusdem S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos et Apostolicae Sedis praefatae nuncios, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Decretum irritans.

§ 4. Non obstantibus praemissis, necnon apostolicis, ac in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, ac ecclesiarum, ordinum, militiarum, congregationum, societatum, monasteriorum, conventuum, collegiorum et locorum regularium quorumcumque, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, indultis, libertatibus, exemptionibus et litteris apostolicis, eisdem ecclesiis, ordinibus, militiis, congregationibus, societatibus, monasteriis,

Contrariis derogat.

1 Male edit. Main. legit *tuis* pro *suis* (R. T.).
2 Male edit. Main. legit *et* pro *ad* (R. T.).

conventibus, collegiis et locis regularibus, illorumque superioribus et personis quibuslibet, etiam circa adiunctos, et aliàs quovis modo, sub quibuscumque verborum tenoribus et formis, ac cum quibusvis derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis, in genere vel in specie, ac etiam consistorialiter, aut aliàs quomodolibet in contrarium praemissorum concessis, approbatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, et formâ in illis traditâ observatâ, exprimerentur et insererentur, praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis danda fides.

§ 5. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique locorum, tam in iudicio et extra illud, adhibeatur, quae ipsismet praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die II ianuarii MDCLXIII, pontificatus nostri anno VIII.

Dat. die 2 ianuarii 1663, pontif. anno VIII.

CDXIX.

Extensio statuti Gregorii XV, ut canonicatus et praebendae poenitentiarii ecclesiarum metropolitanarum et cathedralium in Hispaniarum regnis consistentium, etiam Sedi Apostolicae (non tamen ratione obitus apud eamdem) reservati, praevio concursu per Ordinarios et capitula tantum habendo conferri debeant, ad ecclesiam Maioricensem, quae in futurum gaudere gratiis per litteras dicti Gregorii XV super praemissis emanatas concessis declaratur[1].

Alexander Papa VII,
ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium. Pro commissâ nobis divinitus[2] omnium ecclesiarum sollicitudine in id peculiari studio incumbimus, ut ipsarum ecclesiarum praesertim cathedralium beneficia, quibus fori poenitentialis cura annexa est, personis dignis et idoneis conferantur, quae iniunctum sibi gravissimum munus ad animarum salutem fructuose valeant adimplere.

Expositio. § 1. Aliàs siquidem, nomine carissimi in Christo filii nostri Philippi Hispaniarum regis catholici nobis exposito, quod pridem felicis recordationis Gregorius XV praedecessor noster, ad ipsius Philippi regis instantiam, per quasdam suas sub plumbo, anno Incarnationis dominicae MDCXXII[3], idibus novembris, expeditas litteras statuerat et ordinaverat, ut ex tunc perpetuis futuris temporibus omnes et singuli canonicatus et praebendae poenitentiarii quarumcumque metropolitanarum et cathedralium ecclesiarum in regnis Hispaniarum tunc et pro tem-

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

2 Confer. Const. CCCXC supra positam pag. 12 et seq. (R. T.).

3 Male hîc etiam sicut supra in Const. CCCXC ed. Main. legit *1662* (R. T.).

pore existentium, tam eatenus instituti, quam deinceps quandocumque pro decretorum Concilii Tridentini complemento instituendi (quotiescumque illos quibusvis modis, et ex quorumcumque ipsius Gregorii praedecessoris aut Romani Pontificis pro tempore existentis seu quorumvis cardinalium etiam tunc viventium familiarium continuorum commensalium, seu Romanae curiae officialium, aut aliàs quomodolibet reservationem inducentibus personis, etiam per cessum, etiam permutationis causâ in manibus eorum Ordinariorum, vel decessum, non tamen in curiâ aut apud Sedem Apostolicam, seu quamvis aliam dimissionem vel amissionem aut privationem, extra tamen eamdem curiam, seu religionis ingressum, aut matrimonii contractum eos tunc et pro tempore obtinentium, seu ius in illis vel ad illos habentium, aut aliàs quibusvis modis, non tamen per obitum apud Sedem praefatam, ac etiam in aliquibus ex mensibus, in quibus beneficiorum ecclesiasticorum dispositio ipsi Gregorio praedecessori et Sedi praefatae etiam per constitutiones apostolicas seu cancellariae apostolicae regulas erat et pro tempore foret reservata, vel etiam ordinariis collatoribus per easdem constitutiones seu regulas vel litterarum[1] alternativarum aut alia privilegia et indulta concessa eatenus et in posterum concedenda, simul vel successive vacare contingeret, etiamsi aliqui eorumdem canonicatuum et praebendarum poenitentiariorum ac tunc[2], ut praefertur, vel aliàs quibusvis modis et ex quorumcumque personis, non tamen per obitum, ut praefertur, apud dictam Sedem, vacarent, et, ex eo quod canonicatus et praebendas poenitentiarios huiusmodi obtinentes, seu in illis vel ad alios ius habentes,[1] ipsius Gregorii praedecessoris et quorumcumque Romanorum Pontificum eius praedecessorum, aut S. R. E. cardinalium, etiam viventium et in dictâ curiâ praesentium, familiares continui commensales, seu dictae Sedis notarii, subdiaconi, acolyti, cappellani, litterarum apostolicarum abbreviatores, scriptores, cubicularii, scutiferi, proventuum et iurium camerae apostolicae debitorum collectores et subcollectores, seu quicumque alii curiae et Sedis praefatorum[2] officiales, etiam sub diversis constitutionibus recolendae memoriae Pauli Papae II etiam praedecessoris nostri suorum et pro tempore existentium Romanorum Pontificum familiarium continuorum commensalium declaratoriis comprehensi, praesentes et futuri, quocumque nomine nuncupati, seu ex quavis aliâ causâ, dispositioni apostolicae specialiter vel aliàs generaliter reservati, aut ex generali reservatione apostolicâ affecti, seu ad Sedem eamdem devoluti existerent), per Ordinarios locorum et capitula dictarum ecclesiarum tantum praevio concursu per edictorum affixionem sub certis modo et formâ tunc expressis conferri deberent, cum diversis ordinationibus[3], et aliàs prout in praefatis dicti Gregorii praedecessoris litteris uberius dicebatur contineri; et in eâdem expositione subiuncto, quod, canonicatu et praebendâ poenitiariis[4] ecclesiae Barchinonensis per obitum quondam Petri Ioannis Atcher[5],

1 In loc. parall. supra legitur *litteras* (R. T.).

2 Aptius in loc. parall. legitur *actu tunc*, vel *ex tunc* legendum (R. T.).

1 Supplendum verbum *fuerint* (R. T.).

2 Lege *praefatarum* vel *praedictarum* ut supra in loc. parall. (R. T.).

3 Supra in loc. parallel. legitur *conditionibus* (R. T.).

4 Male supra in loc. parall. lectum fuit ex Main. *poenitentiarii* (R. T.).

5 In loc. parallel. legitur *Archer*; nomina

qui illos, dum viveret, obtinebat, nuper vacantibus, super eorumdem canonicatus et praebendae provisione, necnon affixione edictorum pro concursu desuper instituendo, controversiae inter venerabilem fratrem episcopum Barchinonensem ac dilectos filios capitulum et canonicos eiusdem ecclesiae Barchinonensis fuerant exortae, et ad illos dilectus filius Ioseph Gallart, unus ex oppositoribus, electus fuerat; quia vero praetensum fuerat in antecedenti dictorum canonicatus et praebendae poenitentiariorum vacatione, in qua dictus Petrus Ioannes defunctus de illis provisus extiterat, memoratum statutum dicti Gregorii praedecessoris ecclesias principatus Cataloniae minime comprehendere, dictus Philippus rex statutum huiusmodi, exceptâ tamen dictâ ultimâ vacatione in qua ius quaesitum parti conservandum erat, ad ecclesias dicti principatus a nobis, quatenus opus esset, extendi plurimum desiderabat: nos, supplicationibus ipsius Philippi regis nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, praefatum statutum et ordinationes dicti Gregorii praedecessoris, eiusque litteras supradictas, ad quascumque cathedrales et metropolitanas ecclesias in dicto principatu Cataloniae nunc[1] et pro tempore existentes, sine praeiudicio tamen[2] iuris alteri eatenus quaesiti, et aliàs sub certis modo et formâ tunc expressis, auctoritate apostolicâ, quatenus opus esset, extendimus et ampliavimus, et aliàs prout in nostris in simili formâ Brevis litteris die XIX maii proximi praeteriti desuper expeditis uberius continetur.

propria coniectari non possumus, ideoque sequimur in iis lectionem Main. (R. T.).

1 Forsan legendum *tunc* pro *nunc* (R. T.).

2 Pessime edit. Main. legit *tum* pro *tamen* (R. T.).

Supplicatio regis.

§ 2. Cum autem, sicut praefatus Philippus rex nobis denuo nuper exponi fecit, licet insula Maioricae, quippe una ex adiacentibus insulis dictorum regnorum Hispaniarum, praefatis Gregorii praedecessoris litteris comprehendi videatur, nihilominus maioris claritatis[1] gratiâ, ac ad praecidendas controversiarum et litium occasiones, ipse Philippus rex easdem Gregorii praedecessoris litteras etiam cathedralem ecclesiam Maioricensem comprehendere a nobis declarari, et, quatenus opus sit, illas ad ecclesiam Maioricensem huiusmodi, sine praeiudicio tamen litis, quae inter duos de canonicatu et praebendâ poenitentiariis dictae ecclesiae Maioricensis novissime vacantibus a venerabili fratre episcopo ac a dilectis filiis capitulo et canonicis ipsius ecclesiae Maioricensis respective provisos nunc pendet, ac iuris eorumdem provisorum, sed quoad futuras vacationes tantum, pariter extendi plurimum cupiat: nos, dicti Philippi regis desiderio hac quoque in re favorabiliter, quantum cum Domino possumus, annuere volentes, necnon praefatarum Gregorii praedecessoris et nostrarum litterarum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, supplicationibus Philippi regis nomine nobis iterum super hoc humiliter porrectis inclinati, praenarratum statutum et ordinationem memorati Gregorii praedecessoris, emanatasque desuper eius litteras praefatas, ac omnia et singula in eis contenta, ad praefatam ecclesiam Maioricensem (ita ut ex nunc perpetuis futuris temporibus canonicatus et praebendae poenitentiarii ipsius ecclesiae Maioricensis, quotiescumque illos, sicut in praefatis Gre-

Supplicantis votis indulget Pontifex.

1 Edit. Main. legit *charitatis* pro *claritatis* (R. T.).

gorii praedecessoris litteris expositum est, vacare contigerit, praevio concursu per Ordinarium loci et capitulum dictae ecclesiae Maioricensis tantum per edictorum affixionem, et aliàs eisdem modo et formâ qui in dicti Gregorii praedecessoris litteris praescribuntur, habendo conferri debeant, et, si canonicatus et praebenda poenitentiarii huiusmodi in mense apostolico vacarent[1], aut aliàs ratione personae vel loci generaliter vel specialiter reservati seu affecti fuerint, ad illos pro tempore assumpti vel electi, intra sex menses a die eorum electionis per Ordinarium et capitulum huiusmodi faciendae, litteras apostolicas desuper expedire[2], ac iura camerae apostolicae et aliis propterea debita solvere teneantur, et servatis in aliis omnibus et per omnia earumdem Gregorii praedecessoris litterarum dispositione et ordinationibus, pro futuris vacationibus, sine praeiudicio litis pendentis et iuris alteri cuicumque hactenus quaesiti, auctoritate praefatâ, tenore praesentium, quatenus opus sit, extendimus pariter et ampliamus, dictamque ecclesiam Maioricensem in futurum gratiis per praefatas Gregorii praedecessoris litteras ecclesiis regnorum Hispaniarum concessis frui et gaudere debere decernimus et declaramus.

Clausulas apponit.

§ 3. Decernentes pariter easdem praesentes litteras, etiam ex eo quod causae, propter quas emanarunt, coram loci Ordinario, etiam tamquam a Sede praefatâ delegato, vel aliàs quomodolibet examinatae vel iustificatae, purificatae, aut approbatae, ipseque Ordinarius et alii inferiores collatores, necnon quicumque interesse habentes, ad id legitime vocati non fuerint, nec praemissis consenserint, seu etiam enormis, enormissimae laesionis, vel alio quocumque praetextu, aut ex quavis aliâ causâ, quantumvis legitimâ, urgenti et iuridicâ, de subreptionis vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrae vel alio quocumque defectu notari, impugnari, retractari, in ius vel controversiam revocari, aut ad terminos iuris reduci, seu adversus eas quodcumque iuris et facti vel gratiae remedium impetrari nullatenus posse, neque sub quibusvis similium vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus aut aliis contrariis dispositionibus, a nobis et quibuscumque aliis Romanis Pontificibus successoribus nostris et dictâ Sede, etiam motu proprio, et ex certâ scientiâ, ac apostolicae potestatis plenitudine, pro tempore emanatis, comprehendi, sed semper ab illis exceptas, et quoties illa[1] emanabunt, toties in pristinum et eum in quo antea quomodolibet erant statum restitutas, repositas et plenarie reintegratas, ac de novo, etiam sub datâ posteriori per capitulum dictae ecclesiae pro tempore eligendâ, concessas, validasque et efficaces fore et esse, vimque et robur validi inter dictam sedem ex unâ et capitulum praefatum ex alterâ partibus rite et recte initi, stipulati, ac etiam utriusque[2] iurati contractus habere et perpetuo obtinere, ac suos plenarios et integros effectus sortiri, et ab omnibus inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus

1 Videtur potius legendum *vacaverint* ut supra loc. parall. (R. T.).

2 Videtur potius legendum *expediri facere* (R. T.).

1 Aptius in loc. paralell. legitur *illae* (R. T.).

2 Potius lege *utrinque* pro *utriusque* (R. T.).

super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contraria tollit. § 4. Non obstantibus, quatenus opus sit, nostrâ et cancellariae apostolicae regulâ de iure quaesito non tollendo, aliisque apostolicis, ac in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, necnon dictae ecclesiae Maioricensis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die II ianuarii MDCLXIII, pontificatus nostri anno VIII.

Dat. die 2 ianuarii 1663, pontif. anno VIII.

CDXX.

Quod laici seu conversi Congregationis Hispaniae fratrum Discalceatorum Ordinis SS. Trinitatis redemptionis captivorum quartum, ultra tria solita, votum addant de non transeundo ad statum clericalem et ad ordines sacros[1].

Alexander Papa VII, ad futuram rei memoriam.

Prooemium. Pastoralis officii, quod auctore Deo gerimus, sollicitudo nos admonet, ut, paternam christifidelium, qui a fluctibus seculi in religiosae vitae portum confugerunt ac in humilitatis spiritu Altissimi obsequiis sese sub suavi arctioris regulae iugo manciparunt, curam gerentes, felici prosperoque illorum statui et quieti, quantum nobis ex alto conceditur, prospicere studeamus.

Motiva. § 1. Exponi siquidem nobis nuper fecit dilectus filius Ioannes a Conceptione, procurator generalis congregationis Hispaniae fratrum Discalceatorum nuncupatorum Ordinis SS. Trinitatis redemptionis captivorum, quod, cum fratres dictae congregationis ad chorum destinati ex dispositione felicis recordationis Pauli Papae V praedecessoris nostri quartum votum non ambiendi officia, praelaturas et dignitates emittant, capitulum generale eiusdem congregationis, mense maio proxime praeterito in civitate Toletanâ celebratum, ad maiorem observantiam et tranquillitatem dictae congregationis, decrevit, ut (si ita nobis placeret) fratres laici seu conversi congregationis huiusmodi, qui de cetero profiterentur, ultra tria vota tempore professionis emittenda, aliud votum etiam emitterent, videlicet se nunquam sacros ordines recepturos, nec directe vel indirecte, per se vel per alios, ordines huiusmodi praetensuros. Quare dictus Ioannes nobis humiliter supplicari fecit ut in praeteritis[1] opportune providere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Confirmat ut in rubricâ. § 2. Nos igitur, ipsum Ioannem specialis favore gratiae prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositorum, qui praecitatum

1 De his fratribus vide ad Const. CXL (*al.* 135) Urbani VIII *Dominici gregis*, tom. XIII, pag. 352, in qua prohibetur transitus ad alios quoscumque Ordines, et ad Const. DLXVI, *Aliàs*, tom. XIV, pag. 584.

1 Potius lege *praemissis* (R. T.).

decretum capituli generalis congregationis huiusmodi viderunt, consilio, attentis narratis, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, decernimus ut in posterum in dictâ congregatione fratres laici seu conversi quartum, ultra tria solita, votum addant de non transeundo ad statum clericalem et ad ordines sacros nec huiusmodi transitum directe aut indirecte procurando, et ita servari praecipimus; salvâ tamen semper in praemissis auctoritate congregationis eorumdem cardinalium.

Clausulae. § 3. Decernentes pariter ipsas praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contraria tollit. § 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon, quatenus opus sit, congregationis et Ordinis praefatorum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis credi mandat. § 5. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur ubique, quae praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XIII iannuarii MDCLXIII, pontificatus nostri anno VIII.

Dat. die 13 ianuarii 1663, pontif. anno VIII.

CDXXI.

Quod electiones guardianorum, proministrorum et custodum in familiâ ultramontanâ Ordinis sancti Francisci per suffragia secreta et ballotationes fiant, et in paritate suffragiorum praesidens votum decisivum habeat[1].

Alexander Papa VII
Ad futurum rei memoriam.

Exordium. Creditae nobis caelitus dispensationis ratio exigit, ut, paternam religiosorum virorum, qui, abnegantes semetipsos, ut facerent voluntatem Domini, suam fregerunt, curam gerentes, illorum statui et felici regimini, quantum nobis ex alto cenceditur, consulere iugiter studeamus.

Supplicatio. § 1. Cum itaque, sicut dilectus filius Petrus Roche, commissarius generalis curiae Ordinis fratrum Minorum sancti Francisci de Observantiâ nuncupatorum, nobis nuper exponi fecit, in provinciis familiae ultramontanae eiusdem Ordinis introductus sit abusus eligendi guardianos et proministros et custodes vivâ voce, ac cum publicâ concertatione suffragantium, in grave libertatis electionum praeiudicium, et non sine occasione perturbationum et litigiorum, quae exinde inter electores nasci solent: nobis

1 Vide Const. DCCLXIV (*al.* 725) Urbani VIII, *Religiosos viros*, tom. XIV, pag. 215, in qua agitur de hac electione.

propterea ipse Petrus humiliter supplicari fecit ut in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Confirmat ut in rubrica. § 2. Nos igitur, dictum Petrum specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositorum consilio, ut omnes et singulae praedictae electiones in familiâ ultramontanâ Ordinis huiusmodi deinceps per suffragia secreta et ballotationes fiant, et in paritate suffragiorum praesidens electionibus supradictis votum sive suffragium decisivum habeat, iuxta dispositionem quarumdam felicis recordationis Urbani Papae VIII praedecessoris nostri in simili formâ Brevis litterarum pro familiâ cismontanâ dicti Ordinis emanatarum, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, statuimus et ordinamus, et ita servari mandamus ac praecipimus; salvâ tamen semper in praemissis auctoritate congregationis eorumdem cardinalium.

Clausulas addit. § 3. Decernentes easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariis derogat. § 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon Ordinis et familiae ultramontanae huiusmodi, huiusque provinciarum quarumlibet, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides. § 5. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem fides adhibeatur, quae praesentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XVIII iannuarii MDCLXIII, pontificatus nostri anno VIII.

Dat. die 18 iannuarii 1663, pontif. anno VIII.

Decretum sacrae congregationis.

Sacra congregatio eminentissimorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praeposita, attentis narratis, censuit iniungendum et praecipiendum, prout harum vigore iniungit et praecipit, ut deinceps in singulis praefatis electionibus in familiâ ultramontana Ordinis huiusmodi servetur omnino modus et forma

praescripta in constitutionibus generalibus familiae cismontanae; contrariis quibuscumque non obstantibus. Romae, XV martii MDCLXIII.

M. card. GINETTUS.

Locus † sigilli.

E. Episc. Camerinensis, Secr.

Modus autem praescriptus in constitutionibus generalibus familiae cismontanae, cap. VII, § 36, *de capitulis provincialibus,* num. 7 et sequentibus, *talis est.*

Antequam patres ingrediantur definitorium, fiat inter ipsos discussio super meritis et qualitatibus promovendorum, et praecipue attendatur iustitia distributiva pro pacis conservatione. Deinde praesidens seu provincialis proponat unum pro quolibet conventu successive, super quo sumantur ab electoribus calculi nigri vel albi ad hoc praeparati, et sic secreto absque aliâ discussione ponantur in urnâ. Quod si maior pars erit affirmativa, electus intelligatur; si vero erit negativa, proponatur alius a praeside sive provinciali, ut supra, donec electio canonice fiat. Quod si vota per tres vices erunt aequalia, praesidens[1] voto decisivo utatur, uti secundum Deum melius videbitur expedire. Alii autem officiales, videlicet confessores monialium, magistri novitiorum, lectores, et alii huiusmodi, instituantur a superiori cum consilio et consensu patrum definitorum; non obstante quacumque consuetudine immemorabili in contrarium, etc.

CDXXII.

Confirmatio determinationis a capitulo provinciali provinciae Portugalliae Tertii Ordinis sancti Francisci factae, ac a generali et cardinali protectore confirmatae, circa alternativam officiorum inter fratres conventuum Ulyssiponensium et de Deira eiusdem provinciae[1].

Alexander Papa VII,
Ad futurum rei memoriam.

Expositio. § 1. Exponi nobis nuper fecerunt dilecti filii vicarius provincialis, ac custos, definitores et fratres provinciae Portugalliae Tertii Ordinis sancti Francisci, quod in ultimo capitulo provinciali dictae provinciae, unanimi vocalium assensu, pro conservatione pacis et mutuae dilectionis incremento, determinatum fuit ut in futuris electionibus et institutionibus ministri provincialis, custodis, definitorum ac lectorum singulis triennii, sicuti quoque in eventum subrogationis, servetur alternativa aliàs introducta, et ante viginti annos, auctoritate quondam Bernardini de Senis, dum vixit, ministri generalis Ordinis fratrum Minorum eiusdem sancti Francisci de Observantiâ nuncupatorum, confirmata, inter fratres conventuum Ulyssiponensium et de Deira nuncupatorum eiusdem provinciae.

Supplicatio. § 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, determinatio huiusmodi a dilecto filio moderno ministro generali dicti Ordinis, ac etiam a venerabili fratre nostro Francisco episcopo Portuensi sanctae Romanae Ecclesiae cardinale Barberino nuncupato, eiusdem Ordinis apud nos et Sedem Apostolicam protectore, confirmata et approbata fuerit, firmiora vero sunt illa, quae apostolici muniminis praesidio roborantur: nobis propterea dicti exponentes humiliter supplicari fecerunt ut sibi in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolicâ dignaremur.

1 Male edit Main. legit *praesides* (R. T.).

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

Confirmat decretum.

§ 3. Nos igitur, ipsos exponentes specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae[1] existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, determinationem praefatam, in ultimo capitulo provinciali provinciae huiusmodi factam ut praefertur, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illique[2] inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos iuris et facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Clausulae.

§ 4. Decernentes easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, plenissime suffragari, et ab illis respective inviolabiliter observari, sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogat contrariis.

§ 5. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon, quatenus opus sit, Ordinis et provinciae huiusmodi, huiusque conventuum quorumvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, approbatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi, etc., illorum[1] tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXVI ianuarii MDCLXIII, pontificatus nostri anno VIII.

Dat. die 26 ianuarii 1663, pontif. an. VIII.

1 Edit. Main. legit *innodatus* (R. T.).

2 Contra contextus rationem edit. Main. legit *illisque* (R. T.).

CDXXIII.

Subsidium centum millium scutorum super redditibus ecclesiasticis in dominio Venetorum existentibus pro Republicâ Venetâ ad effectum illud in expensas contra Turcas, et non in alios usus, expendendi[2].

Alexander Papa VII, ad futuram rei memoriam.

Prooemium.

§ 1. Etsi nobis[3], pro curâ pastoralis officii divinâ disponente providentiâ nobis meritis licet imparibus commissi, nihil magis cordi sit, quam personas ecclesiasticas ab extraordinariis oneribus immunes semper conservare, idque, nisi summa necessitas cogat, reipsâ animo statuerimus; nihilominus, sicut iam omnibus notum esse debet, cum Turcarum tyrannus nefarium bellum, quod, a septemdecim vel circiter annis, dilectis filiis nobilibus viris duci et dominio Veneto-

1 Male ed. Main. legit *etiamsi illorum* (R. T.).

2 Ex Regest. in Secret. Brev.

3 Vide quamsimillimas Innocentii X Constitutiones in tom. XV, pag. 397, 638, 736 (R. T.).

rum intulit, etiamnum[1] ingenti apparatu maximisque viribus prosequatur, et propterea ipsi dux et dominium maiores quam unquam antea tam maritimas quam terrestres copias, ut se suaque tueantur, parare et instituere, ac proinde ingentes expensas facere modo compellantur : nos (considerantes non minus clericorum quam laicorum interesse, ut ea, quae ad defensionem huiusmodi necessaria sunt, studiose comparentur, quo christiani nominis hostes infensissimi a christifidelium cervicibus, adiuvante Domino, repellantur) cogimur de universi cleri dominii Veneti facultatibus in hoc gravissimo periculosissimoque casu fiduciam sumere, sperantes quod ipsi hoc onus urgentissimâ necessitate et iustissimâ de causâ a nobis sibi impositum aequo animo ferre non recusabunt. Motu itaque proprio, ac ex certâ scientiâ et maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, unum subsidium centum millium scutorum auri super omnibus et singulis fructibus, redditibus et proventibus secundum verum annuum valorem praesentis anni quarumcumque cathedralium, etiam metropolitanarum et patriarchalium, atque aliarum ecclesiarum, ac monasteriorum, prioratuum et beneficiorum ecclesiasticorum secularium quorumcumque, ac hospitalium, et quorumvis Ordinum et militiarum (non tamen hospitalis S. Ioannis Hierosolymitani, cuius fratres pro muniendâ et defendendâ adversus improbos eorumdem Turcarum conatus insulâ Melitanâ gravissimos sumptus subire et magnum aes alienum contrahere oportuit) regularium, cum curâ et sine curâ, in dicto dominio existentium, a venerabilibus fratribus patriarchis, archiepiscopis, episcopis et dilectis filiis electis, administratoribus, commendatariis, abbatibus, prioribus, praepositis, praelatis, capitulis, conventibus, ceterisque personis ecclesiasticis secularibus et regularibus quibuscumque, tam non exemptis quam quomodolibet exemptis, et quantumvis privilegiatis, etiam S. R. E. cardinalibus, necnon S. Benedicti, S. Augustini, Cisterciensium, Cluniacensium, Praemostratensium, Carthusiensium, Camaldulensium, Montis Oliveti, V. Ilis Umbrosae monachorum, eremitarum S. Hieronymi, et quorumcumque aliorum Ordinum, necnon Cassinensis, aliàs S. Iustinae, S. Salvatoris et Lateranensis aliarumque congregationum, tam virorum quam mulierum, etiam Mendicantium ex privilegio et aliàs bona immobilia seu certos redditus quoquo modo ecclesiasticos habentium, in dominio praedicto ecclesias, monasteria et alia beneficia ecclesiastica obtinentium, et fructus ecclesiarum, monasteriorum et beneficiorum huiusmodi, necnon pensiones annuas quantumcumque exemptas, et sub quibusvis obligationibus, etiam in formâ camerae apostolicae, et iuramento, etiam cum[1] susceptione censurarum, et de non contraveniendo, ac etiam fortasse de non impetrando gratias nostras contra eos, et concessis non utendo, vallatis, et forsan aliis etiam efficacioribus cautelis et decretis ac clausulis, super iisdem fructibus et pensionibus, etiam medio cedularum banchi, seu in formâ depositi, habentibus, et intra praesentem annum habituris, cuiuscumque praeeminentiae, status, gradus, ordinis et conditionis, etiam religionis vel militiae existant (quibus aut quorum aliquibus ulla privilegia, exemptiones, aut indulta sub quacumque verborum formâ et expres-

Imponit solutionem ut in rubricâ.

1 Nunc demum constat quod in tom. XV, pagina 638, *etiamnum* pro *Rhenum* erat legendum (R. T.).

1 Hinc patet in tom. XV pag. 639 *a* loc. parallelo *cum* pro *vim* fuisse legendum (R. T.).

sione concessa quoad hoc nullatenus suffragari posse volumus; fratribus et personis dicti hospitalis S. Ioannis Hierosolymitani in totum et omnino, ceteris vero hospitalibus hospitalitatem actu servantibus pro eâ quantitate tantum, quam in servandâ ipsâ hospitalitate exponunt, dumtaxat exceptis, et dummodo a personis Ordinum Mendicantium nonnisi medietas eius partis, quae ratione subsidii huiusmodi ab eis solvenda esset, solum exigatur) proportionabiliter et aequaliter iuxta verum valorem praedictum inter praedictas personas ecclesiasticas secundum aequalem et discretam partitionem, quam ad nos quamprimum mitti mandamus, per venerabiles fratres Iacobum archiepiscopum Athenarum, nuncium nostrum, et patriarcham Venetiarum distribuendum, ac in locis et terminis modisque et formis per ipsos Iacobum archiepiscopum nuncium et patriarcham, quos collectores generales subsidii huiusmodi harum serie constituimus et deputamus, statuendis, ordinandis et declarandis, omnino de praesenti anno persolvendum, ac per eos et eorum subcollectores (qui sint personae ecclesiasticae) ad hoc ab ipsis deputandos percipiendum, exigendum et levandum, ac duci et dominio praedictis cum effectu consignandum, ut illud in expensas necessarias contra dictos Turcas et non in alios usus convertere valeant, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, imponimus, impositumque fore et esse decernimus et declaramus.

Contravenientium poenae.

§ 2. Necnon eisdem collectoribus generalibus, et ab eis deputandis subcollectoribus huiusmodi, a patriarchis, archiepiscopis, episcopis, administratoribus, electis, abbatibus, commendatariis, prioribus, praeceptoribus, praepositis, praelatis, capitulis[1], conventibus et aliis personis ecclesiasticis praedictis (praeterquam, ut supra, exceptis) ratam dicti subsidii, eos et eorum quemlibet ut praemittitur tangentem, petendi, exigendi et colligendi, eisque et eorum singulis, ut illam modo praemisso solvant, per poenas, quoad patriarchas, archiepiscopos et episcopos, interdicti et suspensionis ingressus ecclesiae, quoad alios vero, privationis beneficiorum ecclesiasticorum per eos quomodolibet obtentorum, et alias de quibus illis videbitur, etiam pecuniarias, ac demum per sententiam excommunicationis, aliasque censuras ecclesiasticas, ceteraque opportuna iuris et facti remedia, mandandi et praecipiendi, contradictores quoslibet, rebelles et suam ipsius subsidii partem solvere recusantes seu differentes, et ne illa solvatur persuadentes directe vel indirecte, per poenas, censuras et remedia huiusmodi, appellatione postpositâ, compescendi, brachii quoque secularis auxilium, si opus fuerit, ad hoc invocandi, solventes de solutis quietandi et liberandi, a censuris et poenis, quas praemissorum occasione quomodolibet incurrerint, absolvendi, et generaliter omnia et singula alia in praemissis et circa ea necessaria, seu quomodolibet opportuna, etiamsi mandatum exigerent magis speciale quam praesentibus sit expressum, faciendi, gerendi, ordinandi, mandandi et exequendi, plenam et liberam, auctoritate et tenore praedictis, facultatem concedimus et potestatem. Volentes tamen quod personae ecclesiasticae ratione subsidii huiusmodi eam tantum quantitatem solvere teneantur, quam ratione similium subsidiorum a felicis recordationis Innocentio Papa X praedecessore nostro et nobis respective concessorum solverunt, et nihil amplius; quodque expensae, quae circa exactionem subsidii huiusmodi forsan faciendae fue-

1 Edit. Main. legit *capitulo* (R. T.).

rint, in centum millibus scutis praedictis minime computari debeant, sed dictae personae ecclesiasticae expensas ipsas, ultra ratam partem quam ratione eiusdem subsidii solvere debebunt, etiam persolvere teneantur.

Derogatio contrariorum.

§ 3. Non obstantibus quibusvis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, etiam in conciliis universalibus editis, necnon ecclesiarum, monasteriorum, prioratuum, Ordinum, congregationum et militiarum huiusmodi, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, stabilimentis, usibus et naturis, privilegiis quoque, indultis, exemptionibus et immunitatibus, etiam in corpore iuris clausis, ac litteris apostolicis, ecclesiis, monasteriis, prioratibus, praeceptoriis, praelatis, capitulis, conventibus, Ordinibus, congregationibus et militiis, aliisque praedictis, in genere vel in specie, sub quacumque formâ et verborum expressione, a nobis et Sede Apostolicâ, etiam consistoríaliter, et motu simili, ac aliàs quovis modo emanatis, concessis, ac etiam iteratis vicibus confirmatis, approbatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro sufficienti eorum derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, et in eis caveatur expresse quod per huiusmodi clausulas generales eis nullatenus derogetur nec derogatum esse censeatur nisi sub certis modo et formâ in eis expressis, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum insererentur, praesentibus pro sufficienter expressis et insertis, ac modum et formam ad id servandos pro individuo servatis habentes, ad praemissorum effectum dumtaxat, illis aliàs in suo robore permansuris, derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque;

§ 4. Aut si patriarchis, archiepiscopis, episcopis, electis, administratoribus, abbatibus, commendatariis, ceterisque praedictis, et quibusvis aliis, communiter vel divisim, ad eâdem sit Sede indultum quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Transumptorum fides.

§ 5. Volumus autem quod, iuxta ordinationem in concilio Viennensi super hoc editam, calices, libri et alia ornamenta ecclesiarum, monasteriorum, prioratuum et aliorum beneficiorum et piorum locorum sub praesentibus comprehensorum divino cultui dedicata causâ pignoris vel aliàs occasiône solutionis subsidii huiusmodi nullatenus capiantur, distrahantur, vel occupentur; quodque earumdem praesentium litterarum transumptis, manu notarii publici subscriptis, et sigillo alicuius ex dictis collectoribus vel alterius praelati ecclesiastici munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra ubique habeatur, quae ipsis praesentibus haberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die III februarii MDCLXIII, pontificatus nostri anno VIII.

Dat. die 3 februarii 1663, pontif. anno VIII.

CDXXIV.

Quod fratribus laicis congregationis Gallicanae fratrum Reformatorum nuncupatorum SS. Trinitatis redemptionis captivorum non competit ius suffragandi in electionibus et receptionibus novitiorum in capitulis.

Alexander Papa VII,
ad futuram rei memoriam.

Supplicatio. Cum, sicut dilectus filius procurator generalis congregationis Gallicanae fratrum Reformatorum nuncupatorum Ordinis SS. Trinitatis redemptionis captivorum nobis nuper exponi fecit, fratres conversi seu laici dictae congregationis se ab eorum superioribus et fratribus sacerdotibus eiusdem congregationis voce activâ et iure suffragandi, secundum dispositionem regulae dicti Ordinis, a felicis recordationis Innocentio Papa III praedecessore nostro specifice confirmatae, fratribus clericis et laicis aequaliter competente, nulliter et de facto spoliatos esse praetenderint, eâque super re ad venerabiles fratres nostros sanctae Romanae Ecclesiae cardinales negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositos recursum habuerint, dictus vero procurator generalis controversiam huiusmodi a nobis dirimi summopere desideret:

Confirmat ut in rubricâ. § 1. Nos, ipsum procuratorem generalem specialis favore gratiae prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, et eorumdem cardinalium, qui rem partibus auditis mature examinarunt ac discusserunt, consilio, fratribus laicis huiusmodi non competere ius suffragandi in electionibus et receptionibus novitiorum, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, declaramus ac decernimus, et ita imposterum servari mandamus et praecipimus.

Clausulae. § 2. Decernentes easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariis derogat. § 3. Non obstantibus in contrarium allatis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon, quatenus opus sit, praedictorum Ordinis et congregationis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides transumptorum. § 4. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem fides in iudicio et extra adhibeatur, quae praesentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die x februarii MDCLXIII, pontificatus nostri anno VIII.

Dat. die 10 februarii 1663, pontif. anno VIII.

CDXXV.

Confirmatio decreti circa prohibitionem erectionis novorum conventuum in provinciâ Aragoniae Ordinis fratrum sancti Francisci de Observantiâ[1].

Alexander Papa VII,
ad futuram rei memoriam.

Motiva. § 1. Aliàs, pro parte dilecti filii Bernardini Saeton, fratris et procuratoris provinciae Aragoniae Ordinis fratrum Minorum sancti Francisci de Observantiâ nuncupatorum, congregationi venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositae exposito, quod dudum (considerato per felicis recordationis Clementem Papam VIII praedecessorem nostrum in provinciâ Carthaginensi dicti Ordinis, licet angustâ, triginta tres, et ex illis octo fratrum recollectorum conventus contineri; provinciam vero Ss. Ioannis Baptistae et Iosephi in eiusdem regionis circuitu septem conventus habere, aliosque de novo erigere, unde seculares praegravabantur; dicti autem recollecti eleemosynis quotidianis vivere nequibant, sed a puritate regulae recedere cogebantur, eleemosynas ad sui sustentationem accumulando; quinimmo, ob conventuum multitudinem, necesse illis erat novitios omnis generis recipere) ipse Clemens praedecessor, ut his aliisque inconvenientibus occurreret, ordinaverat ne ex tunc in posterum aedificari posset ullus conventus prope alios erectos intra spatium quatuor vel quinque leucarum, prout in eiusdem Clementis praedecessoris litteris die XI iulii MDCI desuper expeditis uberius dicitur contineri; et in eâdem expositione subiuncto, quod in praefatâ provinciâ Aragoniae eadem imo maiora nascebantur inconvenientia, cum illa, intra minoris regionis spatium, viginti septem conventus et duo oratoria contineret, et ex illis quinque recollectorum regulam in illis pure observantium, necnon septemdecim conventus fratrum Minorum Ordinis eiusdem sancti Francisci Cappuccinorum nuncupatorum in eiusdem regni ambitu, et quamplures alii diversorum Ordinum Mendicantium reformatorum atque discalceatorum conventus reperirentur, ex quibus et seculares valde gravabantur, et quamplurimae, ob novarum fundationum praetensiones, tam inter seculares quam inter clericos et regulares oriebantur discordiae, cum maximo regularis disciplinae detrimento, ac etiam populorum scandalo; ideoque per praefatum Bernardinum dictae congregationi supplicato ut ordinaret ne in dictâ provinciâ seu regno ad ullam conventuum, domorum, sive hospitiorum, tam fratrum Cappuccinorum, quam aliorum regularium, erectionem, seu illorum retentionem, deveniri posset infra spatium quinque leucarum prope alios erectos, sine illorum consensu, et absque expressâ Sedis Apostolicae licentiâ, prout similiter pro provinciâ Burgensi et Granatensi ordinatum fuisse idem Bernardinus asserebat: emanavit ab eâdem congregatione decretum tenoris qui sequitur, videlicet:

Decretum sacrae congregationis. « Sacra congregatio eminentissimorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praeposita, attentis narratis, censuit et decrevit servandam esse formam ac tenorem memorati Brevis sanctae memoriae Clementis VIII etiam in provinciâ Aragoniae Ordinis huiusmodi; ideoque nedum fratribus Cappuccinis, sed etiam aliis cuiuslibet Ordinis regularibus novorum conventuum, hospitiorum

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

seu domorum, et sub quovis titulo habitationum erectionem absque Sedis Apostolicae licentiâ contra tenorem dicti Brevis in praefatâ provinciâ esse prohibendam et interdicendam[1], prout harum serie prohibet et interdicit; contrariis quibuscumque non obstantibus. Romae XII ianuarii MDCLIII.

M. cardinalis GINETTUS.

E. episcopus Camerinensis, secretarius.

Loco † sigilli ».

Decretum Pontifex confirmat

§ 2. Cum autem, sicut dictus Bernardinus nobis nuper exponi fecit, ipse decretum huiusmodi, pro illius firmiori subsistentiâ, apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri summopere desideret: nos, ipsum Bernardinum specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, decretum praeinsertum, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus; salvâ tamen semper in praemissis auctoritate praefatae congregationis cardinalium.

Clausulae.

§ 3. Decernentes easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, plenissime suffragari, ac ab illis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contraria tollit.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XII februarii MDCLXIII, pontificatus nostri anno VIII.

Dat. die 12 februarii 1663, pontif. anno VIII.

CDXXVI.

Iubilaeum ad divinam opem implorandam[1].

Alexander Papa VII,

Universis christifidelibus praesentes litteras inspecturis, salutem et apostolicam benedictionem.

Exordium.

§ 1. Omnipotens Deus, magnus dominus noster, cuius sapientiae non est numerus, infima mundi minime spernens, nostram infirmitatem et humilitatem ad summum apostolatus gradum provehere dignatus est, ut eius solius virtute confisi, iis, quae in eius grege, magno pretio empto, remediis indigent, opportune subveniremus. Quapropter, Ecclesiae suae nobis creditae necessitates animadvertentes, ad remedia nobis divinâ illius clementiâ tradita confugere opus esse existimavimus, ad poenitentiam scilicet, orationem, ieiunia et eleemosynas; sperantes quod, qui nos[2] castigat propter peccata nostra, ad eum conversos benigne respiciet, et, communes populi sui supplicantis voces exaudiens, misericordiarum suarum participes reddet.

1 Ed. Main. habet *prohibendum et interdicendum* (R. T.).

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

2 Edit. Main. legit *non* pro *nos* (R. T.).

Quamobrem omnes utriusque sexus christifideles paterne in Domino requirimus, et enixe per viscera misericordiae Dei nostri hortamur, ut convertantur ad Dominum in toto corde, et per salutarem poenitentiam se ab omni vitiorum labe expurgent, peccata sua eleemosynis rediment, ac veteris[1] exuentes, iustitiam induant et sanctitatem, ita ut omnes, spiritu renovati, adire possimus cum fiduciâ sanctuarium Dei in humilitate cordis et contritione, et quibus nunc indigemus auxilia per Iesum Christum dominum nostrum consequi mereamur, eaque mala et incommoda, quibus christiana respublica premitur, et pericula, quae impendent, procul ipse avertat et Ecclesiae suae sanctae succurrat.

Iubilaeum instituit.

§ 2. Ut autem christifideles unanimes pro exaltatione sanctae Matris Ecclesiae, verae fidei propagatione, haeresumque extirpatione, principum christianorum concordiâ et unione, cunctisque Ecclesiae necessitatibus, ac pro nostrâ totiusque christiani populi salute eo libentius Deum precentur, quo uberius spiritualibus gratiis se refertos esse cognoverint, de omnipotentis Dei misericordiâ ac beatorum Petri et Pauli eius apostolorum auctoritate confisi, ex illâ ligandi atque solvendi potestate, quam nobis Dominus, licet indignis, contulit, universis et singulis utriusque sexus christifidelibus in almâ Urbe degentibus, qui S. Ioannis in Laterano, Principis Apostolorum et S. Mariae Maioris eiusdem Urbis ecclesias seu basilicas, vel ecclesiarum huiusmodi alteram, spatio duarum proximarum hebdomadarum semel saltem visitaverint, ibique per aliquod temporis spatium devote, ut supra, Deum oraverint, ac quartâ et sextâ feriâ ac sabbato alterius ex praedictis hebdomadis ieiunaverint, et peccata sua confessi SS. Eucharistiae Sacramentum in dominicâ die immediate sequenti vel aliâ die infra eamdem hebdomadam reverenter sumpserint, ac pauperibus aliquam eleemosynam, prout unicuique suggeret devotio vel possibilitas, erogaverint; ceteris vero extra Urbem ubicumque degentibus, qui ecclesias ab Ordinariis locorum vel eorum vicariis seu officialibus, aut de eorum mandato, et, ipsis deficientibus, per eos, qui ibi curam animarum exercent, postquam ad eorum notitiam hae nostrae pervenerint designandas, vel ecclesiarum huiusmodi alteram, spatio duarum[1] similiter hebdomadarum a publicatione designationis per Ordinarios vel eorum vicarios seu officiales, vel alios, ut praefertur, faciendae decurrendarum, saltem semel visitaverint, ibique, ut supra, oraverint, ac quartâ et sextâ feriâ ac sabbato alterius ex hebdomadis huiusmodi ieiunaverint, pariterque peccata sua confessi, ac in die dominicâ immediate sequenti, vel aliâ die infra eamdem hebdomadam, sanctissimâ communione refecti fuerint, et pauperibus aliquam eleemosynam, ut praemittitur, erogaverint, plenissimam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem, sicut in anno iubilaei visitantibus certas ecclesias intra et extra Urbem nostri praedecessores concedere consueverunt, tenore praesentium concedimus et elargimur; navigantes vero et iter agentes, ut, cum primum sese ad sua domicilia receperint, suprascriptis peractis, et visitatâ ecclesiâ cathedrali, vel maiore aut provinciali loci eorum domicilii, eamdem indulgentiam consequi possint et valeant; regularibus autem personis utriusque sexus, etiam in claustris perpetuo degentibus, necnon aliis quibuscumque, tam laicis quam ecclesiasticis, secularibus vel re-

1 Forsan *vetera* legendum (R. T.).

1 Ed. Main. legit *duorum* (R. T.).

gularibus, etiam in carcere aut captivitate existentibus, vel aliquâ corporis infirmitate, seu alio quocumque impedimento detentis, qui supra expressa vel eorum aliqua praestare nequiverint, ut illa confessarius ex iam approbatis a locorum Ordinariis ante praesentium publicationem, seu approbandis, eis in alia pietatis opera commutare, vel in aliud proximum tempus prorogare possit, eaque iniungere, quae ipsi poenitentes efficere poterunt, pariter concedimus et indulgemus. Insuper omnibus et singulis christifidelibus utriusque sexus, tam laicis quam ecclesiasticis, secularibus et regularibus cuiuscumque Ordinis, congregationis et instituti tam in Urbe praedictâ quam extra eam ubique locorum, ut praefertur, degentibus, licentiam concedimus et facultatem ut sibi ad hunc effectum eligere possint quemcumque presbyterum confessarium, tam secularem quam cuiusvis Ordinis et instituti regularem, ex approbatis, ut praemittitur, a locorum Ordinariis, qui eos ab omnibus excommunicationis, suspensionis et aliis ecclesiasticis sententiis et censuris, a iure vel ab homine, quavis causâ latis seu inflictis, necnon ab omnibus peccatis, excessibus, criminibus et delictis, quantumvis gravibus et enormibus, etiam locorum Ordinariis, sive nobis et Sedi Apostolicae, etiam in litteris die Coenae Domini legi solitis contentis, et aliàs per quascumque nostras aut Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum constitutiones, quarum tenores praesentibus haberi volumus pro expressis, quomodocumque reservatis, in foro conscientiae et hac vice tantum absolvere et liberare valeant, et insuper vota quaecumque (religionis et castitatis exceptis) in alia pia et salutaria opera commutare, iniunctâ tamen eis et eorum cuilibet in supradictis omnibus casibus poenitentiâ salutari, aliisque eiusdem confessarii arbitrio iniungendis. Quapropter, tenore praesentium, in virtute sanctae obedientiae districte praecipimus et mandamus omnibus et quibuscumque venerabilibus fratribus patriarchis, archiepiscopis, episcopis et aliis ecclesiarum praelatis, ac quibuscumque Ordinariis locorum ubicumque existentibus, eorumque vicariis et officialibus, vel, iis[1] deficientibus, illis qui curam animarum exercent, ut, cum praesentium litterarum transumpta aut exempla etiam impressa acceperint, illa statim, absque ullâ morâ, retardatione, vel impedimento, per suas ecclesias et dioeceses, provincias, civitates, oppida, terras et loca publicari faciant, ecclesiamque seu ecclesias visitandas designent, ne aliàs ulterius praesentium litterarum executio protrahatur. Non intendimus autem per praesentes super aliquâ irregularitate publicâ vel occultâ, notâ, defectu, incapacitate seu inhabilitate quoquomodo contractâ dispensare, vel aliquam facultatem tribuere dispensandi, seu habilitandi et in pristinum statum restituendi, etiam in foro conscientiae, neque etiam easdem praesentes, iis qui a nobis et Apostolicâ Sede vel ab aliquo praelato seu iudice ecclesiastico excommunicati, suspensi et interdicti, seu aliàs in sententias et censuras incidisse declarati, vel publice denunciati fuerint, nisi infra tempus dictarum duarum hebdomadarum satisfecerint aut cum partibus concordaverint, ullo modo suffragari posse aut debere.

§ 3. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, praesertim quibus facultas absolvendi in certis tunc expressis casibus ita Romano Pontifici pro tempore existenti reservatur, ut nec etiam similes vel dissimiles in- Contrariis derogat.

1 Ed. Main. legit *aliis* pro *iis* (R. T.).

dulgentiarum et facultatum huiusmodi concessiones, nisi de illis expressa mentio aut specialis derogatio fiat, unquam suffragari queant, necnon regulâ nostrâ de non concedendis indulgentiis ad instar, ac quorumcumque ordinum et congregationum sive institutorum regularium, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, seu quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, eisdem ordinibus, congregationibus et institutis illorumque personis quomodolibet concessis, approbatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica et individua, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores praesentibus pro sufficienter expressis et formam in eis traditam pro servatâ habentes, hac vice specialiter, nominatim et expresse, ad effectum praesentium, derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis danda fides.

§ 4. Ut autem praesentes nostrae, quae ad singula loca deferri non possunt, ad omnium notitiam facilius deveniant, volumus ut earumdem praesentium transumptis, vel exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, ubique locorum et gentium, eadem prorsus fides habeatur, quae haberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XVI februarii MDCLXIII, pontificatus nostri anno VIII.

Dat. die 16 februarii 1663, pontif. anno VIII.

CDXXVII.

Confirmatio decreti congregationis episcoporum et regularium, quo statuitur ne posthac in provinciâ Mediolanensi Ordinis fratrum Minorum sancti Francisci de Observantiâ ad fundationes novorum conventuum, nedum fratrum reformatorum Observantiae sancti Francisci, verum etiam cuiusvis alterius Ordinis Mendicantium procedi possit, nisi servatâ a conventibus dictorum fratrum Minorum distantiâ decem milliarium mensurae illarum partium [1].

Alexander Papa VII, ad futuram rei memoriam.

Expositio.

§ 1. Nuper, pro parte dilectorum filiorum ministri provincialis et totius definitorii provinciae Mediolanensis fratrum Minorum Ordinis sancti Francisci de Observantiâ nuncupatorum congregationi venerabilium fratrum nostrorum sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositae exposito quod, licet fratres Reformati nuncupati eiusdem provinciae Mediolanensis plures conventus quam aliae provinciae reformatae in Lombardia, dominio Reipublicae Ianuensis, Hetruria, Marchia Anconitana, ac Umbria et regno Neapolitano consistentes habere reperirentur, ipsi fratres Reformati nihilominus novos sui instituti conventus in locis, ubi tam fratres Minores de Observantiâ quam Cappucini eleemosynas pro sustentatione religiosorum in eorum respective conventibus degentium quaerere solent, erigi procurare non cessabant, nunc hos, nunc illos inquirendo; et in eâdem expositione subiuncto quod, si novi conventus huiusmodi erigerentur, religiosi

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

in conventibus iam erectis eo numero, quo ad obeunda divina obsequia requiritur, sustentari nequirent; ideoque ad ad evitandum tam grave praeiudicium per eosdem exponentes praefatae cardinalium congregationi supplicato ut, quemadmodum ipsa congregatio pro Burgensi, Granatensi et Aragoniae per diversa decreta, et felicis recordationis Clemens Papa VIII praedecessor noster pro Carthaginensi, provinciis, fratrum Minorum de Observantiâ dicti Ordinis per quasdam suas in simili formâ Brevis litteras mense ianuario MDCI expeditas, respective in simili casu providisse seu decrevisse reperiuntur, ita quoque in praemissis, seu aliàs opportune provideret: emanavit ab eâdem congregatione decretum tenoris qui sequitur, videlicet:

Sacrae congregationis decretum.

« Sacra congregatio eminentissimorum sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praeposita, ad quam sanctissimus dominus noster antescriptas preces remisit, ad hoc ut in posterum provinciae huiusmodi tranquillitati et paci consulatur [1], et discordiis litibusque praecludatur aditus, audito procuratore generali Ordinis, statuit et decrevit, ne posthac in dictâ provinciâ ad fundationem novorum conventuum nedum fratrum reformatorum Observantiae sancti Francisci, verum etiam cuiusvis alterius Ordinis Mendicantis procedi possit, nisi servatâ a conventibus oratorum distantiâ decem milliariorum mensurae illarum partium. Et ita harum vigore decrevit servarique mandat ac praecipit, contrariis quibuscumque non obstantibus. Romae XXVI ianuarii MDCLXIII.

M. cardinalis GINETTUS.

E. episcopus Camerinensis, secretarius.

Loco † signi ».

1 Male edit. Main. legit *consolatur* pro *consulatur* (R. T.).

§ 2. Cum autem [1], sicut praefati minister provincialis et definitorium nobis subinde exponi fecerunt, ipsi decretum huiusmodi, pro firmiori illius subsistentiâ et observatione, apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri summopere desiderent: nos, specialem ipsis exponentibus gratiam facere volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, decretum praeinsertum, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus; salvâ tamen semper in praemissis auctoritate praefatae congregationis cardinalium.

Decretum praefatum confirmat Pontifex.

§ 3. Decernentes easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Clausulas apponit.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Contraria tollit.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XVI

1 Similem confirmationem similis decreti habes supra pag. 129 (R. T.).

februarii MDCLXIII, pontificatus nostri anno VIII.

Dat. die 16 februarii 1663, pontif. anno VIII.

CDXXVIII.

Confirmatio statuti super uniformitate habitus congregationis Vallis Umbrosae et Silvestrinae[1].

Alexander Papa VII,
ad futuram rei memoriam.

Expositio. § 1. Exponi nobis nuper fecit dilectus filius abbas generalis congregationis Vallis Umbrosae ac Silvestrinae Ordinis sancti Benedicti, quod, cum per nostras in simili formâ Brevis litteras, per quas congregationes monachorum Vallis Umbrosae et Silvestrinorum in unam coniunximus et univimus, inter alia caveatur expresse ut constitutiones ambarum congregationum huiusmodi a dicto abbate generali et aliis per easdem litteras deputatis revideantur, et ad congruentem tertiam formam reducantur, ipse abbas generalis et deputati praefati, habitis desuper pluribus congressibus, inter alia statutum ediderant tenoris qui sequitur, videlicet:

Statutum. § 2. « Cum nostrum sit omni studio in eam curam incumbere ut constitutio super unione congregationum Vallis Umbrosae et Silvestrinae a sanctissimo domino nostro in commune bonum religionis non ita pridem edita suum in omnibus sortiatur effectum, et proinde monachi omnes sub uno capite in unam congregationem iam redacti in cunctis uniformiter procedant; haec vero uniformas, propter fulvum et intermedium colorem quo hucusque usi sunt, vix servari possit, imo et monachi Vallis Umbrosae inter se, et Silvestrini a Silvestrinis saepe saepius discrepent: idcirco praecipimus ut omnes et singuli nostrae congregationis monachi, dimisso habitu memorati coloris, imposterum nigris tantum incedant vestibus, ut sic appareant esse monachi unius et eiusdem congregationis; ac propterea laneum collare album supra vestem gestent, ut reliquos monasticos Ordines imitentur, atque in caputii, cucullae ac vestium structurâ eadem prorsus ab omnibus servetur forma, et in superiori et inferiori labio et mento aliquantulum deferant barbae, omni prorsus curiositate et vanitate reiectâ atque interdictâ ».

Statutum praeinsertum confirmat Pontifex. § 3. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, dictus abbas generalis statutum huiusmodi apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri summopere desideret: nos, ipsius abbatis generalis votis in praemissis favorabiliter annuere volentes, ipsumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, statutum praeinsertum, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos iuris et facti defectus, si qui desuper intervenerint, supplemus.

Decretum irritans. § 4. Decernentes statutum praeinsertum ac praesentes litteras semper firma, valida et efficacia existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, inviolabiliter observari, sicque in

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

itraria tollit. § 5. Non obstantibus omnibus et singulis illis, quae in litteris nostris supradictis voluimus non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumpto- fides. § 6. Volumus autem, ut earumdem praesentium litterarum transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique locorum, tam in iudicio quam extra illud adhibeatur, quae ipsismet praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XX februarii MDCLXIII, pontificatus nostri anno VIII.

Dat. die 20 februarii 1663, pontif. anno VIII.

CDXXIX.

Confirmatio, et, quatenus opus sit, innovatio Brevium Pii IV, et in eis relatarum necnon Pii V litterarum, ad favorem domus seu hospitalis ac archiconfraternitatis et monasterii SS. Annunciationis neophytorum et cathecumenorum de Urbe, cum decreto quod Gregorii XV aliaeque super exemptorum privilegiis emanatae constitutiones apostolicae, quoad impediendum liberum exercitium iurisdictionis tam spiritualis quam temporalis in domo seu hospitali ac monasterio praedictis cardinali protectori pro tempore existenti per Brevia praedicta concessum, nequaquam locum habeant, etc.[1],

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

Alexander Papa VII.
ad perpetuam rei memoriam.

Illius, qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, vices, licet immeriti, gerentes in terris, ex debito pastoralis officii nobis commissi circa statum omnium christifidelium, et praesertim eorum, qui, ex iudaicâ caecitate ad veri luminis agnitionem, Deo donante, conversi, divinis obsequiis sese sub suavi religionis iugo devoverunt, ac christianae charitatis et aliis pietatis operibus sedulo incumbunt, propensis studiis intendimus, ac illorum felici regimini et gubernio salubriter providere satagemus[1], sicut in Domino cognoscimus expedire. Procemium.

§ 1. Exposuit siquidem nobis nuper dilectus filius noster Benedictus tituli S. Honuphrii sanctae Romanae Ecclesiae presbyter cardinalis Odescalcus nuncupatus, modernus domus seu hospitalis ac archiconfraternitatis et monasterii SS. Annunciationis neophytorum et cathecumenorum de Urbe apud nos et Sedem Apostolicam protector, quod, licet[2] dudum (postquam felicis recordationis Pius Papa IV praedecessor noster per quasdam suas in simili formâ Brevis, die XXIII ianuarii MDLX expeditas litteras, indulta, privilegia et gratias, a diversis Romanis Pontificibus, suis nostrisque praedecessoribus, domui seu hospitali ac archiconfraternitati et monasterio praedictis concessa, apostolicâ auctoritate approbaverat et confirmaverat) emanaverint ab eodem Pio praedecessore aliae pariter in formâ Brevis litterae tenoris qui sequitur, videlicet: Expositio.

« *Pius Papa IV, ad perpetuam rei memoriam.* Cum, inter ceteras Romani Pontificis, qui Christi vices gerit in terris, sollicitudines, illa potissimum ipsius Constitutio Pii IV.

1 Potius lege *satagimus* (R. T.).

2 Apodosis huius syntaxis sequitur postea ad § 4 *Nihilominus*, pag. 141 *b* (R. T.).

animum urgeat, ut eos, quos Satanae perfidia a Christi fide alienat, ad Ecclesiae gremium reducat; decet eum his saepe, quae per praedecessores suos in neophytorum commodum provide facta et concessa dicuntur[1], apostolici muniminis adiicere firmitatem, ac illa, ut exinde optatum consequantur effectum, indulgentiis et peccatorum remissionibus christifideles ad id alliciendo, favoribus prosequi opportunis.

Prosequitur Bulla Pii V.

§ 2. Exponi siquidem nobis nuper fecerunt dilecti filii praepositus, administrator, rector, gubernator, oeconomus, ministri et aliae personae archiconfraternitatis iudaeorum, hebraeorum et infidelium conversorum almae Urbis nostrae, quod[2] (cum aliàs felicis recordationis Paulus Papa III praedecessor noster[3], postquam intellexerat nonnullos hebraeos seu iudaeos divinitus inspiratos tenebrosam caecitatem qua tunc detinebantur abiecisse, et ad veri luminis cognitionem conversos sacro Baptismatis fonte ablutos[4] fuisse, ac, ob diversa munera et gratias ex Sedis Apostolicae benignitate eis concessa, quamplurimos alios haebreos seu iudaeos, simili accensos desiderio, eamdem caecitatem abiicere, et ipsum verum Dei lumen agnoscere desiderare, cumque[5] in dictâ Urbe nullus locus existeret, in quo ipsi ex iudaicâ caecitate ad Christi fidem conversi recipi valerent, idem Paulus praedecessor, supplicationibus sibi tunc pro parte dilecti filii Ioannis de Torano rectoris parochialis ecclesiae S. Ioannis de Mercato regionis Campitelli dictae Urbis desuper porrectis inclinatus, eidem Ioanni unum monasterium pro puellis, et unum hospitale, sub S. Iosephi, seu aliâ de qua eidem Ioanni videretur, invocatione, pro viris iudaeis, et aliis pro tempore ad Christi fidem convertendis, prope ecclesiam S. Ioannis praefatam, in loco ad tunc[1] designato, ex bonis sibi a Deo collatis et christifidelium eleemosynis concessis et concedendis, construi faciendi licentiam et facultatem concesserit; et, postquam constructa fuerit[2], in monasterium et hospitale eorumdem iudaeorum conversorum sine alicuius praeiudicio perpetuo erexerit, illisque pro illorum dote bona quaecumque illis eroganda et relinquenda perpetuo applicaverit et appropriaverit; ac in monasterio et hospitali praefatis unam archiconfraternitatem, quae[3] caput omnium aliarum confraternitatum et hospitalium, monasteriorum et aliorum locorum conversorum huiusmodi ubilibet pro tempore institutorum et erectorum, instituendo, ipsas eidem archiconfraternitati immediate subiecerit, et membra ab eâ fecerit dependentiâ, ita quod confraternitates, monasteria, hospitalia ac loca, ad usum huiusmodi, ut praefertur, constructa, ipsam archiconfraternitatem in aliquâ saltem reverentiâ singulis annis recognoscere tenerentur; necnon confratribus, monasterio, hospitali, ac ecclesiae praedictis, illorumque administratoribus, gubernatoribus, rectoribus, oeconomis, ministris, conversisque, et aliis personis pro tempore in eis[4] existentibus, seu de illis ac monasterii[5] et ho-

1 Ed. Main. legit *dicantur* (R. T.).

2 Syntaxis suspensa manet, ut videtur, usque post sequent. parenthesim ad pag. 138 *a* (R. T.).

3 Vide Pauli III Const. XLVI relatam in tom. VI pag. 353 huius nostrae editionis (R. T.).

4 Male edit. Main. legit *absolutos* (R. T.).

5 Aptius legerem *quodque* (R. T.).

1 In loc. parall. legitur *ad id* (R. T.).

2 Ex loc. parall. legendum *fuerint* (R. T.).

3 Suppl. *esset* (R. T.).

4 Male edit. Main. legit *ac* pro *in eis* quod legitur in loc. parall. (R. T.).

5 Male ed. Main. legit *monasteriis* pro *monasterii* (R. T.).

spitalis praedictorum fabricâ curam aliquam habentibus, nec non tam[1] personis inibi pro tempore decedentibus, seu aliquid de bonis suis praedictis[2] operibus relinquentibus, quod omnibus et singulis privilegiis, exemptionibus, libertatibus, immunitatibus, indulgentiis, etiam plenariis, ac peccatorum remissionibus, et aliis gratiis spiritualibus, Imagini[3] SS. Salvatoris ad Sancta Sanctorum, et Charitatis, et Corporis Christi, Sacramenti, et Campisancti confraternitatibus, archihospitali S. Iacobi in Augusta, et Sancti Spiritus in Saxia hospitali dictae Urbis, ceterisque hospitalibus et confraternitatibus suis[4] eâdem Urbe consistentibus, et fabricae Principis Apostolorum dictae Urbis, illiusque deputatis, et eorum ac B. Mariae de Populo, Consolationis, S. Ioannis Baptistae Florentinorum, et eiusdem Campi Sancti, aliisque eiusdem Urbis ecclesiis, ac illa et illas[5] visitantibus, vel illorum benefactoribus, eorumque administratoribus et guardianis, rectoribus, oeconomis generalibus, et aliis personis similem curam in eis sumentibus, ac iudaeis et conversis quibuscumque, etiam per eumdem Paulum et quoscumque alios Romanos Pontifices etiam praedecessores suos ac Sedem eamdem hactenus quomodolibet concessis et in futurum concedendis, quae omnia et litteras desuper confectas praefatus Paulus praedecessor haberi voluit pro expressis, et quibus illae, illi et illa utebantur, potiebantur et gaudebant, ac uti, potiri et gaudere poterant quomodolibet in futurum, archiconfraternitas, illiusque confratres, monasterium tunc construendum, hospitale, et ecclesia, illorumque administratores, familiares, ministri, oeconomi, et aliae personae similem curam inibi sumentes et illa visitantes ac eis benefacientes, ex tunc et in perpetuum uti, potiri et gaudere quomodolibet libere et licite valerent, in omnibus et per omnia perinde ac si monasterio et hospitali ac ecclesiae et confratribus praedictis, illorumque rectoribus, administratoribus, gubernatoribus, oeconomis, servitoribus, familiaribus, ministris et conversis, et illis[1] personis, ac illa visitantibus et eis benefacientibus pro tempore specialiter et expresse concessa fuissent, et in futurum concederentur, necnon presbyteris quibuscumque, qui in monasterio, seu hospitali, aut ecclesiâ praedictis quocumque tempore celebrarent, et pro quibus iidem presbyteri inibi celebrarent et orarent, easdem indulgentias et peccatorum remissiones, quae celebrantibus in Scalâcaeli et Trium Fontium nuncupatorum monasteriorum sancti Francisci de Observantiâ et Cisterciensis respective Ordinum[2] extra muros dictae Urbis, necnon cappellâ in Praesepe Domini sitâ in ecclesiâ B. Mariae Maioris de Urbe praedictâ, ac animabus pro quibus iidem presbyteri celebrarent et orarent, concesserit et indulserit; ac indulgentias, privilegia, indulta, exemptiones, immunitates, libertates et alias concessiones ac remissiones huiusmodi ad illos, illas et illa extenderit, prorogaverit et ampliaverit; quodque pro tempore existentes praepositus et administrator, rector, gubernator, oeconomus, ministri et conversi, aliaeque personae praefatae, indulgentias, privilegia, indulta, exemptiones, immunitates, libertates aliasque con-

1 Vox *tam* redundat vel legendum *etiam* (R. T.)
2 In loco parall. legitur *pro dictis* (R. T.).
3 Potius lege *Imaginis*, nempe confraternitati huius tituli (R. T.).
4 Forsan *in* pro *suis* legendum (R. T.).
5 Male ed. Main. legit *illis* pro *illas* (R. T.).

1 In loco parall. legitur *aliis* pro *illis* (R. T.).
2 Videtur deesse *ecclesiis* (R. T.).

cessiones et remissiones huiusmodi, et die ac festo[1] in quibus, et causas propter quas illa consequi deberent, ad eorum beneplacitum publicari facere, et eleemosynas ipsis per fideles quoslibet illis[2] pro tempore elargiendas recipere, et personas ad huiusmodi eleemosynas colligendas deputare, ac quilibet confrater aliaque persona archiconfraternitatis, monasterii et hospitalis confratrum presbyterorum et conversorum huiusmodi quemcumque presbyterum[3] secularem in suum possent eligere confessorem, qui eos et eorum quemlibet a quibuscumque casibus, quantumcumque gravibus, etiam in quinterno cancellariae apostolicae in dictis litteris expressis, ac etiam Apostolicae Sedi reservatis, absolvere, et confessionale et altare portatile iuxta formam et litteras praedictas habere possent, licentiam et facultatem concesserit) eiusdemque[4] archiconfraternitatis confratribus pro tempore existentibus vere poenitentibus et confessis, seu statutis a iure temporibus confitendi propositum habentibus, qui in eiusdem S. Iosephi et Nativitatis Domini nostri Iesu Christi seu aliis per praepositum, administratores et gubernatores ad id nominandis festis seu diebus a primis vesperis usque ad occasum solis sequentis diei monasterium et hospitale ac ecclesiam huiusmodi devote visitarent, et pro praemissis operibus manus adiutrices iuxta eorum arbitrium porrigerent, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam ac iubilaeum et remissionem in Domino misericorditer elargitus est, cum decreti, mandati, derogationis, aliisque clausulis, prout in ipsis Pauli praedecessoris litteris[1]; quarum, ac privilegiorum, exemptionum, indulgentiarum et indultorum transumptis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo protectoris aut alterius personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae seu alicuius curiae ecclesiasticae munitis, eamdem prorsus fidem adhiberi voluit, quae ipsis originalibus litteris adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae; eisdem post viginti annos, quoad indulgentiam plenariam et remissionem praedictam, minime valituris; et aliis[2] in formâ motusproprii in camerâ apostolicâ praedictâ recepti et admissi: quas nos, omniaque et singula privilegia, exemptiones, praerogativas, indulta, indulgentias, aliaque in eis contenta, praemissorum et aliorum intuitu, ex certâ scientiâ, cum decreti, mandati, derogationis, aliisque clausulis, confirmavimus, approbavimus et innovavimus, prout in nostris in simili formâ Brevis litteris plenius continetur[3].

Adhuc Bulla Pii IV prosequitur.

§ 3. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, dilecta in Christo Iulia Columna nobis[4] mulier Romana, terrena in caelestia, et transitoria in aeterna felici commercio commutare cupiens, postquam quamdam domum in dictâ regione[5] Campitelli eiusdem almae Urbis nostrae consistentem confraternitati Annunciationis B. Mariae Virginis in ec-

1 Potius lege *et dies ac festa* (R. T.).
2 Vox *illis* redundare videtur (R. T.).
3 Ed. Main. legit *presbyterorum* (R. T.).
4 Ad syntaxim absolvendam heic legerem *eiusdem quoque;* nam narrativa priorum Pauli III litterarum, intra parenthesim relata subiunctivo modo sub particulâ *cum*, iam finita est; nunc autem posteriores Pauli III litterae innui videntur indicativo modo sub particulâ *quod*, quae praecessit pag. 136 *a* (R. T.).

1 Subintellige *continetur*. Porro hae secundae litterae Pauli III non sunt in *Bullario* (R. T.).
2 Videtur legendum *aliàs* pro *aliis* (R. T.).
3 Etiam istae Pii IV litterae desunt (R. T.).
4 Videtur potius *nobilis* quam *nobis* leg. (R. T.).
5 Male edit. Main. legit *religione* pro *regione* (R. T.).

clesiâ eiusdem B. Mariae Virginis super Minervam institutae[1], sub certis modo et formâ ac inibi expressis conditionibus, donaverat et concesserat, eiusdem confraternitatis confratres donum huiusmodi virginibus neophytis et ad orthodoxam Iesu Christi fidem conversis, etiam sub nonnullis conditionibus ac modo et formâ tunc specificatis, etiam donaverit et concesserit[2], prout in instrumentis seu scripturis desuper confectis latius dicitur contineri, et dictae virgines, seu earum aliqua, ut Iesu Christo Dei Filio earum sponso, qui est speciosus formâ prae filiis hominum, magis placere, et Altissimo purius et sincerius famulari possent, in eâdem domo unum monasterium virginum neophytarum Ordinis Praedicatorum sancti Dominici sub regulâ sancti Augustini construi facere, et sub eiusdem Annunciationis B. Mariae Virginis invocatione per nos erigi desiderent: nobis humiliter supplicari fecerunt[3], ut huic honesto eorum[4] desiderio satisfacere, aliàsque in praemissis opportune providere de benignitate apostolicâ dignaremur. Nos, attendentes praemissa omnia in praefati Pauli praedecessoris et nostrae intentionis exequutionem tendere, eoque firmiori robore et pleniori gratiâ gaudere ac frui debere quo maior et uberior fructus ex illis provenit, pium huiusmodi opus confovere, et eisdem virginibus in sancto eorum[5] desiderio paterno affectu providere, ac eas spirituali gratiae favore prosequi volentes, ac dictae confraternitatis huiusmodi singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, necnon litterarum ipsius Pauli praedecessoris ac instrumentorum et scripturarum huiusmodi uberiores tenores praesentibus pro expressis habentes, eiusdem archiconfraternitatis confratribus, ut in eâdem domo unum Ordinis praedicti monasterium cum ecclesiâ, campanilis[1], cymbalis, campanis, coemeterio, dormitorio, refectorio, claustro, hortis, hortalitiis et officinis, aliisque necessariis, superioris dicti Ordinis vel cuiusvis alterius licentiâ minime requisitâ, constitui et aedificari facere libere et licite possint et valeant, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, indulgemus. Et, postquam convenienti clausurâ munitum fuerit, monasterium illud sub invocatione eiusdem Annunciationis Beatae Mariae Virginis (pro perpetuis usu et habitatione priorissae et monialium seu virginum neophytarum Ordinem praefatum profiteri volentium, ad electionem dilecti filii nostri Ioannis Michaëlis tituli S. Anastasiae sanctae Romanae Ecclesiae presbyteri cardinalis Saraceni nuncupati, moderni et pro tempore existentis societatis cathecumenorum et neophytorum et ad fidem Christi conversorum protectoris, perpetuo introducendarum et iuxta regularia dicti Ordinis instituta recipiendarum, quae inibi, sub regulari observantiâ et perpetuâ clausurâ, et sub curâ, visitatione, correctione, administratione, superioritate, ac iurisdictione, tam in spiritualibus quam in temporalibus, eius-

1 Male edit. Main. legit *instituta* (R. T.).

2 Videtur legendum *donaverint et concesserint*; ceterum adeo syntaxis turbata est ut illam reordinare prorsus impossibile (R. T.).

3 Nempe, ut videtur, primi exponentes, de quibus sup. § 2 (R. T.).

4 Vide annon potius *earum* sit legend. (R. T.).

5 Heic certe *earum* legendum (R. T.).

1 Legendum *campanili* (R. T.).

dem moderni et pro tempore existentis protectoris, Altissimo famulentur) perpetuo erigimus et instituimus. Ac illi sic erecto pro eius dote omnia et singula bona, oblationes et eleemosynas, aliaque pia subsidia, per quoscumque christifideles elargienda et donanda, perpetuo applicamus et appropriamus; praefatasque virgines, quae in dictâ domo nunc existunt, et quae habitum monachalem suscipere possunt ac volunt, aliasque pro tempore in praedicto monasterio introducendas per protectorem praedictum, aut alium ab eo ad id suo arbitrio deputandum, velari, et habitum praedictum, sicut praemittitur, illis imponi posse volumus et concedimus. Dictumque monasterium, ac illius priorissam et moniales seu virgines, et illius personas, ac bona quaecumque, nunc et pro tempore existentia, ab omni cuiuscumque alterius iurisdictione, superioritate, curâ, correctione, visitatione, dominio, potestate, necnon a solutione quarumcumque decimarum, ac cuiuscumque subsidii, gabellae, et cuiusvis alterius ordinis[1], tam ordinarii quam extraordinarii, ex quacumque causâ, etiam per nos et successores nostros Romanos Pontifices pro tempore existentes ac Sedem et cameram praefatam et quoscumque alios quomodolibet impositis et imponendis[2], eâdem auctoritate penitus eximimus et liberamus; nobisque et eidem Sedi ac Ioanni Michaëli cardinali et pro tempore existenti protectori praefato immediate subiicimus; ipsumque Ioannem Michaëlem cardinalem, et pro tempore existentem domus cathecumenorum et neophytarum praedictarum protectorem, in eiusdem monasterii sic erecti protectorem eligimus et deputamus; sibique, ut[1], per se seu quemcumque catholicum antistitem, prorissam et moniales monasterii praefati benedicere et velare, ac quaecumque statuta, ordinationes et capitula felix regimen et prosperum statum monasterii et illius personarum huiusmodi concernentia, licita et honesta, ac sacris canonibus non contraria, condere, illaque, si opus fuerit, mutare, alterare, cassare, ac alia de novo edere, quae, postquam edita fuerint, dictâ auctoritate apostolicâ confirmata esse censeantur; ac eidem monasterio, ac illius priorissae et monialibus et virginibus, personisque pro tempore existentibus, quod omnibus et singulis privilegiis, immunitatibus, exemptionibus praerogativis, facultatibus, concessionibus, indultis, indulgentiis et gratiis, aliisque, ceteris dicti Ordinis monasteriis quomodolibet in genere vel in specie ac communitative concessis, et quibus monasteria et loca ac personae huiusmodi utuntur, potiuntur et gaudent, ac uti, potiri et gaudere poterunt quomodolibet in futurum, etiam atque principaliter, perinde ac si eidem monasterio ac illius personis originaliter concessa essent et concederentur[2], uti, potiri et gaudere libere et licite possint et valeant, eisdem auctoritate et tenore concedimus et indulgemus. Et insuper, de omnipotentis Dei misericordiâ et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus et singulis utriusque sexus christifidelibus vere poenitentibus et confessis, seu confitendi[3] a iure temporibus propositum habentibus, qui monasterii praedicti ecclesiam in eiusdem Annunciationis, Conceptionis, Nativitatis, Purificationis, Assumptionis, aliisque

1 Forsan legendum *oneris* pro *ordinis* (R.T.).

2 Legendum foret *impositorum et imponendorum* vel *impositi et imponendi* (R. T.).

1 Male edit. Main. legit *et* pro *ut* (R. T.).

2 Ed. Main. legit *concedentur* pro *concederentur* (R. T.).

3 Deest vox *statutis* (R. T.).

eiusdem Beatae Mariae Virginis, necnon Nativitatis, Resurrectionis, Ascensionis eiusdem Salvatoris, et Omnium Sanctorum respective festivitatum ac Commemorationis Defunctorum diebus, a primis vesperis usque ad occasum solis festivitatum et dierum huiusmodi, annis singulis in perpetuum visitaverint, et pro eiusdem monasterii fabricâ ac illius priorissae et monialium substentatione et manutentione ac paramentis divino cultui necessariis manus adiutrices porrexerint, inibique pias ad Deum preces iuxta eorum devotionem effuderint, quoties id fecerint, toties plenariam peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus et elargimur. Praeterea eisdem christifidelibus, qui singulis quadragesimalibus diebus, usque ad octavam Resurrectionis eiusdem Domini, ecclesiam praedictam, etiam annis singulis in perpetuum, visitaverint, centum annos et totidem quadragenas de iniunctis eis poenitentiis misericorditer in Domino relaxamus. Utque ipsi christifideles huiusmodi indulgentiarum facilius participes effici possint, eisdem christifidelibus, ut aliquos[1] presbyteros seculares, aut quorumvis[2] Ordinum regulares, qui, confessionibus diligenter auditis, ipsos et eorum quemlibet ab omnibus et singulis eorum peccatis criminibus, excessibus et delictis, etiam in singulis casibus etiam Sedi Apostolicae reservatis (non tamen contentis in litteris in die Coenae Domini legi consuetis) absolvere, et eis pro praemissis poenitentiam salutarem iniungere, necnon vota quaecumque per eos emissa (ultramarino, visitationis liminum beatorum Apostolorum Petri et Pauli, ac S. Iacobi in Compostella, necnon religionis et castitatis votis dumtaxat exceptis) in alia pietatis opera commutare possint, facultatem concedimus. Et indulgentias huiusmodi, necnon praesentes litteras, sub quibuscumque revocationibus, suspensionibus, derogationibus similium vel dissimilium indulgentiarum per nos et Sedem Apostolicam, etiam in favorem basilicae Principis Apostolorum, ac hospitalis S. Spiritus in Saxia de Urbe, aut expeditionis contra infideles, vel aliàs quomodolibet, et sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis clausulis et decretis, pro tempore factis et concessis, nullatenus comprehensas; sed semper ab illis exceptas, et, quotics illae emanabunt, toties in pristinum statum restitutas et de novo concessas esse et censeri, et eisdem christifidelibus suffragari debere decernimus[1]. Indulgentias quoque iubilaei, et remissionem peccatorum, sicut praemittitur, per dictum Paulum praedecessorem concessas, quas post viginti annos valere minime voluit, ad alios viginti annos prorogamus et extendimus, et, quatenus opus sit, de novo concedimus. Non obtantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXVI ianuarii MDLXII, pontificatus nostri anno III.

Sequitur nunc Bulla Alexandri VII.

§ 4. Nihilominus[2], inter praefatum Benedictum cardinalem protectorem ex unâ, et dilectum pariter filium nostrum in dictâ Urbe vicarium in spiritualibus generalem (praefatas Pii IV praedecessoris et in eis relatas litteras, quoad

1 Forsan *quosvis* pro *aliquos;* ceterum subintellige *ex approbatis* (R. T.).

2 Ed. Main. legit *quarumvis* pro *quorumvis* (R. T.).

1 Ed. Main. legit *decernimur* pro *decernimus* (R. T.).

2 Prosequitur syntaxis iam incepta in § 1 per vocem *licet* (R. T.).

privilegia et exemptiones domui seu hospitali ac monasterio supradictis concessa, locum sibi in monasterio Annunciationis huiusmodi, praesertim stantibus constitutione recolendae memoriae Gregorii Papae XV praedecessoris pariter nostri, quae incipit *Inscrutabili Dei providentiâ, etc.*, ac declarationibus congregationis tunc existentium S. R. E. cardinalium Concilii Tridentini interpretum desuper emanatis, necnon decreto a congregatione venerabilium fratrum nostrorum eiusdem S. R. E. cardinalium et dilectorum filiorum Romanae Curiae praelatorum super negotiis visitationis apostolicae ecclesiarum et locorum piorum dictae Urbis a nobis institutae deputatorum die XXIX septembris MDCLX edito de et super exemptorum privilegiis, vindicare non posse neque debere praetendentem) ex alterâ partibus, nonnullae controversiae seu dissensiones super exercitio iurisdictionis et exemptionis in monasterio praefato (quod etiam aliàs a piae memoriae Pio Papa V predecessore nostro e loco apud ecclesiam S. Ioannis de Mercato regionis Campitellorum Urbis praefatae, ubi erectum et institutum fuerat, ad ecclesiam et vetusta aedificia praeceptoriae seu commendae S. Basilii in regione Montium eiusdem Urbis consistentia hospitalis S. Ioannis Hierosolymitani, in ecclesiâ et aedificiis huiusmodi unum monasterium sub invocatione Beatae Mariae Annunciatae Ordinis sancti Dominici perpetuo erigendo, translatum extitit) exortae fuerunt, in non modicum spiritualis disciplinae et divini cultus in domo seu hospitali ac monasterio praefatis detrimentum. Nos igitur, quibus totius gregis dominici, sed potissimum omnium[1] quae perierant et de manu lupi rapacis redemptae sunt, cura cordi est, quique pro eisdem, ut, remotis quibuscumque diverticulis et impedimentis, vocem sui pastoris audire, illiusque caelesti pabulo recreari valeant, opem et operam nostram sedulo adhibemus, ut in domo seu hospitali ac monasterio praedictis, quae circa illorum regimen et administrationem ac directionem seu iurisdictionem a memoratis Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris per praefatas litteras provide sancita fuerunt, suum in omnibus et per omnia sortiantur effectum ac illaesa et illibata persistant providere volentes, motu proprio, non ad alicuius instantiam, sed ex certâ scientiâ meràque liberalitate[1] nostris, ac de apostolicae potestatis plenitudine, primodictas ac praeinsertas Pii IV et in eis relatas, necnon Pii V praedecessorum litteras huiusmodi, et in eis contenta quaecumque, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, ac, quatenus opus sit, de novo edimus.

Alexander confirmat ut in rubricâ.

§ 5. Decernentes praefatas Gregorii praedecessoris, aliasque desuper forsan emanatas constitutiones et ordinationes apostolicas, si quae sint, quas hîc pro expressis et insertis haberi volumus, quoad impediendum liberum exercitium iurisdictionis tam spiritualis quam temporalis in domo seu hospitali ac monasterio praedictis, dicto Benedicto cardinali et pro tempore existenti domus seu hospitalis ac monasterii huiusmodi protectori per easdem Pii IV praedecessoris et in eis relatas litteras concessum, et quominus Benedictus cardinalis et pro tempore existentes protectores praedicti exemptionibus sibi per easdem attributis libere uti, frui, potiri et gau- Clausulae.

1 Certo certius *ovium* pro *omnium* legendum est (R. T.).

1 Nescio an de solito legendum sit *deliberatione* pro *liberalitate* (R. T.).

dere possint et debeant, nequaquam locum habere seu obtinere posse; sed eumdem Benedictum cardinalem, et pro tempore domus seu hospitalis ac monasterii huiusmodi protectores, privilegiis, exemptionibus, praerogativis, aliisque, sibi per praefatas Pii IV praedecessoris et in eis enarratas litteras huiusmodi concessis, libere et licite uti, frui, potiri et gaudere debere in omnibus et per omnia perinde ac si Gregorii XV praedecessoris constitutio ac resolutiones et decreta praefata quoad hoc non emanassent; sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac eiusdem S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 6. Non obstantibus praefatâ Gregorii XV praedecessoris aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac resolutionibus et decreto praedictis, necnon, quatenus opus sit, quibusvis etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica et individua, et de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso et formâ in illis traditâ observatâ, exprimerentur et inserrentur, praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, latissime et plenissime ac specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die VI martii MDCLXIII, pontificatus nostri anno VIII.

Dat. die 6 martii 1663, pontif. anno VIII.

CDXXX.

Plenipotentia reverendo patri domino Rasponio ad tractandum et concludendum cum ministris regis christianissimi et aliorum principum catholicorum, ipsoque rege, occasione casus inter familiam oratoris dicti regis et custodias militum cursorum die XX *augusti* MDCLXII *in Urbe sequuti, ac de postulatis super vallibus Comacli et ducatu Castrensi*[1].

Dilecto filio magistro Caesari Rasponio, in utrâque signaturâ nostrâ referendario, Alexander Papa VII.

Dilecte fili, salutem et apostolicam benedictionem.

Proœmium.

§ 1. Quales animi nostri sensus fuerint, audito detestabili casu, qui XIII kalendas septembris praecedentis anni MDCLXII accidit, inter familiam nobilis viri, apud nos et Sedem Apostolicam oratoris pro carissimo in Christo filio nostro Ludovico Francorum rege christianissimo, et custodias cursorum militum in Urbe existentium, quidve pro facinoris atrocitate, etiam iustitiâ mediante, vindicandâ tunc iusserimus, reque ipsâ exequutum sit, aliis nostris litteris plene significavimus[2], ipsaque Urbs omnium nationum mater et altrix locuples testis existit. Qualia itidem fuerint studia nostra pro

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

2 Litterae huiusmodi desunt (R. T.).

motibus inde exortis, regiae dignitatis intuitu, paternâ dilectione compescendis, penitusque sedandis, non solum cordium scrutatori Deo, sed universis etiam christifidelibus et principibus catholicis, praecipuis Ecclesiae filiis, contestatâ fide notissima sunt. Quae maiori in dies fervore prosequentes ut gregem nostrae custodiae commissum in summâ rerum tranquillitate servatum Datori verae pacis, qui usque in finem dilexit nos, illaesum cum foenore gratiae fideliter restituamus, libenter accepimus desuper acta Parisiis per dilectos filios principum catholicorum ministros gratiâ publicam quietem conservandi, ut, omni formidine in christianâ republicâ prorsus sublatâ, vera pax floreat, nostraque tempora felici animarum concordiâ et tranquillitate fruantur, eorum zelum ac pietatem in hoc commendantes. Visâque propterea subscriptione ab eisdem factâ, qua in se ipsos curam susceperunt, quod hic etiam convenienter satisfiet postulatis super vallibus Comacli et ducatu Castrensi, quodque nos, qui aequum et iustum semper amavimus, faciles erimus in his concedendis, quae iustitia suadebit, ac rectae conscientiae norma permittet:

Plenipotentia conceditur ut in rubricâ.

§ 2. Ideo, summopere cupientes omnia et singula pro communi bono ac stabili omnium quiete componi, et efficaci carissimi filii nostri regis christianissimi interpositione[1], quam, ut par est, magni facimus, quantum in Domino possumus, satisfacere volentes, motu proprio, ex certâ scientiâ et maturâ deliberatione, deque apostolicae potestatis plenitudine, te, de cuius fide, prudentiâ et in rebus agendis dexteritate plurimum in Domino confidimus, super praemissis, et quibuscumque aliis ad casum praefatum quomodolibet et qualitercumque spectantibus eorumque occasione proponendis, tractandis, debitoque fine, ut praemisimus, concludendis, in nostrum et Sedis Apostolicae plenipotentiarium nominamus et deputamus, ac ut nostro dictaeque Sedis nomine cum praefatis regis christianissimi ac principum catholicorum ministris, ipsoque rege, et aliis quibuscumque, de praemissis omnibus et singulis agere, eademque tractare et concludere, ac perpetuam et inviolabilem conclusorum observationem ex nostrâ dictaeque Sedis parte spondere et polliceri, omniaque pariter et singula de et super praemissis facere, perficere et absolvere, etiamsi talia forent, quae specialem et individuam mentionem requirerent, nihil omnino excipiendo;

§ 3. Nosque et Sedem praedictam ad illa adimplenda et firmiter[1] observanda omni meliori et validiori modo obligare, desuperque omnes scripturas necessarias et quomodolibet opportunas conficere, et confici facere et subscribere, libere ac licite possis et valeas, plenam et amplam facultatem, tenore praesentium, concedimus et impertimur.

Clausulae.

§ 4. Decernentes validum, firmum et efficax fore quidquid praesentium huiusmodi vigore tu egeris, tractaveris, conveneris, concluseris et subscripseris; id omne ratum et gratum habentes; nosque et Sedem praefatam ad perpetuam illius observationem teneri, non secus ac si a nobismet ipsis personaliter actum, tractatum, pollicitum, conclusum et subscriptum fuisset; sicque et non aliter in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos, nosque ipsos et successores nostros, ac Sedem praedictam, et quos-

1 Potius lege *interpositioni* (R. T.).

1 Ed. Main. legit *formiter* pro *firmiter* (R.T.).

cumque alios quavis potestate fungentes nunc et pro tempore existentes, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariis derogat. § 5. Non obstantibus apostolicis, ac in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXIII martii MDCLXIII, pontificatus nostri anno VIII.

Dat. die 23 martii 1663, pontif. anno VIII.

CDXXXI.

Ut tres conventus custodiae SS. Trinitatis in provinciâ maiori Turoniae Ordinis Minorum sancti Francisci uniri possint provinciae viciniori aut commodiori reformatorum seu recollectorum, etc [1].

Alexander Papa VII, ad futuram rei memoriam.

Exordium. Militantis Ecclesiae regimini per ineffabilem divinae bonitatis abundantiam nullo licet meritorum nostrorum suffragio praepositi, felici religiosorum virorum, vota sua Deo reddere iugiter satagentium, regimini et quieti libenter consulimus, sicut in Domino conspicimus salubriter expedire.

Expositio. § 1. Exponi siquidem nobis nuper fecerunt dilecti filii Theophilus Carrier custos, ac omnes fratres tam superiores quam inferiores custodiae SS. Trinitatis fratrum Minorum Ordinis sancti Francisci Recollectorum nuncupatorum, et praesertim Ioannes Baptista Baudin, eorum specialis hac in parte procurator, quod, pro reformatione provinciae maioris Turoniae fratrum Minorum dicti Ordinis (vigore quarumdam felicis recordationis Urbani Papae VIII praedecessoris nostri in simili formâ Brevis litterarum die XXX augusti MDCXLII, ac die XXII ianuarii et die XXII aprilis MDCXLIII, necnon II martii MDCXLIV respective expeditarum) dicta custodia (iuxta quasdam recolendae memoriae Clementis Papae VIII praedecessoris pariter nostri litteras) in capitulo provinciali eiusdem provinciae, die XXIX augusti MDCXLIII Rhedonis celebrato, per venerabilem fratrem Henricum tunc episcopum Rhedonensem, apostolicum hac in re commissarium, erecta et confirmata fuit, illique sex conventus, videlicet Rhedonensis, Venetensis, Corizopitensis, Vastinensis, Inicastrensis et Castrireginaldensis assignati fuerunt. Verum fratres dictae provinciae Turoniae sic erectam et confirmatam auctoritate apostolicâ custodiam huiusmodi, imo et ab ipsis receptam, laudatam et approbatam sub propriis chirographis, statim in cunabulis opprimere et destruere attentarunt, obliti obedientiae et reverentiae Sedis [1] Apostolicae, quam voverunt, ac propriae fidei, quam in scriptis solemniter dederant. Siquidem conventus Venetensem et Corizopitensem fratribus reformatis tradere noluerunt, eosque a conventu Rhedonensi manu violentâ, baculis, armis et aliis instrumentis, cum effusione sanguinis et periculo vitae multorum religiosorum, eiecerunt, necnon ab aliis tribus conventibus iamdudum eiecissent nisi a carissimo in Christo filio nostro Ludovico Francorum rege christianissimo, ac a dominis et civibus urbium, in quibus ipsi conventus constructi sunt,

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

1 Aptius legeretur *Sedi* pro *Sedis* (R. T.).

impediti et repulsi fuissent. Et, licet sub excommunicationis poenâ iussi fuerint usurpatos conventus reformatis restituere, non solum minime obtemperarunt, sed etiam ab illo tempore non cessarunt novis, continuis et inauditis iniuriis ipsos reformatos impetere, ut eos penitus extirparent, timentes ne incepta reformatio latius in provinciâ excresceret, eamque tandem in perfectum regularis observantiae statum reduceret.

Motiva. § 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, nulla iam supersit spes fratribus reformatis intentam ab ipsis reformationem in dictam provinciam introducendi, imo nec pacifice in tribus conventibus, qui eis supersunt, vivendi, nisi ab illis relaxatis fratribus omnino separentur, tum propter exiguitatem ipsorum, tum propter penuriam locorum et iniuriam temporum: nobis propterea dicti exponentes humiliter supplicari fecerunt ut sibi de medio opportuno regulam suam ad litteram observandi, iuxta praescriptum praefatarum Clementis praedecessoris litterarum quibus omnes et singuli subscripserunt, providere, et quia soli fratres recollecti in Gallia sub eisdem Clementis praedecessoris litteris regulam servant, ipsis exponentibus ut cum dictis tribus eorum conventibus viciniori aut commodiori provinciae recollectorum seu reformatorum in Gallia, servato tamen iure uniuscuiusque, uniri et incorporari possint permittere, ac plenam potestatem commissario generali visitatori praefatae provinciae hanc unionem perficiendi concedere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Confirmat ut in rubrica. § 3. Nos igitur, eosdem exponentes specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositorum consilio, attentis narratis, ac audito per eosdem cardinales et consentiente dilecto filio ministro generali Ordinis praefati, ut memorati tres conventus, nimirum Vastinensis, Inicastrensis et Castrireginaldensis, necnon et fratres in ipsis degentes, uniri et incorporari possint provinciae viciniori et commodiori reformatorum seu recollectorum, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, concedimus et indulgemus. Ac huius unionis et incorporationis peragendae facultatem dilecto filio commissario generali visitatori ipsius provinciae, auctoritate et tenore praefatis, tribuimus.

Decretum irritans. § 4. Decernentes easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum. § 5. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon, quatenus opus sit, Ordinis ac provinciae et conventuum huiusmodi, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, pri-

vilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die v aprilis MDCLXIII, pontificatus nostri anno VIII.

Dat. die 5 aprilis 1663, pontif. anno VIII.

CDXXXII.

Impositio subsidii scutorum tercentorum millium monetae super bonis undecim congregationum regularium pro sanctae Sedis Apostolicae necessitatibus[1].

Alexander episcopus,
servus servorum Dei,
ad perpetuam rei memoriam.

Motiva huius Constitutionis.

Cum inter ceteras summorum Pontificum curas, quae animum[2] intime angunt, quietis subditorum securitas sit; ex quo nos ad hanc S. Sedem supremo Dei beneficio conscendimus, praecipuum nobis studium fuit, ut, qui in nostrâ sunt ditione, immunes a quolibet aestu timoris eâ tranquillitate fruerentur, quae pretio nullo satis compensatur; satius insuper arbitrati in nos effundere gravissimas sollicitudines, ut leviori pondere itidem[3] premerentur. Verum cum perturbationum vapores assurgere conspiciantur, ex quibus caeli huius serenitas, feliciter quidem sed maximis impensis hucusque servata, posset obnubilari: idcirco nobis est evigilandum ne in nubem densati difficillime dissolvantur, cum adhuc dispersi non ardue possent[1] dissipari. Ea tamen est rerum humanarum conditio ut ingenti nonnisi pecuniarum subsidio tranquillitas ematur. Propterea pervium iter et emergentibus periculis familiare nobis est ineundum, et dum vigiles elaboramus pro subditorum securitate, ipsi quoque curas nostras urgentes minuere pecuniis elargitis minime graventur. Quod ut adhuc promptius et illo quo potest minori incommodo praestare valeant, remedia desuper adhibemus opportuna.

Indicit subsidium trecentorum millium scutorum.

§ 1. Motu igitur nostro proprio, non ad alicuius instantiam, sed ex scientiâ merâque deliberatione nostris, ac de apostolicae potestatis plenitudine, indicimus atque imponimus, hac unâ solâ vice dumtaxat, subsidium tercentorum millium scutorum monetae romanae super omnibus bonis, proprietatibus, fructibus, redditibus, decimis, censibus et aliis iuribus congregationum Cassinensis, aliàs S. Iustinae de Padua, Lateranensis, Montis Oliveti, Camaldulensis, etiam quoad eremitas Camaldulenses et Montis Coronae, Carthusiensis, S. Salvatoris, Vallis Umbrosae, Silvestrinae, S. Georgii in Alga, Caelestinorum, Cisterciensis Lombardiae ac Tusciae, et S. Hieronymi, earumque monasteriorum, prioratuum, praeposituraram, beneficiorum et officiorum, cum curâ et sine curâ, necnon mensarum, membrorum, grangiarum et locorum omnium illis annexorum ubicumque existentium, per ipsarum congregationum superiores, abbates, priores, praepositos, con-

1 Constitutio haec in edit. Main. reperitur cum numero CCCLXXXVI sub initio anni pontificatus VIII relata; at vere nos eam huc transtulimus propter rationes quas explicabimus infra in fine ipsius, pag. 154 *b*, nota 1 (R. T.).

2 Deesse videtur vox *nostrum* (R. T.).

3 Ed. Cherub. habet *iidem* pro *itidem* (R.T.).

1 Aptius lege *possint* (R. T.).

ventus, capitula et personas, iuxta solitam taxam inter ipsos faciendam, thesaurario nostro generali Romae, illorum periculis et impensis, et aliàs, quemadmodum inter dilectum filium nostrum Flavium tituli S. Mariae de Populo nuncupatum presbyterum cardinalem Chisium nuncupatum, procamerarium nostrum (quem ad hoc commissarium et procuratorem nostrum cum omnibus et quibuscumque privilegiis, iurisdictionibus et iuribus, quae omnes alii antehac commissarii et procuratores huiusmodi habuerint, quibusque [1] uti et gaudere potuerunt, constituimus) et illos sive illorum procuratores convenerunt [2], integre persolvendum. Decernentes eos omnes ad praestationem et solutionem subsidii praedicti, secundum taxam huiusmodi faciendas, esse efficaciter obbligatos, etiamsi bona, proprietates, fructus, et omnia alia supradicta, quartâ, decimis, subsidiis, et aliis multis maximisque oneribus sint gravata.

Superioribus data facultas distribuendi ratas et exigendi.

§ 2. Et proinde considerantes dictam summam nullâ ratione congeri, nec congestam debito tempore numerari posse, nisi de rebus et proprietatibus praedictarum congregationum et ipsorum locorum aliqua distrahantur, proindeque [3], de similis potestatis plenitudine, statuimus ut singuli superiores praedicti ratam subsidii huiusmodi sibi contingentem per sua quisque monasteria, prioratus, praeposituras, beneficia, officia, membra, grangias, annexa, conventus et loca distribuant et assignent, et distributam et assignatam ab abbatibus, prioribus, praepositis monasteriis, conventibus, locis et personis, etiam per subtractionem rerum et proventuum, et aliàs uti viderint expedire, omni et quacumque exceptione sublatâ, vel impedimento cessante, exigant.

Etiam datae facultates alienandi, etc.

§ 3. Sed quia de universis dictarum congregationum et locorum suorum proventibus supradicta summa vix posset congregari; nos, de dictorum superiorum fide et probitate confisi, plenam, liberam et absolutam facultatem, mandatum et potestatem tribuimus singulis congregationibus, et pro eis suis superioribus, ut, nullius requisito consensu, ac etiam invitis et reclamantibus particularibus abbatibus, prioribus, praepositis, conventibus et personis, etiam unitorum monasteriorum et locorum, possint et valeant de omni et quacumque proprietate et dominio temporali cuiuscumque congregationis, et eius monasteriorum, prioratuum, praeposituarum, beneficiorum, officiorum, mensarum, membrorum, grangiarum, annexorum, conventuum, et locorum praedictorum ubicumque existentium (etiam praeviis perpetuis suppressionibus et extinctionibus beneficiorum et officiorum ac grangiarum huiusmodi, consultâ tamen prius Sede Apostolicâ quoad suppressionem et extinctionem praedictas tantum, itaut, illis secutis, ipsorum bona et proprietates monasteriis, a quibus illa dependent, applicata et appropriata remaneant) bona, census, feuda, loca montium, canones, livellos et alia cuiuscumque qualitatis et naturae iura (pro confectione quantitatis quae ad complementum supradictae summae tercentorum millium scutorum necessaria erit dumtaxat, ac, si taxam quamlibet ex congregationibus praedictis tangentem excedant, dummodo pretium pro excessu huiusmodi unico contextu in emptionem aliorum bonorum stabilium ad favorem eiusdem monasterii, uti bona vendita existebant,

1 Edit. Main. legit *quibuscumque* (R. T.).

2 Aptius ed. Cherub. legit *convenietur* (R.T.).

3 Vox *proindeque* redundat, nam praecessit iam in princ. § *Et proinde;* vel aliter leg. (R.T.).

convertatur, seu pecuniae excessum huiusmodi concernentes apud montem pietatis, seu penes aedes publicas deponantur, inde non extrahendae nisi ad effectum illas reinvestiendi modo et formâ praemissis), tam coniunctim quam divisim possessâ (etiamsi praecisis et singularibus obligationibus et oneribus, iuxta voluntatem eorum qui bona et alia supradicta quomodolibet dederunt, concesserunt et elargiti sunt, sint obnoxia et subiecta), repraesentatâ etiam pecuniâ, necnon etiam anticipatis solutionibus, locare, sive in emphyteusim, sive aliàs ad unam, duas vel plures generationes seu nominationes seu etiam in perpetuum concedere, sive cum aliis permutare, ac etiam libere, vel cum pacto redimendi, et etiam de bonis et rebus unius sive plurium monasteriorum et locorum, et eiusdem civitatis vel provinciae, etiamsi castra, iurisdictiones et alia[1] huiusmodi minus utilia existant, prout superioribus cuiuscumque congregationis magis expediens videbitur, sive ad praesens, sive quocumque temporis intervallo (pro extinctione censuum pro solutione praedictae summae per eos respective concontractorum, itaut singulo casu huiusmodi venditio et pretii conversio in extinctionem censuum huiusmodi seu partis eorum unico contextu fiat, seu saltem pecuniae ex venditionibus praedictis redigendae apud montem pietatis, seu aedes publicas, ut supra, deponantur, inde non extrahendae, nisi pro extinctione censuum seu partis eorum huiusmodi), vendere, ac quocumque alio modo et titulo alienare; et praeterea omnia et quaecumque bona feudalia, emphyteutica, vel aliàs censibus, canonibus, pensionibus, recognitionibus erga se obnoxia, pretio liberare, extinguere et affrancare; necnon super bonis praedictis census annuos pro ratâ singulas congregationes praedictas tangente perpetuos et redimibiles (servatâ tamen formâ constitutionis felicis recordationis Pii Papae V praedecessoris nostri super creandis censibus editae) creare et imponere; necnon unum, vel plura monasteria, sive perpetuo, vel ad tempus, prout superioribus praedictis magis placuerit et expedire videbitur, supprimere et claudere; necnon eadem monasteria, secutâ integrâ solutione ratae ad quamlibet ex dictis congregationibus quomodolibet spectantis, denuo, prout eisdem superioribus videbitur et placuerit, nullâ nostrâ et successorum nostrorum et Sedis Apostolicae et cuiusvis alterius licentiâ requisitâ, de novo aperire, et in eis, prout antea, religiosi Ordinis et congregationis, cuius monasterium seu monasteria existunt, degere libere et licite valeant;

Constitutionem Pii V servari vult.

§ 4. Necnon monasteria, prioratus, praeposituras, beneficia, officia, mensas, membra, grangias, annexa, conventus, et loca praedicta, a quibuscumque obligationibus, oneribus, fideicommissis et caducitatibus, devolutionibus, substitutionibus, etiam ad favorem aliorum piorum locorum, quibus (occasione bonorum, censuum, proprietatum, iurium, aliorumque et quorumcumque per eos vigore praesentium concedendorum, vendendorum, alienandorum, permutandorum et de quibus aliàs quomodolibet in vim facultatis et auctoritatis eis per easdem praesentes nostras attributae quomodolibet disponent) quibus[1] etiam quomodolibet, et ex quacumque causâ, etiam per viam testamentorum, codicillorum, legatorum ad pias causas, do-

Item oneribus gravandi monasteria, etc.

1 Ed. Main. legit *alias* pro *alia* (R. T.).

1 Vox *quibus* redundare videtur, nam praecessit iam ante parenthesim (R. T.).

nationum inter vivos, seu quarumcumque aliarum elargitionum, sunt quomodolibet obnoxia et subiecta, penitus et omnino absolvere, eximere et liberare (ita tamen quoad[1] obligationes et onera in alia bona et proprietates eiusdem congregationis transferre omnino debeant, et bona et proprietates, in quae obligationes et onera huiusmodi translata fuerint, eisdem perpetuo subiecta et obnoxia remaneant);

Aliaque necessaria peragendi.

§ 5. Conditiones et pacta super his (cum cautionibus, vinculis, obligationibus et alias[2] res universas et singulas cuiuscumque congregationis pro eâ parte sibi et suis locis contingente complectentibus, necnon clausulis et decretis requisitis et opportunis) inire; contractus, instrumenta, ceteraque necessaria facere, et has concessiones, venditiones, permutationes, liberationes, affrancationes, suppressiones, creationes et impositiones, unam videlicet vel plures, etiam ad effectum creationis, vel extinctionis, seu venditionis, vel recuperationis aliarum huiusmodi rerum invicem, ac simul[3], vel pluries facere, et quoties eis placuerit variare (consultâ tamen prius Sede Apostolicâ quoad variationes huiusmodi tantum), etiam sine processu in formâ *si in evidentem*, aut aliàs, formando et habendo, aut consensû vel auctoritate generalis capituli requirendo, et pro dictorum omnium effectu, per se, vel alium, seu alios, singulos abbates, praepositos, priores, conventus et personas, etiam monasteriorum, locorum unitorum, tam coniunctim quam divisim, ad locationes, concessiones, permutationes, venditiones, alienationes, liberationes, extinctiones, affrancationes, suppressiones et alia praedicta omnia etiam manu regiâ compellere; contradictores, impedientes vel reclamantes monasteriis, prioratibus, praepositatibus, dignitatibus, admissionibus[4] et officiis, prout sibi videbitur, deponere, ad futura inhabiles efficere, excommunicationis, aliisque censuris et poenis innodare; interdictum ecclesiasticum apponere, auxiliumque brachii secularis invocare; ceteraque in praedictis et circa ea necessaria et opportuna facere et[2] exequi valeant, etiamsi talia contigerint, quae licentiam, facultatem, aut mandatum exigant magis speciale quam praesentibus est expressum.

Procuratoribus generalibus mandatum.

§ 6. Verum, quia congregationum praedictarum procuratores, qui hîc sunt, mandatum ad praedicta speciale non habent, quia etiam nonnullarum procuratores vel hinc abesse vel omnino non esse contingere potest, et praesens necessitas urget haec quamprimum faciendi: nos, defectum huiusmodi nostrâ auctoritate supplere volentes, supradictis procuratoribus, etiam nomine illarum congregationum quarum procuratores hîc desunt, et pro eâ parte illos tangente dumtaxat, vocatis tamen in eorum loco aliquo vel aliquibus abbatibus, superioribus, aut aliis praesidentibus suorum locorum, qui hîc sunt, tam coniunctim quam divisim, praedicta omnia et singula, usque ad praedictam summam etiam et pro cuiusque ratâ dumtaxat, faciendi, gerendi, exequendi et obligandi liberam et absolutam licentiam et auctoritatem tribuimus, eaque, si fiant, postquam facta[3] fuerint, illud idem robur habere, ac universis et singulis, ad quos res pertinebit, perinde suffragari debere volumus, ac si

1 Potius lege *quod* pro *quoad* (R. T.).
2 Legendum *aliàs* vel *aliis*, (R. T.).
3 Forsan *semel* pro *simul* legendum (R. T.).

1 Forsan legendum *administrationibus* (R.T.).
2 Coniunct. *et* nos addimus (R. T.).
3 Male edit. Main. legit *factae* (R. T.).

in suis capitulis generalibus, ac aliàs servatis omnibus, quae de iure, et iuxta statuta, consuetudines, privilegia et indulta singularum congregationum praedictarum servari deberent, omnino servarentur[1], supplentes ex nunc praedictos et quoscumque alios iuris et facti defectus, si qui intervenerint in eisdem.

Vis addita faciendi.

§ 7. Volumusque praedicta omnia, necnon locationes, permutationes, venditiones, alienationes, liberationes, affrancationes, creationes, impositiones, suppressiones, et quaecumque alia quae praesentium auctoritate fient, perpetuo consistere, et quaecumque tam iuris quam facti et alio quantumvis substantiali defectu impugnari, sive contra eadem praemissa sic facta, gesta et executa per quoscumque aliquod iuris vel facti remedium impetrari, aut illo impetrato uti, ac eadem praemissa in ius vel controversiam reduci nullo unquam tempore posse, neque debere, sed quoscumque concernunt et concernent in futurum omni et quocumque effectu et commodo pacifice gaudere, singulasque super singulis locationibus aliisque omnibus et singulis praemissis litteras, seu earum confirmationes, et alias dispositiones singulas, illas petituris gratis ubique concedi, etiam in formâ Brevis, et per secretariam nostram secretam expediri debere.

Exequutoris deputatio.

§ 8. Quocirca praedicto Flavio cardinali procamerario et commissario nostro plenam, liberam, omnimodam et absolutam potestatem, facultatem et auctoritatem tribuimus congregationes, superiores, abbates, priores, praepositos et alios praedictos tam coniunctim quam divisim ad integram praestationem et solutionem subsidii praedicti iuxta formam indictionis et impositionis huiusmodi faciendas etiam per edictum locis publicis affigendum monendi et requirendi, cum illis eorumque procuratoribus conveniendi, deque modis et cautionibus solutionis praedictae, et aliis hoc negotium concernentibus, paciscendi, obligationes, promissiones et fideiussiones exigendi, et vicissim praestandi, contractus super his necessarios etiam nostro et camerae praedictae nomine stipulandi et celebrandi, et secundum alia, necnon per praesentes subsidium ipsum procurandi, contumaces, non respondentes, aut deficientes conventus et congregationes interdicto ecclesiastico supponendi, et singulares personas excommunicationis sententiâ feriendi, proprietates, res, fructus et alia bona ipsorum etiam manu regiâ apprehendendi, et usque ad condignam satisfactionem retinendi, redeuntes et obedientes absolvendi, super irregularitate propterea contractâ dispensandi, et ad pristinum statum restituendi, vices suas, sive totas, sive in parte, alii vel aliis idoneis, citra absolutionem, dispensationem et restitutionem, delegandi, ceteraque in predictis et circa ea necessaria et opportuna faciendi et exequendi, etiamsi talia forent quae mandatum exigerent magis speciale quam presentibus sit expressum.

Decretum irritans.

§ 9. Decernentes easdem praesentes litteras, et in eis contenta quaecumque, etiam ex eo quod quicumque in praemissis interesse habentes, seu habere quomodolibet pretendentes, cuiusvis status, gradus, ordinis, conditionis, dignitatis, aut aliàs speciali et individuâ mentione digni existant, illis non consenserint, aut ad ea vocati, citati et auditi, seu causae, propter quas praesentes emanarunt, verificatae et iustificatae non fuerint, vel ex aliâ quacumque quantumvis iustâ, legitimâ, piâ et privilegiatâ causâ, colore, praetextu, et

1 Potius legend. *statuerentur* vel simile (R.T.).

capite etiam in corpore iuris clauso, etiam enormis, enormissimae et totalis laesionis, nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, aut intentionis nostrae, seu interesse habentium consensus, aliove quolibet quantumvis magno ac formali et substantiali necessariamque expressionem requirente defectu notari, impugnari, infringi, retractari, in controversiam revocari, aut ad terminos iuris reduci, seu adversus illa quodcumque iuris, facti vel gratiae remedium impetrari vel intentari, aut impetrato, vel etiam motu pari ac de apostolicae potestatis praedictae plenitudine concesso vel emanato, quempiam in iudicio vel extra illud uti seu se iuvare posse, neque easdem praesentes, ac omnia et singula in eis contenta, super[1] quibusvis similium vel dissimilium indictionum impositionum facultatum, mandatorum, concessionum, indultorum et gratiarum revocationibus, limitationibus, derogationibus, aliisque contrariis dispositionibus, etiam per nos et Romanos Pontifices successores nostros Sedemque Apostolicam, sub quibusvis verborum tenoribus et formis ac cum quibusvis clausulis et decretis quandocumque faciendis, unquam comprehendi, aut comprehensas censeri, sed semper ab illis exceptas, et, quoties illae emanabunt, toties in pristinum et validissimum statum restitutas, repositas et plenarie reintegratas, ac etiam de novo, sub quacumque posteriori datâ per superiores congregationum huiusmodi pro tempore existentes eligendâ, concessas intelligi, semperque firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, plenissime suffragari, et ab illis respective inviolabiliter observari, et sic, et non aliàs, in praemissis omnibus et singulis censeri, et ita per quoscumque iudices ordinarios vel delegatos, etiam causarum curiae camerae apostolicae et palatii apostolici auditores, ac eiusdem S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos, vicelegatos et Sedis Apostolicae nuncios, ac aliàs quomodolibet quavis auctoritate et potestate fungentes et functuros, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, irritum et inane decernimus. Et nihilominus omnium locorum Ordinariis, quos, sive singulos, universi et singuli superiores praedicti duxerint eligendos, per apostolica scripta motu pari mandamus, ut, quoties pro parte superiorum praedictorum, aut alicuius eorum, tam coniunctim quam divisim, fuerint requisiti, quique videlicet per se vel alium, easdem praesentes, ubi et quando opus fuerit, solemniter publicantes, ipsisque in praedictis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate nostrâ illas et earum vigore faciendas distributiones, assignationes, locationes, concessiones, venditiones, liberationes, affrancationes, creationes, suppressiones, impositiones, exemptiones, absolutiones, et alia omnia praedicta, cum omnibus inde sequuturis, firmiter observari, ac singulos, quos illa concernunt et concernent in futurum...[1]; non permittentes quemquam contra eas quomodolibet impediri, vel molestari; contradictores quoslibet per censuras ecclesiaticas et poe-

Contravenientes puniantur.

1 Aptius lege *sub* pro *super* (R. T.).

1 Lectio defectiva ut patet (R. T.).

nas praedictas, ceteraque iuris et facti remedia, omni et quacumque appellatione remotâ, compescendo, invocato etiam supradicto auxilio brachii secularis.

Contrariis derogat.

§ 10. Non obstantibus praedictis, ac nostrâ et concellariae apostolicae regulâ de iure quaesito non tollendo, ac legatis, testamentis, codicillis, donationibus, elargitionibus, ac aliis dispositionibus ex quacumque causâ, occasione, et tempore hactenus factis, conditis, emanatis, publicatis, exequutis, et observatis respective, etiam alienationes, immutationes, aut alias conditiones fieri specialiter et expresse prohibentibus, ac, in eventum alienationis, immutationis, sive non adimplementi obligationum et onerum in eis contentorum, aut alterius dispositionis, pia aut alia loca etiam plura ordine successivo ipso facto substituentibus, vel illa ad haeredes redire omnino volentibus, ac aliàs quomodolibet in contrarium conditis, ac quocumque vinculo firmatis[1], et aliis etiam ultimis voluntatibus in contrarium praedictorum quomodolibet disponentibus (quae, quoad praemissa, sufficienter, specialiter et expresse commutamus), ac piae memoriae Bonifacii Papae VIII de unâ, et in concilio generali editâ de duabus dictis, et Symmachi, Pauli II, et Pauli IV, aliorumque Romanorum Pontificum, etiam de rebus Ecclesiae non alienandis, ac nostris, quatenus in aliquo obstent, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac in universalibus, provincialibus et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, ac congregationum, monasteriorum, conventuum et Ordinum praedictorum, aliisque quibuslibet, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, sub quibuscumque verborum tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis, in genere vel in specie, ac aliàs in contrarium quomodolibet concessis, aliisque omnibus et singulis, etiamsi aliquibus communiter aut divisim ab eâdem sit Sede indultum quod ad praestationem vel solutionem aliquam minime teneantur, nec ad id ullatenus, aut nisi per capitula generalia, et causis in eis prius propositis matureque discussis, compelli, interdici vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam de dicto indulto mentionem, et quibuslibet aliis privilegiis, exemptionibus, indulgentiis et litteris apostolicis, generalibus vel specialibus, quorumcumque tenorum existant, per quae praesentibus non expressa vel omnino inserta earumdem praesentium et per ipsas attributae facultatis et auctoritatis effectus et exequutio impediri valeat quomodolibet vel differri, et de quibus eorumque totis tenoribus ac datis de verbo ad verbum habenda est[1] in nostris litteris mentio specialis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores, causas, formas et occasiones praesentibus pro plene et suf-

1 Male edit. Main. legit. *firmitatis* (R. T.).

1 Aptius lege *sit* pro *est* (R. T.).

ficienter ac de verbo ad verbum insertis, expressis et servatis respective habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praedictorum effectum specialiter et expresse ac plenissime et amplissime derogamus, et derogatum esse volumus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis credi mandat.

§ 11. Quia vero difficile nimis esset easdem praesentes quocumque illis opus erit perferre, volumus[1] ut earum exemplis, etiam impressis, manu notarii publici subscriptis[2], et personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae eiusque curiae sigillo obsignatis, eadem illa prorsus fides in iudicio et extra illud ubique locorum adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si essent exhibitae vel ostensae.

Sanctio poenalis.

§ 12. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrarum indictionis, impositionis, facultatis, mandati, potestatis, tributionis, concessionis, absolutionis, exemptionis, liberationis, alienationis, derogationis, commissionis et suppletionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, anno Incarnationis Domini MDCLXIII, XVIII kalendas maii, pontificatus nostri anno VIII[3].

Dat. die 14[4] aprilis 1663[5], pontif. anno VIII.

Anno a nativitate Domini nostri Iesu Christi MDCLXIII, *indictione primâ, die vero* XXIX *mensis maii, pontificatus autem SS. in Christo Patris et Domini nostri D. Alexandri divina providentiâ Papae VII anno* IX[1], *praesentes litterae apostolicae affixae et publicatae fuerunt ad valvas basilicarum Lateranensis et Principis Apostolorum de Urbe et Cancellariae Apostolicae per nos Petrum Paulum Desiderium et Gregorium Staggium praelibati SS. D. N. P. cursores.*

LAURENTIUS BERTIGIONUS
mag.° cursorum

1 Particulam *autem* importune iniectam delemus (R. T.).

2 Vocem *subscriptis* nos addimus (R. T).

3 Sed ab electione computandus est annus IX (R. T.).

4 Ad marg. ed. Main. legit *12* (R. T.).

5 Male ad marg. ed. Main. legit *1662* (R. T.).

CDXXXIII.

Breve beatificationis Petri de Arbues, canonici metropolitanae ecclesiae Caesaraugustanae, primi inquisitoris in regno Aragoniae[2].

Alexander Papa VII,
ad perpetuam rei memoriam.

Fortissimos Christi athletas, qui venerunt de tribulatione magnâ, et laverunt stolas suas et dealbaverunt eas in sanguine Agni, quorum pretiosâ in conspectu Domini morte religio defensa, cumulata fides, Ecclesia roborata est, sicut post agonem victores coronâ iustitiae donat in caelis iustus iudex, ita devotâ convenit fidelium veneratione in terris honorari, ut, qui sunt ante thronum Dei et serviunt ei die ac nocte in templo eius, infirmitatem nostram suâ intercessione iuvare dignentur. Quam in rem, pro pastorali nostro munere quo Ecclesiae catholicae regimini divinâ dispositione praesidemus, propensis studiis incumbentes, flagitantia id ipsum catholicorum regum et aliorum christifidelium

Procemium.

1 Ex hac publicatione quam sumimus ex edit. Cherub. evidenter confirmatur Bullam hanc pertinere ad annum 1663, ideoque huc fuisse transferendam (R. T.).

2 Ex Regest. in Secret. Brev.

vota libenter exaudimus, prout, omnibus maturae discussionis trutinâ perpensis, ad gloriam omnipotentis Dei, ad christianae religionis fideique catholicae robur et incrementum, sanctaeque Matris Ecclesiae exaltationem cognoscimus in Domino salubriter expedire.

Supplicatio regis et inquisitorum Hispaniarum.

§ 1. Cum itaque ad preces carissimi in Christo filii nostri Philippi Hispaniârum regis catholici, ac dilectorum filiorum generalis inquisitoris et ministrorum omnium sanctae Inquisitionis Hispaniarum, ac deputatorum praesertim in regno Aragonum adversus haereticam pravitatem, necnon capituli metropolitanae ecclesiae, cleri, iuratorum et populi civitatis Caesaraugustanae, processus rite ac recte confecti fuerint super sanctitate vitae, virtutibus, martyrio, causâ martyrii, prodigio quoque effervescentiae et multiplicationis sanguinis, aliisque miraculis a Deo patratis intercessione servi Dei Petri de Arbues aliàs magistri Epilae nuncupati, dum vixit, canonici praedictae metropolitanae ecclesiae Caesaraugustanae, et primi inquisitoris in dicto regno Aragoniae auctoritate apostolicâ deputati, qui, dum munus inquisitoris huiusmodi fideliter et summo cum fidei catholicae zelo exercebat, a nefariis quibusdam sicariis, iudaicâ perfidiâ infectis, in odium eiusdem catholicae fidei immaniter trucidatus, martyrii palmam accepisse asserebatur; iidemque processus in congregatione venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium sacris ritibus praepositorum accuratissime discussi fuerint, factâque tandem eorum omnium, quae in causâ gesta sunt, coram nobis plenâ et distinctâ relatione, praefata cardinalium congregatio, nobis annuentibus, censuerit quandocumque tuto deveniri posse ad solemnem canonizationem eiusdem servi Dei Petri Arbuesii, iuxta ritum S. R. E. et sacrorum canonum dispositionem, attento quod agitur de martyre cum prodigio et miraculis mature discussis et formiter approbatis:

Beati nomine nuncupandus.

§ 2. Hinc est quod nos, piis memoratorum Philippi regis, inquisitorum, capituli, cleri, iuratorum et populi supplicationibus nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de praefatorum cardinalium consilio et unanimi assensu, indulgemus ut memoratus Dei servus Petrus Arbuesius in posterum Beati nomine nuncupetur, eiusque corpus et reliquiae venerationi fidelium (non tamen in processionibus circumferenda) exponantur. Imagines quoque radiis seu splendoribus exornentur, atque de eo sub ritu duplici recitetur officium et missa celebretur de martyre non pontifice singulis annis, iuxta rubricas breviarii et missalis romani, die XVII septembris, qua spiritum creatori reddidit. Haec vero in locis dumtaxat infrascriptis, nempe in cathedrali ecclesiâ Caesaraugustanâ, ubi canonicus martyrii palmam consecutus est eiusque corpus requiescit, in ecclesiis generalis Inquisitionis Hispaniarum ac S. Martini Inquisitionis regni Aragoniae, ubi primus inquisitoris munus obivit, et a qua ex apostolicâ auctoritate munus idem accepit, necnon in matrice ecclesiâ oppidi de Epila, ubi natus est, et, quantum ad missas attinet, etiam a sacerdotibus confluentibus.

Solemnia beatificationis celebranda.

§ 3. Praeterea, praesenti tamen dumtaxat anno a datis hisce litteris inchoando, in supradictis ecclesiis solemnia beatificationis eiusdem cum officio et missâ sub ritu duplici maiori, die ab Ordinario constitutâ et intra sex menses promulgandâ, celebrandi facimus facultatem. Romae vero in ecclesiâ S. Mariae Montis Serrati, nationis regni Aragonum, intra bimestre, postquam tamen in basilicâ Principis Apostolorum eadem so-

lemnia celebrata fuerint, pariter celebrari permittimus.

Contrariis derogat. § 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac decretis super non cultu editis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis danda fides. § 5. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu secretarii praedictae congregationis cardinalium sacris ritibus praepositorum subscriptis, et sigillo praefecti eiusdem congregationis munitis, eadem prorsus fides ab omnibus et ubique tam in iudicio quam extra adhibeatur, quae praesentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XVII aprilis MDCLXIII, pontificatus nostri anno IX.

Dat. die 17 aprilis 1663, pontif. anno IX.

CDXXXIV.

Deputatio reverendi patris domini Rasponi in nuncium extraordinarium ad reges, respublicas et principes christianos quoscumque, ad quorum regna, dominia, ditiones et principatus ipsum declinare contigerit pro gerendis arduis negociis S. Sedis Apostolicae[1].

Dilecto filio magistro Caesari Rasponio, in utrâque signaturâ nostrâ referendario, ad reges, respublicas et principes christianos quoscumque nostro et Apostolicae Sedis nuncio,

Alexander Papa VII.

Dilecte fili,
salutem et apostolicam benedictionem.

Prooemium. § 1. Cum nos, pro gerendis arduis nostris et Sedis Apostolicae negotiis, de aliquo viro, sapientiâ et meritis praestante, nostro et eiusdem Sedis nuncio extraordinario ad reges, respublicas et principes christianos quoscumque destinando mature deliberaremus, tu nobis occurristi, cui, ob spectatam multis rerum experimentis fidem, ac erga nos et dictam Sedem devotionem, singularemque dexteritatem, prudentiam et doctrinam, aliasque eximias animi dotes et virtutes, quibus te multipliciter insignitum esse novimus, hoc munus potissimum demandaremus.

Deputat ut in rubricâ. § 2. Motu itaque proprio, ac ex certâ scientiâ et maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, te apud omnes et singulos reges, necnon respublicas et principes christianos quoscumque, ad quorum regna, dominia, ditiones et principatus te declinare contigerit, nostrum et Apostolicae Sedis praefatae nuncium extraordinarium, cum facultatibus ad id quovis modo necessariis et opportunis, ad nostrum et eiusdem Sedis beneplacitum, tenore praesentium, facimus, constituimus et deputamus. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque.

Hortatio. § 3. Ceterum te in Domino hortamur ut munus iam dictum alacri animo suscipiens, illud ad Dei gloriam et S. R. E. exaltationem ac catholicae fidei propagationem sic gerere studeas, ut tu quidem de praeclaris gestis tuis non solum apud omnes commendationem et laudem in terris, sed in primis a bonorum operum retributore praemium in caelis consequi merèaris, nos vero te votis ac de te expectationi nostris respondere laetemur.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXII aprilis MDCLXIII, pontificatus nostri anno IX.

Dat. 22 aprilis 1663, pontif. anno IX.

1 Ex Regest. in Secr. Brev.

CDXXXV.

Confirmatio statutorum pro conventibus reformatis provinciae Turoniae Pictavensis Ordinis fratrum Minorum sancti Francisci de Observantiâ reformatorum [1].

Alexander Papa VII, ad futuram rei memoriam.

Prooemium. Militantis Ecclesiae regimini per ineffabilem divinae bonitatis abundantiam, nullo licet meritorum nostrorum suffragio, praepositi, illa, quae pro felici prosperoque christifidelium, qui, abnegantes semetipsos, divinis obsequiis sese sub suavi religionis iugo manciparunt, regimine et gubernio provide constituta esse noscuntur, libenter, dum a nobis petitur, apostolici muniminis praesidio roboramus.

Expositio. § 1. Exponi siquidem nobis nuper fecerunt dilecti filii minister provincialis et discreti provinciae Turoniae Pictavensis Ordinis fratrum Minorum sancti Francisci de Observantiâ seu Reformatorum nuncupatorum, quod nonnulla statuta pro conventibus reformatis dictae provinciae, iam olim in capitulo generali et provinciali approbata, iuxta decretum dilecti filii ministri generalis dicti Ordinis, per fratres definitorii, necnon per antiquiores provinciae huiusmodi reformatos definitores, atque per omnes guardianos conventuum reformatorum in congregatione intermediâ Bercozii habitâ die XXIII aprilis MDCLXII convocatos, in unum collecta fuerunt, tenoris qui sequitur, videlicet:

Statuta referuntur. I. In conventibus reformatis non debent eligi guardiani nec alii officiales, scilicet vicarii, lectores, magistri novitiorum ac iuvenum, quam illi, qui tunc temporis morantur in conventibus reformatis, et per biennium saltem proxime praecedens in eisdem laudabiliter et reformate vixerint, et hoc sub poenâ nullitatis aliter faciendo.

II. Nec in conventibus reformatis huiusmodi collocari debeant nisi reformati, et illi qui in victu et vestitu ceterisque omnibus secundum institutum reformatorum vivere velint et possint, et non aliter.

III. Fratribus, petentibus licentiam migrandi ad fratres reformatos, teneatur minister provincialis concedere, eosque serio exhortare ne levitate potius, aut animi inconstantiâ, quam pietate reformationem aggrediantur.

IV. Emissis votis in conventibus reformatis, non licebit deinceps ad alios conventus non reformatos convolare.

V. Qui ex Observantiâ ad strictiorem statum profectus fuerit, et per annum integrum laudabiliter vixerit in reformatione, remeare denuo non poterit ad alios conventus non reformatos, ut in eis moretur, absque licentiâ magistri generalis a toto definitorio provinciae petendâ.

VI. Non licebit in posterum fratribus strictioris observantiae dare operam litteris in conventu Parisiensi, sed tantum in conventibus reformationis deputatis; ceteri vero fratres non recipiantur in studiis reformatorum nisi velint id genus vitae amplecti, et non poterunt deinceps ad non reformatos regredi nisi per annum in studio permanserint.

VII. Nullus a conventibus reformatorum amoveri valeat nisi ut fiat guardianus aut alius officiarius in conventu et in eodem capitulo reformationi, si necesse sit, deputando.

VIII. Crescente numero reformatorum, augeatur numerus conventuum, quos mi-

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

1 Male ed. Main. legit *poterit, et* (R. T.).

nister provincialis et definitores in capitulo provinciali reformationi aptos assignare tenebuntur.

IX. Quantum ad novitiorum receptionem et educationem et professionem, servabuntur statuta provinciae, excepto quòd, si ante professionem novitius exierit, reddentur ei, et si voluerit, omnia suppellectilia, etiam habitus.

X. Inhibitum est ne continuentur guardiani ultra triennium, iuxta constitutiones apostolicas et statuta generalia.

XI. Definitores actuales non fieri poterunt guardiani durante sui definitoriatus tempore, neque eligi in superiores vel praesides alicuius conventus ultra tres menses.

XII. Definitorium non poterit assumere religiosos reformatos, illosque instituere in monialium confessarios, qui[1] sint ad minus quadragenarii, quibus socii reformati assignabuntur; qui quidem confessarii ultra triennium non continuabuntur, expletoque triennio revertentur ad reformatos conventus, in eisque guardiani fieri poterunt.

XIII. In hac provinciâ unus ad minus sit semper definitor ex conventibus strictioris observantiae.

XIV. In capitulis et congregationibus instituantur magistri novitiorum et iuvenum, qui sint viri graves, probi, devoti, vitae spiritualis et exercitiorum Ordinis periti; lectores autem eligantur peritiores et religiosores.

(Sequuntur subscriptiones patrum vocalium capituli provincialis provinciae Turoniae).

Confirmat statuta.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, dicti exponentes praeinserta statuta, pro firmiori illorum subsistentiâ et observatione, apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri summopere desiderent: nos, specialem ipsis exponentibus gratiam facere volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositorum, qui acta capitularia seu statuta memoratae provinciae ad praeinsertum tenorem expressa viderunt, consilio, eâdem auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, approbamus et confirmamus, eisque apostolicae auctoritatis robur adiicimus, et iuxta illorum dispositionem in posterum servari mandamus et praecipimus.

Decretum irritans.

§ 3. Decernentes easdem praesentes litteras firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere; ac illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon, quatenus opus sit, praefatorum Ordinis ac provinciae et conventuum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet con-

1 Videtur leg. *qui non*, vel *nisi*, pro *qui* (R.T.).

cessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXIII aprilis MDCLXIII, pontificatus nostri anno IX.

Dat. die 23 aprilis 1663, pontif. anno IX.

CDXXXVI.

Liberatio plateae de Rotunda Urbis a dominio capituli et canonicorum ecclesiae S. Mariae in Rotunda dictae Urbis, excepto loco pro collocandis tabernis mercatoriis designato, cum confirmatione privilegiorum dictis capitulo et canonicis per Romanos Pontifices, praesertim Sixtum V et Urbanum VIII, concessorum et approbatorum [1].

Alexander Papa VII,
ad perpetuam rei memoriam.

Sixti V priores litterae.

§ 1. Dudum per felicis recordationis Sixtum Papam V praedecessorem nostrum accepto, quod, etsi archipresbyter et capitulum ecclesiae B. Mariae Rotundae de Urbe ab immemorabili tempore fuissent et essent domini et patroni totius plateae *S. Mariae Rotundae* nuncupatae ante praedictam ecclesiam existentis, et in pacificâ possessione eatenus fuissent tenendi bancos, et illos locandi, ac pretium inde proveniens percipiendi, unde nemini nec iudici nec magistratui aut superiori licuisset nec liceret archipresbyterum et capitulum praedictos in ipsâ eorum possessione, minusque eorum locatarios, quominus banchis ex plateâ praedictis uti possent, molestare, aut ab ipsis locatariis praetextu dictae plateae aliquid exigere, petere vel recipere; imo soliti essent, tam in dictâ plateâ, quam extra et prope eam in viis publicis ab illâ ad quinque cannas vel circiter distantibus, fructus, herbas, panem, pisces et alia tam comestibilia quam incomestibilia vendere volentibus, licentiam desuper concedere; ac quoscumque, qui pro eiectione luti ac immunditiarum dictae plateae ratam partem solvere recusarent, omnesque in huiusmodi plateâ ac locis vicinis, dictis archipresbytero et capitulo subiectis, vendentes (illis dumtaxat exceptis qui in locis ordinariis et per eosdem archipresbyterum et capitulum deputatis de eorum licentiâ manerent, aut illos in dominos recognoscerent), illos quoque habitantes, qui ante eorum apothecas bancos ultra debitum, seu tabulata et tabulas, super quibus res vendendae teneri et exhiberi solent, a pariete apothecae ultra quatuor palmos distantes haberent, aut sub dictis banchis et tabulis barilia, tinas, sive ut vulgo dicunt *tinozas*, aliasque res tenerent, ad solutionem et contributionem debitam cogere et compellere; nihilominus nonnulli vicini domos in circuitu eiusdem plateae possidentes et habitantes (nesciebatur quo iure) absque licentiâ dictorum archipresbyteri et capituli iuxta suos parietes et ante eos erigere praesumpserant bancos ad usum macelli, et pro vendendis piscibus, pro quibus etiam aliquid praedictis archipresbytero et capitulo solvere recusabant, in grave eorum damnum et praeiudicium: ipse Sixtus praedecessor omnia et singula privilegia, indulta, iurisdictiones, libertates, immunitates, exemptiones, facultates et gratias, eccle-

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

siae necnon archipresbytero et capitulo praedictis per quoscumque Romanos Pontifices eatenus quomodocumque et qualitercumque concessa, usum plateae et illi adiacentium locorum illorumque concessionem concernentia, in quorum pacificâ possessione et usu eatenus extiterant, necnon mandata et sententias de et super manutentione possessionis dictae plateae per quosvis palatii apostolici causarum auditores, sive eorum locumtenentes, aut alios quoslibet Romanae Curiae iudices eatenus latas, emanatas et relaxatas, prout rite et recte gesta erant, perpetuo, sub certis modo et formâ tunc expressis, confirmavit et approbavit, ac, praeviâ quarumcumque litium et causarum super plateâ et adiacentibus locis antedictis motarum seu pendentium avocatione illarumque suppressione et extinctione, dictam plateam ac loca ei circumquaque adiacentia in viis publicis existentia et ab eâ per quinque cannas distantia huiusmodi (etiamsi[1] dictam plateam ullo unquam tempore per quascumque personas, cuiuscumque gradus et conditionis existentes, augeri, extendi et ampliari contingeret, etiam cum augmento ampliationis et extensionis huiusmodi, quantumcumque foret, quo adveniente, etiam loca in viis publicis et ab eâ per quinque cannas distantia huiusmodi computari et comprehendi voluit), cum omnibus et singulis iuribus et pertinentiis suis, ac etiam omnibus et quibuscumque illorum fructibus, redditibus, proventibus, iuribus, obventionibus et emolumentis universis, ecclesiae, archipresbytero et capitulo praedictis similiter perpetuo et irrevocabiliter donavit, concessit et elargitus est, ac omne illius et illorum ius et dominium, etiamsi ad ipsum Sixtum praedecessorem et cameram apostolicam aut alios quoscumque particulares spectaret, in ecclesiam et archipresbyterum et capitulum huiusmodi transtulit, eosque in suum et camerae ac particularium praedictorum locum et iura, quoad ex tunc, pariter perpetuo substituit et subrogavit, ita ut liceret archipresbytero et capitulo praedictis plateae et adiacentium locorum sic specificatorum, ac iurium, obventionum et emolumentorum praedictorum, per se, vel alium, seu alios, possessionem per eos captam, ut praefertur, continuare, et, quatenus opus esset, de novo propriâ auctoritate libere apprehendere, illamque perpetuo retinere, necnon fructus, redditus proventusque ex eis provenientes percipere, exigere et levare, ac in eorum et dictae ecclesiae usus et utilitatem convertere, cuiusvis licentiâ desuper minime requisitâ, ac ex tunc ecclesiae, archipresbytero et capitulo praefatis in plateâ et adiacentibus locis huiusmodi plenum ius omnino acquisitum esse, illamque et illa, cum iuribus, obventionibus et emolumentis praedictis, ad ecclesiam, necnon archipresbyterum et capitulum memoratos de iure spectare et pertinere, ipsisque lapides marmoreos loco bancorum, pro maiori piscium venditorum commoditate ac dictae plateae ornatu, mensibus elapsis per eos in ipsâ plateâ erectos et appositos, libere et impune erigere et apponere licuisse declaravit. Praeterea plateam, unà cum augmento huiusmodi si illud fieri quandocumque contingeret, necnon loca adiacentia praenominata, ab omni iurisdictione et superioritate tunc et pro tempore existentium camerarii ac dictae Urbis viarum magistrorum ex tunc et in perpetuum, ita et taliter quod dicti camerarius et magistri

1 Legerem *et, si* pro *etiamsi* (R. T.).

in[1] et super plateâ ac locis circumvicinis praedictis, illorumque membris et pertinentiis, nullam omnino haberent nec habere possent iurisdictionem et auctoritatem, exemit et liberavit, quodque de cetero nulli omnino cuiuscumque status, gradus, ordinis aut conditionis existerent, etiam quovis privilegio suffulti, in plateâ praedictâ, et prope illam in viis publicis ab eâ per quinque cannas distantibus huiusmodi, etiam praetextu quod essent domini liberi et absoluti vel habitatores domorum circum circa in dictâ plateâ existentium, in domorum praedictarum parietibus, et ante eas, aliquod genus bancorum, seu tabulatorum, vel tabularum, ad effectum quispiam vendendi, aut venale prostituendi, de cetero erigere, nec erigi, seu erectum tenere, vel teneri facere, per se, vel alium, seu alios, absque expressâ et in scriptis obtentâ archipresbyteri ac capituli praedictorum licentiâ, etiam perpetuo statuit, et aliàs prout in ipsius Sixti praedecessoris litteris, anno Incarnationis Dominicae MDLXXXVI, idibus novembris, desuper sub plumbo expeditis, uberius continetur[2]. Sed subinde (quia in praedictis litteris mentis et intentionis dicti Sixti praedecessoris non fuerat, neque erat, ecclesiae praefatae, eiusque archipresbytero, canonicis et capitulo, ad quorum favorem litterae ipsae emanaverant, quidquam de novo, et praesertim in praeiudicium cuiusvis tertii, concedere, sed solum confirmare vetera eorum, si quae et quaecumque eisdem, iuxta sacrorum canonum statuta et Romanorum Pontificum praedecessorum suorum aut aliarum personarum quarumcumque ad id auctoritatem habentium concessiones et indulta, aut ex iuris communis dispositione, seu quocumque alio legitimo titulo, iura competerent, et non aliter, neque alio modo, et, si forte litterae supradictae aliter continere viderentur, id praeter et contra mentem et intentionem eius acciderat) idem Sixtus praedecessor per alias suas in simili formâ Brevis litteras, die XXVII maii MDLXXXVII emanatas, declaravit, attestatus est, voluit et decrevit primodictas litteras et contenta in illis, in quantum, ultra veteres concessiones et indulta, aut titulos, seu alia iura huiusmodi, quidquam de novo concessisse videretur, pro non editis haberi, concessionesque et indulta huiusmodi, et omnia in illis contenta, revocavit, annullavit, et pro non factis haberi mandavit, eisdem litteris, cum omnibus in illis contentis, solum et dumtaxat quoad confirmationem veterum concessionum et indultorum ac iurium eiusdem[1] ecclesiae, archipresbytero, canonicis et capitulo iuxta sacrorum canonum statuta et supradictorum praedecessorum, ut supra, aut alias concessiones et litteras competentium in suo robore et firmitate manentibus. Postmodum vero, accepto per recolendae memoriae Urbanum Papam VIII, praedecessorem pariter nostrum, quod, licet archipresbyter ac capitulum et canonici praedicti ab immemorabili tempore, ac plurium sententiarum et rerum iudicatarum, et tam piae memoriae Innocentii VIII, Sixti IV et Iulii II Romanorum Pontificum praedecessorum etiam nostrorum, quam praefatarum Sixti V praedecessoris litterarum, necnon variarum inhibitionum et mandatorum diversis temporibus desuper emanatorum vigore, fuissent et tunc essent

Sixti V litterae posteriores.

Urbani VIII decreta.

1 Praeposit. *in* addimus ex loc. parall. (R.T.).

2 Circa praedicta vide Const. Sixti V relatam in Const. CCLXXVIII Urbani VIII, tom. XIII, pag. 632 (R. T.).

1 Videtur legend. *eisdem* pro *eiusdem* (R.T.).

universae plateae praedictae domini et patroni, et, ab inde citra, se dictamque eorum ecclesiam manutenuissent in quasi possessione in universâ plateâ huiusmodi, etiam privative quoad omnes alios etiam domorum eidem plateae adiacentium dominos, erigendi, tenendi et habendi bancos et tabulata ad effectum inibi fructus, herbas, pisces et alia comestibilia vendendi, dictosque bancos et tabulata personis sibi benevisis locandi, pensiones ex huiusmodi locationibus provenientes percipiendi, exigendi et levandi, ac in suos usus et utilitatem convertendi, et personis praedictis, similes bancos et tabulata in plateâ huiusmodi erigendi, tenendi et habendi, licentiam concedendi, ceteraque omnia et singula alia ad liberum ipsius plateae dominium spectantia faciendi, dicendi, gerendi et exequendi, nihilominus de anno MDCII archipresbyter et canonici aliqui (ut credebatur) extra capitulum et singulariter contrahentes per eorum assertam scripturam privatam, quae per Sedem Apostolicam non probatur confirmata, renunciavissent, et ab eorum ecclesiâ abdicare tentassent huiusmodi bancos et tabulata ac macella apponendi et alia iura, in et supra dictâ plateâ archipresbytero et canonicis ac capitulo praedictis, ut praefertur, competentia, ad favorem magistrorum viarum Urbis, et de anno MDCXVIII, seu alio veriori tempore, Adamus Melfius aromatarius cuiusdam domus eidem plateae adiacentis, et ad Crescentium de Crescentiis Romanum, ut asserebatur, spectantis, inquilinus habitator (praetendens ante apothecam dictae domus in quodam situ angulari medio inter eamdem apothecam et viam publicam super eâdem plateâ transeuntem, qua a domo regularis S. Mariae Magdalenae clericorum regularium Ministrantium Infirmis ad domum etiam regularem B. Mariae super Minervam nuncupatam de eâdem Urbe fratrum Ordinis Praedicatorum itur, sub praetextu quod situs huiusmodi in eâdem plateâ non comprehenderetur, sed locus privatus et de pertinentiis dictae domus extiteret, bancos huiusmodi erigere, habere et tenere posse), etiam forsan de licentiâ magistrorum viarum Urbis seu viarum praesidentis, duos bancos similes in eodem situ erexisset, illosque pro piscibus vendendis locasset, habito autem per archipresbyterum et capitulum et canonicos praedictos ad tunc existentem ipsius Urbani praedecessoris in eâdem Urbe vicarium in spiritualibus generalem recursu, banchi praedicti amoti, iique postea, praetextu cuiusdam sententiae a tunc existente sanctae Romanae Ecclesiae camerarii auditore emanatae, denuo appositi fuissent, introductâ vero per viam appellationis causâ huiusmodi in camerâ apostolicâ coram certis eiusdem camerae clericis, ibique sub die XXVI iunii MDCXXIV praedicto Adamo citato, et iterum sub die XXVI iunii MDCXXVI discusso an de bono iure ipsius ecclesiae constaret, citatis et auditis tam praedicto Adamo quam etiam dicto Crescentio, de bono dictae ecclesiae iure constare resolutum fuisset, dictique archipresbyter ac capitulum et canonici, vigore resolutionis huiusmodi, sub die I iulii MDCXXVI mandatum de manutenendo in possessione, seu quasi, tenendi banchos in praedicto situ et plateâ huiusmodi contra eosdem Crescentium et Adamum obtinuissent, et in illius executionem dicti banchi, in angulo praedicto ut praefertur appositi, amoti et sublati fuissent, verum dicti Crescentius et Adamus, mandatum de manutenendo illiusque executionem hu

iusmodi eludere volentes, ut in quamdam parvam apothecam ad eumdem Crescentium (ut asserebatur) pariter spectantem, et situi praedicto contiguam, dicti Adami seu Crescentii vel aliorum vicinorum conductores se reciperent, ibique pisces venderent, procuraverant, quo factum fuerat ut archipresbyter ac capitulum et canonici praedicti, postquam spatio octo annorum litem huiusmodi sustinuerant, aliam, tantumdem et forsan amplius duraturam, non sine gravi eiusdem ecclesiae dispendio magnisque laboribus, exortam litem prosequi debere, seque de cetero litibus huiusmodi prosequendis ob assidua expensarum onera iugiter subeunda gravatos fore prospicerent: idem Urbanus praedecessor primodictas Sixti V praedecessoris litteras cum omnibus et singulis in eis contentis itidem perpetuo approbavit et confirmavit, ac, praeviis causae seu causarum huiusmodi inter praefatos aliosque collitigantes motarum pendentium et instructarum avocatione ac suppressione et extinctione, perpetuum praedictis Crescentio et Adamo desuper silentium imposuit. Insuper, pro maiori archipresbyteri ac capituli et canonicorum praedictorum cautelâ, iuraque iuribus addendo, plateam praedictam tunc et pro tempore existentem eisdem ecclesiae, capitulo et canonicis concessit et perpetuo donavit, relicto domorum seu apothecarum eidem plateae adiacentium dominis vel inquilinis trium dumtaxat palmorum extra domos vel apothecas huiusmodi spatio, quoad usum tantum pro mercibus seu aliis rebus ipsorum dominorum seu inquilinorum tantum, quae tamen in ipsis domibus vel apothechis venderentur, et non aliàs, neque ad alium usum, nisi de licentiâ expressâ ipsorum archipresbyteri ac capituli et canonicorum in scriptis titulo locationis obtinendâ. Ulterius domorum et apothecarum huiusmodi dominis, necnon magistris viarum et aliis officialibus quocumque nomine nuncupatis[1], ac eiusdem S. R. E. camerario, ceterisque quibuscumque ad quos tunc quomodolibet spectabat et perpetuo in futurum spectaret, ne archipresbyterum, canonicos et capitulum huiusmodi super universae plateae dominio et facultatibus praedictis impedire, molestare vel perturbare, aut in domibus, apothecis aliisque sitibus eidem plateae adiacentibus, circum circa infra centum cannarum spatium, quoad pisces, tellinas, gambaros vel squillas dumtaxat, nec etiam in eâdem plateâ et apothecis vicinis super dictâ plateâ respondentibus, carnes cuiuscumque generis vivas vel mortuas, etiam haedos et agnos et alias, nec fructus cuiuscumque generis, olera et flores vendere, aut macellum vel lanienam habere, absque expressâ archipresbyteri ac canonicorum et capituli praedictorum licentiâ, auderent seu praesumerent, sub indignationis suae et successorum suorum, et aliis arbitrii sui et successorum praedictorum poenis, et in dictis Sixti V. praedecessoris litteris inflictis et comminatis, interdixit et prohibuit; volens quoque praedictos archipresbyterum et canonicos et capitulum ad refectionem silicatae tam plateae usque ad parietes domorum et apothecarum adiacentium, quam viarum in praedictâ plateâ respondentium, pro latitudine et longitudine[2] tantum, teneri et perpetuo obligatos existere, ac ad illam faciendam cogi posse, et aliàs prout in ipsius Urbani praedecessoris litteris, die IX februarii MDCXXVIII in simili formâ Brevis expeditis, plenius continetur[3].

1 Ed. Main. legit *nuncupati* (R. T.).

2 Ex loc. parall. supple *dictae plateae* (R. T.).

3 Quas vide in tom. XII, pag. 631 seq. (R. T.).

Quae Alexander VII statuerat.

§ 2. Cum autem nuper (mature considerato quod ecclesia praedicta, quae priscis temporibus nobile delubrum erat nomine *Pantheon*, tot clarorum scriptorum praeconiis ab eleganti[1] symmetriâ magnificâque structurâ celebratum, quod veteris idolatriae sordibus expurgatum felici mutatione sanctus Bonifacius IV praedecessor noster vero Deo in honorem Beatissimae Virginis Deiparae Mariae et Sanctorum Martyrum consecravit, ex tot insignibus antiquae magnificentiae monimentis, quae tot imperatores, tot consules ad huius almae Urbis ornatum et nominis romani gloriam quasi cum aeternitate certatura erexerant, fere sola perennasset, et prisci sui decoris plurimum retinuisset, ac maximum hodieque eidem Urbi adferret ornamentum, sed subiacentis fori situ squaloreve vilescere videretur, et illius adspectus etiam contiguorum nobili eius porticui aedificiorum non iure forsan extructorum obiectu interciperetur et deformaretur, aditusque in plateam praedictam nimium coarctaretur) nos, earumdem ecclesiae et Urbis decori consulendi studio, omnes aedes et aedificia quaecumque dictae porticui adiacentes et adiacentia, ac ad dictos capitulum et canonicos spectantes et spectantia, penitus et funditus dirui atque demoliri, illorumque rudera et caementa inde asportari, necnon domunculas ligneas, tabernas, scamna et tabulata quaecumque in dictâ plateâ existentia inde amoveri et penitus tolli, certum vero loci spatium in formam hemicycli[2] aliquantum oblongi, ac labra et ornamenta fontis, qui in meditullio eiusdem plateae situs est, ab eâ parte quae versus ecclesiam S. Mariae Magdalenae protenditur, ambientis, pro collocandis illic domunculis seu tabernis mercatoriis, designari, ibique domunculas seu tabernas huiusmodi locari, illam autem dictae plateae partem, quae ecclesiam et fontem praedictos interiacet, necnon vias publicas in ipsâ plateâ circumquâque existentes eiusmodi impedimentis liberas et vacuas remanere iusserimus; haecque omnia re ipsâ ab illis, quibus hanc curam dederamus, executioni demandata fuerint, factâ etiam per dilectos filios magistros viarum dictae Urbis exactâ locorum plateae praedictae, tam eorum quae libera et vacua remanere, quam illorum in quibus domunculae seu tabernae mercatoriae huiusmodi collocari deberent, delineatione seu plantâ, quae in actis eorumdem magistrorum viarum die XXVI currentis mensis aprilis exhibita reperitur: hinc est quod nos, ut praemissa omnia et singula (quae speciali iussu et mandato nostro facta fuisse harum serie declaramus) ad ecclesiae et Urbis praefatarum ornatum perpetuis futuris temporibus inviolabiliter serventur, providere, ac memoratorum capituli et canonicorum indemnitati consulere cupientes, necnon praedictorum Sixti et Urbani praedecessorum aliarumque quarumlibet litterarum apostolicarum tenores et datas etiam veriores, et alia quaecumque etiam specialem et individuam mentionem et expressionem requirentia, praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes, motu proprio, ac ex certâ scientiâ et maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, areas aedium et aedificiorum iussu nostro dirutorum et demolitorum, ut praefertur, ac universam plateam praedictam (excepto dumtaxat supradicto loci spatio pro collocandis domunculis seu tabernis mercatoriis, sicut in praefatâ delineatione seu plantâ videre est, designato), a dominio,

Quae nunc ipse Alexander statuit.

1 Edit. Main. legit *elegentis* (R. T.).
2 Edit. Main. legit *hemiicidi* (R. T.).

proprietate, servitute, aliisve iuribus quibuscumque, tam memoratis ecclesiae eiusque archipresbytero ac capitulo et canonicis ex immemorabili praescriptione, usu, seu consuetudine, ac praedictorum Sixti IV, Innocentii VIII, Iulii II, ac Sixti V et Urbani VIII, aliorumque quorumcumque Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum concessionibus, declarationibus, decretis, aliisque dispositionibus quibuslibet, et aliàs quovis modo, titulo et causâ, quam cuicumque alteri super plateâ huiusmodi quomodolibet competentibus, et quae illis quoquo modo competere praetendi possent (itaut nec dictis archipresbytero ac capitulo et canonicis, nec aliis personis quibuslibet, quacumque dignitate, auctoritate, honore, praerogativâ, praeeminentiâ, privilegio et indulto suffultis et praeditis, ullatenus unquam liceat domunculas, tabernas, scamna, tabulata, mensas, bancos vel alia impedimenta quaecumque in alio quolibet dictae plateae, per demolitionem aedium et aedificiorum praedictorum iussu nostro factam ut praefertur ampliatae, loco, quam in spatio pro collocandis domunculis seu tabernis mercatoriis praedictis designato, et in plantâ[1] seu delineatione supradictâ descripto, sub quovis praetextu, causâ, colore vel genio collocare, seu collocari facere, aut collocandi licentiam vel facultatem tribuere, seu ibidem carnes, pisces, panem, olera, fruges, fructus, aliave cuiusvis generis esculenta, ac flores, et alia mercimonia quaecumque, venum exponere aut venalia habere, seu alio quocumque modo eiusdem plateae venustati officere[2], sed ipsa platea, excepto dumtaxat iam dicto loci spatio, semper libera et vacua remanere debeat, salvo tamen illo iure, quod in praedictis Urbani praedecessoris litteris domorum in plateâ huiusmodi sitarum dominis vel inquilinis expresse reservatum reperitur), tenore praesentium penitus et omnino perpetuo eximimus et plenarie liberamus. Ac praedictis capitulo et canonicis, ut ipsi perpetuis futuris temporibus spatio loci pro domunculis seu tabernis mercatoriis, iussu nostro, ut praefertur, designato, uti, ibique domunculas seu tabernas huiusmodi collocatas habere, ac illas personis sibi benevisis locare, pensionesque et emolumenta quaecumque inde proventura percipere, exigere, levare, ac in suos usus et utilitatem convertere, necnon privilegiis, favoribus, gratiis et indultis quibuscumque ipsis et dictae ecclesiae per memoratos Romanos Pontifices praedecessores nostros, et praesertim Sixtum V et Urbanum VIII, ut praefertur, respective concessis et approbatis (quae omnia et singula, quatenus praesentibus litteris non adversantur, et non aliàs, confirmamus et approbamus; quatenus vero ipsis praesentibus litteris sunt contraria, revocamus, abrogamus, cassamus, viribusque et effectu vacuamus), sicut hactenus usi, potiti[1] et gavisi fuerunt, ita et in posterum uti, frui, potiri et gaudere libere et licite possint et valeant, concedimus et indulgemus.

Indemnitas concessa capitulo.

§ 3. Ut autem minus quam fieri possit ex huiusmodi domorum demolitione capitulum et canonici detrimentum patiantur, eisdem, nunc viventibus tantum, fructus canonicatus in praesentiâ in dictâ ecclesiâ per obitum Pompilii Zuccarini vacantis (cuius interea provisionem et collationem ad hunc effectum suspendimus) applicamus et assignamus inter ipsos pro ratâ distribuendos, cum oneribus et obligationibus, non solum

1 Male ed. Main. legit *planteâ* pro *plantâ* (R.T).
2 Male ed. Main. legit *efficere* pro *officere* (R.T.).

1 Male ed. Main. legit *potiri* pro *potiti* (R. T.).

communiter cum aliis verum etiam particulariter dicto canonicatui ac praebendae annexis, quibus omnibus satisfacere omnino teneantur, prout praedictus Pompilius tenebatur, et cum decreto quod haec fructuum applicatio et assignatio locum habeat ad favorem canonicorum dumtaxat nunc viventium (ut dictum est) et alios canonicatus possidentium, itaut, eorum aliquo decedente vel cedente, portio illius non transeat in successorem, neque ceteris canonicis accrescat, sed, eo ipso quod singuli eorum decesserint vel cesserint, portio sic decedentis vel cedentis nostrae et successorum nostrorum dispositioni specialiter reservata sit, ut expresse reservamus in utilitatem eiusdem ecclesiae, quamdiu, huiusmodi applicatione et assignatione durante, dictus canonicatus vacaverit, convertendam.

Decretum irritans.

§ 4. Decernentes easdem praesentes litteras, et in eis contenta quaecumque, etiam ex eo quod praedicti capitulum et canonici, et alii quilibet, cuiusvis status, gradus, ordinis, conditionis et praeeminentiae et dignitatis, seu aliàs speciali et individuâ mentione digni existant, in praemissis interesse habentes, seu habere quomodolibet praetendentes, illis non consenserint, aut ad ea vocati, citati et auditi, seu causae, propter quas praesentes emanarint, adductae, verificatae et iustificatae non fuerint, aut ex aliâ quacumque quantumvis iustâ, legitimâ, piâ et privilegiatâ causâ, colore, preetextu et capite, etiam in corpore iuris clauso, etiam enormis, enormissimae et totalis laesionis, nullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrae aut interesse habentium consensus, aliove quolibet quantumvis magno, formali et substantiali, ac incogitato et inexcogitabili, individuamque expressionem requirente defectu notari, impugnari, infringi, retractari, limitari, invalidari, rescindi, in controversiam revocari, vel ad terminos iuris reduci, seu adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudque quodcumque iuris, facti vel gratiae remedium impetrari vel intentari, aut impetrato, vel etiam motu, scientiâ et potestatis plenitudine paribus concesso vel emanato, quempiam in iudicio vel extra illud uti seu se iuvare posse, neque easdem praesentes litteras sub quibusvis similium vel dissimilium exemptionum, liberationum, concessionum, indultorum et assignationum revocationibus, restrictionibus, limitationibus, derogationibus, aliisve contrariis dispositionibus, etiam per nos et Romanos Pontifices successores nostros Sedemque praedictam quandocumque faciendis, unquam comprehendi, aut comprehensas[1] censeri, sed semper ab illis exceptas, et, quoties illae emanaverint, toties in pristinum et validissimum statum restitutas, repositas et plenarie reintegratas, ac etiam de novo, sub quacumque posteriori datâ per eos ad quos pro tempore spectabit eligendâ, concessas censeri et intelligi, semperque firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, plenissime suffragari, ac ab illis respective inviolabiliter et inconcussae observari, sicque et non aliter in praemissis omnibus et singulis censeri, atque ita per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. camerarium, et alios cardinales, etiam de latere legatos, necnon camerae apostolicae praesidentes clericos, et alios quoslibet

1 Male ed. Main. legit *comprehensos* (R. T.).

Sedis et camerae praedictarum officiales et ministros, ceterosve quoscumque quavis auctoritate et potestate fungentes et functuros, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariis derogat.

§ 5. Non obstantibus omnibus et singulis praemissis, ac de iure quaesito non tollendo, aliisque nostris et cancellariae apostolicae regulis, necnon, quatenus opus sit, similis recolendae Symmachi, quae incipit *Ne liceat*, et Pauli II, aliorumque Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum de rebus Ecclesiae ac cameraé et Sedis praedictarum non alienandis, ac similis memoriae Pii Papae IV praedecessoris pariter nostri de gratiis qualecumque interesse dictae camerae concernentibus in eâdem camerâ intra certum tunc expressum tempus praesentandis et registrandis, ita ut praesentes litteras ibidem praesentari et registrari nunquam necesse sit, aliisve apostolicis, ac in conciliis, etiam universalibus, editis, generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, decretis quoque, etiam cameralibus et consistorialibus, ac Urbis, camerae et ecclesiae praedictarum[1], aliisve quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis, eorumque reformationibus et novis additionibus, stylis, usibus et consuetudinibus, etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, eisdem ecclesiae, ac camerae et Urbi, ipsiusque ecclesiae archipresbytero ac capitulo et canonicis, aliisve personis quibuslibet, sub quibuscumque verborum tenoribus et formis, ac cum quibusvis derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis, in genere vel specie, etiam motu pari, ac etiam consistorialiter, aut aliàs quomodolibet, etiam iteratis vicibus, in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, approbatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut quaecumque alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores, formas, causas et occasiones praesentibus pro[1] plene et sufficienter, nihil penitus omisso, insertis, expressis, servatis et specificatis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum specialiter et expresse derogamus, ac plenissime et amplissime derogatum esse volumus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXVII aprilis MDCLXIII, pontificatus nostri anno IX.

Dat. die 27 aprilis 1663, pontif. anno IX.

1 Edit. Main. legit *praedictorum* (R. T.).

CDXXXVII.

Commissio super divisione[2] *provinciae Ss. Ludovici et Elzearii Tertii Ordinis sancti Francisci congregationis Gallicanae in duas provincias, etc.*[3].

Alexander Papa VII, ad futuram rei memoriam.

Exposita.

§ 1. Exponi nobis nuper fecerunt dilecti filii minister provincialis et defi-

1 Praeposit. *pro* nos addimus (R. T.).
2 Ed. Main. legit *dimissione* (R. T.).
3 Ex Regest. in Secret. Brev.

nitores provinciae Ss. Ludovici et Elzearii congregationis Gallicanae tertii Ordinis sancti Francisci, quod in negotio fratrum Aquitanorum Ordinis et congregationis huiusmodi coram venerabilibus fratribus nostris S. R. E. cardinalibus negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositis pro erectione custodiae in partibus Aquitaniae, seu divisione dictae provinciae in duas, pluries agitato, eorumdem cardinalium congregatio per sua decreta, quae a nobis per nostras in simili formâ Brevis litteras, praesertim die XI februarii MDCLIX et die IX ianuarii MDCLX respective emanatas, confirmata fuerunt, declaravit non esse locum erectioni custodiae, seu separationi dictae provinciae, proindeque ministrum provincialem exercere debere suam iurisdictionem in totâ provinciâ, etiam in conventibus Aquitanis. Verum, cum quidam fratres Aquitani minime subiacere velint iurisdictioni sui ministri provincialis, et omnes Aquitani praedictam divisionem provinciae unius in duas postulent, tum ob maximam locorum distantiam, cuius ratione non potest facile a prelatis subveniri incommodis et difficultatibus hinc inde emergentibus ob quae disciplina regularis non levia patitur detrimenta, tum ratione gravium laborum in itinere sufferendorum quando religiosi ex unâ in alteram partem transferendi sunt vel ad comitia provincialia proficisci debent, tum etiam ob ingentia dissidia animosque discordes et incompatientes: ideo praefati exponentes plurimum cupiunt nos, charitative annuentes precibus et petitionibus dictorum fratrum Aquitanorum saepius factis, ac etiam in comitiis provincialibus praesidi et definitorio porrectis, pro separatione praefatae provinciae in duas, unam scilicet S. Ludovici pro Lugdunensibus et aliis, et aliam S. Elzearii pro dictis fratribus Aquitanis, consensum praebere ad effectum dictae seperationis, servatis tamen quae sequuntur, videlicet:

Conditiones pro separatione.

I. « Ut separatio provinciae fiat iuxta praescriptum et concordatum initum inter fratres Lugdunenses ex unâ parte et fratres Aquitanos ex aliâ in capitulo provinciali celebrato in conventu Molinengilbertano SS. Trinitatis die XXIII maii MDCXLVI, et non aliàs;

II. Ut dicti fratres Aquitani, dolentes de commissis in suos superiores, per scriptum publicum detestentur libellum famosum sub eorum nomine impressum et dispersum, tamquam iniuriis et calumniis refertum, ac veritati contrarium;

III. Ut sententia a dilecto filio episcopo Agennensi officiali, Boussel cognominato, in superiores lata, et alia quaecumque ab eodem officiali gesta vigore cuiusdam commissionis per dilectum etiam filium Leonem de Peguillan, fratrem dicti Ordinis, a signaturâ nostrâ iustitiae sub die XII augusti MDCLIX extortae, annullentur et irritentur, et tamquam nulla et irrita declarentur, cum talis commissio per litteras nostras revocata fuerit prius quam talis sententia emanaret, quae revocatio tamquam valida et legitime[1] obtenta per decretum praefatae congregationis cardinalium a nobis per nostras in formâ Brevis litteras confirmatum recognita est ». Quare iidem exponentes nobis humiliter supplicari fecerunt ut sibi in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Confirmat ut in rubricâ.

§ 2. Nos igitur, ipsos exponentes specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel

1 Ed. Main. legit *legitima* (R. T.).

ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, de memoratorum cardinalium, qui rem, auditis partibus, mature examinarunt, consilio, attentis narratis, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, committimus dilecto filio commissario seu praesidenti proximi capituli dictae provinciae Ss. Ludovici et Elzearii tertii Ordinis sancti Francisci congregationis Galliae a dilecto filio ministro generali deputando (qui tamen debeat esse ex eâdem congregatione, sed alterius provinciae) ut in dicto capitulo procedat ad divisionem dictae provinciae Ss. Ludovici et Elzearii in duas iuxta petita, constito quod in partibus Aquitaniae sint saltem sex conventus, qui componere debent provinciam de novo erigendam sub titulo S. Elzearii, et constituat confinia utriusque provinciae, et in eodem capitulo mandet pro hac vice, servatis servandis, deveniri ad electionem provincialis et aliorum officialium et superiorum dictae provinciae de novo erigendae, atque alia faciat, provideat ac disponat ad praescriptum Ordinis constitutionum et decretorum apostolicorum.

Clausulae. § 3. Decernentes easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus, sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

§ 4. Non obstantibus et minime attentis decretis et clausulis positis per bonae memoriae episcopum seu vicarium Agennensem, et quibuscumque aliis in contrarium facientibus, etiam speciali mentione dignis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon praefatorum Ordinis et provinciae, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque. Derogatio contrariorum.

Datum in Arce Gandulphi, Albanensis dioecesis, sub annulo Piscatoris, die XXI maii MDCLXIII, pontificatus nostri anno IX.

Dat. die 21 maii 1663, pontif. anno IX.

CDXXXVIII.

Decernit ne deinceps in definitoriis provinciarum fratrum Minorum Ordinis sancti Francisci recollectorum regni Galliae duo fratres germani locum nec vocem habere possint, et, si qui antea habuerint, ut omnino excludantur [1].

Alexander Papa VII, ad futuram rei memoriam.

§ 1. Cum (sicut dilectus filius Ephrem Chasteau, agens et procurator generalis fratrum Minorum Ordinis sancti Fran- Supplicatio.

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

cisci Recollectorum nuncupatorum in regno Galliae degentium, nobis nuper exponi fecit) felicis recordationis Urbanus Papa VIII, praedecessor noster, per quasdam suas in simili formâ Brevis litteras die XXIII novembris MDCXXXVII expeditas, sub censuris ecclesiasticis, ac indignationis suae, necnon privationis vocis activae et passivae poenis ipso facto per contrafacientes incurrendis, prohibuerit ne in definitoriis provinciarum Italiae et regnorum Hispaniarum dicti Ordinis duo interesse possent qui fratres germani essent, idque ut factionibus obviaretur; et subinde dilectus filius Petrus Roccius, commissarius generalis curiae pro familiâ ultramontanâ Ordinis praefati, petierit a congregatione venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositâ quamdam difficultatem occasione dictarum litterarum subortam explicari; congregatio vero praefata, attentis narratis, reque, auditis partibus, mature consideratâ, censuerit et decreverit non licuisse nec licere, sub quocumque titulo, praetextu, seu colore, duos fratres germanos in definitorium ingredi, et, si qui tunc in aliquibus provinciis ingrederentur, unum omnino excludi mandaverit, prout in ipsius congregationis decreto die XX ianuarii MDCLXII desuper emanato uberius dicitur contineri; quia vero in praefatis Urbani praedecessoris litteris et decreto congregationis huiusmodi nulla de provinciis Galliae dicti Ordinis mentio facta reperitur, et ratio excludendarum factionum, quae memoratum Urbanum praedecessorem ad faciendam prohibitionem supradictam adduxit, similem prohibitionem in eisdem provinciis praesertim recollectorum Galliae fieri non minus postulat, plurimum cupiat dictus Ephrem opportune in praemissis a nobis provideri: nos, dictarum provinciarum quieti et felici directioni salubriter consulere, dictique Ephrem desiderio favorabiliter annuere volentes, ac illum a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus ipsius Ephrem nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de praefatorum cardinalium consilio, attentis narratis, ne deinceps in definitoriis provinciarum Ordinis recollectorum sancti Francisci regni Galliae duo fratres germani locum nec vocem habere possint, et, si qui ante habuerint, alteruter omnino excludatur, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, decernimus, mandamus, ac praecipimus. Confirmat ut in rubrica.

§ 2. Decernentes pariter easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Clausulas apponit.

§ 3. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon, quatenus opus sit, praefatorum Ordinis et provinciarum Galliae, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis Contraria tollit.

in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, approbatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides transumptorum.

§ 4. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique locorum tam in iudicio quam extra illud adhibeatur, quae ipsismet praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum in Arce Gandulphi, Albanensis dioecesis, sub annulo Piscatoris, die XXI maii MDCLXIII, pontificatus nostri anno IX.

Dat. die 21 maii 1663, pontif. anno IX.

CDXXXIX.

Decernit servandam esse in provinciâ Maioricensi Ordinis Minorum sancti Francisci de Observantiâ nuncupatorum dispositionem Brevis Clementis VIII super prohibitione erectionis novorum conventuum pro provinciâ Carthaginensi dicti Ordinis emanati, et proinde fratribus cuiuslibet Ordinis Mendicantium novorum conventuum, hospitiorum seu domorum permanentium erectionem, absque Sedis Apostolicae licentiâ, contra tenorem dicti Brevis et apostolicarum constitutionum, in dictâ provinciâ Maioricensi prohibet et interdicit[1].

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

Alexander Papa VII, ad futuram rei memoriam.

Expositio.

§ 1. Exponi nobis nuper fecit dilectus filius Petrus Roccius, commissarius generalis curiae Ordinis fratrum Minorum sancti Francisci de Observantiâ nuncupatorum pro familiâ ultramontanâ, quod dudum felicis recordationis Clemens Papa VIII praedecessor noster, considerans in provinciâ Carthaginensi dicti Ordinis, tam angustâ, tantam multitudinem conventuum regularium diversorum Ordinum reperiri, ut propter praetensiones novarum fundationum plurima orirentur inconvenientia, ordinavit ne in posterum aedificari posset ullus conventus intra spatium quatuor vel quinque leucarum a iam erectis, prout in eiusdem Clementis praedecessoris litteris in simili formâ Brevis die II iulii MDCI desuper expeditis plenius dicitur contineri.

Motiva.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, in provinciâ Maioricensi dicti Ordinis fratrum Minorum sancti Francisci de Observantiâ nuncupatorum eadem inconvenientia sequantur, attento quod illa intra spatium duodecim leucarum longitudinis et octo latitudinis continet octo conventus eiusdem Ordinis Minorum sancti Francisci de Observantiâ, in quibus puritas regulae observatur, necnon sex hospitalia pauperum ex eleemosynis viventium, ac decem monasteria monialium, praeter viginti conventus diversorum Ordinum, quorum maior pars est Mendicantium, unde et seculares valde gravantur, et quamplurimae ob novarum fundationum praetensiones tam inter seculares quam inter regulares oriuntur discordiae, cum maximo regularis disciplinae detrimento, ac etiam populorum scandalo: nobis propterea dictus Petrus humiliter supplicari fecit ut in praemissis opportune

providere et ut infra indulgere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Confirmat ut in rubricâ. § 3. Nos igitur, ipsum Petrum specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus extiterit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositorum consilio, attentis narratis, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, decernimus servandam esse formam ac dispositionem memoratarum Clementis praedecessoris litterarum etiam in provinciâ Maioricensi Ordinis huiusmodi, atque ita fratribus cuiuslibet Ordinis Mendicantis novorum conventuum, hospitiorum, seu domorum et sub quovis titulo habitationum permanentium erectionem, absque sanctae Sedis Apostolicae licentiâ, contra tenorem dictarum Clementis praedecessoris litterarum et apostolicarum constitutionum, in praefatâ provinciâ prohibemus et interdicimus; salvâ tamen semper in praemissis auctoritate congregationis eorumdem cardinalium.

Clausulas addit. § 4. Decernentes easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contraria tollit. § 5. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon quorumvis Ordinum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, approbatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXVI maii MDCLXIII, pontificatus nostri anno IX.

Dat. die 26 maii 1663, pontif. anno IX.

CDXL.

Decernit et declarat quod fratres universi et singuli Ordinis Praedicatorum, ubique terrarum, priusquam ad sacros ordines ascendant, aetatem ad huiusmodi ordines suscipiendos explevisse debeant, iuxta Concilii Tridentini decreta.

Alexander Papa VII,
ad futuram rei memoriam.

Proœmium. Creditae nobis caelitus dispositionis ratio postulat, ut, paternam christifidelium, qui e fluctibus seculi in religiosae vitae portum confugerunt, curam gerentes, illa, quae felici eorum directioni et regulari disciplinae officere noscuntur, de medio tollere studeamus, sicut in Domino conspicimus salubriter expedire.

Expositio. § 1. Exponi siquidem nobis nuper fecit dilectus filius magister generalis Ordinis Praedicatorum, quod in plerisque dicti Ordinis provinciis Indiarum, non sine notabili regularis disciplinae, studiorum et communis quietis pacisque detrimento, fratres eiusdem Ordinis passim ante legitimam aetatem a Concilio Tridentino praescriptam mittuntur et admittuntur ad maiores ordines suscipiendos, eo quod praetendant adesse illic privilegium speciale desuper Ordini praedicto, aut alteri religioni cum qua Ordo ipse in privilegiis communicat, a Sede Apostolicâ indultum circa prima dictarum provinciarum et conversionum initia, sive quod ibidem episcopi et archiepiscopi ex novissimâ quadam concessione apostolicâ ob penuriam operariorum habeant aut habere putentur amplam eâ in re facultatem;

§ 2. Ac insuper in eisdem provinciis passim irrepsit abusus intolerabilis, quo fratres conversi seu laici arte ac solertiâ clericalem religionis habitum sacrosque ordines absque legitimâ superiorum dicti Ordinis permissione suscipere non verentur, dum videlicet de unâ in aliam provinciam commeantes sese mox clericos professos fingunt, ac, falsificatis dimissorialibus litteris, se offerunt episcopis initiandos, tametsi in praedicto Ordine Praedicatorum omnis conversorum transitus ad habitum clericalem sit legibus quamseverissimis interdictus.

Supplicatio. § 3. Cum autem sicut eadem expositio subiungebat, dictus magister generalis agnoscat ac deprehendat fore plurimum e re divini obsequii, cultusque ac decentiae, necnon claustralis observantiae et arctioris educationis, si validum adversus huiusmodi praematuras ordinationes remedium admoveatur et proinde qualicumque huiusmodi privilegio (si quod in illis partibus, vel praedicto eius Ordini immediate concessum, vel per communicationem ab alio quocumque Ordine participatum habetur) in manibus nostris renunciet, cupiatque opportune a nobis in praemissis provideri et ut infra indulgeri:

Confirmat ut in rubricâ. § 4. Nos (ipsum magistrum generalem specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, dictamque privilegii renunciationem, ab eodem magistro generali factam ut praefertur, harum serie admittentes et acceptantes) quod de cetero, non minus in supradictis provinciis Indiarum, quam in Europa, praedicti Ordinis Praedicatorum regulares universi ac singuli, priusquam ad sacros subdiaconatus, diaconatus et presbyteratus ordines ascendant, aetatem, ad tales ordines suscipiendos per decreta Concilii Tridentini praedicti respective requisitam, omnino explevisse debeant, nisi cum aliquibus nominatim et in casu singulari per litteras apostolicas in simili formâ Brevis toties quoties interpretandas[1] et ordinatori exhibendas super huiusmodi aetatis defectu canonice dispensatum fuerit, quemadmodum fit in Europa; quodque facultates, si quae iam datae sint sive in posterum dentur illarum regionum episcopis et archiepiscopis conferendi maiores ordines huiusmodi ante legitimam aetatem, ad

1 Potius lege *impetrandas* (R. T.).

fratres dicti Ordinis Praedicatorum nequaquam extendi censeantur, neque his ibi aut ullibi suffragari possit ad ullum praematurae ordinationis effectum quaecumque communicatio privilegiorum cuicumque religioni concessorum aut concedendorum, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, decernimus et declaramus.

No fratres conversi ad ordines sacros transeant.

§ 5. Praeterea quibusvis supradictarum provinciarum in Indiis consistentium Ordinis praedicti fratribus laicis seu conversis, ne sine legitimâ superiorum eiusdem Ordinis permissione e statu conversorum ad statum et habitum fratrum clericorum dicti Ordinis transire aut etiam ultra ad sacros ordines sese intrudere audeant quovis modo vel praesumant, sub excommunicationis latae sententiae poenâ per contraventores eo ipso absque aliâ declaratione incurrendâ, auctoritate et tenore praedictis prohibemus et interdicimus.

Decretum irritans.

§ 6. Decernentes easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 7. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon, quatenus opus sit, praedictorum Ordinis et provinciarum, aliisve quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides.

§ 8. Volumus autem ut earumdem praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXIX maii MDCLXIII, pontificatus nostri anno IX.

Dat. die 29 maii 1663, pontif. anno IX.

CDXLI.

Confirmatio capitulorum concordiae pro stabilimento pacis et regularis disciplinae in conventu SS. Trinitatis civitatis Neapolitanae Ordinis eiusdem SS. Trinitatis redemptionis captivorum, et ad componendas lites ac differentias inter fratres Hispanos et Italos Ordinis huiusmodi, eiusdem conventus occasione subortas diuque agitatas, cum deputatione visitatoris [1].

Alexander Papa VII,
ad futuram rei memoriam.

Exordium.

Salvatoris et domini nostri Iesu Christi qui charitas est et Deus pacis, licet immeriti, vices gerentes in terris, illa, quae inter christifideles quoscumque,

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

et praesertim illos, qui, abnegantes semetipsos, divinis obsequiis sese sub suavi religionis iugo manciparunt, pacis et amabilis concordiae regularisque disciplinae restituendae et conservandae studio provide conventa et[1] stabilita esse noscuntur, libenter, cum a nobis petitur, apostolici muniminis praesidio roboramus, et aliàs opportune desuper providemus, sicut, maturâ consultatione adhibitâ, cognoscimus in Domino salubriter expedire.

Expositio. § 1. Exponi siquidem nobis nuper fecerunt dilecti filii fratres Hispani et Itali conventus SS. Trinitatis civitatis Neapolitanae Ordinis eiusdem SS. Trinitatis redemptionis captivorum, quod (cum a viginti annis vel circiter super dominio et fundatione dicti conventus inter fratres provinciae Italiae dicti Ordinis, qui eumdem conventum êx inveteratâ possessione ab ipso fundationis primordio hucusque continuatâ sibi et dictae provinciae asserebant, ex unâ, et fratres Hispanos, quibusdam patentibus ministri generalis eiusdem Ordinis litteris innixos, ex alterâ partibus, variae controversiae penderent, eâque occasione gravissimae lites inter easdem partes, ac scandala et dissidia exorta essent) venerabilis frater noster Martius episcopus Albanensis S. R. E. cardinalis Ginnettus nuncupatus, dicti Ordinis apud nos et Sedem Apostolicam protector, his malis et scandalis remedium adhibendi ergo, dilectis pariter filiis Dominico Tafurio in sacrâ theologiâ praesentato ac ministro conventus S. Francisci de Urbe et procuratori dictae provinciae Italiae, necnon Antonio a Trinitate procuratori fratrum provinciarum Hispaniae dicti Ordinis in civitate et conventu Neapolitanis praedictis degentium, mandavit, ut ipsi lites huiusmodi per amicabilem compositionem terminare, dictaque inconvenientia tollere studerent; ex quibus, seu eorum occasione, multi processus formati fuerunt, multaeque sententiae excommunicationum ac suspensionum a divinis, aliarumque poenarum emanatarum[1], prout ex sententiâ, per dilectum filium Nicolaum Claudium iudicem a congregatione venerabilium fratrum nostrorum eiusdem S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositâ delegatum latâ, constare dicitur; et nonnulli, qui exequutioni sententiae huiusmodi contravenerunt, in poenas et censuras incurrerunt; quinimo propter praemissa factum est ut praefatus conventus eiusque fratres a viginti annis et ultra visitati non fuerint. Quapropter iidem Dominicus et Antonius procuratores huic mandato praedicti Martii cardinalis protectoris prompte obsequentes, post maturam considerationem, ad occurrendum tot damnis, litibus, inconvenientibus et scandalis, imminentique totali dicti conventus destructioni, ad nonnulla capitula concordiae, ab utrâque partium cum interventu, consensu et pace omnium firmata, inter se devenerunt, tenoris qui sequitur, videlicet: Motiva.

« In nomine sanctissimae et individuae Trinitatis, Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. Concordiae tenor.

Tandem (post tot tantasque dissensiones, aemulationes, etc.) lites, quas fere viginti annis fratres Itali et Hispani conventus Neapolis Ordinis SS. Trinitatis et redemptionis captivorum habuerunt, disponente Deo, cum intercessione Beatae et Immaculatae semperque Virginis remediatricis Mariae, finem terminumque suum[2] assequutae de expresso praecepto eminentissimi et reverendissimi domini

1 Edit. Main. legit *ei* pro *et* (R. T.).

1 Legend. *emanatae* vel *emanarunt* (R. T.).
2 Forsan *sunt* pro *suum* legendum (R. T.).

cardinalis Ginetti, sanctissimi domini nostri Papae vicarii, dictique Ordinis protectoris dignissimi, cui super hoc quotidiana[1] insidet ut e medio tollantur lites, et pax et concordia inter regulares sibi subiectos, ut consonum est iustitiae, semper vigeant, totumque negocium cum unione ambarum partium omnino firmentur[2], conditiones et capitula a fratribus facienda inviolabiliter observentur, omnimodamque sortiantur executionem; propterea frater Dominicus Tafuri, procurator provinciae Italiae et minister conventus de Urbe, et frater Antonius de Trinitate, procurator conventus Neapolis et fratrum Hispanorum Ordinis SS. Trinitatis redemptionis captivorum, debito honore et reverentiâ mandatis eminentissimi et reverendissimi domini cardinalis Ginetti prompte obedientes, die XXII mensis novembris praesentis anni MDCLXII uniti et congregati, maturâ consideratione, propriaeque conscientiae consulentes, sequentia capitula contexêre, videnda et approbanda ab eminentissimo cardinale, et in hac sacrâ congregatione super negotiis episcoporum et regularium proponenda, et, si placuerit, confirmanda, semper imposterum observanda:

Nonnulla capitula concordiae.

I. Monasterium SS. Trinitatis redemptionis captivorum civitatis Neapolis incorporetur provinciae Italiae, eiusque religiosi pareant reverendo patri domino provinciali dictae provinciae eiusque successoribus in perpetuum, et iurisdictionem in eo habeant, sicuti in ceteris conventibus dictae provinciae habent, iuxta decretum capituli generalis celebrati ab omnibus provincialibus eorumque sociis provinciarum Italiae et Hispaniae anno MDCLVIII.

II. Quod in dicto conventu commorentur religiosi Itali ad arbitrium reverendi patris provincialis Italiae et praecipue filii eiusdem conventus, qui privilegium filiationis habeant iuxta formam constitutionum Ordinis. Verum, crescente numero fratrum, si bona monasterii non sufficiant ad eorum substentationem, fratres Hispani venientes cum legitimâ licentiâ ullo praetextu inopiae non possint non admitti in dicto conventu, et fratres Hispani in praesenti in dicto conventu existentes, et in futurum extituri, isto nec alio praetextu non possint expelli, nec filii dicti conventus; licentia vero legitima ea intelligatur scilicet reverendissimi patris generalis, quo deficiente, sufficiat locum eius tenentis, uti praecipiunt constitutiones noviter editae, cap. XXXV *De potestate et officio ministri generalis*, § 12, fol. 205. Qui cum huiusmodi licentiis venerint, debeant acceptari et recipi in dicto conventu et provinciâ absque ullâ aliâ licentiâ provincialis Italiae, neque definitorii; qui autem cum licentiâ sui provincialis Hispaniae tantummodo venerit in conventu, ut hospes permaneat; verum non intelligatur conventualis quousque obtineat licentiam provincialis Italiae et acceptationem definitorii Italiae.

III. Quod religiosi Hispani, nunc in dicto conventu existentes, aliique fratres ex Hispaniâ venientes cum legitimâ licentiâ, ut supra, reputentur ut filii tam praedicti conventus quam provinciae Italiae: excipiuntur fratres Itali et Hispani venientes sine licentiâ legitimâ, cum quibus agatur sicuti praecipiunt constitutiones et sanctiones pontificiae et sacrae congregationis Concilii, et constitutiones Ordinis; et minister quantocitius nec ultra mensem ullo modo eis permittat ibi commorari. Quod si minister pro tempore super hoc negligens fuerit,

1 Videtur deesse *cura* aut simile (R. T.).

2 Forsan *firmetur;* at syntaxim reintegrare et errores omnes corrigere prorsus impossibile (R. T).

ultra poenas in dictis constitutionibus inflictas, in poenam privationis officii et vocis activae et passivae per sexennium incidat.

IV. Si contingat quod a Sanctâ Sede dicto conventui novitiatus pro novitiis recipiendis et profitendis concedatur, minister, quisquis ille sit, Italus aut Hispanus, cum suis fratribus debeat tot Neapolitanos ad habitum recipere et ad professionem admittere, quot Hispanos; quod si secus factum fuerit, minister in poenam privationis officii et cuiuscumque dignitatis et vocis activae et passivae in perpetuum incidat.

V. Quod minister dicti conventus fiat in definitorio capituli provincialis provinciae Italiae alternative, videlicet unâ vice Italus, aliâ vero Hispanus.

VI. Quod provincialis eligat vicarium provincialem pro dicto conventu, cui, absente provinciali, tamquam ipsi obediant cum solitâ et debitâ subordinatione ad dictum patrem provincialem.

VII. Quod, quando minister sit Italus, vicarius provincialis sit Hispanus, et quando minister sit Hispanus, vicarius provincialis sit Italus; cum hoc tamen expresso ordine et praecepto, quod in alternativâ, quando ad Italos pertineat electio, seu vox passiva, tam vicarii provincialis quam ministri (quae electiones, ut dictum est, a definitorio et a reverendo patre provinciali faciendae sunt), fratres Neapolitani qui habent conditiones et requisita pro dictis officiis et dignitatibus obtinendis tam ministerii quam vicariatus provincialis, uti constitutiones Ordinis noviter ut supra[1] praecipiunt, debeant et teneantur tam definitorium quam reverendus pater provincialis ipsos fratres Neapolitanos eligere pro dictis officiis et dignitatibus; quod si secus factum fuerit, tamquam non ministri et non vicarii provincialis[1] habeantur, et ipso facto electiones huiusmodi sint irritae et invalidae, nulliusque roboris et valoris; quod si fratres Neapolitani, ut supra dictum est, conditiones non habebunt et in dicto conventu et provinciâ non extiterint, tam definitorium quam reverendus pater provincialis ad eorum arbitrium et solitâ libertate de fratribus Italis provideat pro dictis officiis.

VIII. Quod dicti patres Hispani nunc in dicto conventu existentes, vel pro tempore venientes cum legitimâ licentiâ, possint in dictâ provinciâ Italiae omnia officia obtinere ascendereque ad omnes gradus, videlicet magisterii, praesentaturae et praedicatoris generalis, dummodo expleverint in dicto conventu vel in eâdem provinciâ Italiae omnes conditiones et requisita a supradictis constitutionibus Ordinis.

IX. Si forte evenerit quod aliqui vel plures religiosi Hispani, qui in suis provinciis fuerint magistri, praesentati vel praedicatores generales, dictum conventum et provinciam Italiae petierint cum licentiâ, ut supra, vel utriusque provincialis, et in isto casu a definitorio acceptati, nullo modo possint gaudere et frui suis dignitatibus et gradibus, usquedum a definitorio dictae provinciae Italiae eis concedatur, vel in conventu praedicto vel provinciâ Italiae iterum expleverint conditiones et requisita ad gradum obtinendum; solum quod habere possint exemptiones et privilegia, quae Ordinis constitutiones noviter editae concedent[2] graduatis hospitibus, cum hac tamen expressâ declaratione, ut semper dictis fratribus graduatis, qui ex Hispania venerint, ut supra dictum est, praeferantur, ad numerum graduatorum ex-

1 Videtur deesse vox *editae* (R. T.).

1 Potius lege *provinciales* (R. T.).

2 Aptius lege *concedunt* (R. T.).

plendum, fratres Neapolitani filii dicti conventus et fratres Hispani qui habitum religionis in dicto conventu susceperint, et etiam fratres Hispani, qui nunc in dicto conventu existunt et expleverint requisita ad gradum quemlibet obtinendum, etiam ante dictam capitulationem et reincorporationem.

Laus Deo et Deiparae Mariae Virgini Immaculatae ».

Supplicatio. § 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, praefati exponentes capitula praeinserta apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri, ac aliquem fratrem dicti Ordinis, meritis et idoneitate praeditum, cum amplâ facultate capiendi possessionem memorati conventus nomine dictae provinciae Italiae, et obedientiam regularem in illo restituendi, necnon omnes fratres delinquentes a censuris et poenis ecclesiasticis per eos ut praefertur incursis absolvendi, eosque ad exercitium sacrorum ordinum rehabilitandi, ac omnes et singulos processus praemissorum occasione a quocumque iudice abinde extra[1] factos et formatos cassandi et abolendi, omnesque fratres praefatos adversus delicta huiusmodi hucusque adducta in pristinum statum reponendi, ac cum facultate definitorio capituli provincialis competente nominandi, iuxta constitutiones Ordinis et capitula praeinserta, omnes et singulos superiores locales ac officiales, et amovendi quoscumque religiosos a conventibus dictae provinciae Italiae ad effectum formandi familiam exemplarem in dicto conventu Neapolitano, necnon contenta in capitulis praeinsertis pacifice et quiete intra claustra stabiliendi, simulque occasionem ulteriorem scandalorum praecidendi, pacemque et animorum concordiam inter memoratos fratres Hispanos et Italos, ut ipsi tutâ conscientiâ in utroque foro Deo et religioni servire valeant, reintegrandi, perpetuum super praemissis silentium imponendo, a nobis deputari summopere desiderent: nobis propterea dicti exponentes humiliter supplicari fecerunt ut sibi in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolicâ dignaremur.

1 Videtur legendum *citra* pro *extra* (R. T.).

Confirmat capitula praeinserta. § 3. Nos igitur, ipsos exponentes specialis favore gratiae prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, de memorato cardinalium negotiis consultationibus episcoporum et regularium praepositorum consilio, petitioni eorumdem exponentium, pro stabilimento pacis ac regularis disciplinae in praefato conventu Neapolitano, et ad componendas lites ac differentias inter huiusmodi Ordinis religiosos, eiusdem conventus occasione, obortas diuque agitatas, libenter annuentes, capitula concordiae inter partes conventa, et in antescriptum tenorem ab eorumdem cardinalium congregatione moderata et redacta, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, benigne approbamus et confirmamus, et in posterum inviolabiliter observari mandamus ac praecipimus.

§ 4. Praeterea, ad hunc omnemque meliorem finem, auctoritate et tenore praedictis deputamus et instituimus in visitatorem apostolicum praefati conventus (cum omnibus facultatibus necessariis et opportunis nedum ad omnia et singula praemissa, prout petitur, sed et quae-

cumque alia quae sibi expedire visa fuerint, decernenda et exequenda, et signanter ad avocandos religiosos quos iudicaverit ex omnibus conventibus totius provinciae, et in antedicto conventu de familiâ assignandos, remotis et alibi constitutis aliis quos pariter iudicaverit) supradictum Dominicum Tafur ministrum conventus huius almae Urbis, de cuius idoneitate et sufficientiâ plene fuit persuasum, qui insuper, ut negotium sibi impositum rite et recte conficiat, unâ cum praefato conventu, conventus etiam S. Mariae iuxta mare et S. Francisci Petrae Melarae visitare possit, eique in suo munere omnimodâ obedientia ac reverentia praestari debeat; salvâ tamen semper in praemissis auctoritate praefatae congregationis cardinalium.

Clausulae. § 3. Decernentes easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, inviolabiliter et inconcusse observari, et illis respective in omnibus et per omnia plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariis derogat. § 6. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon praefatorum Ordinis ac provinciarum et conventuum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, approbatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XIII iunii MDCLXIII, pontificatus nostri anno IX.

Dat. die 13 iunii 1663, pontif. anno IX.

CDXLII.

Confirmatio quorumdam statutorum provinciae Brittaniae patrum Recollectorum ac de Observantia Ordinis Minorum sancti Francisci circa electionem provincialis et definitorum [1].

Alexander Papa VII, ad futuram rei memoriam.

Exordium. § 1. Exponi nobis nuper fecerunt dilecti filii fratres Recollecti et de Observantiâ nuncupati provinciae ac nationis et linguae Brittannicae in Gallia Ordinis fratrum Minorum sancti Francisci, quod, cum omnes et singuli conventus dictae provinciae in natione linguae Brittanicae consistant, exceptis duobus in natione linguae Gallicae existentibus; ideo dudum, ad extinguenda odia, rancores, lites, rixas et contentiones, quae inter fratres utriusque linguae huiusmodi oriri poterant, per quondam Vincentium Lumellum, dum vixit, Ordinis praedicti ministrum generalem, ac Ioannem Diridolum eiusdem provinciae ministrum provincialem, necnon definitores et vocales capituli provincialis provinciae huiusmodi Cuburis prope Montemrelaxum celebrati

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

die ultimâ augusti MDCXXXIX[1] edita fuerunt quaedam statuta, per modum concordati, tenoris qui sequitur, videlicet:

Nonnulla statuta.

« Quod definitor saltem unus semper ex Gallica linguâ et natione eligatur, modo fuerit de corpore capituli.

Item, posthac, sex annos provinciam minister ex natione et linguâ Brittanicâ gubernabit, tres vero dumtaxat ex linguâ et natione Gallicâ eamdem moderabitur.

Si contingat autem ministrum intra suum triennium oppetere mortem, alius ex eâdem natione et linguâ, unde desumptus fuerat, eligatur, qui aequabit residuum temporis, quod alter non potuit explere, sui nempe triennii.

Item quod custos ad capitulum generale nunquam destinari poterit ex eâdem linguâ et natione ex qua minister est electus, sed, ubi minister fuerit ex natione et linguâ Gallicâ, custos eligatur ex linguâ Brittanicâ, et e contra ».

Supplicatio.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, statuta huiusmodi a pluribus ministris generalibus dicti Ordinis approbata, ac in provinciâ praedictâ per centum et amplius annos, videlicet ab anno MDXXXIX usque ad annum MDCXLII servata fuerint; et nihilominus a viginti tribus annis vel circiter nonnulli eadem statuta transgrediantur, illaque per non usum annullare moliantur, ex quod[2] per Sedem Apostolicam nunquam fuerunt approbata; unde iam sopiti rancores, discordiae et rixae excitantur: nobis propterea dicti exponentes humiliter supplicari fecerunt ut sibi in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolicâ dignaremur. Nos igitur, ipsos exponentes specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas

Supradicta statuta confirmat.

a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibusvis quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositorum consilio, attentis narratis, praeinserta statuta, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, approbamus et confirmamus, atque exequutioni demandari praecipimus et iniungimus, sine praeiudicio tamen religiosorum ex alienâ linguâ incorporatorum praefatae provinciae.

Decretum irritans.

§ 3. Decernentes easdem praesentes litteras semper firmas validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, plenissime suffragari, et ab illis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 4. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon, quatenus opus sit, aliis dictae provinciae et Ordinis huiusmodi, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores

1 Ex infra dicendis videtur legend. *1539* (R.T).
2 Vel *ex quo* vel *ex eo quod* legendum (R. T.).

praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXIII iunii MDCLXIII, pontificatus nostri anno IX.

Dat. die 23 iunii 1663, pontif. anno IX.

CDXLIII.

Confirmatio decreti congregationis episcoporum et regularium, quod servanda sit consuetudo, per quam magistris acceptatis cum voce et loco provinciae Romanae Ordinis Praedicatorum competit praecedentia super regentem studii in conventu S. Mariae supra Minervam de Urbe aliosque magistros exteros Ordinis praedicti[1].

Alexander Papa VII, ad futuram rei memoriam.

Supplicatio. § 1. Aliàs, pro parte dilectorum filiorum acceptatorum cum loco et voce provinciae Romanae Ordinis Praedicatorum, congregationi venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositae exposito, quod, licet ipsi iuxta antiquam consuetudinem per octo annos continuos dilectum filium regentem studii in conventu S. Mariae supra Minervam de Urbe dicti Ordinis praecessissent, hic nihilominus ante aliquot menses, parte inauditâ, decretum oretenus a dilecto filio magistro generali Ordinis praedicti obtinuerat, quod sibi et quibusdam magistris exteris competeret praecedentia super dictos exponentes, qui coram priore, a quo decretum huiusmodi mandato[1] praedicti magistri generalis eis intimatum fuit, protestati sunt id iustitiae, consuetudini et rationi adversari, seque proinde, auctoritate quidem superioris adactos, obedientiam praestituros; verum suo tempore eam rem, prout de iure foret, decerni curaturos; cumque subinde venisset novus quidam baccalaureus Venetus, et pariter decretum praecedentiae super eosdem exponentes obtinuisset, ipsi exponentes ad nos pro bonâ iustitiâ consequendâ recursum habuerant, ac a nobis rescriptum obtinuerant, quo exposita in libello nobis eâ super re porrecto ad praefatam congregationem cardinalium consideranda remittebamus (quo libello haec continebantur, quod dictum decretum a memorato magistro generali emanaverat parte inauditâ contra antiquam consuetudinem necnon quasdam felicis recordationis Urbani Papae VIII praedecessoris nostri in simili formâ Brevis litteras, per quas stabilitus fuerat numerus viginti magistrorum tantum qui in praefatâ provinciâ Romanâ loco et voce gaudere debent, isque numerus iam completus reperiebatur; quodque novus baccalaureus positus fuerat contra expressam voluntatem testatoris et fundatoris dicti studii ac illius statuta, quae determinabant illum semper ex provinciâ Romanâ esse debere, cum autem dictus baccalaureus ex provinciâ Venetâ esset); ideoque pro parte eorumdem exponentium dictae cardinalium congregationi supplicato quatenus iuxta iustitiae rationem opportune super praemissis decerneret, ut, quemadmodum universaliter in omnibus aliis provinciis ex antiquâ consuetudine magistri illarum omnes ma-

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

1 Male edit. Main. legit *mandatur* (R. T.).

gistros exteros praecedere solebant, ita quoque manuteneretur et servaretur consuetudo huiusmodi in provinciâ Romanâ, quae una ex magis conspicuis praefati Ordinis provinciis extitit, idque eo magis quod regens ac baccalaureus et alii magistri extranei de curiâ dicti Ordinis, pro quibus recurrebatur, institutione seu susceptione magisterii maiore parte dictorum exponentium posteriores esse reperiebantur: emanavit a praefatâ cardinalium congregatione decretum tenoris qui sequitur, videlicet:

Sacrae congregationis decretum.

« Sacra congregatio eminentissimorum S. R. E. cardinalium, negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praeposita, attentis narratis, reque, auditis partibus, eminentissimo Farnesio referente, mature examinatâ, censuit ac decrevit servandam esse consuetudinem ad favorem magistrorum oratorum, prout harum vigore decernit, servarique mandat ac praecipit. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Romae XV martii MDCLXIII.

M. cardinalis GINETTUS.

E. episcopus Camerinensis, secret. ».

Confirmat decretum.

§ 2. Cum autem, sicut praefati magistri acceptati exponentes nobis nuper exponi fecerunt, ipsi decretum huiusmodi, quo firmius subsistat et servetur exactius, apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri summopere desiderent: nos, specialem ipsis exponentibus gratiam facere volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, decretum praeinsertum, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, approbamus et confirmamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus; salvâ tamen in praemissis auctoritate eiusdem congregationis cardinalium.

Clausulae.

§ 3. Decernentes easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac dictis exponentibus plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contraria tollit.

§ 4. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXX iunii MDCLXIII, pontificatus nostri anno IX.

Dat. die 30 iunii 1663, pontif. anno IX.

CDXLIV.

Declaratio nullitatis capitulationum sedis archiepiscopali Salisburgensi vacante a capitularibus dictae ecclesiae factarum[1].

Alexander Papa VII,
ad perpetuam rei memoriam.

Motiva.

§ 1. Cum, sicut nobis innotuit, aliàs ecclesiâ Salisburgensi per obitum bonae memoriae Paridii, dum vixit illius archiepiscopi, solatio destitutâ pastoris, capitulares eiusdem ecclesiae, successorem electuri, in quasdam (ut vocant)

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

capitulationes convenerint per futurum electum, quisquis ille foret, observandas; volentes eumdem electum ad praestandum iuramentum de eiusmodi capitulationibus observandis obligatum esse, prout venerabilem fratrem Guidobaldum archiepiscopum Salisburgensem iuramentum huiusmodi de facto praestitisse accepimus; in dictis vero capitulationibus iurisdictio et potestas, ac iura archiepiscopalia contra sacrorum canonum et constitutionum apostolicarum dispositionem nimium circumscribantur, Apostolicaeque etiam Sedis iura et auctoritatem laedi satagatur: hinc est quod nos, considerantes sine dictae Sedis Apostolicae auctoritate nihil omnino in similibus negotiis pacisci fas esse, ne autem ex capitulationibus huiusmodi, licet ob licentiae apostolicae defectum ipso iure nullis et invalidis, aliquod cuiquam ius acquisitum, aut ecclesiae Salisburgensi praedictae illiusque archiepiscopo vel capitulo qualecumque gravamen illatum, iurisdictionique et libertati ecclesiasticae quoquo modo praeiudicatum, aut eiusdem Apostolicae Sedis iuri quicquam detractum fuisse, esse vel fore unquam praetendi, dici vel censeri, neve quovis temporis cursu, aut ex quacumque aliâ etiam quantumlibet iuridicâ causâ, fuisse per nos et Sedem Apostolicam tacite aut expresse approbatas allegari, et beneplacitum apostolicum desuper accessisse praesumi unquam possit, pro pastorali nostrâ sollicitudine providere volentes, ac earumdem capitulationum tenores, etiam veriores, praesentibus pro expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, motu proprio, ac ex certâ scientiâ et maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, capitulationes praefatas nullas, irritas, ac prorsus invalidas, nulliusque roboris et momenti fuisse, esse et semper fore, adeout nullum omnino sortiri possint aut debeant effectum, perinde ac si conceptae, factae, initae, aut iuratae nunquam fuissent, tenore praesentium declaramus, illasque pro non factis haberi volumus, approbationemque nostram et beneplacitum apostolicum quoad ipsas capitulationes denegamus, ac memorato Guidobaldo archiepiscopo iuramentum de servandis capitulationibus huiusmodi ab ipso, ut praefertur, praestitum, quatenus opus sit, relaxamus.

Capitulationes nullas declarat.

§ 2. Decernentes easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac dicto Guidobaldo archiepiscopo, et aliis ad quos spectat et pro tempore spectabit, plenissime suffragari, sicque et non aliter in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos, Apostolicaeque Sedis praedictae nuncios, ac quosvis alios quacumque auctoritate fungentes, nunc et pro tempore existentes, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Clausulas apponit.

§ 3. Non obstantibus praemissis, necnon apostolicis ac in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, et, quatenus opus foret, etiam regulâ nostrâ de non tollendo iure quaesito, ac dictae ecclesiae Salisburgensis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indui-

Derogat contrariis.

tis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die VI iulii MDCLXIII, pontificatus nostri anno IX.

Dat. die 6 iulii 1663, pontif. an. IX.

CDXLV.

Indulgentia plenaria perpetua pro visitantibus ecclesias Societatis Iesu festis sanctorum Ignatii ad Francisci Xaverii, confessis ac communione refectis[1].

Alexander Papa VII,
ad perpetuam rei memoriam.

Recenset litteras Gregorii XV.

Cum, sicut accepimus, aliàs felicis recordationis Gregorius Papa XV praedecessor noster, volens omnes et singulas ecclesias presbyterorum Societatis Iesu ubique existentes aliquo spirituali munere illustrare, de omnipotentis Dei misericordiâ ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisus, omnibus et singulis utriusque sexus christifidelibus vere poenitentibus et confessis ac sacrâ communione refectis, qui aliquam ex dictis ecclesiis presbyterorum Societatis Iesu, ubique existentem, in sancti Ignatii ultimâ iulii, ac sancti Francisci Xaverii secundâ decembris mensium celebrari solitis festis diebus, a primis vesperis usque ad occasum solis dierum huiusmodi, singulis annis devote visitassent, et ibi pro christianorum principum concordiâ, haeresum extirpatione, ac S. M. E. exaltatione pias ad Deum preces effuderint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem in Domino perpetuo concessit, prout in eiusdem Gregorii praedecessoris litteris in simili formâ Brevis die VIII mensis iunii MDCXXII[1] desuper expeditis, quarum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis haberi volumus, uberius continetur.

Supplicatio.

§ 1. Cum autem, sicut praedicti presbyteri Societatis Iesu nobis nuper exponi fecerunt quod officium et festum praedicti sancti Francisci Xaverii a die secundâ ad tertiam diem mensis decembris apostolicâ auctoritate per nos translata sint: nobis propterea humiliter supplicari fecerunt praedicti presbyteri Societatis Iesu ut indulgentias et peccatorum remissiones, a praedicto Gregorio praedecessore ecclesiis presbyterorum Societatis Iesu huiusmodi die festo eiusdem sancti Francisci Xaverii die II mensis decembris, ut praefertur, celebrari solito[2] concessas[3], ad tertiam diem eiusdem mensis decembris etiam transferre de benignitate apostolicâ dignaremur.

Transfert indulgentias S. Francisci Xaverii in diem tertiam decembris.

§ 2. Nos igitur, eosdem presbyteros Societatis Iesu spiritualibus favoribus et gratiis prosequi volentes, supplicationibus illorum nomine nobis super hoc hu-

1 Vide ad Constit. DCXXV (*al.* 591) Urbani VIII *Aliàs felicis*; tom. XIV, pag. 684, et ad Constit. CLII Innoc. X, *Aliàs*, tom. XV, pag. 686.

1 Male ed. Main. legit *1662* (R. T.).

2 Male edit. Main. legit *solitum* (R. T.).

3 Pessime pro *concessas* habet *contentas* (R.T).

militer porrectis inclinati, indulgentias et peccatorum remissiones, a praedicto Gregorio praedecessore ecclesiis presbyterorum Societatis Iesu die festo praedicti S. Francisci Xaverii, die II mensis decembris singulis annis celebrari solito, concessas, ad tertiam diem eiusdem mensis decembris, servatâ tamen in reliquis omnibus et singulis dicti Gregorii praedecessoris litterarum huiusmodi formâ, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, perpetuo transferimus, et perpetuis futuris temporibus translatas esse decernimus, ita ut in posterum christifideles, aliquam ex ecclesiis presbyterorum Societatis Iesu ubique existentium visitantes, indulgentias et peccatorum remissiones, a praedicto Gregorio praedecessore aliàs concessas, non[1] amplius secundâ, sed tertiâ die mensis decembris huiusmodi lucrabuntur.

Contrariis derogat.

§ 3. Non obstantibus eiusdem Gregorii praedecessoris litteris praedictis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon cancellariae apostolicae regulis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides.

§ 4. Volumus autem quod praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XVIII iulii MDCLXIII, pontificatus nostri anno IX.

Dat. die 18 iulii 1663, pontif. anno IX.

CDXLVI.

Prohibet fundationes conventuum in familiâ ultramontanâ Ordinis Minorum de Observantiâ intra spatium quatuor vel quinque leucarum a iam erectis, etiam aliorum regularium.

Alexander Papa VII, ad futuram rei memoriam.

Motiva huius Constitutionis.

Aliàs, pro parte dilecti filii Petri Roche, commissarii generalis curiae pro familiâ ultramontanâ Ordinis fratrum Minorum sancti Francisci de Observantiâ nuncupatorum, congregationi venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositae exposito, quod dudum felicis recordationis Clemens Papa VIII praedecessor noster (considerans in provinciâ Carthaginensi dicti Ordinis tam angustâ tantam multitudinem conventuum regularium diversorum Ordinum reperiri, ibique nihilominus adesse praetensiones novarum fundationum, ex quibus quamplurima oriebantur inconvenientia) ordinaverat ne in posterum aedificari posset ullus conventus intra spatium quatuor vel quinque leucarum a iam erectis, prout in eiusdem Clementis praedecessoris litteris desuper in simili formâ Brevis expeditis plenius dicitur contineri; et in eâdem expositione subiuncto, quod in provinciâ Valentinâ fratrum de Observantiâ et S. Ioannis Baptistae fratrum Discalceatorum dicti Ordinis sancti Francisci in regno Valentiae eadem inconvenientia sequebantur, cum, intra spatium quadragintaquatuor leucarum longitudinis et decem latitudinis, vigintitres fratrum de Observantiâ ac viginti fratrum Discalceatorum et sexdecim conventus fratrum Minorum eiusdem sancti Francisci Cappuccinorum nuncupatorum, hospitalia quoque quamplurima pauperum ex eleemosynis viventium, necnon triginta monasteria monialium continerentur[1], praeter centum conventus diversorum Ordinum, quorum maior

1 Edit. Main. legit *et* pro *non* (R. T.).

1 Edit. Main. legit *continentur* (R. T.).

pars est Mendicantium, ex quibus et seculares valde gravantur, et quamplurimae ob novarum fundationum praetensiones, praesertim fratrum Cappuccinorum, Carmelitarum, Trinitariorum, Discalceatorum et aliorum, tam inter seculares quam inter regulares oriuntur discordiae, cum maximo regularis disciplinae detrimento, ac etiam populorum scandalo:

Supplicatio. § 1. Ideoque congregationi praedictae supplicato ut ordinaret ne in dictis provinciis, seu regno, ullus conventus, domus, sive hospitium fratrum Cappuccinorum, Carmelitarum, Trinitariorum, sive quorumlibet regularium, intra spatium quatuor vel quinque leucarum a iam fundatis erigeretur absque expressâ Sedis Apostolicae licentiâ, prout in provinciis Burgensi, Granatensi, Aragoniae et Maioricensi similiter ordinatum fuit: emanavit ab eâdem congregatione decretum tenoris qui sequitur, videlicet:

Decretum sacrae congregationis. § 2. « Sacra congregatio eminentissimorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praeposita, attentis narratis, censuit et decrevit servandam esse formam et dispositionem memorati Brevis sanctae memoriae Clementis VIII etiam in provinciis Valentiae Observantium et S. Ioannis Baptistae Discalceatorum Ordinis huiusmodi: atque ita fratribus cuiuslibet Ordinis Mendicantis novorum conventuum, hospitiorum seu domorum, et sub quovis titulo habitationum permanentium erectionem absque Sedis Apostolicae licentiâ contra tenorem dicti Brevis et apostolicarum constitutionum in praedictis provinciis esse prohibendam et interdicendam, prout harum serie prohibet et interdicit, contrariis quibuscumque non obstantibus.

Romae XXII iunii MDCLXIII.

M. cardinalis GINETTUS ».

Decretum praefatum confirmat Pontifex. § 3. Cum autem, sicut dictus Petrus nobis nuper exponi fecit, ipse decretum huiusmodi, pro firmiori illius subsistentiâ et observatione, apostolicae confirmationis nostrae robore communiri summopere desideret: nos, ipsum Petrum specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, decretum praeinsertum, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus; salvâ tamen semper in praemissis auctoritate praedictae congregationis cardinalium.

Decretum irritans. § 4. Decernentes easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum. § 5. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et

innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die VI augusti MDCLXIII, pontificatus nostri anno IX.

Dat. die 6 augusti 1663, pontif. anno IX.

CDXLVII.

Facultas domino cardinali Barberino camerario S. R. E. absolvendi christianum ducem Mekelburgensem ab haeresibus, praemissâ abiuratione, emissâque per eum professione[1].

Venerabili fratri nostro episcopo Praenestino cardinali Antonio Barberino nuncupato, S. R. E. camerario,

Alexander Papa VII.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

Motiva. § 1. Cum, sicut non sine spirituali animi nostri laetitiâ nobis relatum fuit, nobilis vir Christianus dux Mekelburgensis, ex partibus haereticis procreatus ac in haeresi Luteranâ educatus, divinae gratiae lumine illustratus, viâque veritatis agnitâ, Luteranam et alias quascumque haereses abiurare et omnino deserere, ac ad gremium S. R. E., benedicente Domino, redire decreverit: nos, qui pro pastorali munere id unum praecipue curare tenemur ut, si quae oves a veritatis semitâ aberrant, in viam salutis revocentur, de tuâ singulari pietate, prudentiâ, ac religionis catholicae, ac honoris domus Dei zelo plurimum in Domino confisi, circumspectioni tuae eumdem Christianum ducem, praeviâ abiuratione iudiciali vel extraiudiciali Luteranae et aliarum quarumlibet haeresum huiusmodi per eum in manibus tuis faciendâ, ac receptâ ab illo professione catholicae fidei iuxta articulos dudum a Sede Apostolicâ propositos, ab eisdem haeresibus ac quibusvis excommunicationis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis per eum propter praemissa quomodolibet incursis, iniunctâ ei aliquâ poenitentiâ salutari, aliisque iniungendis, prout eiusdem Christiani ducis animae saluti expedire cognoveris, in utroque foro auctoritate nostrâ apostolicâ absolvendi, ipsumque Christianum ducem in gremium eiusdem S. R. E. recipiendi et reconciliandi, adhibitis ad actus praefatos aliquo notario publico et testibus, dictâ auctoritate, tenore praesentium, plenam, liberam et amplam facultatem tribuimus et impartimur.

Confirmat ut in rubricâ.

Contraria tollit

§ 2. Non obstantibus apostolicis, ac in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, necnon decretis, usu et stylo tribunalis officii sanctae et universalis Inquisitionis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die VI augusti MDCLXIII, pontificatus nostri anno IX.

Dat. die 6 augusti 1663, pontif. anno IX.

CDXLVIII.

Super electione provincialium provinciarum Indiarum Ordinis Praedicatorum ac confirmatione eorumdem a magistro generali[1].

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

1 Vide ad Const. DCXLIV (*al.* 608) Urbani VIII, *Nuper pro parte*, tom. XIV, pag. 724, in qua cavetur provinciales debere esse biennales.

Alexander Papa VII,
ad futuram rei memoriam.

Exordium. Sacrosancti apostolatus sollicitudo, quam, meritis licet et viribus longe impares, auctore Deo gerimus, nos admonet ut, circa statum personarum quarumlibet divinis obsequiis sub suavi religionis iugo mancipatarum propensis studiis intendentes, illarum felici directioni et regulari observantiae salubriter, quantum nobis ex alto conceditur, consulere satagamus, sicut, rerum, locorum, temporum et personarum qualitatibus maturae considerationis trutinâ perpensis, arbitramur in Domino rationi esse consentaneum.

Expositio. § 1. Exponi siquidem nobis nuper fecit dilectus filius magister generalis Ordinis Praedicatorum, quod dudum provinciis Indiarum dicti Ordinis, ob immanem eorum ab hac almâ Urbe distantiam, mox ab earumdem institutionis initio provisum fuit de indulto aut privilegio respective, quo illic capitulis provincialibus conceditur primo definitori vel definitorio facultas confirmandi statim provincialem ibidem electum, vel quod ipsa electio sit simul confirmatio. Et specialiter pro provinciâ S. Iacobi de Mexico Ordinis huiusmodi quondam Ioannes de Fenario, dum vixit, magister generalis eiusdem Ordinis, impetravit a felicis recordationis Clemente Papa VII praedecessore nostro litteras in simili formâ Brevis die XI iulii MDXXXII expeditas, quarum initium est *Pastoralis officii,* etc., in quibus disponitur ut prior provincialis ipsius provinciae iuxta constitutionum ipsius Ordinis tenorem eligi, et per definitorium capituli cassari aut confirmari, et ad officium ipsum acceptandum censuris ecclesiasticis compelli possit, et, si contingat definitorium in partes aequales dividi, tunc eligatur ab eisdem definitoribus unus alius religiosus de dictâ provinciâ, et ea pars definitorii, cui talis electus adhaeserit, provincialem casset et confirmet, prout videbitur expedire.

§ 2. Verum (ne huiusmodi concessiones, quae provisionales sunt, cum ingenti Ordinis praeiudicio ex sinistrâ intelligentiâ traherentur in perniciosum abusum ac sensum a mente concedentium alienum, intelligendo quod essent solemnes et definitivae) capitulum generale dicti Ordinis, Romae anno MDLXXXIX celebratum, remedium adhibuit, ac ordinavit, quod provinciales provinciarum Indiarum statim post eorum electionem, iuxta privilegia ipsis provinciis concessa, munere suo fungerentur; tenerentur tamen saltem intra biennium ad magistrum generalem eiusdem Ordinis mittere decretum suae electionis pro sui et totius Ordinis capitis debitâ recognitione, et hoc sub poenâ privationis officii ipso facto incurrendâ et inhabilitatis in posterum. Quam quidem ordinationem quondam Thomas Turchus, dum vixit, magister generalis Ordinis praefati, inter alias[1] quas pro provinciis Indiarum ex factis a suis praedecessoribus et capitulis generalibus compilavit Caesaraugustae anno MDCXLVIII et explicavit, hoc adiecto ut magister generalis electionem vel confirmare vel cassare posset, prout sibi in Domino videretur. Quae omnia considerans capitulum generale dicti Ordinis itidem Romae anno MDCLVI celebratum innovavit, auxit et communivit prolixâ ordinatione pro provinciis Indiarum in communi, numero V, tenoris qui sequitur, videlicet: « Cum in capitulo generali Romae MDLXXXIX[2] sic ordinatum fuerit provinciales provinciarum Indiarum statim post eorum electionem,

Motiva.

Decretum capituli generalis.

1 Videtur deesse verbum *edidit* vel *retulit*, aut simile (R. T.).

2 Male edit. Main. legit *1689* (R. T.).

iuxta privilegia ipsis provinciis concessa, munere suo fungantur, teneantur tamen saltem intra biennium ad reverendissimum patrem generalem mittere decretum suae electionis pro sui et totius Ordinis capitis debitâ recognitione, ut electionem vel confirmare vel cassare possit prout sibi in Domino videbitur expedire, et hoc sub poenâ privationis officii ipso facto incurrendâ, et inhabilitatis in posterum: nos huiusmodi ordinationem, velut sacrae obedientiae et unitati indivisae nostri Ordinis summe necessariam, extremo quo possumus connisu munimus, stabilimus, et insuper ordinando adiicimus quod provincialis, quisquis electionis suae scrutinium seu decretum intra tempus supra expressum ac praefixum magistro Ordinis non miserit, post suum provincialatum in omnibus habeatur ac si revera provincialis non fuisset. Proinde in virtute Spiritus Sancti, sanctae obedientiae, sub formali praecepto, necnon sub nullitate cuiuscumque actus in contrarium, prohibemus tum ne talis post suum provincialatum potiatur aut potiri permittatur loco illis aliàs debito qui quondam provinciales fuerant, tum etiam ne possit deinceps toto vitae suae tempore eligi vel quoquo modo applicari ad officia prioris, visitatoris, vicarii, doctrinarii, sive ad alia munia etiam scholastica, quorum omnium ex nunc simpliciter incapax decernitur ac declaratur, ita quod tali, neque praetacti loci neque vocis passivae ius ullum suffragari possit, donec magistri Ordinis superveniens confirmatio realiter ipsi provinciae illata ac notificata plene constare fecerit electionem fuisse bonam, et supremâ Ordinis auctoritate solemniter legitimeque agnitam et approbatam. Quod si in aliquibus harum provinciarum adsit vel adesse praetendatur quâlecumque indultum, privilegium, exceptio, dispensatio, aut qualiscumque nominis exemptio tollens, minuens, atque suspendens ordinationem supradictam, eiusve obligationem, aut poenas appositas, nos hodie communi ac publico nomine totius Ordinis Praedicatorum, quem in hoc generali consessu legitime repraesentamus, huiuscemodi privilegio, indulto, exceptioni, dispensationi, ac cuiuscumque nominis exemptioni, si qua est vel putatur esse, tamquam regularis obedientiae pernicioso detrimento, seu facillimae schismatum occasioni, deliberate, serio ac expresse renunciamus, ac renunciatum esse denunciamus. Denique obtestamur reverendissimum magistrum Ordinis, ut, quandocumque contingeret ex aliquâ harum provinciarum non transmitti ad se scrutinium seu decretum electionis novi provincialis, vicissim ipse acta illius capituli provincialis (si qua forte seorsim ad manus suas pervenerint) nequaquam approbet, nec ullas graduum postulationes exaudiat, aut ullius promotionis patentes expediri iubeat, neque institutiones praedicatorum generalium in huiusmodi actis exponi solitas admittat, vel ratas habeat, nec taliter factae institutiones ullum sortiantur effectum, quoadusque electus provincialis fuerit per magistrum Ordinis confirmatus, huiusque confirmationis patentes in provinciâ sint promulgatae ».

Provinciales Indiarum confirmari debent a magistro generali.

§ 3. Cum, autem sicut eadem expositio subiungebat, praeinsertis ordinationibus non obstantibus praefata provincia S. Iacobi de Mexico sub moderno generalatu destiterit sponte ac desciverit a lege et obligatione transmittendi et submittendi dicto magistro generali exponenti decreta seu scrutinia electionum duorum priorum provincialium proxime praeteritorum pro obtinendâ legitimâ ipsa-

Supplicatio.

rum confirmatione, vel, si in Domino conveniens videretur, cassatione: nobis propterea ipse magister generalis humiliter supplicari fecit ut sibi in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Pontifex confirmat statutum capituli generalis.

§ 4. Nos igitur, eumdem magistrum generalem specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, et absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, de consilio venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositorum, ad quos preces huiusmodi remisimus, visis et mature consideratis ac perpensis per eosdem cardinales memoratis Clementis praedecessoris nostri in formâ Brevis litteris et praeinserto statuto capituli generalis celebrati de anno MDCLVI, ipsum statutum, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium approbamus et confirmamus, eique inhaerendo expresse decernimus in posterum provinciales nedum Mexicanae sed etiam aliarum provinciarum Indiarum Ordinis huiusmodi immediate post eorum seu cuiuslibet eorum capitularem electionem munere suo fungi debere, teneri tamen saltem intra biennium ad magistrum generalem Ordinis praedicti transmittere decreta et acta suarum electionum, ut ipse magister generalis easdem electiones confirmare vel cassare possit, prout sibi iuris esse videbitur. Aliter, in casu contraventionis, ipso iure et ipso facto, et absque ullâ declaratione, intelligantur privati suo provincialatu, et habeantur in omnibus ac si provinciales non fuissent, sintque pariter privati voce activâ et passivâ, et inhabiles in perpetuum nedum ad praedictum officium provincialatus, verum etiam ad quaecumque alia prioris, visitatoris, vicarii, doctrinarii, sive alia munia, etiam scholastica, et subiaceant effective omnibus et singulis poenis in praefato statuto contentis.

Supplet iuris defectus.

§ 5. Ne autem, ex dubio super validitate vel nullitate electionum huiusmodi, erga provinciales electos obedientia denegetur, vel subsequantur nullitates, auctoritate et tenore praefatis volumus et mandamus easdem electiones, dummodo sufficienti votorum numero a suffragantibus capitulariter sint factae, quicquid fore[1] reclametur aut opponatur, quoad usque expectabitur responsio magistri generalis, tamquam canonicas et legitimas habendas esse, supplendo pro interim ex nunc pro tunc omnes et singulos iuris et facti defectus, qui in eis forsant intercesserint respective; salvâ semper in praemissis auctoritate congregationis eorumdem cardinalium.

Clausulae.

§ 6. Decernentes easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariis derogat.

§ 7. Quocirca venerabilibus fratribus illarum partium archiepiscopis, episco-

1 Videtur legendum *forte* pro *fore* (R. T.).

pis, ac dilectis filiis locorum Ordinariis, et eorum cuilibet, per praesentes committimus et mandamus, quatenus ipsi, et eorum quilibet, per se, vel alium, seu alios, ubi et quando opus fuerit, et quoties ipsorum aliquis seu aliqui desuper fuerint requisiti, sive etiam ex officio procedentes, easdem praesentes litteras et in eis contenta quaecumque solemniter publicantes, faciant auctoritate nostrâ ipsas praesentes litteras, et in eis contenta huiusmodi, ab illis, ad quos spectat et spectabit quovis modo in futurum, in omnibus et per omnia inviolabiliter et inconcusse servari, et exe-

Et poenas contra inobedientes adhibit.

quutioni demandari; contradictores quoslibet et rebelles per censuras ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, omni appellatione remotâ, com pescendo, legitimisque super his habendis servatis processibus, censuras et poenas ipsas etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis.

Obstantia tollit.

§ 8. Non obstantibus supradictis Clementis praedecessoris litteris, ac recolendae memoriae Bonifacii Papae VIII praedecessoris pariter nostri de unâ, et concilii generalis de duabus dietis, dummodo ultra tres dietas aliquis auctoritate praesentium in iudicium non trahatur, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon, quatenus opus sit, praefatorum Ordinis et provinciarum, aliisve quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis danda fides.

§ 9. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra adhibeatur, quae praesentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die VII augusti, MDCLXIII, pontificatus nostri anno IX.

Dat. die 7 augusti 1663, pontif. anno IX.

CDXLIX.

Commissio archiepiscopo S. Dominici in Indiis occidentalibus super separatione insulae SS. Trinitatis a dioecesi de Portorico, et unione archiepiscopatui S. Fidei[1].

Venerabili fratri archiepiscopo S. Dominici in Indiis occidentalibus,
Alexander Papa VII.

Venerabilis frater,
salutem et apostolicam benedictionem.

Expositio.

Nomine carissimi in Christo filii nostri Philippi Hispaniarum regis catholici nobis nuper exposuit dilectus filius noster Paschalis S. R. E. diaconus cardinalis de Aragonia nuncupatus, quod (cum eidem Philippo regi relatum fuerit insulam SS. Trinitatis Guaianam nuncupatam in Indiis occidentalibus, quae in spiritualibus quidem episcopatui Portusdivitis, seu de Portorico, hucusque subiecta fuit, in temporalibus vero ad iurisdictionem audientiae in insulâ S. Do-

1 Ex Regest. in Secret. Brev,

minici institutae pertinebat, ob ingentem eius ab insulis de Portorico ac S. Dominici distantiam, debitâ curâ et assistentiâ tam in spiritualibus quam in temporalibus huiusmodi minime gubernari) ipse Philippus rex eamdem insulam SS. Trinitatis ad audientiam S. Fidei in temporalibus de cetero spectare debere decrevit.

Motiva. § 1. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, episcopi Portusdivitis, seu de Portorico, iam a multis annis, propter longitudinem itineris maritimi per eos faciendi, quod ad quingenta et amplius milliaria protenditur, necnon periculum quod ab Anglis et Hollandis, qui colonias seu populationes in quibusdam insulis dictae insulae SS. Trinitatis vicinis habent et navigationem illic infestant, imminet, eamdem insulam SS. Trinitatis non visitaverint, ipsiusque insulae incolis sacramenta confirmationis ac extremae unctionis ob defectum sacri olei iamdiu administrata non fuerint; his vero inconvenientibus remedium adferri, dictaeque insulae SS. Trinitatis spirituali gubernio opportune consuli possit, si ipsa insula archiepiscopatui S. Fidei adiungatur, cum eiusdem archiepiscopatus dioecesi vicina sit, et inter continentem ac insulam huiusmodi brevis maris traiectus interiaceat: nobis propterea praefatus Paschalis cardinalis memorati Philippi regis nomine humiliter supplicavit ut eamdem insulam SS. Trinitatis ab episcopatu et dioecesi Portusdivitis seu de Portorico huiusmodi separare et dismembrare, sicque separatam et dismembratam praefato archiepiscopatui et dioecesi S. Fidei unire, annectere et incorporare de benignitate apostolicâ dignaremur.

Confirmat ut in rubricâ. § 2. Nos igitur, pro commissâ nobis caelitus omnium ecclesiarum sollicitudine, spirituali christifidelium in dictâ insulâ SS. Trinitatis degentium regimini salubriter, quantum cum Domino possumus, providere, necnon piis eiusdem Philippi regis desideriis favorabiliter annuere cupientes, huiusmodi supplicationibus inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. praedictae cardinalium rebus consistorialibus praepositorum consilio, diligenter perpensis per eosdem cardinales rationibus quae pro separatione dictae insulae SS. Trinitatis a dioecesi Portusdivitis seu de Portorico et unione archiepiscopatui S. Fidei offerebantur, cum eae satis validae urgentesque visae fuerint, nec sine gravi animarum iacturâ differri posse negotium videatur, fraternitati tuae per praesentes committimus et mandamus, ut, constito tibi de narratis, et audito venerabili fratre episcopo Portusdivitis seu de Portorico, ad separationem et unionem praedictas respective, servatis servandis, auctoritate nostrâ apostolicâ procedas.

Clausulas apponit. § 3. Decernentes easdem praesentes litteras, illarumque vigore a te faciendas separationem et unionem huiusmodi, semper firmas, validas et efficaces existere et fore, neque illas sub quibusvis similium vel dissimilium separationum et dismembrationum ac unionum et incorporationum etiam effectum nondum sortitarum, seu aliarum quarumvis gratiarum, revocationibus, suspensionibus, limitationibus, derogationibus, aliisque contrariis dispositionibus, etiam per quascumque litteras et constitutiones apostolicas seu cancellariae apostolicae regulas, sub quibuscumque verborum tenoribus et formis, ac cum quibusvis clausulis et decretis, per nos, vel quoscumque Romanos Pontifices successores nostros, et in crastinum cuiuslibet eorum assumptionis ad summi apostolatus apicem, ac Sedem Apostolicam, etiam motu proprio, et de apostolicae potestatis plenitudine, ac con-

sistorialiter, et aliàs quomodolibet pro tempore factis, unquam comprehendi aut comprehensas censeri, sed semper ab illis exceptas, et, quoties illae emanabunt, toties in pristinum et validissimum statum restitutas, repositas et plenarie reintegratas, ac etiam de novo sub posteriori datâ per eos, ad quos pro tempore spectabit, eligendâ concessas intelligi et fore, ac suos plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, sicque et non aliter in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos, et alios quoslibet quavis auctoritate et potestate fungentes et functuros, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contraria tollit. § 4. Non obstantibus praemissis, ac, quatenus opus sit, nostrâ et cancellariae praedictae regulâ de exprimendo vero valore in unionibus et dismembrationibus, necnon Lateranensis concilii novissime[1] celebrati uniones perpetuas nisi in casibus a iure permissis fieri prohibentis, aliisque apostolicis, ac in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, necnon ecclesiarum Portusdivitis, seu de Portorico, et S. Fidei, aliisve quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, etiam eisdem ecclesiis, illarumque praesulibus et capitulis, canonicis et personis, et aliis quibuslibet, sub quibuscumque verborum tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis, necnon irritantibus, et decretis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso et formâ in illis traditâ observatâ, etc., habentes[1], illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die VIII augusti MDCLXIII, pontificatus nostri anno IX.

Dat. die 8 augusti 1663, pontif. anno IX.

1 Edit. Main. legit *novissimi* (R. T.).

CDL.

Prohibitio ne de cetero perpetuis futuris temporibus ullus frater, cuiusvis alterius conventus Ordinis fratrum Praedicatorum filius, conventui S. Mariae supra Minervam Urbis Ordinis huiusmodi adfiliari possit absque speciali Sedis Apostolicae concessione[2].

Alexander Papa VII, ad futuram rei memoriam.

Expositio. § 1. Exponi nobis nuper fecerunt dilecti filii prior et fratres conventus

1 Male ed. Main. legit *pro servatâ habentes*; quae desunt autem supple ex formulis aliàs adhibitis (R. T.).

2 Ex Regest. in Secret. Brev.

S. Mariae supra Minervam de Urbe Ordinis Praedicatorum, quod, licet dudum in capitulo generali dicti Ordinis anno MDCI in Urbe praefatâ celebrato ordinatum fuerit, de mandato felicis recordationis Clementis Papae VIII praedecessoris nostri, ne fierent adfiliationes de uno conventu in alium ex quacumque causâ, sed tantum manerent filii conventus qui ibidem professionem emisissent; haecque ordinatio subinde, videlicet anno MDCV, in eiusdem Ordinis capitulo generali Vallisoletano confirmata, ac inter constitutiones ipsius Ordinis relata, et diu inviolabiliter servata fuerit: nihilominus, ab aliquot annis, illi[1] contraventum fuit, multique variis modis adfiliati fuerunt praefato conventui S. Mariae supra Minervam, qui aere alieno gravatus[2] eos sustentare non potest. Quare dicti exponentes, ad evitanda in posterum similia incommoda, et ne filiationum huiusmodi diversitas pacem communem perturbet, nobis humiliter supplicari fecerunt ut sibi in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Prohibet ut in rubricâ.

§ 2. Nos igitur, ipsos exponentes specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, ne de cetero perpetuis futuris temporibus ullus frater, cuiusvis alterius conventus dicti Ordinis filius, memorato conventui S. Mariae super Minervam absque speciali nostrâ seu Romani Pontificis pro tempore existentis concessione adfiliari possit, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, prohibemus et interdicimus.

Clausulae.

§ 3. Decernentes easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon, quatenus opus sit, praefatorum Ordinis et conventus, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die IX augusti MDCLXIII, pontificatus nostri anno IX.

Dat. die 9 augusti 1663, pontif. anno IX.

---

1 Male edit. Main. legit *illis* (R. T.).

2 Male edit. Main. legit *gravatos* (R. T.).

CDLI.

Declaratio nullitatis occupationis civitatis Avenionensis eiusque territorii et comitatus Venayssini, ac omnium in curiâ parlamenti Aquensis eiusque deputatis et aliis quibuscumque gestorum[1].

Alexander Papa VII, ad perpetuam rei memoriam.

Proœmium. Pastoralis officii, quod auctore Deo gerimus, cura animi nostri vires mentisque consilium eo praecipue convertit, ut[2], dum S. R. E. Sedisque Apostolicae iura violata promptae reparationis ac defensionis auxilium exposcunt, nihil a nobis desiderari patiamur, quo illa intacta et illibata (sicut decet) conserventur, et opportunis subsidiis, si opus fuerit, muniantur.

Ius Sedis Apostolicae. § 1. Sane dudum haec sancta Sedes Apostolica possessionem comitatus Venayssini ac civitatis et territorii Avenionensis nostrorum unâ cum alto et supremo in illis dominio ex legitimis ac notissimis et antiquissimis titulis nacta, illa subinde plurium seculorum decursu sub plurium Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum nostroque regimine usque in praesens suo imperio pacifice possedit, ac civitatem eiusque territorium ac comitatum huiusmodi, locaque illis subiecta, ab invasionibus et obsidionibus haereticorum et catholici nominis hostium pluries et armis et sumptibus ex visceribus reliquae temporalis eiusdem S. R. E. ditionis redactis, favente etiam saepius benignâ regum christianissimorum assistentiâ, exemit et recuperavit. Verum nuper cum ingenti vehementique (ut par est) animi dolore accepimus, assertum procuratorem regium in curiâ parlamenti Aquensis adversus eamdem Sanctam Sedem ausu damnabili egisse, terminosque servasse ac servari curasse, et quaedam asserta iura, scripturas et instrumenta ad celebrandam violentam invasionem et manifestam usurpationem coacervasse et exhibuisse pro assequendâ assertâ reunione eorumdem civitatis Avenionensis et comitatus Venayssini nostrorum ad favorem coronae Francorum; quinimo, non minus temere et nulliter, quam attentate et iniuste, arrestum dicti parlamenti super assertâ reunione huiusmodi extorsisse, eiusque vigore assertum eiusdem parlamenti praesidem, seu regentem, illiusque ministros et officiales, sanctam Sedem Apostolicam praedictam, iniquo iudicio pulsatam, curasse, quantum in ipsis fuit, civitate, territorio et comitatu praedictis ac supremo in eis dominio et iurisdictione spoliare; et, ne quid deesset improbi operis complemento, dilectum filium in eisdem civitate et comitatu nostrum et dictae Sedis vicelegatum, ceterosque eiusdem Sedis ibidem existentes ministros, civitate et comitatu praedictis manu militari expulisse, non secus ac si Deus in brachio vicarii sui, tamquam in virgâ Moysis, ad defensionem Ecclesiae suae sanctae cum potestate magnâ non assisteret, ac posthabitis etiam censuris et poenis per sacros canones ac constitutiones et litteras apostolicas, praesertim a felicis recordationis Innocentio VI decimo kalendas iunii, pontificatus sui anno III, Gregorio XI idibus decembris, pontificatus sui anno IV, Martino V undecimo kalendas martii, pontificatus sui anno VII, Eugenio IV aliisque Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris editas, ac annis singulis die Coenae Domini legi et publicari solitas, contra invadentes, usurpantes, occupantes vel detinentes in specie praedictos co-

Facta contra ius enarrantur.

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

2 Male ed. Main. legit *et* pro *ut* (R. T.).

mitatum Venayssinum ac civitatem Avenionem, ac supremam iurisdictionem in illis Romanae Ecclesiae competentem de facto usurpantes, perturbantes, retinentes et vexantes inflictis, in eiusdem sanctae Sedis Apostolicae notorium contemptum, ac totius christiani orbis, haec improbantis, scandalum, atque perniciosissimum exemplum. Et licet omnia desuper gesta, actitata et innovata ex se ipsis corruant, nullaque prorsus et irrita sint, tam ex capite patentis et notoriae nullitatis detestabilisque temeritatis ob manifestum iurisdictionis defectum in iudicibus laicis qui ad praemissa processerunt adversum nos Dei in terris vicarium et hanc sanctam Sedem Apostolicam studiose satagendo notabilem eius patrocinii[1] partem violenter usurpare, quam est[2] notoriâ iniustitiâ resultante non solum ex legitimis ac iuridicis dictae Sedis titulis, verum quoque ex antiquissimâ et pacificâ, etiam quoad regimen ac liberum exercitium alti et supremi dominii, a multis seculis per eamdem Sedem retentâ et nunquam iuridice interceptâ[3] possessione, cum assensu, scientiâ et patientiâ omnium, qui pro tempore fuerunt, Francorum regum christianissimorum; ac proinde illa minime necesse sit ullâ declaratione detestari seu aboleri, eisque nullatenus attentis, nos et Apostolica Sedes in antiquissimâ nostrâ possessione pluribus seculis continuatâ iure persistamus, ac in futurum, saltem animo, omnique alio meliori et efficaciori modo perseveremus, perseverare omnino intendamus: nihilominus, pro abundantiori et potiori cautelâ ac efficaciori praeservatione omnium et quorumcumque iurium S. R. E. praedictae

Factorum nullitas declaratur.

1 Nescio an legendum *patrimonii* (R. T.).

2 Legendum *et* vel *ex* pro *est* (R. T.).

3 Vel *interceptâ* vel *interruptâ* legend. (R.T.).

(habentes prius tenores actorum quorumcumque, ac sententiae seu arresti, omniumque desuper gestorum praedictorum, ceterorumque etiam necessario exprimendorum et inserendorum, praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis) impugnative tamen, et non aliàs, Christi nomine semper invocato, ac habitâ super his in consistorio nostro secreto cum venerabilibus fratribus nostris eiusdem S. R. E. cardinalibus deliberatione maturâ, de eorumdem fratrum consilio et assensu, motu proprio, ac ex certâ scientiâ nostrâ, deque apostolicae potestatis plenitudine, ad perpetuam rei memoriam, harum serie dicimus et declaramus citationes, executiones, petitiones, terminos declinatorios et peremptorios, ipsam sententiam seu arrestum, omniaque et singula in eis contenta ac subsecuta et subsecutura quaecumque, et praesertim civitatis Avenionensis eiusque territorii et comitatus Venayssini nostrorum praedictorum, necnon civitatum, oppidorum, terrarum et locorum quorumcumque eis subiectorum, seu in eis contentorum, invasionem, occupationem, detentionem, usurpationemque, perturbationem et vexationem huiusmodi regimini[1] et alti et supremi dominii et iurisdictionis nostrorum et dictae Sedis vicelegati aliorumque nostrorum et Sedis eiusdem ministrorum eiectiones, seu expulsiones, ac omnia demum et singula ac quaecumque desuper acta, gesta et actitata quomodolibet praeiudicialia tam in universum quam singulariter perpetrata et attentata per praesides, consiliarios, et quoscumque alios a dictâ curiâ parlamenti seu quibuscumque aliis deputatos, ipsamque parlamenti curiam, ac eorum fautores, consultores, tabelliones, notarios, graphiarios, scribas, ostiarios, seu

1 Potius lege *regiminis* (R. T.).

uscerios, apparitores, milites custodes et executores quoscumque, et eorum quemlibet, ac forsan per populum et privatos civitatis Avenionensis et comitatus Venayssini nostrorum praedictorum, aliasve quaslibet personas, etiam regali, ducali et aliâ quacumque dignitate insignitas ac speciali nomine exprimendas, e ipsorum quemlibet, tam directe quam indirecte et qualitercumque super praemissis, cum omnibus et singulis inde secutis, ac quomodocumque et quandocumque secuturis, fuisse et esse ac semper fore penitus nulla, invalida, irrita, iniqua, iniusta, inania, viribusque et effectu omnino vacua, ac contra sacras sanctiones attentata, et ab omnibus iuribus etiam divinis ac gentium aliena et abhorrentia, improbata et reprobata, proque nullis, invalidis ac irritis habi a et in futurum perpetuo habenda, neminemque ad illorum et cuiuslibet eorum, etiamsi iuramento etiam fidelitatis et homagii vallata sint et fuerint, observantiam teneri, nec obligatum esse, minusque ex illis ullo unquam tempore et ad quemcumque effectum etiam summariissimi possessorii aliquod vel minimum ius vel actionem aut titulum coloratum vel causam possidendi, insistendi, retinendi aut praescribendi, etiamsi longissimi, immemorabilis et cuiusvis alterius temporis possessio seu quasi possessio subsequatur, acquisitum vel acquisitam fuisse, nec esse, neque fore, nec acquiri quoquomodo potuisse aut posse; imo nos praedicta omnia et singula, nullo prorsus excepto, iterum, quatenus opus sit, de plenitudine potestatis ac sanctorum Petri et Pauli apostolorum nostrâque auctoritate damnamus, cassamus, improbamus, reprobamus, annullamus et irritamus, nulliusque roboris vel momenti esse denunciamus et declaramus.

Ius Sedis apostolicae firmiter retinetur.

§ 2. Praeterea pari auctoritate, ac de eorumdem fratrum nostrorum consilio et assensu, et itidem quatenus opus sit, dicimus pariter et declaramus, protestamur et nunciamus nos et Sedem praedictam, cameramque nostram apostolicam possedisse et possidere, ac quasi possedisse et quasi possidere respective, necnon continuasse et continuare, ac semper etiam in posterum continuare velle in antiquissimâ ac iustâ nostrâ possessione civitatis et territorii Avenionensis et comitatus Venayssini nostrorum praedictorum, cum supremo et alto dominio, ac eisdem modo et formâ, prout semper eadem sancta Sedes ac Romani Pontifices praedecessores nostri antea possederunt et quasi possederunt, et perinde ac si omnia et singula praemissa et quaecumque alia subsecuta, et quandocumque ac quomodocumque subsecutura, gesta et facta minime fuissent, nec aliquo modo.

Decretum irritans.

§ 3. Decernentes easdem praesentes litteras ac omnia et singula in eis contenta (etiam ex eo quod praefati et quicumque alii etiam speciali et individuâ mentione et expressione digni in praemissis seu eorum aliquo interesse habentes seu habere quomodolibet praetendentes illis non consenserint, nec ad ea vocati, citati vel auditi, minusque causae, propter quas eaedem praesentes emanarunt, adductae, verificatae, seu sufficienter aut etiam ullo modo iustificatae fuerint) nullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vel invaliditatis vitio, seu intentionis nostrae aut interesse habentium consensus, aliove quolibet quantumvis magno et substantiali ac incogitato et inexcogitabili defectu, vel ex quovis alio capite a iure vel facto aut statuto vel consuetudine resultante, seu quocumque colore, praetextu, causâ et occasione

notari, impugnari, invalidari, infringi, limitari, retractari, vel in controversiam vocari, aut ad terminos iuris reduci posse, sed ipsas praesentes litteras, semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab omnibus et singulis, ad quos spectat et spectabit quomodolibet in futurum, inviolabiliter observari, sicque et non aliter in praemissis omnibus et singulis censeri, atque ita per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, necnon sanctae Romanae Ecclesiae camerarium seu procamerarium et alios cardinales, etiam de latere legatos, eorumque vicelegatos, ac camerae apostolicae praedictae praesidentes clericos, ceterosque Sedis et camerae huiusmodi officiales et ministros, et alios quoslibet, quavis auctoritate, praeeminentiâ et potestate fungentes et quandocumque functuros, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi, declarandi et interpretandi facultate et auctoritate, semper et ubique iudicari et definiri debere, ac irritum et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, attentatum est hactenus et in futurum quomodolibet contigerit attentari.

Contraria tollit. § 4. Non obstantibus praemissis, ac, quatenus opus sit, nostrâ et cancellariae apostolicae regulâ de non tollendo iure quaesito, et recolendae memoriae Pii Papae IV praedecessoris pariter nostri de gratiis qualecumque interesse dictae camerae concernentibus intra certum tunc expressum tempus in eâdem camerâ praesentandis et registrandis, itaut praesentes litteras ibidem praesentari seu registrari nunquam necesse sit, aliisque apostolicis, ac in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, necnon quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis, usibus et consuetudinibus etiam immemorabilibus, legibus quoque, privilegiis, indultis, concessionibus et litteris apostolicis quibuscumque locis et personis, etiam regali et aliâ quavis mundanâ vel ecclesiasticâ dignitate fulgentibus, et aliàs quomodolibet qualificatis ac specialem expressionem requirentibus, etiam motu, scientiâ et potestatis plenitudine paribus, ac consistorialiter, etiam sub quibusvis verborum tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis et decretis etiam irritantibus, et aliàs quomodolibet in contrarium praemissorum concessis, factis, editis, confirmatis, approbatis, ac pluries et quantiscumque vicibus iteratis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio facienda aut alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum inserti essent, praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis formamque in illis traditam pro servatâ habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, specialiter et expresse derogamus et derogatum esse volumus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Iurium reservatio. § 5. Ceterum declaramus quoque easdem praesentes litteras et in eis contenta quaecumque a nobis emanasse sine praeiudicio omnium et quorumcumque aliorum iurium et remediorum nobis et di-

ctae Sedi competentium, nobisque facultatem reservamus illis quandocumque utendi eo modo quo nos Deus illuminabit et memorati fratres nostri S. R. E. cardinales insinuabunt, ac prout vires nostrae divino auxilio innixae[1] suppetent.

Transumptorum fides. § 6. Volumus autem ut ipsarum praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique locorum et gentium in iudicio et extra illud habeatur, quae praesentibus ipsis haberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XIII augusti MDCLXIII, pontificatus nostri anno IX.

Dat. die 13 augusti 1663, pontif. an. IX.

CDLII.

Quod officium praepositi generalis Congregationis clericorum regularium Minorum in domo S. Laurentii in Lucina de Urbe durare debeat in perpetuum, cum facultate tamen capitulo generali eligendi alium si expedire videbitur.

Alexander Papa VII,
ad futuram rei memoriam.

Exordium. Nomine dilectorum filiorum vocalium capituli generalis Congregationis clericorum regularium Minorum in domo regulari S. Laurentii in Lucina de Urbe congregatorum nobis nuper expositum fuit quod (cum dicta Congregatio a felicis recordationis Sixto Papa V praedecessore nostro per quasdam suas eâ super re expeditas litteras instituta fuerit eâ lege, inter alia, ut ipsius Congregationis praepositus generalis ad vitam durare deberet, sicut re ipsâ prima electio praepositi generalis huiusmodi ad vitam facta fuit; subinde vero, mutato hoc instituto, terminus durationis praepositorum generalium eiusdem Congregationis primum quidem ad triennium, et postea ad sexennium praescriptus fuerit, et ab inde citra observatum sit praefatam Congregationem continuis talibusque vexatam fuisse dissensionibus, ut nisi eximia prudentia et vigilantia venerabilis fratris nostri Ioannis Baptistae episcopi Albanensis S. R. E. presbyteri cardinalis Pallotti nuncupati, dictae Congregationis apud nos et Sedem Apostolicam protectoris, illis occurrisset, opportunaque remedia adhibuisset, congregatio ipsa magnum discrimen aditura fuisse videatur),

Decretum. § 1. Ipsi exponentes, praemissis mature consideratis, ad evellendam dissensionum huiusmodi radicem, unanimiter, et nemine discrepante, per vota secreta decreverunt praepositum generalem dictae Congregationis, pro tempore eligendum, non ad sexennium, sed in perpetuum et ad vitam eligendi durare debere, eâ tamen lege ut de cetero in omnibus et per omnia serventur constitutiones et ordinationes ac decreta capitulorum generalium, et integrum maneat capitulis generalibus ipsius Congregationis in futurum in casu electionis faciendae in eisdem capitulis generalibus praepositos generales eligere etiam ad tempus, si ipsis capitulis generalibus pro maiori Dei glorià ac servitio et bono religionis ita visum fuerit expedire, et aliàs prout uberius continetur in ipsorum exponentium decreto desuper emanato, et eorum manibus subscripto, tenoris qui sequitur, videlicet:

Tenor decreti. § 2. « Sessio X habita die XI maii MDCLXIII circa durationem praepositi generalis ab eminentissimo et reverendis-

1 Edit. Main. legit *innixae* (R. T.).

simo domino cardinali protectore et praeside. Post maturam et multiplicatam ponderationem cum quatuor patribus deputatis et aliis ex gravioribus patribus capituli generalis circa durationem praepositi generalis, ut scilicet reducatur ad durationem perpetuam et ad vitam eiusdem praepositi generalis iuxta primum institutum huius religionis a venerabilibus patribus Augustino Adorno et Francisco Caracciolo fundatoribus, ut pie credendum est, Spiritu Sancto dictante dispositum, et a sanctâ Sede Apostolicâ et a felicis recordationis Sixto V approbatum, et in Bullâ erectionis specialiter expressum, adductis gravissimis motivis et rationibus et exemplis ad rem facientibus, et auditis sententiis omnium patrum in capitulo congregatorum, propositum fuit per vota secreta resolvendum an in futurum praepositus generalis pro tempore eligendus durare debeat non ad sexennium sed in perpetuum et ad vitam eligendorum[1], eâ tamen lege ut de cetero in omnibus et per omnia serventur constitutiones et ordinationes et decreta capitulorum generalium, et integrum remaneat capitulis generalibus illos eligere etiam ad tempus, si eisdem capitulis generalibus pro maiori Dei gloriâ et servitio et bono religionis ita visum fuerit expedire per secreta suffragia, et quatuor ex quinque partibus votorum concurrant, et insuper expressus accedat assensus et approbatio sanctissimi domini nostri, illiusque pro tempore successorum in perpetuum, et cum declaratione, quod, in quocumque casu desitionis seu cessationis praepositorum generalium, ut supra eligendorum, extra tempus capitulorum generalium, generales praepositi extra capitulum generale ad praescriptum constitutionum seu decretorum eligendi usque ad capitulum generale post dictam electionem proxime celebrandum tantum perdurent, reservato, quatenus opus sit, beneplacito sanctissimi domini nostri nomine totius capituli generalis impetrando et a procuratore generali procurando. Et per vota secreta omnibus concurrentibus fuit resolutum affirmative.

Subscriptiones. I. B. cardinalis Pallottus, protector et praeses; Philippus Mascambrunus clericus minor; Franciscus Meliori clericus minor; Innocentius Lanzalonga clericus minor; Ludovicus Revelo clericus minor; Laurentius Bonafidanza clericus minor; Clemens Gualterius clericus minor; Franciscus Migliacci clericus minor; Petrus Ansalonius clericus minor; Marius Calderinus clericus minor; Tiberius Maria Almericus clericus minor; Ludovicus Protospadarius clericus minor; I. Ximenes clericus minor; Paulus Ayrolus clericus minor; Lucas Ximenes de Los clericus minor; Iacobus Pedicinus clericus minor; Alfonsus Rivelo clericus minor; Paulus Ayrolus clericus minor, secretarius capituli generalis ».

Supplicatio.

§ 3. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, praefati exponentes decretum huiusmodi apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri summopere desiderent: nos, felici prosperoque dictae Congregationis regimini et gubernio, quantum cum Domino possumus, prospicere, ipsorumque exponentium votis favorabiliter annuere cupientes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum

1 Potius lege *eligendi* ut supra (B. T).

serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati,

Decretum praefatum confirmat Pontifex.

§ 4. Decretum praeinsertum, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, approbamus et confirmamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos iuris et facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus, hac tamen lege, ut, casu quo, servatis servandis ut supra, praepositus generalis ad tempus electus fuerit, in casu novae electionis non possit denuo ad tempus eligi, nisi iterum per vota secreta quatuor ex quinque votorum partibus concurrant, et expressus assensus et approbatio nostra vel successorum nostrorum in perpetuum accedat, et hoc toties quoties casu[1] electionis advenerit, alioquin praepositus generalis ad vitam perduret.

Clausulas addit.

§ 5. Decernentes easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, plenissime suffragari, et ab illis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contraria tollit.

§ 6. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon dictae Congregationis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides.

§ 7. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra adhibeatur, quae praesentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXII augusti MDCLXIII, pontificatus nostri anno IX.

Dat. die 22 augusti 1663, pontif. anno IX.

CDLIII.

Ut tres conventus, nimirum Vastinensis, Iniicastrensis et Castrireginaldensis, custodiae SS. Trinitatis in provinciâ maiori Turoniae Ordinis fratrum Minorum sancti Francisci Recollectorum, uniri et incorporari possint provinciae viciniori aut commodiori Reformatorum seu Recollectorum Ordinis huiusmodi.

Alexander Papa VII.
ad futuram rei memoriam.

Militantis Ecclesiae regimini per ineffabilem divinae bonitatis abundantiam, nullo licet meritorum nostrorum suffragio, praepositi, felici religiosorum virorum vota sua Deo reddere satagentium regimini et quieti libenter consulimus, sicut in Domino conspicimus salubriter expedire.

Procemium.

1 Potius lege *casus* (B. T.).

Expositio. § 1. Exponi siquidem[1] nobis nuper fecerunt dilecti filii Theophilus Chairier custos, ac omnes fratres, tam superiores quam inferiores, custodiae SS. Trinitatis fratrum Minorum Ordinis sancti Francisci Recollectorum nuncupatorum, et praesertim Ioannes Baptista Baudin, eorum specialis hac in parte procurator, quod, pro reformatione provinciae maioris Turoniae fratrum Minorum dicti Ordinis, vigore quarumdam felicis recordationis Urbani Papae VIII praedecessoris nostri in simili formâ Brevis litterarum die XXX augusti MDCXLII, ac die XXII ianuarii et XXII aprilis MDCXLIII, necnon die II martii MDCXLIV respective expeditarum, dicta custodia, iuxta quasdam recolendae memoriae Clementis Papae VIII praedecessoris pariter nostri litteras, in capitulo provinciali eiusdem provinciae die XXIX augusti MDCXLIII Rhedonis celebrato per venerabilem fratrem Henricum tunc episcopum Rhedonensem, apostolicum hac in re commissarium, erecta et confirmata fuit, illique sex conventus, videlicet Rhedonensis, Venetensis, Corizopitensis, Vastinensis, Iniicastrensis et Castrireginaldensis assignati fuerunt. Verum nihilominus fratres dictae provinciae maioris Turoniae sic erectam et confirmatam auctoritate apostolicâ custodiam huiusmodi, imo et ab ipsis receptam, laudatam et approbatam sub propriis chirographis, propter quasdam difficultates, tribus conventibus principalioribus privaverunt, eique tres supradictos conventus Rhedonensem scilicet, Venetinensem et Corizopitensem dare noluerunt.

Supplicatio. § 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, iam nulla supersit spes fratribus Reformatis intentam ab ipsis reformationem in dictos tres conventus, imo in totam provinciam introducendi, propter rationes alibi allatas, et tantas difficultates de die in diem magis crescentes, quinimo nec pacifice in tribus conventibus, qui eis supersunt, vivendi, nisi a dictâ provinciâ maioris Turoniae omnino separentur, tum propter exiguitatem ipsorum, tum propter penuriam locorum et iniuriam temporum: nobis propterea dicti exponentes humiliter supplicari fecerunt ut sibi de medio opportuno regulam suam ad litteram observandi iuxta praescriptum praefatarum Clementis praedecessoris litterarum, quibus omnes et singuli subscripserunt, providere, et ad hunc finem (cum soli fratres Recollecti in Galliâ sub dictis Clementis praedecessoris litteris regulam servent) ipsis, ut, unâ cum praedictis suis tribus conventibus, viciniori aut commodiori provinciae fratrum Recollectorum seu Reformatorum in Galliâ, nempe provinciae S. Mariae Magdalenae, quae, annuente dilecto filio ministro generali dicti Ordinis, eos recipere parata est, servato tamen iure uniuscuiusque, uniri et incorporari valeant permittere, et[1], ad hanc unionem et incorporationem perficiendam, plenam potestatem commissario per eumdem ministrum generalem deputando concedere de benignitate apostolicâ dignaremur, ita ut, perfectâ[2] a dicto commissario unione seu incorporatione huiusmodi, minister provincialis dictae provinciae S. Mariae Magdalenae supradictos tres conventus et fratres omnes in eis degentes, sicut alios fratres provinciae huiusmodi, in posterum visitare et corrigere, ac de illis sicut de aliis disponere possit, maxime cum, propter hanc unionem seu incorporationem, nec dicta custodia, nec provincia praedicta quicquam super aliis memoratae provinciae

1 Similem vide supra pag. 145 *a* et seq. (R. T.).

1 Coniunctionem *et* nos addimus (R. T.).

2 Male ed. Main. habet *ita re perfecta* (R. T.).

maioris Turoniae conventibus praetendant.

Confirmat ut in rubricâ. § 3. Nos igitur, eosdem exponentes specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositorum consilio, attentis narratis, ac audito per eosdem cardinales et consentiente praefato ministro generali Ordinis huiusmodi, ut memorati tres conventus, nimirum Vastinensis, Iniicastrensis et Castrireginaldensis, uniri et incorporari possint provinciae viciniori aut commodiori Reformatorum seu Recollectorum, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, concedimus et indulgemus, ac huius unionis et incorporationis peragendae facultatem commissario ab eodem ministro generali deputando auctoritate et tenore praedictis tribuimus.

Decretum irritans. § 4. Decernentes easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum. § 5. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon, quatenus opus sit, Ordinis ac provinciae et conventuum huiusmodi, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XVII septembris MDCLXIII, pontificatus nostri anno IX.

Dat. die 17 septembris 1663, pontif. anno IX.

CDLIV.

Commissio domino cardinali vicario Urbis ut praesidem et auditorem regiae audientiae Montis Fusculi in regno Neapolitano a violatae immunitatis et iurisdictionis ecclesiasticae excessibus Beneventi commissis absolvat [1].

Dilecto filio nostro in almâ Urbe vicario in spiritualibus generali,
Alexander Papa VII.

Dilecte fili noster,
salutem et apostolicam benedictionem.

Sedes Apostolica, pia mater, recurrentibus ad eam post excessum cum humilitate filiis propitiam se solet exhibere et benignam. Prooemium.

§ 1. Cum itaque dilecti filii Franciscus Pasqualis, magister campi et prae- Supplicatio.

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

ses regiae audientiae Montis Fusculi in regno Neapolitano, ac Carolus Vellius, auditor eiusdem audientiae, cum litteris dilecti filii nobilis viri Gasparis de Braccamonte et Gusman comitis de Penaranda, dicti regni proregis, die XVI iunii proxime praeteriti scriptis, ad hanc almam Urbem nostram nuper venerint, nobis humillime supplicandi ergo, prout etiam tam proprio quam dilectorum filiorum proregentis curiae vicariae Neapolitanae, ac commissarii Campaniae, omniumque aliorum officialium et militum regiorum, excessus mense martio proxime praeterito in civitate nostrâ Beneventanâ commissi complicum, nominibus supplicarunt, ut sibi et illis beneficium absolutionis ab excommunicatione aliâve quacumque poenâ tam spirituali quam temporali per eos ob violationem tam immunitatis quam iurisdictionis ecclesiasticae et temporalis (tum quia, armatâ manu eamdem civitatem Beneventanam ingressi, inde quondam Iosephum Carafam clericum et alios assertos homicidii Neapoli in personam quondam Augustini de Flore commissi complices eduxerunt, licet illi nomine curiae ecclesiasticae et secularis dictae civitatis nostrae Beneventanae in carceribus detinerentur, et aliqui eorum ex loco immunitate ecclesiasticâ gaudente extracti fuissent, seque clericos esse praetendissent, tum etiam propter mortem subinde eisdem carceratis illatam, ac demum quia dilectum etiam filium nobilem virum modernum principem Terrae *della Riccia* nuncupatae in praefato regno Neapolitano consistentis, et aliquot eius homines, dum ipsi ianuae et parietibus ecclesiae S. Honuphrii in territorio dictae civitatis Beneventanae sitae adhaerebant, apprehenderunt et captivos abduxerunt) incursis, concedere de benignitate apostolicâ dignaremur: hinc est quod nos (attentis memorati Gasparis comitis proregis supplicationibus, multisque excusationibus, ad hoc ut casus praenarratus, qui multas secum tulit considerationes etiam a tumultibus popularibus petitas, veniâ et commiseratione dignus existimaretur, adductis, et praecipue attentâ repositione praefatorum principis Terrae *della Riccia* eiusque hominum in eodem loco factâ unde extracti fuerant) dictos Franciscum praesidem et Carolum auditorem audientiae supradictae, qui vera poenitentiae signa ostenderunt, paternâ clementiâ nostrâ prosequi decrevimus.

§ 2. Itaque circumspectioni tuae per praesentes iniungimus ut (praeviâ revocatione et annullatione omnium et singulorum actorum et attentatorum a praefatis Francisco praeside et Carolo auditore in praemissis quovis modo gestorum et factorum, praestitâque prius per eos obligatione iuramento vallatâ de damnis et interesse, ad quae de iure tenebuntur statim atque liquidata fuerint, reficiendis, ac factâ etiam prius per eos promissione quod in futurum a similibus violentiis et attentatis abstinebunt, et quicquid eis praescriptum et iniunctum fuerit, priusquam infrascriptae absolutionis beneficium obtineant, observabunt et adimplebunt) eosdem Franciscum praesidem et Carolum auditorem audientiae huiusmodi, et eorum singulos, si hoc a te humiliter petierint, a reatu violatae per eos, ut praefertur, immunitatis et iurisdictionis ecclesiasticae et temporalis, ac excessibus praenarratis, necnon excommunicationis, aliisque censuris, sententiis et poenis tam spiritualibus quam temporalibus, quas propter praemissa quovis modo incurrerunt, aut incurrisse dici, censeri vel praetendi possent, in utroque foro auctoritate nostrâ apostolicâ in formâ Ecclesiae con-

Confirmat ut in rubricâ.

suetâ absolvas et totaliter liberes, illisque et eorum cuilibet poenas huiusmodi gratiose remittas et condones, ac eos et eorum quemlibet in pristinum et eum in quo antequam eadem praemissa evenirent quomodolibet erant statum restituas, reponas et reintegres; nos enim quamcumque necessariam et opportunam tibi ad praemissa facultatem, harum serie, auctoritate praedictâ, tribuimus et impertimur.

Contraria tollit. § 3. Non obstantibus apostolicis, ac in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides transumptorum. § 4. Volumus autem ut omnium et singulorum actorum huiusmodi in exequutionem praesentium litterarum a te et coràm te respective gerendorum monimenta conficias seu confici cures, quorum exempla authentica tam ad secretariam congregationis venerabilium fratrum nostrorum sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium immunitati ecclesiasticae et controversiis iurisdictionalibus praepositae, quam ad cancellarias curiarum archiepiscopalium Neapolitanae et Beneventanae transmittas, ad hoc ut ibidem respective ad perpetuam rei memoriam conserventur.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die xx septembris MDCLXIII, pontificatus nostri anno IX.

Dat. die 20 septembris 1663, pontif. anno IX.

CDLV.

Deputatio domini cardinalis vicarii Urbis et aliorum in solidum in executores privilegiorum capituli et canonicorum S. Mariae in Rotundâ Urbis eisdem competentium super plateâ ante dictam ecclesiam[1].

Alexander Papa VII, ad perpetuam rei memoriam.

Decreta iam facta referuntur. § 1. Aliàs[2] (postquam, ecclesiae S. Mariae in Rotundâ de Urbe ipsiusque almae Urbis nostrae decori consulendi studio, omnes aedes et aedificia quaecumque porticui eiusdem ecclesiae adiacentes et adiacentia, ac ad dilectos filios capitulum et canonicos ecclesiae huiusmodi spectantes et spectantia, penitus et funditus dirui et demoliri, illorumque rudera et cementa inde asportari, necnon domunculas ligneas, tabernas, scamna et tabulata quaecumque, in plateâ dictae ecclesiae existentia, inde amoveri et penitus tolli, certum vero loci spatium in formam hemicycli aliquantum oblongi, ac labra et ornamenta fontis, qui in meditullio eiusdem plateae situs est, ab eâ parte, quae versus ecclesiam S. Mariae Magdalenae protenditur, ambientis, pro collocandis illic domunculis seu tabernis mercatoriis, designari, ibique domunculas seu tabernas huiusmodi locari, illam autem dictae plateae partem, quae ecclesiam et fontem praedictos interiacet, necnon vias publicas in ipsâ plateâ circumquaque existentes eiusmodi impedimentis liberas et vacuas remanere iusseramus, haecque omnia re ipsâ ab illis quibus hanc curam dederamus executioni demandata fuerant, factâ etiam per dilectos filios magistros viarum dictae Urbis exactâ locorum plateae praefatae, tam eorum quae libera et vacua remanere, quam illorum in quibus domunculae seu tabernae mercatoriae huiusmodi collocari deberent, delineatione seu plantâ, quae in actis eorumdem ma-

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

2 Vide supra Const. CDXXXVI, pag. 159 (R. T.).

gistrorum viarum die XXVI aprilis proxime praeteriti exhibita reperitur) nos, ut praemissa omnia et singula ad ecclesiae et Urbis praefatarum ornatum perpetuis futuris temporibus inviolabiliter servarentur providere, ac memoratorum capituli et canonicorum indemnitati consulere cupientes, per quasdam nostras in simili formâ Brevis die XXVII dicti mensis aprilis expeditas litteras, motu proprio, ac ex certâ scientiâ et maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, areas aedium et aedificiorum iussu nostro dirutorum et demolitorum, ut praefertur, ac universam plateam praedictam (excepto dumtaxat supradicto loci spatio pro collocandis domunculis seu tabernis mercatoriis, sicut in praefatâ delineatione seu plantâ videre est, designato) a dominio, proprietate, servitute, aliisque iuribus quibuscumque, tam memoratis ecclesiae eiusque archipresbytero et capitulo et canonicis ex immemorabili praescriptione, usu seu consuetudine, ac felicis recordationis Sixti IV, Innocentii VIII, Iulii II, Sixti V et Urbani VIII aliorumve quorumcumque Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum concessionibus, declarationibus, decretis, aliisque dispositionibus quibuslibet, et aliàs quovis modo, titulo et causâ, quam cuicumque alteri super plateâ huiusmodi quomodolibet competentibus, et quae illis quoquo modo competere praetendi possent (ita ut nec dictis archipresbytero ac capitulo et canonicis, nec aliis personis quibuslibet, quacumque dignitate, auctoritate, honore, prerogativâ, praeeminentiâ, privilegio et indulto suffultis et praeditis, ullatenus unquam liceret domunculas, tabernas, scamna, tabulata, mensas, bancos, vel alia impedimenta quaecumque, in alio quolibet dictae plateae per demolitionem aedium et aedificiorum praefatorum iussu nostro factam, ut praefertur, ampliatae loco, quam in spatio pro collocandis domunculis seu tabernis mercatoriis praedictis designato, et in plantâ seu delineatione supradictâ descripto, sub quovis praetextu, causâ, colore vel ingenio collocare seu collocari facere, aut collocandi licentiam vel facultatem tribuere, seu ibidem carnes, pisces, panem, olera, fruges, fructus, aliave cuiusvis generis esculenta, ac flores, et alia mercimonia quaecumque, venum exponere, aut venalia habere, seu alio quocumque modo eiusdem plateae venustati et libertati officere, sed ipsa platea, excepto dumtaxat iam dicto loci spatio, semper libera et vacua remanere deberet), salvo tantum illo iure, quod in memorati Urbani praedecessoris litteris pariter in formâ Brevis die IX februarii MDCXXVIII emanatis domorum in plateâ huiusmodi sitarum dominis vel inquilinis expresse reservatum reperiebatur, penitus et omnino eximus et plenarie liberavimus. Ac praefatis capitulo et canonicis, ut ipsi perpetuis futuris temporibus spatio loci pro domunculis seu tabernis mercatoriis iussu nostro, ut praefertur, designato uti, ibique domunculas seu tabernas huiusmodi collocatas habere, ac illis personis sibi benevisis locare, pensionesque et emolumenta quaecumque inde proventura percipere, exigere, levare, ac in suos usus et utilitatem convertere, necnon privilegiis, favoribus, gratiis et indultis quibuscumque ipsis et dictae ecclesiae per memoratos Romanos Pontifices praedecessores nostros, et praesertim Sixtum V per suas sub plumbo anno Incarnationis Dominicae MDLXXXVI idibus novembris, pontificatus sui anno II, et Urbanum VIII per suas praefatas in formâ Brevis respective ex-

peditas litteras concessis et approbatis (quae omnia et singula, quatenus praefatis nostris litteris non adversabantur, et non aliàs, confirmavimus et approbavimus, quatenus vero nostris litteris erant contraria, revocavimus, abrogavimus, cassavimus, viribusque et effectu vacuavimus), sicut eatenus usi, potiti et gavisi fuerant, ita et in posterum frui, potiri et gaudere libere et licite possent et valerent, concessimus et indulsimus, et aliàs prout in eisdem nostris litteris, quarum, necnon praefatarum Sixti V et Urbani VIII praedecessorum litterarum, tenores et datas etiam veriores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis haberi volumus, uberius continetur.

Motiva. § 2. Cum autem, sicut accepimus (memoratis capitulo et canonicis executionem privilegiorum, favorum, gratiarum et indultorum huiusmodi ipsis et dictae ecclesiae a praefatis Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris et praesertim Sixto V et Urbano VIII per eorum litteras supradictas respective concessorum et approbatorum, ac a nobis per litteras nostras praefatas, ut praefertur, confirmatorum, petentibus), multi domini seu inquilini domorum plateae praefatae adiacentium, et praecipue curatores, seu administratores, vel procuratores, seu negotiorum gestores quorumdam locorum piorum sese opponant, forum declinare satagentes, causasque coram eorum iudicibus reassumentes, unde earumdem litterarum executio suspenditur in grave ecclesiae ac capituli et canonicorum praefatorum damnum et praeiudicium: hinc est quod nos, eorumdem ecclesiae ac capituli [1] et canonicorum indemnitati peramplius providere volentes, dictorumque archipresbyteri et capituli et canonicorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, motu, scientiâ, deliberatione et potestatis plenitudine paribus, dilectis filiis nostro in dictâ Urbe vicario in spiritualibus ac causarum curiae camerae apostolicae auditori generalibus per praesentes committimus et mandamus, quatenus ipsi, vel alter eorum, etiam privative quoad alios quoscumque iudices etiam privilegiatos et speciali mentione dignos, per se, vel alium, seu alios, praefatas nostras ac Sixti V et Urbani VIII praedecessorum litteras, et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, et quoties pro parte dictorum archipresbyteri ac capituli et canonicorum fuerint requisiti, solemniter publicantes, illisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate nostrâ eosdem archipresbyterum ac capitulum et canonicos, tam in causis introductis, quam deinceps quomodocumque et quandocumque introcendis, earumdem nostrarum ac Sixti V et Urbani VIII praedecessorum litterarum, omniumque et singulorum in eis respective contentorum, quatenus tamen illa per praefatas nostras litteras revocata non sunt, commodo et effectu pacifice frui et gaudere, non permittentes eos desuper a quoquam quavis auctoritate quomodolibet indebite molestari, contradictores quoslibet et rebelles per censuras et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postpositâ, compescendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis,

Decretorum exequutores instituit.

1 Edit. Main. legit *capitulo* (R. T.).

Contrariis derogat.

§ 3. Non obstantibus quacumque litis pendentiâ aliisque praemissis, necnon omnibus et singulis illis, quae memorati Sixtus V et Urbanus VIII praedecessores voluerunt in suis, et nos voluimus in nostris respective litteris praefatis non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die VIII octobris MDCLXIII, pontificatus nostri anno IX.

Dat. die 8 octobris 1663, pontif. anno IX.

CDLVI.

Super concordiâ factâ inter procuratores generales Ordinis SS. Trinitatis redemptionis captivorum et Ordinis beatae Mariae de Mercede.

Alexander Papa VII,
ad futuram rei memoriam.

Decretum sacrae congregationis.

Emanavit nuper a congregatione venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium sacris ritibus praepositorum decretum tenoris qui sequitur, videlicet:

§ 1. « *Romana Ordinum redemptionis captivorum.* Cum frater Franciscus de la Rosa, vicarius et procurator generalis Ordinis S. Mariae de Mercede, supplicem libellum Sanctissimo porrexisset, quo se suumque Ordinem admodum laesos conquerebatur de assertionibus, quas dietim typis ac vivâ voce, tum in concionibus, tum in publicis disputationibus, evulgari student fratres Ordinis SS. Trinitatis redemptionis captivorum (nempe quod ipsis fratribus de Mercede non ex primaevo eorum Ordinis instituto iniunctum fuerit, sed ex voto mox iisdem accesserit christifideles captivos e manibus barbarorum redimendi onus, sortibusque olim commissum firmatumque ut idem Ordo de Mercede Ordini SS Trinitatis tandem uniretur, quae praesertim contineri asserebat in libello novissime impresso Romae, typis Angeli Bernabò a Verme, anno MDCLX, cui titulus est *Vitae Ss. Ioannis de Matha et Felicis Valloys* fundatorum Ordinis SS. Trinitatis), Sanctitas Sua speciali eius rescripto (ob lites inter ecclesiasticas et regulares personas dirimendas absque strepitu et figurâ iudicii, atque ad sedanda scandala exinde orta et oriunda, potissimum vero ad perpetuam inter fratres praedictorum Ordinum charitatem stabiliendam) rei amicabiliter inter eos consulendae et componendae provinciam commisit reverendo patri domino Phoebaeo, tunc sacrae rituum congregationis a secretis, qui accersitos ac pluries seorsim et unâ simul auditos procuratores generales utriusque Ordinis, nempe praefatum fratrem Franciscum de la Rosa Mercedarium et fratrem Ioannem a Conceptione Excalceatum SS. Trinitatis, pariter asserentem quod fratres Mercedarii his prorsus non dimissilia evulgant de fratribus SS. Trinitatis, in eam tandem sententiam adduxit ne, sub poenâ privationis vocis activae et passivae, in perpetuum aliquis eorum audeat seu praesumat in posterum scriptis aut vivâ voce, tum in concionibus, tum in publicis et privatis disputationibus, praedicta sub quovis praetextu vel quaesito colore praedicare, asserere, disputare et affirmari facere et curare; siquidem adversantur litteris Summorum Pontificum, praesertim vero Clementis VIII incipientibus *Romana Catholica Ecclesia,* datis kalendis maii MDCI super canonizatione sancti Raymundi de Peniafort, § 17 et 18, ac respective litteris Innocentii III, aliorumque Pontificum. Praeterea libellum, de quo supra, in novis impressionibus a pag. 155 ad pag. 158 omnino conformandum esse enunciatae

constitutioni Clementis VIII, ac sub iisdem poenis denuo non imprimi[1] nisi ab eodem libello expunctis assertionibus praefatis. Verum, quia inter haec praefatus reverendus pater dominus Phoebaeus ad praeceptoriam Sancti Spiritus in Saxia promotus fuit, et ipse secretariae congregationis sacrorum rituum addictus sum, Sanctissimus mihi per aliud subsequens rescriptum mandavit ut desuper praedictis omnibus ac singulis decretum ederem, ac idem in acta sacrae congregationis referrem, sub expressis poenis aliisque gravioribus arbitrio Sanctitatis Suae infligendis exequutioni omnimode demandandum, prout demandari mandat.

Die II octobris MDCLXIII.

M. Episcopus Sabinensis
cardinalis GINETTUS ».

Decretum praefatum confirmat.

§ 2. Cum autem, sicut pro parte praefatorum Francisci de la Rosa et Ioannis a Conceptione procuratorum generalium nobis subinde expositum fuit, ipsi decretum huiusmodi, pro firmiori illius subsistentiâ et observatione, apostolicae confirmationis nostrae robore communiri summopere desiderent: nos, specialem ipsis exponentibus gratiam facere volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, decretum praeinsertum, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, approbamus et confirmamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus; salvâ tamen semper in praemissis auctoritate praefatae congregationis cardinalium.

Clausulas addit.

§ 3. Decernentes easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, plenissime suffragari, et ab illis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon, quatenus opus sit, dictorum Ordinum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis danda fides.

§ 5. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii pubblici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, in iudicio et extra, quae praesentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum in Arce Gandulphi, dioecesis Albanensis, sub annulo Piscatoris, die

1 Videtur addendum *debere*, seu *non imprimendum* (R. T.).

XXX octobris MDCLXIII, pontificatus nostri anno IX.

Dat. die 30 octobris 1663, pontif. anno IX.

CDLVII.

Confirmatio decreti sacrae congregationis rituum, quo respondetur clericos civitatis Seguntinae indutos cottâ seu alio ecclesiastico indumento praeferendos esse privatis personis, seu aliter clericis nullo chorali seu ecclesiastico indumento suffultis[1].

Alexander Papa VII,
ad futuram rei memoriam.

Decretum sacrae congregationis exhibetur.

§ 1. Aliàs emanavit a congregatione venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium sacris ritibus praepositorum decretum tenoris qui sequitur, videlicet: « *Seguntina*. Capitulum Seguntinum sacrae rituum congregationis supplicavit ut declarare dignaretur, an clericis cottâ indutis praeferendi videantur acersecomites[2] episcopi interessentes sine cottâ. Et sacra eadem congregatio respondit clericos indutos cottâ seu alio ecclesiastico indumento praeferendos esse privatis personis seu aliter clericis nullo chorali seu ecclesiastico indumento suffultis. Die XX novembris MDCLX.

M. cardinalis GINETTUS.

Loco † sigilli.

BERNARDINUS CASALIUS, S. R. C. secret. ».

Confirmat decretum.

§ 2. Cum autem, sicut dilecti filii capitulum et canonici ecclesiae Seguntinae nobis exponi fecerunt, ipsi decretum huiusmodi, pro firmiori illius subsistentiâ, apostolicae confirmationis nostrae robore communiri summopere desiderent: nos, specialem ipsis exponentibus gratiam facere volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, decretum praeinsertum, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus; salvâ tamen semper in praemissis auctoritate praefatae congregationis cardinalium.

Decretum irritans.

§ 3. Decernentes easdem praesentes litteras firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contraria tollit.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXVII novembris MDCLXIII, pontificatus nostri anno IX.

Dat. die 27 novembris 1663, pontif. anno IX.

CDLVIII.

Confirmatio decreti congregationis episcoporum et regularium ut deinceps in provinciâ S. Antonii in regno Portugalliae Ordinis fratrum Minorum

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

2 Ita legitur in ed. Main. (R. T.).

sancti Francisci de Observantiâ reformatorum servetur Breve Clementis VIII circa fundationem novorum conventuum aliorum regularium Mendicantium, ita ut non possit procedi ab huiusmodi fundationes nisi in distantiâ saltem quinque leucarum a conventibus dictae provinciae S. Antonii [1].

Alexander Papa VII,
ad futuram rei memoriam.

Supplicatio. Nuper pro parte dilectorum filiorum fratrum provinciae S. Antonii in regno Portugalliae Ordinis fratrum Minorum sancti Francisci de Observantiâ Reformatorum nuncupatorum congregationi venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositorum exposito, quod dilecti pariter filii fratres provinciae de Arabida eiusdem Ordinis fratrum Minorum reformatorum conventus in locis de Condexa Columbriensis et de Cham parochiae S. Quintini Ulyssiponensis respective dioecesum de novo fundare et erigere intendebant in maximum praeiudicium et damnum dictae provinciae S. Antonii quae conventus illic vicinos habet et quaestuationes ibidem exercere solet, cupiebantque propterea dicti exponentes quasdam felicis recordationis Clementis PP. VIII praedecessoris nostri in simili formâ Brevis litteras pro provinciâ Carthaginensi dicti Ordinis emanatas, per quas fundatio conventuum Mendicantium intra spatium quatuor vel quinque leucarum a conventibus huius provinciae prohibita fuit, ad supradictam provinciam S. Antonii extendi, et praefatis fratribus provinciae de Arabida fundationem supradictorum conventuum similiter prohiberi: emanavit a dictâ congregatione decretum tenoris qui sequitur, videlicet:

« Sacra congregatio eminentissimorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praeposita, attentis narratis, ac audito commissario curiae Ordinis huiusmodi, sanctissimo domino nostro annuente, decrevit et mandavit ut deinceps in praefatâ provinciâ S. Antonii regni Portugalliae servetur memoratum Breve sanctae memoriae Clementis VIII circa fundationem novorum conventuum aliorum regularium Mendicantium, ita ut non possit procedi ad huiusmodi fundationes nisi in distantiâ saltem quinque leucarum a conventibus dictae provinciae S. Antonii; et ita harum vigore decernit et mandat; contrariis quibuscumque non obstantibus. Decretum sacrae congregationis.

Romae, XII decembris MDCLXIII.

M. cardinalis GINETTUS.

E. episcopus Camerinensis, secret. ».

§ 1. Cum autem, sicut praefati exponentes nobis subinde exponi fecerunt, ipsi decretum huiusmodi, pro firmiori illius subsistentiâ et observatione, apostolicae confirmationis nostrae robore communiri summopere desiderent: nos, specialem ipsis exponentibus gratiam facere volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, decretum praeinsertum, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illique Confirmat decretum.

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus; salvâ tamen semper in praemissis auctoritate praefatae congregationis cardinalium.

Clausulae. § 2. Decernentes easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Obstantium remotio. § 3. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon, quatenus opus sit, praefatorum Ordinis et provinciarum, aliisve quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, approbatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die IV ianuarii MDCLXIV, pontificatus nostri anno IX.

Dat. 4 iânuarii 1664, pontif. anno IX.

CDLIX.

Annullatio capituli provincialis provinciae Ss. Ludovici et Elzearii Tertii Ordinis sancti Francisci congregationis Gallicanae, cum approbatione divisionis dictae provinciae in duas, unam scilicet Lugdunensem sub nomine S. Ludovici, et aliam Aquitaniae sub nomine S. Elzearii, cum aliis ordinationibus[1].

Alexander Papa VII, ad futuram rei memoriam.

Illius, qui charitas est et Deus pacis, vices, licet immeriti, gerentes in terris, in eam praecipue curam sollicitis studiis incumbimus ut exorta inter christifideles Altissimi obsequiis sub suavi religionis iugo mancipatos dissidia opportunis rationibus componere satagamus. Itaque, causae nullitatis capituli provinciae Ss. Ludovici et Elzearii tertii Ordinis sancti Francisci congregationis Gallicanae, et super eiusdem provinciae divisione motae et agitatae, prout latius in causâ huiusmodi fuit deductum finem imponere cupientes, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositorum, qui partes pluries audiverunt remque mature examinarunt et perpenderunt, consilio, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium decernimus assertum capitulum provinciale nuper celebratum de mense iunii proxime praeteriti pro provinciâ Ss. Ludovici et Elzearii annullandum fore et esse, ex quo in illâ[2] non fuit servata forma praescripta in decreto congregationis eorumdem cardinalium sub die XIII aprilis, neque alia servata servanda; prout per praesentes assertum capitulum praefatum omniaque in eo gesta annul-

Proœmium.

Annullatio prout in rubricâ.

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

2 Aptius lege *in illo* (R. T.).

lamus et irritamus, et ad hanc sanctam Sedem Apostolicam devoluta esse declaramus et decernimus.

Divisionem statuit.

§ 1. Ex benignitate tamen nostrâ, et pro bono pacis et quietis praefatae provinciae et conventuum tam pro parte Lugdunensium quam Aquitanorum, approbamus, et dictâ auctoritate statuimus et instituimus divisionem praefatae provinciae in duas, unam scilicet Lugdunensem sub nomine S. Ludovici, et al'am[1] Aquitaniae sub nomine S. Elzearii, iuxta confinia stabilita et declarata in quadam assertâ concordiâ initâ in conventu Moliningilbertano, et nuper in praefato asserto capitulo acceptatâ, citra tamen aliquam approbationem assertae concordiae et praesentis capituli.

Electiones provinciae Lugdunensis revalidat.

§ 2. Insuper, cum pro parte dilectorum filiorum fratrum et conventuum dictae provinciae Lugdunensis S. Ludovici nihil fuerit deductum contra electiones et electos superiores et officiales dictae provinciae et conventuum illius, sed illis acquiescant, eosdem, ut praefertur, licet nulliter electos in superiores et officiales praefatae provinciae S. Ludovici et conventuum illius, auctoritate et tenore praedictis, eligimus ac deputamus in superiores et officiales, ut supra, et pro legitime electis et deputatis ex nunc haberi volumus et mandamus, sanando et validando eâdem auctoritate omnia et quaecumque per eosdem gesta in praeteritum. Quo vero ad provinciam Aquitaniae S. Elzearii, cum electiones et gesta pro illius parte fuerint impugnata, aliisque iustis de causis, ex benignitate statuimus ac decernimus, ut, quamprimum fieri poterit, et praesidenti deputando visum fuerit opportunum, celebretur capitulum, in quo vocem habeant ii, qui pro parte provinciae et conventuum Aquitaniae vocem in dicto capitulo nuper nulliter celebrato habere poterant seu debebant; videlicet guardiani conventuum Aquitaniae, qui fuerunt electi in capitulo celebrato de anno MDCLX, et fuerunt confirmati seu electi in ultimâ congregatione habitâ ante assertum capitulum nuper celebratum, quos omnino admitti et recipi volumus et mandamus in dictis conventibus et eorum gubernio respective sub poenâ renuentibus et inobedientibus privationis vocis activae et passivae per triennium, et, in subsidium, excommunicationis; necnon vocem habeant definitor et secretarius ex conventibus dictae provinciae, qui ius habebant ferendi votum in saepedicto capitulo nuper nulliter celebrato; et insuper discreti eligendi in singulis conventibus dictae provinciae Aquitaniae; cui quidem capitulo, ut dictum est, celebrando pro provinciâ Aquitaniae S. Elzearii in conventu Tolosano, praesit nomine et auctoritate nostrâ venerabilis frater episcopus Castrensis, et eo absente, seu aliàs impedito, venerabilis etiam frater episcopus Lumbariensis, et eo pariter impedito, venerabilis frater episcopus Rivensis, quibus, ad effectum exequendi omnia in praesentibus litteris contenta, facultates necessarias et opportunas, auctoritate praefatâ, earumdem tenore praesentium, concedimus et impertimur.

Nonnullae ordinationes pro capitulo celebrando.

Electiones Aquitaniae annullat.

§ 3. Decernentes ipsas praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, plenissime suffragari, et ab illis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum

Decretum irritans.

1 Male ed. Main. legit *aliis* pro *aliam* (R.T.).

et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariis derogat. § 4. Non obstantibus praemissis; ac felicis recordationis Bonifacii Papae VIII praedecessoris nostri de unâ, et concilii generalis de duabus dietis, dummodo aliquis auctoritate praesentium ultra tres dietas in iudicium non trahatur, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon dicti Ordinis, congregationis, provinciae seu provinciarum et conventuum huiusmodi, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXI ianuarii MDCLXIV, pontificatus nostri anno IX.

Dat. die 21 ianuarii 1664, pontif. anno IX.

CDLX.

Confirmatio decretorum a priore generali Ordinis Carmelitarum in visitatione provinciae Turoniae dicti Ordinis pro tollendis controversiis inter fratres provinciae huiusmodi super modo eligendi officiales vertentibus editorum[1].

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

Alexander Papa VII, ad futuram rei memoriam.

Ad pastoralis dignitatis apicem, nullo licet meritorum nostrorum suffragio, evecti, illa, quae a superioribus regularibus pro tollendis inter religiosos viros exortis dissidiis, firmandâque inter eos fraterna animorum concordiâ, ac solidius constabiliendâ regulari observantiâ, prudenter et salubriter facta et decreta esse noscuntur, libenter, cum a nobis petitur, apostolici muniminis praesidio roboramus. Exordium.

§ 1. Exponi siquidem nobis nuper fecit dilectus filius Hieronymus Ari, prior generalis Ordinis fratrum Beatae Mariae Virginis de Monte Carmelo, quod ipse, occasione visitationis provinciae Turoniae dicti Ordinis nuper ab ipso peractae, controversias, quae inter dilectos filios fratres eiusdem provinciae vertebant super modo eligendi officiales, composuit per quaedam decreta eâ super re edita, et a generali congregatione provinciae huiusmodi acceptata, tenoris qui sequitur, videlicet: Expositio.

« Frater Hieronymus Ari Artensis magister, ac humilis prior generalis, commissarius et visitator apostolicus totius Ordinis fratrum Beatissimae Dei Genitricis et Virginis Mariae de Monte Carmelo.

Nihil magis in votis fuit, ex quo Ordinis gubernaculo admoti sumus, quam ut dilectissimae nostrae provinciae Turonensis tranquillitatem procurare et exortas in eâ opinionum diversitates conciliare possemus. Factum tamen est, divino providente Numine, ut, licet ad hoc conficiendum negotium, quod semper maximi momenti visum est, statim ab initio generalatus nostri advolare cupierimus, fuerimusque nihilominus variis occurrentium impedimentorum occasionibus retardati, tandem, aspirante Dei gratiâ,

post visitatos nonnullos conventus e praecipuis, accesserimus in hunc Rhedonensem, quem utpote nascentis observantiae strictioris cunabulum, selegimus in ceteris ad habendam generalem congregationem totius provinciae. Ad quam cum omnes superiores et discreti conventuum, necnon ceteri, ad quos de iure pertinebat, iuxta constitutiones reformationis, part. III, cap. XVII, confluxerint, omniaque peracta sint, quae inibi servantur, nihil magis opportunum duximus ad praescriptum pacis publicae finem assequendum, quam si omnes et singulos dictae congregationis eremiales seorsim vocaremus, et in privato scrutinio, pro officii nostri auctoritate, et eorum conscientiae debito, obligaremus ad significanda nobis praesentis divisionis tum principia et causas, tum remedia. Cui rei cum seduli vacaverimus, et ad unum omnes audierimus, eorumque vota scripto accepta, et ab ipsis chirographo suo munita, attente ac mature consideraverimus, fusisque ad Deum quam potuimus ardentissimis precibus, consilium a Patre luminum, et Spiritus Sancti, in re tanti momenti decernendâ, auxilium efflagitaverimus, nullâ aliâ ratione ducti quam boni publici huius provinciae: demum, audito consilio et voto reverendi admodum patris Leonis a S. Ioanne assistentis nostri generalis per Galliarum provincias, decernimus[1] ad hanc sententiam, ut pacem et disciplinam regularem instaurari non posse iudicaverimus, nisi per praxim sequentium decretorum, quae sub beneplacito Sedis Apostolicae condimus.

Nonnulla decreta.

I. Ad evellendam aemulationis et divisionis inter nationes radicem, decernimus ut superiores omnes huius provinciae Turonensis fiant per successivam mutationem, hac ratione scilicet, ut tam praeses capituli provincialis, quam provincialis ipse, per turnum, tam ex Britonibus quam ex non Britonibus instituantur; ita tamen ut, cum praeses seu provincialis erit Britae[1], socium assumat non Britonensem, et e contra.

II. Ut, ex quatuor definitoribus, duo sint semper ex Britannia et duo alii ex aliâ parte provinciae.

III. Ut ex duobus sociis ituris ad capitulum generale unus sit Brito et alter non Brito.

IV. Quia aequum non est ut praeses et alii, quibus constat definitorium, utantur auctoritate suâ ad componendas familias cum acceptatione conventuum, quorum essent priores; decernimus, quod neque praeses capituli, neque socius, sive praesidis sive provincialis, neque ullus ex definitoribus, possit esse prior durante illo triennio, sub poenâ nullitatis.

V. Custos sit semper in eâdem parte provinciae ac provincialis.

VI. Duo habeantur novitiatus, unus in Britanniâ et alter extra Britanniam, in quibus novitii clerici (qui debent ex utrâque parte promiscuo admitti ad professionem) non admittantur ad illam nisi duodecim in quolibet novitiatu per annum; poterit tamen provincialis, in extraordinariis casibus, unum aut alterum pro suâ prudentiâ superaddere; in conventibus autem civitatum, in quibus sunt collegia, nominentur patres a definitorio ad quos spectabit postulantes in suâ vocatione fovere.

VII. Quia reperimus hanc provinciam debitis oneratam ad summam circiter triginta millium librarum, statuimus ut eadem provincia solvat quotannis bis mille libras ad extinguendum paulatim hoc modo fundum illius census annui.

1 Forsan *devenimus* pro *decernimus* legendum (R. T.).

1 Vel *Britanniae* videtur legendum, vel *Britq* (R. T.).

Huius autem nostri decreti exequutionem commendamus et ordinamus reverendissimo admodum provinciali pro tempore existenti sub poenâ suspensionis ab officio infligendâ tam ipsi quam prioribus qui taxam pro debito isto extinguendo faciendam persolvere renuerunt. De cetero praecipientes ut articuli statutorum de bursâ communi exequutioni demandentur.

VIII. Ut omnibus litibus, dissensionibus ac controversiis, quae carissimam hanc provinciam, a qua reformatio duxit exordium, ab annis aliquot turbaverunt, finem ac perpetuum silentium imponamus, eaque omnino, imo eorum memoriam, quantum in nobis est, aboleamus; auctoritate nostrâ, tum ordinariâ tum speciali a sanctissimo domino nostro Alexandro VIII pro suâ benignitate nobis specialiter attributâ, remittimus omnibus omnes omnino poenas, quas dictarum litium et controversiarum occasione eos incurrisse contigisset. Volumus etiam ut omnes libelli circa hanc materiam evulgati penitus supponantur[1]; atque, ut in posterum omnes unanimiter laborent pro afferendo in integrum honore mutuo per istas lites imminuto, mandamus districte, in virtute sanctae obedientiae et sub poenâ privationis utriusque vocis, omnibus nostris inferioribus, ne quis alterutri partium aut alterutri partialium, directe vel indirecte, verbo vel scripto, quidam de praeteritis exprobare audeat. Praecipientes superioribus, et maxime provinciali per tempus existenti, ut hoc nostrum generalis amnistiae decretum inviolabiliter observent et observari curent; in quo eorum conscientiam in die Domini oneramus, etiam anathema et maledictionem Dei adprecantes illis omnibus, qui scienter, quovis quaesito praetextu, huic nostro mandato, adeo necessario paci stabiliendae, reparandae observantiae regulari, et publicae aedificationi promovendae, contravenire ausi fuerint.

IX. Ut autem facilius possint misceri inter se religiosi, sicque animi coalescere et reconciliari, statuimus ut in posterum sint semper in Britannia sex priores non Britones, et sex quoque ex Britannia sint priores extra Britanniam, sex vero alii conventus cuiuslibet partis per turnum et successivam mutationem administrentur subsequente triennio a Britonibus et non Britonibus. Hic autem est conventuum ordo, secundum dignitatem: Britonibus assignantur pro triennio proximo conventus Rhedonensis, Andegavensis, S. Annae, Pictavensis, Ploërmelensis, Rupellensis, Iuliodonensis, Bonidoni, Hennebontensis, Aulnensis, Iosselinensis, ac S. Iosephi: pro non Britonibus, Parisiensis, Turonensis, Nannetensis, Aurilianensis, Paulopolensis, Pontis Abbatis, Flexiensis, Dolensis, Quintinensis, Vivonensis, Flosseleriensis et Guildonensis. Quod si futurum sit aliquando impar conventuum numerus, quando in uno triennio nominatus fuerit pro unâ parte excedens numerus, sequenti triennio designabitur pro alterâ.

X. Quia vero, praeter haec nostra decreta universali paci provinciae conducentia, aliqua alia animadvertimus in visitationibus conventuum, quae declarationem nostram et ordinationem exigere videntur; propterea de rebus illis particularibus non ante decernemus quam visitationes nostras absolverimus in hac provinciâ, cui ante discessum nostrum conabimur omnia paternae benevolentiae et sollicitudinis exhibere testimonia,

1 Videtur legendum *supprimantur* pro *supponantur* (R. T.).

XI. Ad impetrandum autem a Deo, per intercessionem SS. Virginis singularis Ordinis nostri patronae, pacis, quam cupimus stabilire, firmitatem, statuimus ut singulis diebus, durante oratione mentali, vel circa Primam, missa de Beatâ Virgine submissâ voce dicatur in omnibus conventibus. Diebus autem dominicis ac festis solemnibus duplicibus poterit celebrari de officio diei cum commemoratione Beatae Virginis, et istud non impediet quominus satisfiat alicui intentioni particulari pro debito sacristiae.

Cum pro terminatione congregationis inquisissemus ab omnibus utriusque partis in consessu congregatis, num vellent renunciare omnibus retroactis aut faciendis in posterum litibus, appellationibus et oppositionibus, tam negotia provinciae quam personas spectantibus, omnes unâ voce et unâ acclamatione responderunt se renunciare; etiam comprecantes ut publicum instrumentum talis renunciationis fieret, cui omnes subscriberent, quod ultro statuimus et ordinavimus.

Ceterum (cum ad fovendam pacem, necessariam iudicemus, praeter haec nostra decreta, exactam constitutionum reformationis praxim) praeterea impense et in Christi visceribus exhortamur superiores omnes, ut, quae in officio eorum praescribuntur, maxime circa visitationem inferiorum in cameris semel in mense ac charitatem erga infirmos, observent. Religiosis autem omnibus commendatum[1] volumus, ut, quae tam sancte ordinata sunt circa assistentiam chori, orationem mentalem et mansionem in cellulis, executioni demandari curent, rationem supremo iudici eâ de re reddituri. In quorum fidem, etc.

1 Perperam ed. Main. legit *commodatum* pro *commendatum* (R. T.).

Datum in Carmelo nostro Rhedonensi, die XXIX mensis octobris, anno Domini MDCLXII.

Fr. HIERONYMUS ARI, generalis commissarius et visitator apostolicus Carmelitarum.

Fr. ALBERTUS a SANCTO IOSEPH, secretarius reverendissimi et congregationis generalis.

Nos infrascripti, generalis congregationis provinciae Turonensis gremiales, ex animo recipimus praedicta decreta reverendissimi patris generalis, gratias agentes omnipotenti Deo, et beatissimae Dei Genitrici Virgini Mariae Ordinis nostri singulari patronae, quod, nostri tandem miserati, pacem reddere provinciae dignati sint, necnon reverendissimo patri de susceptis pro carissimâ suâ provinciâ Turonensi laboribus.

Fr. Leo, assistens generalis et provincialis Terrae Sanctae, manu cordis.

Fr. Philippus a Trinitate, provincialis.

Fr. Sebastianus Fantonus, provincialis Hiberniae, socius reverendissimi patris generalis et secretarius Ordinis.

Fr. Mathias a S. Ioanne, socius reverendissimi.

Fr. Symphor ab Assumptione, primus definitor.

Fr. Basilius a S. Ioanne, secundus definitor et prior Carmeli Andegavensis.

Fr. Stephanus a S. Ioseph, tertius definitor et prior Rhedonensis.

Fr. Renatus a S. Alberto, quartus definitor et prior Nannetensis.

Fr. Constantinus a S. Cruce, reverendissimi patris provincialis socius.

Fr. Theophilus a S. Claudio, prior Rupellensis.

Fr. Marcus a Nativitate Beatae Mariae Virginis, prior Turonensis.

Fr. Melanius a S. Ioanne Baptista, prior Ploërmensis.

Fr. Claudius a S. Anna, prior Aurelianensis.

Fr. Renatus a S. Theresia, prior Iuliodonensis.

Fr. Martinianus a S. Ioanne, prior S. Pauli Leonensis.

Fr. Martialis a S. Maria, prior Pictavensis.

Fr. Anselmus a S. Carolo, prior Aulensis.

Fr. Stephanus a S. Xaverio, prior Pontis Abbatis.

Fr. Placidus a Purificatione, prior Henebatensis.

Fr. Macharius a SS. Sacramento, prior Vivonensis.

Fr. Columbanus a S. Spiritu, prior Dolensis.

Fr. Romanus a S. Xaverio, prior Bonidonensis.

Fr. Petrus a S. Thoma, vicarius generalis monialium S. Sepulchri Rhedonensis et Bethleem Ploërmensis.

Fr. Guillelmus a S. Martha, prior S. Iosephi.

Fr. Eliseus a S. Antonio, prior Guildonensis.

Fr. Donatianus a S. Nicolao, prior Quintinensis.

Fr. Beniaminus a S. Petro, prior S. Annae.

Fr. Beniaminus a S. Ioanne, prior Iosselinensis.

Fr. Gratianus a S. Stephano, prior Flexinensis.

Fr. Damascenus ab Assumptione, prior Flosselinensis.

Fr. Daniel a S. Iosepho, antiquissimus professor theologiae et exprovincialis.

Fr. Prosper a S. Ludovico, magister novitiorum antiquior.

Fr. Avertanus a SS. Sacramento, discretus Rhedonensis.

Fr. Prosper a S. Petro, discretus Rupellensis.

Fr. Hugo a S. Francisco, discretus Andegavensis.

Fr. Renatus a S. Ioseph, discretus Turonensis.

Fr. Moderanus a Cruce, discretus Ploërmensis.

Fr. Eugenius a S. Bernardo, discretus Nannetensis.

Fr. Simplicianus a S. Francisco, discretus Aurelianensis.

Fr. Ludovicus a S. Genovefa, discretus Iuliodonensis.

Fr. Dominicus a Stigmatibus Christi, discretus Paulinensis.

Fr. Leonardus a S. Ægidio, discretus Pictavensis.

Fr. Michaël a S. Catharina, discretus Hennebensis.

Fr. Didacus a S. Angelo, discretus Vivonensis.

Fr. Leonardus a S. Alberto, discretus Dolensis.

Fr. Robertus a S. Iosepho, discretus Bonidonensis.

Fr. Lazarus a S. Francisco, discretus S. Iosephi.

Fr. Bruno a S. Ioanne, discretus Guildonensis.

Fr. Thomas a S. Hieronymo, discretus Quintinensis.

Fr. Sebastianus a Iesu Maria, discretus S. Annae.

Fr. Licinius a S. Michaële, discretus Iosselinensis.

Fr. Ioseph a S. Catharina, discretus Parisiensis.

Fr. Prenaeus a S. Catharina, discretus Flexiensis.

Frater Valentinus a S. Iosepho, discretus Flosselensis.

Frater Albertus a S. Iosepho, secretarius reverendissimi et congregationis generalis ».

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, praefatus Hieronymus

Decretum praeinsertum confirmat.

prior generalis decreta huiusmodi, ut firmius subsistant et serventur exactius, apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri summopere desideret, nos, ipsius Hieronymi prioris generalis desiderio quantum cum Domino possumus favorabiliter annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, omnia et singula decreta praeinserta a praefato Hieronymo priore generali edita, ut praefertur, cum omnibus et singulis in eis respective contentis, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos iuris et facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Clausulae. § 3. Decernentes easdem praesentes litteras necnon omnia et singula decreta praeinserta semper firma, valida et efficacia existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, inviolabiliter et inconcusse observari, illisque respective in omnibus et per omnia plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogat contrariis. § 4. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon, quatenus opus sit, praefatorum Ordinis et provinciae Turoniae, aliisve quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, approbatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis credi mandat. § 5. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, sive exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique locorum tam in iudicio quam extra illud adhibeatur, quae ipsismet praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXV ianuarii MDCLXIV, pontificatus nostri anno IX.

Dat. die 25 ianuarii 1664, pontif. anno IX.

CDLXI.

Decreta pro Limanâ provinciâ in Indiis Ordinis B. Mariae de Mercede redemptionis captivorum stabilita.

Alexander Papa VII.
ad futuram rei memoriam.

Expositio. Exponi nobis nuper fecit dilectus filius Franciscus de la Rosa, procurator generalis Ordinis fratrum B. Mariae de

Mercede redemptionis captivorum, quod pro provinciâ Limana in Indiis dicti Ordinis, ad hoc ut promovendi ad praesentaturae et magisterii gradus et virtute conspicui et litteris satis superque condecorati sint, statutum fuit quod nullus ex fratribus provinciae et Ordinis huiusmodi ad praesentaturae et magisterii gradus promoveri possit, nisi prius infrascriptas conditiones adimpleverit, et secundum eas qualificatus existat, videlicet:

Nonnullae conditiones.

§ 1. « Ut nullus ad praesentaturae de lecturâ lauream exponatur, qui non legerit, ultra tres annos logicae et philosophiae, duos alios annos theologiae scholasticae, assistendo conferentiis et aliis actibus pro magistris designandis; idque non ubique locorum, sed tantum in aliquâ universitate approbatâ, vel in aliquo conventu eiusdem Ordinis studiis litterariisque exercitationibus deputato.

Post haec, ut de eorum sufficientiâ constet, in collegio S. Petri Nolasco Limano nuperrime aedificato sequentibus actibus litterariam reducatur ad trutinam: semel, sed publice, conclusiones defendens, ad semihoram, praemissâ praefatione, a quatuor magistris proposita argumenta dissolvat; deinde per horae spatium punctum ex Sententiarum Magistro desumptum, quod ante vigintiquatuor horas sibi sorte contigerit, elucidet, et sententiam propositam impugnantibus quatuor magistrorum telis obsistat.

Tunc examinatores ad rem diiudicandam electi (praemisso in rectoris manibus fidelitatis iuramento, nempe nec se directe nec indirecte praesentaturae candidato suggessisse argumenta, nec se nisi benemeritum et dignum approbaturos) secreto ferant calculum, et, faventibus pluribus suffragiis, rector ad prolistae seu licentiati gradum evehat, quibus[1] capax evadet praesentaturae de numero provinciae. Et nemo ad praedicta suffragia admittatur, quin prius de materiâ sibi a sorte praescriptâ saltem per tres horae quadrantes disseruerit.

Insuper et examinatores, ad hanc functionem nominandi, sint magistri de numero universitatis, cathedratici Ordinis praedicti, regens praefati collegii et primarius lector, quibus collegii eiusdem rector uti praeses assistat.

Deinde, ut is[2] tantum de praedicatorum praesentaturâ benemeritus habeatur qui, decem annis alicuius domus conventualis concionator speciali rescripto assignatus, triplicis quadragesimae feriis cum approbatione verbum Dei praedicaverit; quo tempore transacto, in collegio praedicto concionetur semel per unam horam de Evangelio et materiâ sortitâ per vigintiquatuor horas antecedentes; quo finito ad suffragia admittatur eâdem formâ et eisdem supra relatis examinatoribus approbandus.

Postremo, ut, qui in dictâ provinciâ magisterii laureolâ[3] condecorandi fuerint, prius lecturi sint quotidie unam theologiae scholasticae lectionem per trium annorum spatium supra illos quinque ad praesentaturam requisitos; probationes autem et informationes lecturarum in capitulo provinciali et faciendae et approbandae sint, ac in collegio (praeter ea quae ad licentiatus gradum obtinendum effecerat) viginti quatuor horis antecedentibus per semihoram leget punctum super Scripturam sacram sortitum, et per spatium alterius semihorae duorum magistrorum oppositis argumentis obsistet. Quibus peractis, ad suffragia admittatur, et numerosiori examinatorum calculo approbatus a re-

1 Forsan *quo* pro *quibus* legendum (R. T.).
2 Male edit. Main. legit *his* pro *is* (R. T.).
3 An *laurea* legendum nescio (R. T.).

ctore collegii eiusdem magister eligatur, quo praecedente gradu, ad gradum magistri de numero dignus iudicetur ».

Supplicatio. § 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, praemissa omnia uti iusta et rationi consona dilectus filius magister generalis dicti Ordinis approbaverit et confirmaverit, firmiora vero et validiora sint illa, quae huius sanctae Sedis patrocinio roborantur; nobis propterea dictus Franciscus procurator generalis humiliter supplicari fecit ut in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Supradictas ordinationes confirmat. § 3. Nos igitur, ipsum Franciscum procuratorem generalem specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositorum, qui praeinsertas ordinationes et dispositiones mature considerarunt, consilio, easdem ordinationes et dispositiones, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, approbamus et confirmamus, et in posterum vim statuti in praefatâ Limanâ provinciâ habere decernimus; salvâ tamen semper in praemissis auctoritate congregationis eorumdem cardinalium.

Decretum irritans. § 4. Decernentes pariter easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum. § 5. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon, quatenus opus sit, provinciae et Ordinis praefatorum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores presentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes, illis aliâs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XVIII februarii MDCLXIV, pontificatus nostri anno IX.

Dat. die 18 februarii 1864, pontif. anno IX.

CDLXII.

Commissio cardinalibus ab Harrach et Carafae, ac archiepiscopis Salisburgensi et Strigoniensi, et episcopo Viennensi, pro impositione subsidii et contributionis super bonis ecclesiasticis in Statibus haereditariis electi imperatoris consistentibus.

Dilectis filiis nostris Ernesto Adalberto tituli S. Praxedis ab Harrach, et Carolo, S. R. E. presbyteris cardinalibus, Carafae

nuncupato, ac venerabilibus fratribus archiepiscopis Salisburgensi et Strigoniensi, et episcopo Viennensi,

Alexander Papa VII.

Dilecti filii nostri et venerabiles fratres, salutem et apostolicam benedictionem.

Prooemium. Cum luctuosissimas populorum strages, agrorum vastationes, urbium expugnationes, christifidelium miserrimam in captivitatem et servitutem abductorum calamitates, aliaque innumera detrimenta, quibus nefarii Turcarum tyranni copiae anno superiore nobilissimum Hungariae regnum, quod olim erat validissimum adversus infidelium impetus christianae reipublicae propugnaculum, finitimasque provincias immani barbarie protriverunt et divexarunt, e sublimi militantis Ecclesiae speculâ, in qua[1] his difficillimis temporibus nos, meritis licet et viribus longe impares, constituit Deus, mentis acie contemplamur, simulque quibus viribus quove apparatu idem immitis tyrannus, priorum expeditionum successu iam ferocior, bellum et cladem in reliquas carissimi in Christo filii nostri Leopoldi Romanorum regis illustris in imperatorem electi ditiones haereditarias, indeque in alias christianorum principum maxime Germanorum provincias proferre[2] molitur et adornat, pastorali sollicitudine consideramus; vehementer commoventur paternae nostrae charitatis viscera, et pontificia vigilantia nostra ad avertenda, quae populorum christianorum, praesertim bello propiorum[3], cervicibus imminent, pericula magis magisque incitatur.

Motiva huius Constitutionis. § 1. Cum itaque, sicut praefati Leopoldi regis in imperatorem electi nomine nobis nuper expositum fuit, licet ipse Leopoldus rex nihil omnino praetermiserit, quo tam formidabili Turcarum potentiae, ceu torrenti e supernis per declivia ruenti, repagulum aliquod opponeret, re tamen accurate perpensâ, id omnino explorato constet, nec vires aerarii eiusdem Leopoldi regis tot sumptibus in hanc causam factis exhaustas, nec laicorum eius ditionum haereditariarum facultates tantae belli moli usquequaque pares fore, cupiatque propterea idem Leopoldus rex praesentaneo opportunoque ex rebus et bonis ecclesiarum et locorum piorum praedicti Hungariae ac Bohemiae regnorum, necnon archiducatus Austriae, ceterarumque provinciarum, ditionum, Statuum et dominiorum haereditariorum ipsius Leopoldi regis subsidio a nobis iuvari:

Sequuntur motiva. § 2. Nos, considerantes eâ in re non minus Dei (cuius templa et sacra violantur, veraque religio per mahumetanae abominationis propagationem conculcatur et pervertitur) ac Dei ministrorum, ecclesiarum et locorum piorum (quorum aeque personae, status et bona summum in discrimen pariter adducta sunt) quam memorati Leopoldi regis, qui, maiorum suorum imperatorum et regum fortissimorum, pietateque, rerum gestarum gloriâ et erga catholicam ecclesiam studio longe clarissimorum, vestigia pari virtute premens, tam efferato potentique hosti omni virium animique contentione resistere satagit, universaeque christianae reipublicae causam agi; caesareae maiestatis postulatis annuendum, eique in tam evidenti periculo, ac necessariâ piâque causâ, quantum nobis ex alto conceditur, quacumque promptiori expeditiorique ratione subveniendum censemus. Et licet ab ecclesiasticarum personarum ecclesiarumque et locorum piorum gravaminibus animo maxime simus alieni, nec quicquam nobis magis cordi sit quam eorum liber-

1 Vocem *qua* nos addimus (R. T.).
2 Videretur legendum *perferre* (R. T.).
3 Male ed. Main. legit *propriorum* (R. T.).

tatem et immunitatem illibatam conservare; cogimur tamen in hoc extremo labentium rerum christianarum discrimine, cum aliunde tantum opis haberi nequeat quantum praesens necessitas exigit, auxilium ex bonis ecclesiarum et locorum piorum postulare; rati neminem futurum, qui eiusmodi onus cum animi promptitudine non subeat, cum eorum maxime, qui in sortem Domini vocati sunt, intersit infensissimos Christi hostes ab altaribus repelli, et aequissimum videatur ut speciales Ecclesiae filii communi sanctae Matris Ecclesiae eorumque patriae periculo alacriter opitulari connitantur. Firmam quoque in Domino fiduciam habemus fore, ut non solum inclytae Germaniae principes et Status, quibus discrimen propius[1] impendet, ad ferenda caesareae maiestati subsidia hoc exemplo alacriores reddantur, sed etiam alii principes christiani, qua sunt in Deum pietate, suam opem in causae communis tuitione desiderari minime

Commissio ut in rubrica. patiantur. Habitâ igitur super his cum venerabilibus fratribus nostris S. R. E. cardinalibus deliberatione maturâ, de eorum consilio, his iustissimisque causis adducti, ac de vestrâ pietate, charitate, integritate, prudentia, rerum usu, ac rei christianae et catholicae religionis bonique publici studio plene in Domino confisi, de nobis attributae divinitus potestate plenitudine, circumspectionibus et fraternitatibus vestris per praesentes committimus et mandamus, ut vos vel saltem maior pars vestrum insimul congregati, sumptis prius iis informationibus quas pro conscientiae vestrae instructione sufficientes duxeritis, unum subsidium et contributionem, ejus pecuniarum quantitatis quam (habitâ consideratione expensarum pro causâ urgentis belli huiusmodi contra Turcas necessariarum[1] quibus subministrandis laicorum facultates non suppetant, ac pro modo facultatum et bonorum ad ecclesias, beneficia et loca pia infrascripta respective spectantium) taxandam, statuendam, declarandam esse secundum conscientiam vestram in Domino arbitrati fueritis, super omnibus et singulis bonis, proprietatibus, fructibus, redditibus, decimis, censibus, obventionibus, emolumentis, aliisque iuribus quibuscumque omnium metropolitanarum, cathedralium, collegiatarum, parochialium et aliarum ecclesiarum, necnon monasteriorum, conventuum, collegiorum, hospitiorum, domorum et aliorum locorum regularium utriusque sexus, ac archiepiscopalium, episcopalium, abbatialium, conventualium, capitularium, et aliarum mensarum, prioratuum quoque, praeposiurarum, praepositatuum, praeceptoriarum, seu commendarum, canonicatuum et praebendarum, dignitatum etiam post pontificales maiorum in cathedralibus, et principalium in collegiatis ecclesiis, personatuum, administrationum et officiorum, ceterorumque beneficiorum ecclesiasticorum, etiam de iurepatronatus dicti Leopoldi regis aliorumque principum et laicorum, etiam ex fundatione et dotatione, existentium, cum curâ et sine curâ, secularium, ac S. Benedicti, S. Augustini, Cluniacensis, Cisterciensis, Praemonstratensis, aliorumque Ordinum quorumvis, etiam Mendicantium, utriusque sexus, necnon societatum, etiam Iesu, congregationum et institutorum regularium quorumlibet, praeterea hospitalium pauperum hospitalitatem non exercentium, seu bona et redditus ultra usus infirmorum et alia pro quibus instituta sunt pia officia

1 Edit. Main. legit *proprius* (R. T.).

1 Ed. Main. legit *necessarium* pro *necessariarum* (R. T.).

exercenda possidentium, necnon B. Mariae Theutonicorum, S. Lazari, Templi Dominici, aliarumque militiarum, ceterorumque locorum piorum quorumcumque in praefatis Hungariae et Bohemiae regnis ac archiducatu Austriae ceterisque provinciis, ditionibus, statibus et dominiis haereditariis dicti Leopoldi regis in imperatore electi consistentium, per quoscumque archiepiscopos, episcopos, praelatos, praepositos, rectores, beneficiatos, abbates, priores, abbatissas et priorissas, capitula, conventus, superiores, monachos, fratres, clericos et presbyteros regulares, etiam dictae Societatis Iesu, moniales, administratores, praeceptores, seu commendatarios, aliasque personas ad quas spectat, semel tantum et quantocitius fieri poterit persolvendum et persolvendam, auctoritate nostrâ apostolicâ imponatis et indicatis, ipsiusque subsidii et contributionis ratas portiones, singulas et singula ecclesias, monasteria, collegia, ceteraque pia loca et beneficia praefata, ac eorum capitula, conventus, praelatos, rectores, administratores et personas quascumque respective contingentes, assumptis tamen et adhibitis ad hoc aliquibus timoratae conscientiae viris earum rerum peritis quos assumendos et adhibendos esse censueritis, dictâ auctoritate taxetis, definiatis et determinetis, ac ipsas ratas portiones[1], sic taxatas et determinatas, per commissarios, exactores, collectores et executores, a vobis sicut infra dicetur constituendos et deputandos, a quibusvis archiepiscopis, episcopis, praelatis, abbatibus, prioribus, abbatissis, priorissis, praepositis, rectoribus, superioribus, capitulis, conventibus, beneficiatis et personis ecclesiasticis secularibus et regularibus utriusque sexus, etiam dictae Societatis Iesu, ac ecclesiarum, pastoribus praelatis suis destitutarum, oeconomis et administratoribus, aliisve quibuslibet, ad quos spectat et spectabit, cuiuscumque qualitatis, status, ordinis, praeeminentiae, conditionis et dignitatis, ac quocumque privilegio, immunitate, exemptione reali, personali et mixtâ, quantumlibet antiquâ et pacificâ, nec unquam interruptâ, et libertate suffulti, seu aliàs specifica et individua mentione et expressione digni existant, omni et quacumque appellatione, exceptione, reclamatione, recursu, executione et tergiversatione remotis et postpositis, eâdem auctoritate exigatis et exigi curetis, illosque et eorum quemlibet, tam coniunctim quam divisim, ad veram, realem et actualem solutionem portionum subsidii et contributionis huiusmodi eos respective tangentium sine ullâ morâ faciendam, opportunis iuris et facti remediis, et per censuras ecclesiasticas, dictâ auctoritate cogatis et compellatis.

Facultates collatae.

§ 3. Ut autem subsidium et contributio huiusmodi, sicut praemittitur, a vobis imponenda et indicenda, quantocitius persolvi valeant, vobis, seu maiori parti vestrum (quatenus tamen a praefatis contribuere debentibus non fuerit aliter pro suis portionibus prompte provisum), quaecumque bona tam mobilia, suppellectilia, utensilia et vasa aurea et argentea, gemmas et iocalia[1] quam se moventia, ac immobilia, etiam iurisdictionalia et feudalia, necnon canones, livellos, census, redditus annuos, fructus et proventus, actiones et iura, cuiuscumque qualitatis et naturae, ad ecclesias, monasteria, collegia, conventus, mensas, capitula, dignitates, officia et beneficia, praeceptorias seu commendas, hospitalia et alia loca pia supradicta respective

1 Male ed. Main. legit *ratas, portiones* (R. T.).

1 Ed. Main. legit *localia* pro *iocalia* (R. T.).

spectantia et pertinentia (pro ratâ tamen et quantitate seu portione subsidii et contributionis huiusmodi unumquemque seu unumquodque vel unamquamque illorum contingente dumtaxat, ac eâ lege, ut unum, seu unus, vel una, pro alio seu aliâ in solutione huiusmodi deficiente, minime gravari possit, pretiis reperibilibus, et quantum fieri poterit minori cum damno ecclesiarum ac beneficiorum et locorum piorum huiusmodi, etiam sine consensu interesse eâ in re habentium, ac illis licet invitis, dissentientibus et reclamantibus, nulloque facto processu in formâ *si in evidentem utilitatem*, nec servatâ ullâ aliâ formâ iuris et constitutionum ac privilegiorum apostolicorum, imperialium et regalium, aut quorumcumque statutorum seu stabilimentorum et ordinationum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratorum, necnon consuetudinum immemorabilium, stylorum et usuum quorumlibet, ac etiamsi ecclesiae, monasteria, beneficia et loca pia huiusmodi eius pastoribus praelatis et defensoribus careant) quibusvis personis meliorem conditionem offerentibus, tam ecclesiasticis quam laicis, catholicis tamen, vendendi et distrahendi, seu bona ipsa in emphyteusim etiam perpetuam aut ad censum vel livellum concedendi, seu ad longum etiam tempus locandi, illaque permutandi, et alio quocumque modo alienandi, aut super illis annuos perpetuos et redimibiles census et redditus imponendi, illosque pretiis pariter reperibilibus vendendi (servato tamen hoc ordine, ut primo quidem suppellectilia, mobilia et utensilia profana, si commode et utiliter fieri poterit; deinde vasa, candelabra, cruces, thuribula, aliaque utensilia aurea et argentea sacrâ unctione non delibuta, quae sunt ecclesiis, ac pro earum usibus et ornamentis destinata; post haec etiam sacrâ unctione huiusmodi delibuta, eorum tamen profanatione seu dissecratione prius rite factâ et comminutâ, reservatis tamen ex his praecise necessariis pro divino cultu; et si haec non sufficiant, redditus annuos, census, canones, livellos, ac bona immobilia, etiam feudalia et iurisdictionalia huiusmodi, incipiendo ab illis, quae cum minori ecclesiarum et locorum piorum aliorumque praedictorum damno et incommodo distrahi possunt, respective vendantur et distrahantur); necnon super omnibus et singulis praemissis quaecumque instrumenta, cum clausulis, pactis, conditionibus et obligationibus, submissionibus, decretis et cautelis in similibus apponi solitis et aliàs quovis modo necessariis et opportunis, celebrandi et conficiendi, ac celebrari et confici faciendi; contradictores, perturbatores, molestatores et rebelles quoscumque vobis in praemissis parere recusantes, eisque auxilium, consilium vel favorem, publice vel occulte, ac directe vel indirecte, quovis quaesito colore, praestantes, cuiuscumque dignitatis, gradus, ordinis et conditionis fuerint, censuris et poenis ecclesiasticis, ac etiam pecuniariis in causam belli praedicti applicandis, ceterisque iuris et facti remediis opportunis compellendi et compescendi, ipsasque censuras etiam iteratis vicibus aggravandi, ac[1] illos dignitatibus, beneficiis et officiis per eos obtentis privandi, et ab eis amovendi, ac ad alia in futurum obtinenda inhabiles faciendi; interdictum ecclesiasticum apponendi, auxiliumque brachii secularis quandocumque opus fuerit invocandi, ad sanitatem vero reversos, qui debite satisfecerint,

1 Male ed. Main. legit *ad* pro *ac* (R. T.).

ab omnibus censuris et poenis supradictis in formâ Ecclesiae consuetâ absolvendi, ac cum eis super irregularitate per eos eâ de causâ contractâ dispensandi, eosque rehabilitandi et ad pristinum statum restituendi; praeterea viros ecclesiasticos probos, ac fide et facultatibus idoneos, ad praemissa omnia et singula exequutioni mandandum (exceptis tamen indictione et impositione subsidii et contributionis, ac taxatione, determinatione et declaratione tam quantitatis ipsius subsidii et contributionis quam ratarum portionum a singulis praedictis respective praestandarum, ac bonorum stabilium in causam praedictam alienandorum electione et determinatione, quas a vobis solis, vel maiori parte vestrum, sicut praemittitur, fieri volumus) commissarios vestros, exactores, collectores et executores in singulis civitatibus et dioecesibus, provinciis et locis regnorum, archiducatus, ac Statuum et dominiorum praedictorum, quotquot videretis expedire, cum simili vel limitatâ potestate, constituendi et deputandi, illosque arbitrio vestro removendi et revocandi, ac alios eorum loco toties quoties opus fuerit deputandi ac subrogandi; in delinquentes vel contumaces, per vos, vel alium, seu alios, etiam simpliciter et de plano, ac sine strepitu et figurâ iudicii, inquirendi et procedendi, eosque debitis poenis et animadversionibus puniendi; modos et formas in praemissis servandos praescribendi, dubia quaecumque in praemissis forsan oritura declarandi, ac prorsus omnia et singula in praemissis, et circa ea quovis modo necessaria et opportuna, etiamsi talia forent quae mandatum exigerent magis speciale quam praesentibus sit expressum, faciendi, gerendi, decernendi, statuendi et exequendi, plenissimam et amplissimam ac omnimodam facultatem, licentiam et potestatem, auctoritate praedictâ, earumdem tenore praesentium, tribuimus et impertimur.

§ 4. Volumus autem, ut pecuniae quaecumque, ex subsidii et contributionis huiusmodi exactione, necnon ex venditionibus, distractionibus et alienationibus bonorum praedictorum sicut praemittitur faciendis, quomodolibet proventurae et redigendae, memorato Leopoldo regi in imperatorem electo, seu eius ministris, a vobis seu a commissariis vestris de speciali mandato vestro per vos subscripto tradantur et consignentur, ad hoc ut in praedictam causam belli contra Turcas, et non in aliam quamcumque, omnino convertantur, ipsarumque pecuniarum, quae sic traditae et consignatae fuerint, rationes seorsim habeantur, quo de earum erogatione in causam belli huiusmodi certius quocumque tempore constare possit; super quibus aliisque omnibus et singulis praemissis vestras vestrorumque commissariorum, exequutorum, exactorum et collectorum conscientias oneramus. Praeterea omnes et singulas venditiones, distractiones et alienationes, a vobis seu commissariis vestris praesentium vigore faciendas, necnon instrumenta desuper ut praefertur celebranda et conficienda, cum omnibus et singulis inde ceteroquin legitime sequuturis, ex nunc prout ex tunc et e contra, auctoritate et tenore praedictis confirmamus et approbamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos iuris et facti defectus, etiam consensus interesse ut praefertur habentium, ac solemnitatum quarumcumque etiam in similibus de necessitate observandarum, etiamsi tales sint ut nonnisi factâ de eis individuâ mentione sanari possint, si qui desuper intervenerint, aut intervenisse quandocumque praetendantur,

Conditiones praescriptae.

itidem, ex nunc prout ex tunc et e contra, supplemus et sanamus, ac penitus et omnino tollimus et abolemus.

Clausulas apponit.

§ 5. Decernentes venditiones, distractiones et alienationes bonorum huiusmodi, sicut praemittitur faciendas, validas et efficaces fore, ac emptoribus et aliis, ad quorum favorem fient, plenissime suffragari, nec illos ad probandum seu verificandum in quos usus pretium ipsorum bonorum conversum fuerit ullo modo teneri, neque ipsas venditiones, distractiones et alienationes a quoquam, sub quovis praetextu, etiam enormis et enormissimae laesionis, impugnari, aut adversus illas restitutionis in integrum, aliudve quodcumque iuris, facti vel gratiae remedium intentari vel impetrari posse, sed emptoribus et aliis praedictis bona huiusmodi tamquam profana, propria, paterna et aucta possidere et retinere, ac de illis eorumque fructibus iuxta formam contractuum cum eis initorum disponere, et illa ad quoscumque eorum successores transmittere licitum fore; impositionem vero et indictionem subsidii et contributionis, eiusque quantitatis determinationem, ac ratarum et[1] portionum illius taxationem, definitionem et declarationem, ac bonorum ut praemissum est alienandorum electionem et determinationem, ceteraque omnia et singula per vos seu commissarios vestros in praemissis iuxta earumdem tenorem praesentium facienda, gerenda, dicenda et mandanda, valida pariter et firma et efficacia fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab omnibus et singulis, ad quos spectat et spectabit, cuiuscumque status, gradus, ordinis, conditionis, dignitatis et praeeminentiae existant, observari et adimpleri debere, neque ipsas praesentes litteras, etiam ex eo quod in praemissis quomodolibet interesse habentes seu habere praetendentes illis non consenserint, nec ad ea vocati, citati et auditi, neque causae, propter quas eaedem praesentes emanaverint, adductae et iustificatae sufficienter fuerint, seu ex aliâ quacumque quantumvis iustâ, piâ et privilegiatâ causâ, colore, praetextu et capite, etiam in corpore iuris clauso, de subreptionis vel obretionis aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrae aut interesse habentium consensus[1] aliove quolibet etiam formali et substantiali defectu notari, infringi, retractari, in controversiam vocari, aut ad terminos iuris reduci, seu adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque iuris, facti vel gratiae remedium impetrari, aut impetrato, seu etiam motu proprio et de apostolicae potestatis plenitudine concesso, quempiam in iudicio vel extra illud uti seu se iuvare posse, sicque et non aliter in praemissis omnibus et singulis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos, et Apostolicae Sedis nuncios, aliosve quoslibet, quacumque auctoritate, praeeminentiâ et potestate fungentes, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contraria tollit.

§ 6. Non obstantibus omnibus et singulis praemissis, ac felicis recordationis Symmachi, Pauli II, ac Pauli IV, et aliorum quorumcumque Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum, de rebus Ecclesiae non alienandis, sive

1 Coniunct. *et* delenda (R. T.).

1 Male edit. Main. legit *consensu* pro *consensus* (R. T.).

ultra triennium non locandis, necnon recolendae memoriae Bonifacii Papae VIII, praedecessoris pariter nostri, de unâ, et concilii generalis de duabus dietis, aliisque apostolicis, ac in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, ac quorumvis testatorum et fundatorum etiam ultimis voluntatibus et dispositionibus, quas quoad praemissa sufficienter et expresse commutamus, necnon ecclesiarum, monasteriorum, conventuum, collegiorum et locorum piorum, ac Ordinum, congregationum, societatum, etiam Iesu, militiarum et aliorum praedictorum, et quibusvis aliis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, stabilimentis et usibus etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, eisdem ecclesiis, monasteriis, collegiis et locis piis, ac Ordinibus, congregationibus, societatibus, etiam Iesu, militiis et aliis praedictis, illorumque praesulibus, capitulis, abbatibus, ac aliis superioribus et personis quibuslibet, etiam in limine fundationis et erectionis, sub quibuscumque verborum tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis, ac irritantibus et aliis decretis, in genere vel in specie, in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque tōtis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium et singulorum tenores praesentibus, ac si de verbo ad verbum insererentur et exprimerentur, pro expressis et insertis habentes[1], illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum specialiter et expresse, ac plenissime et amplissime derogamus, ac derogatum esse volumus; ceterisque contrariis quibuscumque;

§ 7. Aut si praefatis et aliis quibuslibet communiter vel divisim ab eâdem sit Sede indultum quod interdici, suspendi et excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Fides danda transumptis.

§ 8. Volentes pariter ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo alicuius vestrum seu alterius cuiuscumque personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra ubique locorum habeatur, quae ipsis praesentibus haberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Satisfactio in futurum.

§ 9. Ceterum vobis serio iniungimus, memoratum Leopoldum regem in imperatorem electum nomine nostro hortemini, requiratis et moneatis, ut, pro eius pietate et religione, ac conscientiae suae tranquillitate, more maiorum suorum, qui Ecclesiam sartam tectam, Christique patrimonium usquequaque auctum et illibatum sancte et fideliter conservarunt, ecclesiasticae immunitati consulendo, has ecclesiarum iacturas, assignatis ipsis ecclesiis aequivalentibus retributionibus, vel aliàs, condignâ satisfactione ac imperiali liberalitate, quantocitius Deo adiuvante poterit, reparare non praetermittat.

Datum Romae, apud S. Mariam Ma-

1 Haec verba *pro expressis et insertis habentes* nos addimus (R. T.).

iorem, sub annulo Piscatoris, die XXIII februarii MDCLXIV, pontificatus nostri anno IX.

Dat. die 23 februarii 1664 pontif. anno IX.

CDLXIII.

Commissio cardinali Carafa ut compellat ecclesiasticos Statuum haereditariorum electi imperatoris ad tradenda aurea et argentea utensilia, exceptis calicibus et patenis et aliis sacrâ unctione delibutis, eidem imperatori seu eius ministris in subsidium belli contra Turcas.

Dilecto filio nostro Carolo S. R. E. presbytero cardinali Carafae nuncupato, Alexander Papa VII.

Dilecte fili noster, salutem et apostolicam benedictionem.

Prooemium. § 1. Cum, sicut non sine gravissimo animi nostri dolore accepimus, immanissimus christiani nominis hostis Turcarum tyrannus anno superiore, qua vi, qua fraude, in intima, quin etiam extrema regni Hungariae, cuius carissimus in Christo filius noster Leopoldus Romanorum rex illustris in imperatorem electus etiam rex existit, armorum suorum viribus eousque penetraverit, ut non solum cuncta in sua iura legesque coëgerit, sed etiam aliis provinciis, partim conterminis, partim dissitis, vastitatem posthac comminetur; et, quamvis dictus Leopoldus rex nihil omnino intermiserit, quo tam formidabili Turcarum potentiae ceu torrenti e supernis per declivia ruenti repagulum aliquod opponeret, re tamen accurate perpensâ, id omnino explorato constet, nec vires aerarii eiusdem Leopoldi regis, nec facultates laicorum eius ditionum haereditariarum tantae belli moli usquequaque pares fore; ex redditibus vero personarum ecclesiasticarum praefati Hungariae ac Bohemiae regnorum, necnon archiducatus Austriae, ceterorumque Statuum, provinciarum, ditionum et dominiorum haereditariorum ipsius Leopoldi regis praesentaneum vigentissimisque necessitatibus huiusmodi congruens subsidium haberi nequeat: nos, considerantes eâ in re non minus Dei (cuius templa et sacra violantur et cultus cessat) ac ministrorum eius, quam praedicti Leopoldi regis saevissimo iniustissimoque bello a communi reipublicae christianae hoste petiti causam agi, quacumque aliâ promptiori ratione in tam urgenti et evidenti necessitate eidem Leopoldo regi pro recuperatione dicti regni Hungariae Turcarumque inde expulsione ac communis causae tuitione subveniendum censemus. Habitâ itaque super his cum venerabilibus fratribus nostris S. R. E. cardinalibus deliberatione maturâ, de eorum consilio, ac motu proprio, ac ex certâ scientiâ nostrâ, deque apostolicae potestatis plenitudine, circumspectioni tuae per praesentes committimus et mandamus, ut omnes et singulos archiepiscopos, episcopos, capitula, canonicos, et ecclesiarum ac locorum piorum quorumlibet rectores et administratores, ceterasque personas ecclesiasticas Hungariae et Bohemiae regnorum, ac archiducatus Austriae, ceterorumque Statuum, ditionum, provinciarum et dominiorum haereditariorum praedictorum, tam seculares quam cuiusvis Ordinis, congregationis et instituti, ac etiam Societatis Iesu, et militiarum, etiam hospitalis S. Ioannis Hierosolymitani, regulares utriusque sexus, etiam non petitâ aut obtentâ cuiusvis superioris mediati vel immediati regularium huiusmodi licentiâ, ac postpositis aliis quibuscumque excusationibus et tergiversationibus, ad tradendum et consignandum dilecto filio nostro Ernesto Adalberto tituli S. Praxedis S. R. E.

Confirmat ut in rubricâ.

presbytero cardinali ab Harrach nuncupato, ecclesiae Pragensis ex concessione et dispensatione apostolicâ praesuli, nec non venerabili fratri Salisburgensi et Strigoniensi archiepiscopis, ac episcopo Viennensi, aut duobus saltem ex illis, seu, si illi insimul non reperiantur, aliis regnorum ac archiducatus, Statuum, ditionum, provinciarum et dominiorum praedictorum episcopis, vel duobus ex illis per te arbitrio tuo, toties quoties opus fuerit, eligendis[1], quaecumque et qualiacumque aurea et argentea ecclesiarum et locorum piorum huiusmodi vasa, candelabra, cruces, thuribula et alia utensilia, sive intra fines regnorum et archiducatus, Statuum, provinciarum, ditionum et dominiorum praedictorum, sive extra illos asportata, ubicumque gentium et locorum existant (calicibus et patenis et aliis sacrâ unctione delibutis dumtaxat exceptis), ut illa conflari, et in nummos, praedicto Leopoldo regi seu eius ministris consignandos et in supradictam causam dumtaxat expendendos, cudi possint, cauto tamen arbitrio tuo de restituendis, quamprimum facultas suppetet, ecclesiis et locis piis huiusmodi aliis utensilibus aureis et argenteis eiusdem ponderis, valoris et qualitatis, apostolicâ auctoritate nostrâ, opportunis iuris et facti remediis, etiam per censuras ecclesiasticas, omni et quacumque appellatione, recursu, reclamatione et exceptione remotis, cogas et compellas; super quibus tibi quamcumque necessariam et opportunam facultatem tribuimus et impertimur; volentes pecuniarum ex praemissis redigendarum rationes seorsim haberi, illasque in causam belli praedicti contra Turcas, et non in alios quosvis usus, cum tuâ[2], vel aliorum, a te seu pro tempore existente nostro[1] et Apostolicae Sedis apud memoratum Leopoldum regem nuncio ad id specialiter deputandorum, subscriptione, integre et fideliter converti et erogari.

1 Male edit. Main. habet *eligendi* (R. T.).

2 Male edit. Main. habet *tuo* pro *tuâ* (R. T.).

§ 2. Non obstantibus apostolicis, ac in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, necnon quarumcumque ecclesiarum et locorum piorum, ac Ordinum, congregationum, Societatis, militiarum et hospitalis praedictorum, et quibusvis aliis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, eisdem ecclesiis et locis piis, ac Ordinibus, congregationibus, Societati, militiis et hospitali praedictis, illorumque praesulibus, capitulis, abbatibus et aliis superioribus, ac personis quibuslibet, etiam in limine fundationis et erectionis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis, ac irritantibus, et aliis decretis, in genere vel in specie, in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio facienda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium et singulorum tenores praesentibus, ac si de verbo ad verbum, ac formâ in illis traditâ servatâ, exprimerentur et insererentur, praesen- Contraria tollit.

1 Male ed. Main. legit *nostra* pro *nostro* (R. T).

tibus pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque;

§ 3. Aut si praefatis aut quibusvis aliis communiter vel divisim sit a Sede Apostolicâ indultum quod excommunicari, suspendi et interdici non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXIII februarii MDCLXIV, pontificatus nostri anno IX.

Dat. die 23 februarii 1664, pontif. anno IX.

CDLXIV.

Diversae ordinationes circa cappellanos ecclesiarum S. Apollinaris et S. Stephani in Monte Caelio, ac examen et aetatem alumnorum, necnon redditionem rationum administrationis bonorum collegii Germanici et Ungarici de Urbe.

Alexander Papa VII,
ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium. Pastoralis officii, quod auctore Deo gerimus, sollicitudo nos admonet, ut, paternam collegiorum ad sedulam iuventutis in bonis moribus sanâque doctrinâ institutionem, fideique catholicae conservationem et propagationem, pie sapienterque institutorum curam gerentes, illorum commodis et utilitatibus ac felicibus progressibus, quantum cum Domino possumus, consulere iugiter satagamus.

Motiva. § 1. Cum itaque, sicut accepimus, dudum felicis recordationis Gregorius Papa XIII praedecessor noster, per quasdam suas super fundatione et erectione, ac constitutionibus, gubernio et directione collegii Germanici et Hungarici de Urbe respective emanatas litteras, inter alia constituerit ut quatuor ministrantes obeundo ecclesiae Ss. Sabbae et Andreae eidem collegio unitae servitio destinarentur; hi vero ministrantes, nec in choro psallere, nec, praeter unum ex ipsis, missam inibi celebrare consueverint; unde nec etiam ibi habitare curent, et de mente eiusdem Gregorii praedecessoris circa eorum servitium non satis liqueat; ipseque Gregorius praedecessor sacerdotes ad ecclesiae S. Stephani in Monte Caelio de Urbe praefatâ dicto collegio pariter annexae[1] servitium deputari voluerit, nec eorum numerum praefinierit; ac ab eodem Gregorio praedecessore, circa examen alumnorum antequam in dictum collegium recipiantur hîc Romae instituendum, dispositum reperiatur expresse ut examinatores in Urbe alumnos iuramento approbent vel reprobent, reservatâ tamen superioribus facultate iuramentum eiusmodi remittendi si minime necessarium visum fuerit; id autem singularitatem aliquam continere, seu illi causam praebere videatur; circa aetatem vero alumnorum praefatorum in eisdem litteris cautum reperiatur ut illi viginti circiter annos nati esse debeant; ac demum idem Gregorius praedecessor disposuerit ut pro tempore existentes protectores dicti collegii rationes administrationis bonorum ipsius collegii quandocumque eis libuerit sibi reddi curare possint; si tamen administratores bonorum collegii huiusmodi Societatis Iesu religiosi fuerint, illi nemini praeterquam praeposito generali eiusdem Societatis rationem reddere teneantur: nos, dubia super praemissis seu eorum ratione Ordinationes.

1 Ed. Main. habet *ecclesiam ... annexa* (R.T.).

exorta tollere, dictique collegii utilitati quantum nobis ex alto conceditur, prospicere cupientes, ac praedictarum Gregorii praedecessoris litterarum tenores et datas etiam veriores, aliaque etiam specificam et individuam mentionem et expressionem requirentia praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium eiusdem collegii protectorum a Sede Apostolicâ deputatorum, qui collegium huiusmodi nuper visitarunt, consilio, motu proprio, ac ex certâ scientiâ et maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, ut, ex supradictis quatuor ministrantibus dictae ecclesiae Ss. Sabbae et Andreae servitio destinatis, tres, qui prorsus inutiles sunt, dimittantur, et unus tantum sacerdos mercede nonnihil auctâ eiusdem ecclesiae servitio deputetur; utque unus quoque dumtaxat in posterum memoratae ecclesiae S. Stephani in Monte Caelio cappellanus detur, tenore praesentium statuimus et ordinamus. Praeterea volumus omnino servari quod in praedictis Gregorii praedecessoris litteris disponitur de secundo examine praedictorum alumnorum hîc Romae instituendo antequam recipiantur; utque cautius procedatur in primo examine, quod in Germania aut Hungaria habeatur[1], de hoc ipso edoceri inibi tum examinatores tum ipsos alumnos antequam eorum examen ibi instituatur, eâque de causâ transmitti huic[2] in Germaniam formularium examinis inibi faciendi; ac ad tollendam singularitatem, aliisque de causis, facultatem remittendi iuramentum, per examinatores in Urbe super approbatione vel reprobatione alumnorum praestandum, si minime necessarium visum fuerit, superioribus reservatam ut praefertur, eisdem superioribus adimus[1], itaut indifferenter singuli examinatores iuramentum huiusmodi praestare teneantur. Constituta vero ab eodem Gregorio praedecessore circa alumnorum aetatem pariter omnino servari volentes, ne libera relinquatur facultas interpretandi pro libito ea verba quibus cavetur ut iidem alumni viginti circiter annos nati esse debeant, illa de decimonono anno saltem inchoato intelligenda esse declaramus. Postremo singulis annis mense ianuario, et infra annum quoties memoratis modernis et pro tempore existentibus dicti collegii protectoribus libuerit, rationem administrationis bonorum eiusdem collegii ipsis protectoribus, et dilecto filio praeposito generali vel vicario generali dictae Societatis Iesu si administratores bonorum huiusmodi eiusdem Societatis religiosi fuerint, reddi debere, statuimus pariter et ordinamus.

§ 2. Decernentes easdem praesentes litteras et in eis contenta quaecumque, etiam ex eo quod quilibet, etiam speciali et individuâ mentione digni, in praemissis interesse habentes seu habere quomodolibet praetendentes, illis non consenserint, nec ad ea vocati, citati et auditi, neque causae, propter quas praesentes emanarunt, adductae, verificatae et iustificatae fuerint, seu ex aliâ quacumque quantumvis piâ et privilegiatâ causâ, colore, praetextu et capite, etiam in corpore iuris clauso, etiam enormis et enormissimae et totalis laesionis, nullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrae aut interesse habentium consensus aliove quolibet etiam formali et substantiali defectu notari, Decretum irritans.

1 Potius lege *habeatur* (R. T.).

2 Videtur *hinc* pro *huic* legendum (R. T.).

1 Legendum vel *demimus* vel simile (R. T.).

impugnari, infringi, retractari, in controversiam revocari, aut ad terminos iuris reduci, seu adversus illa aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque iuris, facti vel gratiae remedium impetrari, aut impetrato, seu etiam motu, scientiâ et potestatis plenitudine paribus concesso, quempiam in iudicio vel extra illud uti seu se iuvare posse; sed ipsas praesentes litteras et in eis contenta huiusmodi semper firma, valida et efficacia existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, inviolabiliter et inconcusse observari, sicque, et non aliter, in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, eiusdemque S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos, et dicti collegii protectores, ac alios quoslibet, quacumque auctoritate et potestate fungentes et functuros, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariis derogat.

§ 3. Non obstantibus praefatis Gregorii praedecessoris litteris, aliisque praemissis, necnon, quatenus opus sit, nostrâ et cancellariae apostolicae regulâ de non tollendo iure quaesito, aliisque constitutionibus et ordinationibus, ac dictorum collegii et Societatis, aliisve quibuslibet, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis etiam eisdem collegio et Societati, illorumque superioribus et personis quibuslibet, sub quibuscumque verborum tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis, in genere vel in specie, etiam motu pari, ac etiam consistorialiter, aut aliâs quomodolibet, etiam iteratis vicibus, in contrarium praemissorum concessis, confirmatis, et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, ac forma in illis traditâ observatâ, exprimerentur et insererentur, praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides.

§ 4. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique locorum et gentium tam in iudicio quam extra illud adhibeatur, quae ipsismet praesentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die IV martii MDCLXIV, pontificatus nostri anno IX.

Dat. die 4 martii 1664, pontif. an. IX.

CDLXV.

Super observatione Indicis librorum prohibitorum noviter impressi [1].

Alexander Papa VII,
ad perpetuam rei memoriam.

Procemium. Speculatores domus Israel, quae est sancta Dei Ecclesia, inscrutabili divinae providentiae arcano constituti, pastoralem vigilantiam nostram avertendis imminentibus gregi dominico periculis peculiari studio iugiter adhibemus, ne oves, pretioso Salvatoris et domini nostri Iesu Christi sanguine redemptae, seducantur a viâ veritatis, sed illam insistentes sub salutaris doctrinae directione ad aeternae beatitudinis metam felici cursu gradiantur.

Motiva. § 1. Cum itaque ad eiusdem Ecclesiae gubernationem praecipuum sit in ordinandis moribus et castigandâ doctrinâ momentum, quod ab altero purum fidei lumen existat, ab altero operum rectitudo; Sedes Apostolica, praeclare intelligens homines legendo tam quae credenda quam quae facienda sunt optime discere, magnam in primis in librorum delectu constituendo adhibet semperque adhibuit diligentiam, quo mali a bonis, noxii ab innoxiis discernerentur, nominatim signatis auctoribus et scriptis a quibus christifideles abstinere deberent.

§ 2. Quam in rem venerabiles fratres nostri sanctae Romanae Ecclesiae cardinales, Indici librorum prohibitorum et expurgandorum praepositi, non solum suâ sponte, et pro muneris sibi iniuncti ratione, sed etiam speciali mandato nostro attentius incumbentes, cum animadverterint, post Indicem librorum prohibitorum a felicis recordationis Clemente Papa VIII praedecessore nostro editum iuxta formam alterius Indicis qui sacrosancti Concilii Tridentini auctoritate prodierat, quamvis multi libri tam a successoribus praedicti Clementis Romanis Pontificibus, quam ab eorumdem cardinalium congregatione prohibiti, illorumque auctores damnati fuerint, nullum tamen catalogum ordinatim atque distincte libros prohibitos et auctores damnatos huiusmodi complectentem publicâ auctoritate fuisse confectum, magnamque proinde in hac materiâ oriri perplexitatem, quae in dies maior futura est nisi opportune provideatur:

Dat modum faciendi novum indicem. § 3. Idcirco nos, difficultati inveniendae hac in re veritatis occurrere cupientes, post maturam et diligentem deliberationem, cui nonnulli ex praefatis cardinalibus ad res accuratius dispiciendas praepositi fuerunt, decrevimus in primis deveniendum esse ad novi Indicis confectionem, quo non solum libri post novissimum Clementis praedecessoris Indicem prohibiti aut aliàs confixi, verum etiam in superioribus, quos diximus, catalogis descripti continerentur. Deinde, quoad ordinem in disponendis auctorum et materiarum nominibus, solam litterarum alphabeti seriem esse deinceps observandam; omissâ nunc trinâ illâ in classes distributione, quae licet ab initio laudabiliter esset instituta, usu nihilominus deinde cognitum est commodiorem adhuc iniri posse in hoc genere rationem, et quae nullas appendicum adiectiones, multiplices alioquin et implicitas tractu temporis extituras, desideratura sit, remque expediat sine ullâ legentium in quaerendis auctoribus molestiâ, praesertim bibliopolarum, qui-

1 Dubia Indicis librorum prohibitorum decidit congregatio erecta a Sixto V in const. CXVII, tom. VIII, pag. 985, congreg. VII; Indicis librorum prohibitorum, regulas inviolabiliter observari praecepit Clemens VIII, constitutione CXVIII (*al.* 112), tom. X, pag. 231.

bus, ut facilis et explicata sit huius Indicis tractactio, publice in primis interest, ne ipsi errantes multorum errori causam praebeant.

§ 4. Accedit, quod illa classium distinctio plurimos non modo vulgares sed etiam eruditos saepe decipiebat, dum ex earum ordine confixionis gravitatem aestimandam putabant, quasi severius actum semper videatur cum legentibus anteriorum quam posteriorum classium libros, quod tamen secus esse ex ipsâ classium institutione a Concilio Tridentino factâ colligi facile potest, ubi, cum solum antecedat distinctio inter libros auctorum vitio, ac demerito, vel perniciosae doctrinae errorumque in eis contentorum ratione damnatos, ac inter praeferentes aut dissimulantes auctorem contingit ut plerique libri ignoti scriptoris, qui tertiae classi assignantur, peiores multo sint, quam in primâ aut secundâ recensiti; cui falsae persuasioni, ne[1] perniciosae in hac materiâ licentiae causam praebeat, medendum omnino existimavimus.

Confirmatio Indicis. § 5. Quamvis autem ulteriorem classium distinctionem omitti iusserimus, hactenus tamen observatam retinendam censuimus, ut citarentur in cuiusque libri confixione, ubi opus est, huiusmodi classes et appendices, unâ cum decretis quibus primum libri confixi fuerunt, quo rei ab initio gestae series innotescat.

§ 6. Quam etiam ob causam Indices Tridentinum et Clementinum, unâ cum suis appendicibus, Indici huic generali adiiciendos curavimus, simulque omnia decreta ad haec usque tempora in hac materiâ post praedicti Clementis praedecessoris Indicem emanata, ne quid omnino, quod curiosae fidelium diligentiae prodesse posset omissum videretur. Quae omnia, cum iuxta mentem nostram diligenter et accurate fuerint exequutioni mandata, composito Indice generali huiusmodi, cui etiam regulae Indicis Tridentini, cum observationibus et instructione memorato Indici Clementino adiectis appositae fuerunt: nos, de praedictorum cardinalium consilio eumdem Indicem generalem, sicut praemittitur, iussu nostro compositum atque revisum, et typis camerae nostrae apostolicae iam impressum, et quem praesentibus nostris pro inserto haberi volumus, cum omnibus et singulis in eo contentis, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, ac ab omnibus tam universalibus quam singularibus personis, ubicumque locorum existentibus, inviolabiliter et inconcusse observari mandamus et praecipimus, sub poenis in constitutione recolendae memoriae Pii Papae IV etiam praedecessoris nostri super dicti Indicis Tridentini confirmatione editâ contentis, ad quas, varietatis veterum decretorum in proponendis transgredientium poenis tollendae gratiâ, omnes et singulas poenas per constitutiones apostolicas et decreta anteriora huiusmodi quomodolibet inflictas harum serie reducimus, firmis tamen manentibus his, quae de auctoribus et libris damnatis in litteris apostolicis die Coenae Domini publicari solitis sancita sunt, circa quos nihil omnino mutare ac ne contingere quidem intendimus.

Mandatum de observando. § 7. Mandantes propterea omnibus et singulis venerabilibus fratribus patriarchis, archiepiscopis, episcopis et aliis locorum Ordinariis, necnon dilectis filiis eorum vicariis et officialibus, ac haereticae pravitatis inquisitoribus, et regularium cuiuscumque Ordinis, congregationis, societatis, vel instituti superioribus, omnibusque aliis, ad quos spectat et in

1 Pessime edit. Main. legit *ac* pro *ne* (R. T.).

futurum quomodolibet spectabit, ut hunc generalem indicem vulgandum et observandum pro viribus curent, memores ad officii sibi commissi munus pertinere ut oves dominici gregis tam a pabulis perniciosis arceantur, quam salutaribus impleantur: a quo si (quod absit) per malitiam aut negligentiam cessent, omnium malorum, quae inde gravissima et maxima oriri necesse est, districtam sibi apud severum iudicem reddent rationem.

Contraria tollit. § 8. Non obstantibus apostolicis, ac in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, necnon quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis clausulis et decretis, in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, approbatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes, ac formam in illis traditam pro servatâ habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis danda fides. § 9. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique locorum et gentium adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die v martii MDCLXIV, pontificatus nostri anno IX.

Dat. die 5 martii 1664, pontif. anno IX.

CDLXVI.

Iubilaeum universale ad divinam opem implorandam contra Turcas[1].

Alexander Papa VII

Universis christifidelibus, praesentes litteras inspecturis, salutem et apostolicam benedictionem.

Exordium. Quod iam pluries indictis publice per universum christianum orbem precibus a Patre misericordiarum flagrantissimo cordis affectu flagitavimus ut rempublicam christianam ab imminentibus periculis suâ virtute tueri dignaretur, idem nunc maxime, quando nefarius Turcarum tyrannus regnum Hungariae, firmum olim christianarum rerum praesidium, tot cladibus affecit, nec solum illud in suam potestatem omnino redigere, sed etiam inde in alias christianas ditiones irrumpere, easque, qua est insatiabili dominandi libidine, armis occupare, et Mahumetanae perfidiae abominatione Ecclesiam Dei vivi polluere maximis viribus formidabilique apparatu molitur, denuo faciendum esse arbitramur.

Hortatio. § 1. Nam, licet quicquid nobis est virium et consilii in causae communis tuitionem prompto et alacri animo conferre non cessemus, vanos tamen sci-

[1] Ex Regest. in Secret. Brev.

mus esse hominum conatus nisi divinae gratiae ope adiuventur. Accedamus itaque ad sacram misericordiam[1] Domini aram, eique cordium contritorum holocausta offerentes, ac iniquitates nostras eleemosynis redimentes, expurgato per ieiunia veteri illarum fermento, eius iram, quam peccatis nostris irritavimus, placare studeamus. Quod quidem si in humilitatis spiritu, ferventique charitate fecerimus, firmam in divinâ bonitate fiduciam habemus fore ut exurgat Deus, et dissipentur inimici eius, et fugiant qui oderunt eum a facie eius. Hoc autem ut flagrantiori spiritus ardore uberiorique fructu fiat, priscum Romanae Ecclesiae, omnium matris et magistrae, morem sequentes, eiusdem Ecclesiae thesauros, quorum dispensatores a Domino constituti sumus, in praesentibus necessitatibus proferre, et largissimâ manu erogare decrevimus. Igitur, ex parte omnipotentis Dei Patris et Filii et Spiritus Sancti, omnes et singulos utriusque sexus christifideles, tam in almâ Urbe nostrâ, quam extra eam, ubicumque locorum constitutos, apostolicâ auctoritate paterne requirimus, monemus et adhortamur ad infrascripta devote peragendum et adimplendum, ac ad Deum Salvatorem nostrum toto corde orandum, ut[2] per viscera misericordiae suae religionem christianam fidemque catholicam protegere et defendere, immanissimorumque illius hostium Turcarum vires et conatus proterere et reprimere, principum christianorum pacem et concordiam conservare, eorumque cordibus sanctum lumen suum infundere, ac illorum consilia et vires ad christiani nominis tutelam et exaltationem unire, augere, dirigere et roborare, atque omnium nostrum piis laboribus et conatibus opem ferre dignetur. Nos enim, de omnipotentis Dei misericordiâ ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, ex illâ ligandi atque solvendi potestate quam nobis Dominus licet indignis contulit; universis et singulis utriusque sexus christifidelibus in almâ Urbe degentibus, qui S. Ioannis in Laterano, Principis Apostolorum et S. Mariae Maioris eiusdem Urbis ecclesias seu basilicas, vel ecclesiarum huiusmodi alteram, spatio duarum proximarum hebdomadarum semel saltem visitaverint, ibique per aliquod temporis spatium devote, ut supra, Deum oraverint, ac quartâ et sextâ feriâ ac sabbato alterius ex praedictis hebdomadis ieiunaverint, et, peccata sua confessi, sanctissimum Eucharistiae sacramentum in dominicâ die immediate sequenti, vel aliâ die infra eamdem hebdomadam, reverenter sumpserint et pauperibus aliquam eleemosynam, prout unicuique suggeret devotio vel possibilitas, erogaverint; ceteris vero, extra Urbem ubicumque degentibus, qui ecclesias ab Ordinariis locorum vel eorum vicariis seu officialibus, aut de eorum mandato, et, ipsis deficientibus, per eos, qui ibi curam animarum exercent, postquam ad eorum notitiam hae nostrae pervenerint, designandas, vel ecclesiarum huiusmodi alteram, spatio duarum similiter hebdomadarum a publicatione designationis per Ordinarios, vel eorum vicarios seu officiales, vel alios, ut praefertur, faciendae decurrendorum, saltem semel visitaverint, ibique, ut supra, oraverint, ac quartâ et sextâ feriâ ac sabbato alterius ex hebdomadis huiusmodi ieiunaverint, pariterque peccata sua confessi, ac in die dominicâ immediate sequenti, vel aliâ die infra eamdem hebdomadam, sanctissimâ communione refecti fuerint, et pauperibus aliquam

1 Videtur legendum *misericordiae* (R. T.).
2 Male ed. Main. legit *et* pro *ut* (R. T.).

eleemosynam, ut praemittitur, erogaverint, plenissimam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem, sicut in anno iubilaei visitantibus certas ecclesias intra et extra Urbem nostri praedecessores concedere consueverunt, tenore praesentium concedimus et elargimur; navigantes vero et iter agentes, ut, cum primum ad sua sese domicilia receperint, suprascriptis peractis, et visitatâ ecclesiâ cathedrali vel maiore aut parochiali loci eorum domicilii, eamdem indulgentiam consequi possint et valeant; regularibus autem personis utriusque sexus, etiam in claustris perpetuo degentibus, necnon aliis quibuscumque, tam laicis quam ecclesiasticis, secularibus vel regularibus, etiam in carcere aut captivitate existentibus, vel aliquâ corporis infirmitate seu alio quocumque impedimento detentis, qui supra expressa vel eorum aliqua praestare nequiverint, ut illa confessarius ex iam approbatis a locorum Ordinariis ante praesentium publicationem, seu approbandis, eis in alia pietatis opera commutare, vel in aliud proximum tempus prorogare possit, eaque iniungere quae ipsi penitentes efficere poterunt, pariter concedimus et indulgemus.

Facultas eligendi confessarium.

§ 2. Insuper omnibus et singulis christifidelibus utriusque sexus tam laicis quam ecclesiasticis, secularibus et regularibus cuiusvis Ordinis, congregationis et instituti, tam in Urbe quam extra eam, ubique locorum, ut praefertur, degentibus, licentiam concedimus et facultatem ut sibi ad hunc effectum eligere possint quemcumque presbyterum confessarium tam secularem quam cuiusvis Ordinis et instituti regularem, ex approbatis, ut praemittitur, a locorum Ordinariis, qui eos ab omnibus excommunicationis, suspensionis et aliis ecclesiasticis sententiis et censuris, a iure vel ab homine, quavis causâ latis seu inflictis, necnon ab omnibus peccatis, excessibus, criminibus et delictis quantumvis gravibus et enormibus, etiam locorum Ordinariis, sive nobis et Sedi Apostolicae, etiam in litteris die Coenae Domini legi solitis contentis, et aliàs per quascumque nostras aut Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum constitutiones, quarum tenores praesentibus haberi volumus pro expressis, quomodocumque reservatis, in foro conscientiae et hac vice tantum absolvere et liberare valeant, et insuper vota quaecumque (religionis et castitatis exceptis) in alia pia et salutaria opera commutare, iniunctâ tamen eis et eorum cuilibet in supradictis omnibus casibus poenitentiâ salutari, aliisque eiusdem confessarii arbitrio iniungendis. Quapropter, tenore praesentium, in virtute sanctae obedientiae, districte praecipimus atque mandamus omnibus et quibuscumque venerabilibus fratribus patriarchis, archiepiscopis, episcopis et aliis ecclesiarum praelatis, ac quibuscumque Ordinariis locorum ubicumque existentibus, eorumque vicariis et officialibus, vel, aliis[1] deficientibus, illis, qui curam animarum exercent, ut, cum praesentium litterarum transumpta aut exempla etiam impressa acceperint, illa statim, absque ullâ morâ, retardatione vel impedimento, per suas ecclesias et dioeceses, provincias, civitates, oppida, terras et loca publicent et publicari faciant, ecclesiamque seu ecclesias visitandas designent, ne aliàs ulterius praesentium litterarum executio protrahatur. Non intendimus autem per praesentes super aliquâ irregularitate publicâ vel occultâ, notâ, defectu, incapacitate, seu inhabilitate quoquo modo contractâ dispensare, vel aliquam facultatem tri-

1 Potius lege *iis* pro *aliis* (R. T.).

buere dispensandi, seu habilitandi et in pristinum statum restituendi, etiam foro conscientiae, neque etiam easdem praesentes iis, qui a nobis et Apostolicâ Sede vel ab aliquo praelato seu iudice ecclesiastico excommunicati, suspensi, interdicti, seu aliàs in sententias et censuras incidisse declarati, vel publice denunciati fuerint, nisi infra tempus dictarum[2] duarum hebdomadarum satisfecerint, aut cum partibus concordaverint, ullo modo suffragari posse aut debere.

Contrariorum derogatio.

§ 3. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, praesertim quibus facultas absolvendi in certis tunc expressis casibus ita Romano Pontifici pro tempore existenti servatur ut nec etiam similes vel dissimiles indulgentiarum et facultatum huiusmodi concessiones, nisi de illis expressa mentio aut specialis derogatio fiat, cuiquam suffragari queant, necnon regulâ nostrâ de non concedendis indulgentiis ad instar, ac quorumcumque Ordinum et congregationum sive institutorum regularium, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, eisdem Ordinibus, congregationibus et institutis, illorumque personis, quomodolibet concessis, approbatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica et individua, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores praesentibus pro sufficienter expressis ac formam in eis traditam pro servatâ habentes, hac vice, specialiter, nominatim et expresse, ad effectum praesentium, derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

1 Edit. Main. legit *dictaram* pro *dictarum* (R. T.).

Transumptorum fides.

§ 4. Ut autem praesentes nostrae, quae ad singula loca deferri non possunt, ad omnium notitiam facilius deveniant, volumus earumdem praesentium transumptis, vel exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, ubique locorum et gentium eadem prorsus fides habeatur, quae haberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die VII martii MDCLXIV, pontificatus nostri anno IX.

Dat. die 7 martii 1664, pontif. anno IX.

CDLXVII.

Renovatio indulti nominandi ad canonicatus et praebendae pro rectore, decanis et provisoribus universitatis Coloniensis[1].

Dilectis filiis nobilibus viris consulibus et senatui civitatis et reipublicae Coloniensis,

Alexander Papa VII.

Dilecti filii nobiles viri, salutem et apostolicam benedictionem.

Motiva.

§ 1. Aliàs (piae memoriae Paulo PapaeV praedecessori nostro pro parte vestrâ exposito, quod pridem felicis recordationis Clemens Papa VIII similiter praedecessor noster, cum accepisset quod antea recolendae memoriae Paulus Papa IV etiam praedecessor noster, certis tunc expressis causis adductus, rectori et decanis quatuor facultatum, videlicet theologicae, iuridicae, medicae et artium, quae consistit[2] in tribus gymnasiis Mon-

1 Ex Regest. in Secret. Brev.
2 Ni aliquis error irrepsit (R. T.).

tano, Laurentiano et Trium Coronarum universitatis studii generalis Coloniensis, consilioque illius facultatis ex qua persona nominanda esset, apostolicâ auctoritate indulserat, ut, cum provisoribus eiusdem universitatis, personas assumere possent in eâdem universitate promotas, ac in publicis scholis legentes et lecturas, quas ipsi rector et decani ac provisores, praestito iuramento, unanimi consilio illius facultatis in qua legerent vel legere deberent, ad id more solito congregati[1], idoneas et catholicas esse, ac ad laudem et fructum studiosorum profiteri posse, cognoscerent, easque dilectis filiis maioris ac aliarum ecclesiarum dictae civitatis capitulis, ad quos canonicatuum et praebendarum in eisdem ecclesiis consistentium collatio, provisio, praesentatio, electio, institutio, seu quaevis alia dispositio communiter vel divisim aut aliàs quomodolibet pertineret, dictae videlicet maioris et S. Gereonis Coloniensis ad presbyterales tantum, ad reliquos vero aliarum ecclesiarum praedictarum canonicatus et prebendas qui inde ad triennium tunc venturum in singulis martii, iulii et novembris mensibus Sedi Apostolicae per concordata Germaniae cum ipsâ Sede inita reservatis vacassent, nominare valerent eis ad quos illorum collatio, praesentatio, electio et dispositio huiusmodi spectaret; et deinde dictum triennium semel atque iterum piae memoriae Pius Papa IV et Pius V, etiam praedecessores nostri, ad simile triennium prorogaverant, et indultum praedictum etiam ad maiorem post pontificalem, et principales, aliasque dignitates, personatus, administrationes et officia etiam curata, necnon vicarias et cappellanias perpetuas maioris et collegiatarum aliarumque ecclesiarum Coloniensium, quae in praedictis mensibus intra ipsum tempus vacarent, ampliaverant; et successive recolendae memoriae Gregorius Papa XIII, similiter praedecessor noster, triennium, a praedicto Pio praedecessore prorogatum vel concessum, ad aliud triennium primo, et deinde ad quinquennium, aliàs iuxta formam litterarum indulti Pauli IV praedecessoris praedicti, dumtaxat extenderat et ampliaverat; si vero lapsum esset novum quinquennium huiusmodi, ad hoc ut, praedicto novo quinquennio durante, rector, decani ac provisores praedicti ad presbyterales maioris et S. Gereonis tantum, ad omnes vero alios reliquarum ecclesiarum Coloniensium canonicatus et praebendas dumtaxat personas nominare possent, de novo concesserat; et successive similis memoriae Sixtus Papa V, etiam praedecessor noster, quinquennium ab eodem Gregorio praedecessore ultimo prorogatum seu concessum, ad quadriennium, a fine ultimo prorogati seu concessi quinquennii huiusmodi incoandum, extenderat et ampliaverat, si vero lapsum esset novum quadriennium huiusmodi, ad hoc ut, ipso durante, rector, decani et provisores ad presbyterales maioris et S. Gereonis, ad omnes vero alios reliquarum ecclesiarum Coloniensium canonicatus et praebendas dumtaxat, qui interim in aliquo ex tribus mensibus praedictis extra Romanam Curiam vacarent, et aliàs iuxta formam et tenorem litterarum Pauli praedecessoris praedicti tantum personas ut praefertur qualificatas nominare, et alia in litteris dicti Pauli IV praedecessoris contenta facere possent indulserat; ita tamen ut personae sic nominatae, intra sex menses a die provisionis, collationis seu alterius cuiusvis dispositionis de dictis canonicatibus et praebendis in vim nominationis

1 Male edit. Main. legit *congregari* pro *congregati* (R. T.).

huiusmodi factae numerandos, novas provisiones de eisdem canonicatibus et praebendis a dictâ Sede petere, et litteras apostolicas sub plumbo in totum expedire[1], ac iura camerae apostolicae et aliis propterea debita persolvere omnino tenerentur, et nisi praemissa adimplerent, ipso semestri elapso, iidem canonicatus et praebendae vacarent eo ipso, et sic vacantes per Sedem Apostolicam dumtaxat aliis quibusvis personis conferri libere possent, volens ut rector et alii praedicti huiusmodi ius nominandi habentes, sive ecclesiastici, sive laici forent, fidem catholicam iuxta articulos ab eâdem Sede propositos in manibus archiepiscopi seu officialis Coloniensis pro tempore existentis annis singulis profiteri tenerentur, alioquin nominationes ab eis faciendae et inde sequuta omnia nullius essent valoris vel momenti; ipse etiam Clemens praedecessor, certis tunc expressis de causis, tempus quadriennii, per dictum Sixtum praedecessorem prorogati seu de novo concessi, de consilio tunc existentium sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium congregationis Germanicae bis ad aliud quinquennium extenderat et prorogaverat, et, quatenus lapsum esset, idem indultum de novo concesserat, iuxta formam litterarum Pauli IV praedecessoris praedicti, ita tamen ut prioris indulti huiusmodi prorogatio seu concessio non extenderetur ad canonicatus et praebendas ecclesiae metropolitanae, ad vicarias vero tam dictae metropolitanae quam aliarum ecclesiarum omnium dictae civitatis, etiam ad alios, qui in aliâ quam Coloniensi academiâ gradum suscepissent, illud extensum esse voluerat et extenderat, ac ampliaverat, volens et inhibens, si aliquis nominatus beneficium ad quod nominatus fuisset resignare vellet, ne ullo modo nisi in manibus Romani Pontificis, aut nuncii apostolici in dictâ civitate Coloniensi pro tempore degentis, huiusmodi beneficium ad favorem alterius a rectore et decanis praedictis nominandi, nec per resignationem illud nec per permutationem dimittere posset, quodque, nonnisi servato inter competitores concursu a sacro Concilio Tridentino in collationibus parochialium ecclesiarum praescripto, ad canonicatus et praebendas praedictos nominare et conferre deberent, ac nominantes iurare se digniorem et ad profitendum munus magis aptum praelaturos, et vicissim eum, quem praeferri contigisset, iurare se iniunctum profitendi officium diligenter praestiturum; deinde vero ex causis praedictis dictus Clemens praedecessor indultum huiusmodi ad aliud quinquennium iterum prorogaverat, extenderat, seu concesserat, decreveratque huiusmodi canonicatus nonnisi personis ex aliquâ ex dictis universitatibus idoneis, quae iureiurando ad profitendum munus diligenter sese adstringerent, dumtaxat conferri, ac canonicatus et praebendas praedictos per eos huiusmodi nominationis vigore obtinendos non nisi in manibus Romani Pontificis pro tempore existentis, cum specificâ mentione quod illos vigore huiusmodi nominationis consequuti essent, resignari vel aliàs dimitti nullatenus possent, alioquin canonicatus et praebendae huiusmodi vacarent eo ipso, ita ut de illis per Sedem Apostolicam dumtaxat (disponi posset) idem Paulus V praedecessor, supplicationibus vestro nomine sibi humiliter porrectis inclinatus, indultum vobis a praedicto Clemente praedecessore concessum, et desuper expeditas litteras praedictas, ad aliud quinquennium a fine quinquennii ultimodicti a Clemente praedecessore concessi computandum, auctoritate apo-

1 Idest *expediri facere* (R. T.).

stolicâ extendit et prorogavit; et nihilominus, sine praeiudicio tunc et pro tempore existentis archiepiscopi Coloniensis, dilectis filiis rectori et decanis praedictarum quatuor facultatum in dictâ universitate canonice institutarum, et consilio illius ex facultatibus huiusmodi cuius persona iuxta formam litterarum Pauli IV praedecessoris nominanda fuisset, etiam pro tempore existentibus, unâ cum dilectis filiis provisoribus ipsius universitatis, ut personas in eâdem universitate promotas, et legentes et lecturas, quas ipsi rector et decani ac provisores, medio eorum iuramento, unâ cum consilio facultatis huiusmodi in qua personae ipsae legerent et legere deberent ad hoc more solito convocato, idoneas et catholicas esse, ac cum laude et fructu inibi pro tempore studentium profiteri posse, affirmarent (ita ut, si controversia in nominando inter rectorem et decanos necnon provisores et consilium huiusmodi exorta fuisset, ille, quem maior pars votis suis praeferendum putasset, praeferretur) dilectis filiis maioris, ac S. Gereonis, et aliarum ecclesiarum capitulis, ad quos canonicatuum et praebendarum in eisdem ecclesiis consistentium collatio, provisio, praesentatio, electio, institutio, seu quaevis alia dispositio coniunctim vel separatim, vel aliàs quomodolibet, cessantibus reservationibus et affectionibus apostolicis, pertinebat, videlicet ad presbyterales tantum maioris et S. Gereonis (itaut nominandae personae secundum eorum statuta et privilegia eorum capitulis concessa ut praefertur qualificatae essent), ad omnes vero et singulos alios canonicatus et singulas praebendas reliquarum ecclesiarum huiusmodi, quae ex tunc, ad quinquennium tunc proxime futurum a fine ultimi quinquennii per Clementem praedecessorem prorogati seu concessi computandum, in singulis martii, iulii et novembris mensibus pro tempore vacassent et vacare contingeret, nominare libere et licite valerent, dictâ auctoritate concessit et indulsit; ac statuit et ordinavit quod ii, ad quos collatio, provisio, praesentatio, electio, institutio, vel quaevis alia dispositio canonicatuum et praebendarum huiusmodi pro tempore spectaret, canonicatus et praebendas, quos personae ad illos sic nominatae, per se vel procuratorem suum ad hoc ab eis specialiter constitutum, infra unius mensis spatium postquam eis vel procuratori seu illorum[1] vacatio innotuisset, duxissent acceptandos, cum omnibus iuribus et pertinentiis suis, eisdem nominatis personis conferre, et de iis etiam providere, seu eas ad illos praesentare, aut eligere, aut in illis instituere, vel aliàs de illis in earumdem personarum nominatarum favorem disponere tenerentur; quodque iis praemissa facere recusantibus vel negligentibus aut differentibus etiam pro tempore abbas S. Martini Coloniensis, ac decanus ecclesiae S. Pauli Leodiensis, et qui haereticae pravitatis inquisitor in illis partibus apostolicâ auctoritate deputatus existeret prior domus Ordinis fratrum Praedicatorum etiam Coloniensium, et eorum quilibet, canonicatus et praebendas sic vacantes personis ad illos, ut praefertur, nominatis, pro eâ vice tantum, eâdem auctoritate conferre, et de illis etiam providere pariter libere et licite possent; et quod ab eisdem personis sic pro tempore nominatis, in actu nominationis de eis pro tempore factae, in qua facultate, in quo gymnasio, et qua horâ illa docere seu legere deberent, exprimeretur, et, si a praemissis defecissent, post primam

1 Deest voce *alteri* (R. T.).

et secundam nominationes[1] eis desuper factas, a perceptione fructuum, reddituum et proventuum praebendarum, quas vigore nominationum et collationum huiusmodi tunc assecuti fuissent, per abbatem et decanum ecclesiae S. Pauli Leodiensis et priorem praedictos, aut aliquem ex eis, ad requisitionem illis per rectorem et decanos facultatum et provisores universitatis huiusmodi faciendam, suspenderentur, et, si suspensionem huiusmodi per mensem animo sustinuissent indurato, iisdem praebendis ipso facto et cum effectu privarentur, et pro privatis haberentur, et statim de illis aliis personis modo et formâ praemissis provideretur; verum, si personae nominatae praedictae in aliquam suspicionem haeresis incidissent, in eas per inquisitores haereticae pravitatis in illis partibus eâdem auctoritate deputatos abque ullâ morâ inquireretur, et si illae compertae fuissent haeresi huiusmodi infectae, alii catholici ad beneficia per illos obtenta simili modo nominarentur; et subinde quinquennium huiusmodi ad aliud quinquennium a fine ultimodicti quinquennii computandum semel atque iterum extendit et prorogavit, seu concessit et indulsit.

Postmodum aut postquam felicis recordationis Gregorius Papa XV similiter praedecessor noster per suas in simili formâ Brevis expeditas litteras indultum praedictum vobis, ut praefertur, prorogatum, ac desuper confectas litteras, et in eis contenta (ita tamen ut huiusmodi indultum canonicatus et praebendas metropolitanae ecclesiae Coloniensis minime comprehenderet, neque ad eos se extenderet[2], ac sine praeiudicio dicti tunc et pro tempore existentis archiepiscopi Coloniensis, ac aliàs sub certis modo et formâ tunc expressis) ad aliud quinquennium de novo concesserat, et subinde, recolendae[1] memoriae Urbanus Papa VIII, pariter praedecessor noster (attendens quod indultum huiusmodi per cancellariae apostolicae regulas revocatum fuerat, et, sicut eidem Urbano praedecessori tunc exponi feceratis, causae, propter quas idem indultum a praedicto Paulo IV primo loco concessum, et ab aliis Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris praedictis, ut supra, prorogatum, et expresse de novo concessum fuerat, conservationis nimirum catholicae religionis in istâ civitate Coloniensi eo usque vigebant, vosque cupiebatis ad catholicorum virorum studia in istis partibus alenda et allicienda huiusmodi indulto diutius frui posse), idem Urbanus praedecessor per alias suas in simili formâ Brevis expeditas litteras indultum praedictum vobis per dictum Gregorium praedecessorem ad quinquennium ut praefertur de novo concessum, ac desuper confectas litteras praedictas et in eis contenta, ad aliud quinquennium apostolicâ auctoritate sub certis modo et formâ tunc expressis denuo concessit, ipsumque quinquennium ad aliud pariter quinquennium, ac deinde secundodictum quinquennium ad aliud similiter quinquennium extendit et prorogavit. Ac deinceps, eidem Urbano praedecessori per vos exposito seu subiuncto, quod quinquennium, tunc per eum ultimo loco extensum seu concessum, brevi erat expiraturum, et causae super[2] quas indultum huiusmodi tam a praedictis Romanis Pontificibus quam ab eo ultimo concessum fuerat, eatenus vigebant, dictus Urbanus praedecessor indultum praedictum per eum ultimo

1 Potius legendum videtur *monitiones* pro *nominationes* (R. T.).

2 Male edit. Main. legit *extenderent* (R. T.).

1 Coniunct. *et* hinc delemus (R. T.).

2 Potius lege *propter* pro *super* (R. T.).

loco ad quinquennium ut praefertur extensum, seu de novo concessum, ac desuper confectas litteras et in eis contenta (ita tamen ut provisiones huiusmodi servatâ dictarum litterarum formâ fierent, ipsumque indultum canonicatus et praebendas ecclesiae metropolitanae Co'oniensis minime comprehenderet, nec ad eos se extenderet, ac aliàs sub certis modo et formâ etiam tunc expressis) ad aliud quinquennium extendit et prorogavit. Et postmodum, similis recolendae[1] Innocentio Papae X praedecessori etiam nostro per vos exposito quod causae, propter quas indultum huiusmodi tam ab eodem Urbano tunc novissime quam ab aliis praedecessoribus concessum fuerat, etiam eatenus vigebant, ipse Innocentius praedecessor praedictum vobis per eumdem Urbanum praedecessorem ultimo loco ad quinquennium ut praefertur extensum, seu de novo concessum, ac desuper confectas litteras et in eis contenta, sub certis pariter conditionibus modoque et formâ tunc expressis, ad aliud quinquennium pariter concessit, quinquenniumque huiusmodi postmodum ad aliud etiam quinquennium a die XX februarii MDCL computandum extendit et prorogavit. Ac demum nos, supplicationibus vestro nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati per binas nostras in simili formâ Brevis litteras, unas die XXVIII augusti MDCLV, et alias die VIII ianuarii MDCLXI respective expeditas, indultum praedictum, vobis concessum et prorogatum ut praefertur, sub certis modo et formâ tunc expressis, semel quidem ad quinquennium, novissime vero ad triennium tunc proximum respective de novo concessimus; et aliàs, prout in praedictis nostris, ac in singulis memoratorum praedecessorum in eâdem formâ Brevis desuper expeditis litteris, quarum tenores psaesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis haberi volumus, uberius continetur.

1 Deest *memoriae* (R. T.).

§ 2. Cum autem, sicut nobis nuper exponi fecistis, novissime concessum per nos triennium huiusmodi expiraverit, et causae, propter quas idem indultum per nos et Romanos Pontifices praedecessores nostros pluries concessum et prorogatum respective fuit, etiam num vigeant, vosque propterea indultum huiusmodi ad effectum suprascriptum per nos vobis de novo concedi summopere desideretis: nos, specialem vobis gratiam[1] facere volentes, et vestrum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus vestro nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, indultum praedictum, vobis, sicut praemittitur, a nobis bis concessum, cum omnibus et singulis contentis in litteris praedictis (ita tamen ut provisiones huiusmodi, servatâ dictarum litterarum formâ, fiant, quacumque praetensâ praxi, consuetudine, seu tolerantiâ contrariâ non obstante, quam potius abusum esse, et proinde praesens indultum in omnibus et per omnia iuxta eius tenorem et proprietatem, prout verba illius sonant, et non aliter, nec alio modo, servari debere decernimus, et cum hoc quod indultum huiusmodi canonicatus et praebendas ecclesiae metropolitanae Coloniensis minime comprehendat, nec ad eos se extendat, ac sine praeiudicio venerabilis fratris moderni et pro tempore existentis archiepiscopi Coloniensis, nec-

Nova indulti prorogatio ut in rubricâ.

1 Edit. Main. legit *gratias* (R. T.).

non cum omnibus et singulis aliis facultatibus, concessionibus et ordinationibus, clausulis et decretis appositis in dictis litteris, ac servatâ in illis et per omnia earumdem litterarum formâ) ad quadriennium, a datâ praesentium computandum, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, de novo concedimus; sicque et non aliter per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos, et Sedis Apostolicae nuncios, quavis auctoritate fungentes, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super is a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, decernimus.

Clausulae. § 3. Decernentes etiam vos, quadriennio praedicto per nos concesso durante, huiusmodi indulto ac desuper confectis litteris praedictis libere et licite uti posse, ac irritum et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Transumptorum fides. § 4. Volumus autem, et earumdem tenore praesentium ordinamus (ne ecclesiae, in quibus personae nominatae huiusmodi vigore vacationum aut collationum praedictarum eosdem canonicatus et praebendas obtinuerint, ob earum impedimentum in legendo debitis defraudentur obsequiis, aut cultus divinus in illis minuatur), ut eaedem personae, si illis eâ horâ, qua ipsa divina officia celebrabuntur, legendum fuerit, tunc per idoneos substitutos inibi deserviri facere possint, et ita deserviendo pro residentibus et inservientibus habeantur, ac distributiones quotidianas lucrentur, in omnibus et per omnia perinde ac si personaliter deservirent (diebus dominicis et festivis principalioribus, videlicet Domini nostri Iesu Christi, ac gloriosissimae Virginis, et beatorum Apostolorum, et in quorum honorem dedicatae sunt ecclesiae praedictae, aliorumque sanctorum quorum dies in singulis eisdem ecclesiis solemnes et celebres habentur, exceptis, quibus eis non per substitutos, sed per se ipsos personaliter deservire teneantur), quodque huiusmodi canonicatus et praebendae personis ad profitendum in aliquâ ex dictis universitatibus idoneis repertis, qui iureiurando ad profitendi munus diligenter ac immediate post canonicatus et praebendas adeptionem exercendum se adstringant, dumtaxat conferantur, ipsaeque personae praedictos canonicatus et praebendas, per eas huiusmodi nominationis vigore obtentos, nisi in manibus nostris et pro tempore existentis Romani Pontificis, cum specificâ mentione quod illos vigore nominationis huiusmodi consequuti sunt, resignare aut aliàs dimittere nullatenus possint, alioquin canonicatus et praebendae huiusmodi vacent eo ipso, ita ut de illis per Sedem Apostolicam dumtaxat disponi possit, utque[1] personae sic nominatae praedictae intra sex menses a die collationis, provisionis aut cuiusvis alterius dispositionis de canonicatibus et praebendis, ad quos illas nominari contigerit, sibi faciendae, ut praefertur, novas provisiones super illis a dictâ Sede impetrare, et litteras apostolicas desuper in totum expedire, ac iura camerae apostolicae et aliis propterea debita persolvere omnino teneantur, alioquin, dictis sex mensibus elapsis, canonicatus et praebendae huiusmodi vacent eo ipso, ita ut aliis per eamdem Sedem tantum libere conferri possint.

Derogatio contrariorum. § 5. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apo-

1 Male ed. Main. legit *usque* pro *utque* (R. T.).

stolicis, necnon ecclesiarum praedictarum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, eisdem ecclesiis et capitulis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis, et iteratis vicibus, concessis, approbatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio seu quaevis alia expressio aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum insererentur, praesentibus pro plene et sufficientr expressis ac insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XIV mârtii MDCLXIV, pontificatus nostri anno IX.

Dat. die 14 martii 1664, pontif. anno IX.

CDLXVIII.

Dismembratio ac separatio a provinciâ Lugdunensi Ordinis fratrum sancti Francisci de Paula Minimorum nuncupatorum sex conventuum, videlicet Belliregardensis, Calvimontensis, Brivatensis, Claramontensis, Curtipetrensis et Ussonensis nationis Arverniae Ordinis huiusmodi, eorumque erectio in novam provinciam Arvernensem nuncupandum[1].

1 Ex Regest. in Secret. Brevium.

Alexander Papa VII,
ad perpetuam rei memoriam.

In supremo militantis Ecclesiae solio, meritis licet imparibus, divinâ dispositione collocati, ad ea peculiares vigilantiae nostrae curas libenter convertimus, per quae exortae inter religiosos viros controversiae opportunis rationibus dirimantur, et novae provinciae instituantur, sicut ad omnipotentis Dei gloriam et religionis incrementum conspicimus in Domino salubriter expedire.

Dismembrationem concedit Pontifex aliaque ad effectum disponit.

§ 1. Itaque, causam dismembrationis ac separationis sex conventuum, videlicet Belliregardensis, Calvimontensis, Brivatensis, Claramontensis, Curtipetrensis et Ussonensis, nationis Arverniae Ordinis fratrum sancti Francisci de Paula Minimorum nuncupatorum, a provinciâ Lugdunensi eiusdem Ordinis, et eorum in novam provinciam Arvernensem nuncupandam erectionis, ad instantiam dilectorum filiorum fratrum ipsius Arvernensis nationis dirimere cupientes, ac eorumdem fratrum Arvernensium singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositorum, qui informationem dilecti filii correctoris generalis Ordinis huiusmodi desuper habuerunt, remque mature examinarunt ac perpenderunt, consilio, memoratos sex conventus a dictâ provinciâ Lugdunensi, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, dismembramus ac se-

paramus, eosque in novam provinciam dicti Ordinis Arvernensem nuncupandam erigimus. Mandantes propterea eidem correctori generali, eiusque pro tempore in officio cuicumque successori, ut provinciam Arvernensem sic erectam cum aliis dicti Ordinis provinciis connumeret, ipseque corrector generalis unà cum suo definitorio pro hac primà vice dumtaxat correctorem provincialem provinciae huiusmodi eligat usque ad proximum capitulum generale inclusive duraturum, et votum in eodem capitulo generali prout ceteri eiusdem capituli vocales habiturum; et in reliquis omnibus ad constitutionem praefatae novae provinciae occurrentibus cum ipso definitorio pariter pro hac vice auctoritate nostrà provideat ac decernat.

Decretum irritans. § 2. Decernentes easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, plenissime suffragari, et ab illis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariis derogat. § 3. Non obstantibus in contrarium deductis pro parte fratrum nationis Lugdunensis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon, quatenus opus sit, Ordinis ac provinciae Lugdunensis et conventuum huiusmodi, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, approbatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XVII martii MDCLXIV, pontificatus nostri anno IX.

Dat. die 17 martii 1664, pontif. anno IX.

CDLXIX.

Eximit fratres et conventus tertii Ordinis sancti Francisci, in Castellae, Galliciae et Legionis regnis degentes, ab omni iurisdictione ministri provincialis Minorum de Observantiâ S. Iacobi.

Alexander Papa VII, ad futuram rei memoriam.

Exposition. § 1. Nuper pro parte dilectorum filiorum fratrum tertii Ordinis sancti Francisci in Castellae, ac Galliciae et Legionis regnis degentium congregationi venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositae exposito, quod ipsi aegre ferebant eorum Ordinem in illis partibus peiorem quotidie in statum prolabi ex eo quod superiores eiusdem Ordinis et regulae non haberent a quibus immediate regerentur, quodque dudum felicis recordationis Clemens Papa VIII praedecessor noster ordinaverat ut conventus dicti Ordinis in Lusitania consistentes, ministro generali Ordinis fratrum Minorum eiusdem sancti Francisci de Observantiâ nuncupatorum ac commissario generali familiae ultramontanae eiusdem Ordinis immediate subiecti remanentes, proprium ministrum provincialem et definitores sibi eligere possent,

eâque ratione multis inconvenientibus obviam itum optimique effectus ad Dei gloriam et religionis incrementum inde consequuti fuerant, sicut experientia compertum erat;

Et in eâdem expositione subiuncto, quod ipsi exponentes propterea eorum conventus in regnis supradictis constitutos ab omni iurisdictione dilecti filii ministri provincialis provinciae S. Iacobi dicti Ordinis Minorum de Observantiâ eximi et liberari, sibique ut, dilecto filio ministro generali eiusdem Ordinis Minorum de Observantiâ immediate subiecti remanentes, ab uno ministro provinciali et quatuor definitoribus seu discretis praefati tertii Ordinis, qui in capitulis, quolibet triennio sub praesidentiâ dicti ministri generalis vel commissarii familiae ultramontanae Ordinis Minorum de Observantiâ huiusmodi, aut alterius per eos deputandi, iuxta dispositionem constitutionum dicti tertii Ordinis celebrandis, eligi deberent, ad instar provinciarum Lusitaniae et Boeticae, non obstantibus recolendae memoriae Pii Papae V praedecessoris pariter nostri litteris, v nonas iulii MDLXVIII emanatis, quarum initium est *Ea est officii nostri ratio, etc.*, de cetero regerentur et gubernarentur, concedi summopere desiderabant: emanavit ab eâdem congregatione decretum tenoris qui sequitur, videlicet:

Decretum sacrae congregationis.

§ 2. « Sacra congregatio eminentissimorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praeposita, ad quam sanctissimus dominus noster instantiam huiusmodi remisit, attentis narratis, ac auditâ relatione ministri generalis Ordinis, precibus oratorum benigne annuens, decrevit et mandavit eosdem oratores, seu ipsorum conventus, in posterum a iurisdictione ministri provincialis provinciae S. Iacobi de Observantiâ exemptos, et tantummodo eidem ministro generali et commissario generali familiae ultramontanae immediate subiectos fore, prout harum serie eximit ac respective subiicit, eidemque ministro provinciali iniungit ne ullatenus in eorum gubernium, curam aut quamcumque iurisdictionem se intromittat. Insuper eadem sacra congregatio statuit ut deinceps praedicti oratorum conventus regantur per visitatorem provincialem, definitores aliosque officiales ex eorum gremio assumendos et eligendos, iuxta constitutiones Ordinis, et in reliquis omnibus ad instar provinciarum Lusitaniae et Andalusiae praefatarum. Pro hac autem primâ vice electio praefatorum visitatoris provincialis, definitorum et officialium fiat a dicto ministro generali unâ cum suo generali definitorio. Et ita sacra congregatio praesentium vigore decernit, mandat et statuit, et nuncio apostolico apud regem Hispaniarum pro tempore degenti committit, ut, quatenus opus sit, easdem praesentes omnibus iuris et facti remediis exequutioni demandari faciat. Praedictis litteris apostolicis sanctae memoriae Pii V ceterisque contrariis, aliàs in suo robore permansuris, minime obstantibus.

Romae, VI martii MDCLXIV.

M. cardinalis GINETTUS ».

Confirmat Pontifex decretum sacrae congregationis.

§ 3. Cum autem, sicut praefati exponentes nobis subinde exponi fecerunt, ipsi decretum huiusmodi, pro firmiori illius subsistentiâ et efficaciâ, apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri summopere desiderent: nos, specialem ipsis exponentibus gratiam facere volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occa-

sione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, decretum praeinsertum, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, approbamus et confirmamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus; salvâ tamen semper in praemissis auctoritate praefatae congregationis cardinalium.

Decretum irritans. § 4. Decernentes easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac dictis exponentibus plenissime suffragari, et ab illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum. § 5. Non obstantibus praefatis Pii praedecessoris litteris, ac piae memoriae Bonifacii Papae VIII, etiam praedecessoris nostri, de unâ, et concilii generalis de duabus dietis, dummodo ultra tres dietas aliquis auctoritate praesentium in iudicium non trahatur, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon, quatenus opus sit, dictorum Ordinum[1] ac provinciae S. Iacobi et conventuum, aliisve quibuslibet, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides transumptorum. § 6. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, in iudicio et extra illud, quae praesentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXVI martii MDCLXIII, pontificatus nostri anno IX.

Dat. die 26 martii 1664 [1], pontif. anno IX.

CDLXX.

Declaratio mentis suae super solutione decimarum per pensionarios facienda[2].

Alexander Papa VII.
Motu proprio, etc.

Proœmium. § 1. Cum nos aliàs[3], pro urgentibus reipublicae christianae necessitatibus, et praesertim ad reprimendos infidelium conatus, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium consilio et assensu, inter alia indixerimus et imposuerimus sex integras decimas omnium et quorumcumque fructuum, reddituum, proventuum, iurium, obventionum et distri-

1 Potius lege *Ordinis* (R. T.).

1 Male ed. Main. ad marg. legit *1663* (R. T.).

2 Vide ad Constit. LIII Innocentii X, *Nuper*, tom. XV, pag. 453, et ad Constit. CCCXXXV, *Cum divina*, huius Pontificis, tom. XVI, pag. 673.

3 Constitutionem hanc edid. Main. habet sub anno praeced., nos huc transtulimus ratione quam dicemus ad subscriptionem (R. T.).

butionum quotidianarum et emolumentorum ordinariorum omnium et quarumcumque patriarchalium, metropolitanarum, cathedralium et collegiatarum, ac parochialium, aliarumque ecclesiarum, necnon monasteriorum et conventuum, ac etiam mensarum patriarchalium, archiepiscopalium, episcopalium, abbatialium, capitularium et conventualium, prioratuum quoque, praeposituraram, canonicatuum et praebendarum, dignitatum, personatuum, ceterorumque beneficiorum et bonorum ecclesiasticorum, etiam iurispatronatus laicorum, et regularium locorum [1] in universâ Italiâ et insulis adiacentibus consistentium, sub certis tamen exceptionibus, ac modo et formâ tunc expressis, atque etiam omnium et quarumcumque pensionum annuarum super fructibus, redditibus, proventibus, iuribus, obventionibus, emolumentis, ac distributionibus quotidianis, sive, earum loco, fructuum, reddituum, proventuum, obventionum, emolumentorum, ac distributionum huiusmodi (Statu Veneto excepto) in favorem quorumcumque (non tamen cardinalium praedictorum) reservatarum et assignatarum seu translatarum, aut reservatorum et assignatorum vel translatorum, ac reservandarum et assignandarum seu transferendarum, aut reservandorum et assignandorum seu transferendorum, percipiendas, exigendas et levandas [2] ab omnibus et quibuscumque patriarchis, archiepiscopis et aliis ecclesiarum praelatis, et ceteris cuiuscumque dignitatis, gradus, status, ordinis, militiae et conditionis personis, decennio inibi expresso durante praedicta quocumque iure et titulo obtinentibus et obtenturis, ac reservata et assignata seu translata habentibus et habituris, necnon oeconomis, administratoribus perpetuis et temporalibus, usufructuariis, ac fructus et pensiones, res et alia iura quomodolibet habentibus et habituris, tam secularibus quam regularibus, etiam quorumcumque Ordinum et certarum militiarum;

Pensionarii tenentur ad solutionem decimarum.

§ 2. Ac praeterea pensionum huiusmodi decimas ad rationem decem pro centenario praestari debere, et secundum ea omnes in solidum cogendos esse, ipsarumque decimarum procuratores a quibus libuerit integre exigendi optionem facultatemque habere, nec ullas immunitates et exemptiones, etiam ex causâ resignationis, cessionis iuris, concordiae, conventionis, aut quacumque aliâ gravi et onerosâ occasione, quocumque modo et sub quibuscumque verborum expressionibus (etiam a decimis, seu quibusvis aliis impositionibus, etiam pro expeditione tam offensivâ quam defensivâ contra Turcas et alios infidèles et haereticos, seu ex aliâ quavis quantumvis legitimâ et rationabili ac necessario et de necessitate exprimendâ causâ, etiam in favorem imperatoris, regum, reginarum, ducum seu aliorum quorumcumque principum, ac pro eorum et Sedis Apostolicae necessitatibus, seu aliàs canonice vel de facto impositis et pro tempore imponendis), etiam per nos concessas et interim concedendas, integram solutionem huiusmodi imminuere vel impedire, neque possessores, usufructuarios, aut alias pensiones seu fructus huiusmodi solvere debentes, etiamsi [1] ipsi iuri et actioni petendae vel detrahendae, aut retinendae portionis et ratae partis pensionarios contingentis iureiurando renunciaverint, atque ex formâ camerae apostolicae amplissimâ caverint, modo aliquo obligari, neque ad id pro dicto

1. Forsan *Ordinum* vel *clericorum* legendum pro *locorum* (R. T.).

2. Coniunct. *ac* delemus (R. T.).

1. Pessime edit. Main, habet *deberent, etiam* (R. T.).

tempore constringi posse, sed pensionarios et fructuum huiusmodi reservatarios ad decimarum praedictarum onus solvendum omnino teneri;

§ 2. Omnes vero confessiones et quietantias, receptiones decimarum a procuratoribus et ministris dictae camerae, tam conductoribus censuariis et locatoribus nomine suorum principalium, quam etiam ipsis, necnon possessoribus, usufructuariis et aliis pensiones seu fructus solvere debentibus nomine pensionariorum faciendas perinde valere, atque in iudicio et extra illud ubique locorum fidem facere, ac si ipsismet principalibus et pensionariis praesentibus et solventibus factae et exhibitae fuissent, prout in nostris litteris sub datâ anno Incarnationis Dominicae MDCLX, IX kalendas martii, pontificatus nostri anno VI desuper confectis, quarum tenores praesentibus pro expressis ac de verbo ad verbum insertis haberi volumus, plenius continetur.

Motiva. § 3. Cum autem, sicut accepimus, in aliquibus reservationibus et impositionibus praedictarum pensionum ipsimet titulares et administratores, ex pacto inter partes inito, vel etiam ex libero consensu, aut aliàs, onus quarumcumque contributionum ratione pensionum ipsarum, etiam ad instantiam imperatoris, et pro defensione fidei catholicae faciendarum, in se et successores suos etiam sub iuramento et obligatione camerali assumpserint, ac pensiones ipsas ab eiusmodi decimis, impositionibus et aliis quibuscumque gravaminibus, quandocumque vel ex quacumque causâ, etiam necessariissimâ et urgentissimâ, ac etiam specialiter ex praemissis pensiones liberas, immunes et exemptas ac integras et nullatenus diminutas solvere promiserint; quin etiam pensiones ipsae in eventum necessariae solutionis et contributionis faciendae pro ratâ pensiones[1] ipsas tangente auctae vel augendae, et forsan etiam aliae cautelae cum praegnantissimis verborum expressionibus in expeditione pensionum huiusmodi conceptae reperiantur, et propterea nonnulli pensionarii a contributione et solutione in praedictis litteris contentâ se tueri, onusque solutionis ratae pensionem tangentis[2] in ipsos titulares seu administratores ecclesiarum, canonicatuum, dignitatum, mensarum, aliorumque beneficiorum, tam secularium quam regularium praedictorum, reiicere et retorquere contendant, et desuper nonnullae lites et controversiae motae fuerint, et de praesenti forsan adhuc pendeant indecisae:

Declaratio mentis. § 4. Nos, ecclesiarum, mensarum, canonicatuum, dignitatum, aliorumque beneficiorum huiusmodi indemnitati consulere, et ne fructus illarum et illorum plus aequo graventur providere, omnemque dubitationis et controversiae materiam nostrae declarationis oraculo terminare volentes, ac omnium et singularum reservatarum pensionum, pactorum et conventionum et in eis contentarum clausularum tenores, ac litium et causarum super praemissis coram quocumque iudice pendentium statum et status et merita, etiamsi talia forent quod de illis specialis et individua mentio fieri deberet, perinde ac si de verbo ad verbum expressi et expressa essent, praesentibus pro expressis habentes, easdemque lites et causas in statu et terminis in quibus reperiuntur a quocumque iudice et tribunali, tam huius Urbis Romae quam aliis quibuscumque locis, et tam in Statu nostro Ecclesiastico quam extra illum, ubicumque agantur, etiamsi in

1 Male edit. Main. legit *pensionis* pro *pensiones* (R. T.).

2 Male ed. Main. legit *ratam pensionis tangentis* (R. T.).

gradu appellationis pendeant, ad nos avocantes, easque penitus supprimentes et extinguentes, motu simili et ex certâ scientiâ nostrâ et de apostolicae potestatis plenitudine declaramus et denuntiamus mentem et intentionem nostram in praedictis litteris fuisse et esse, ac immutabilem fore, decimas ipsas super omnibus pensionibus praedictis ([1] ratam cuilibet earum tangentem), omni pacto et conditione remotis, et absque ullâ spe relevationis pensionariorum contra titulares et administratores mensarum ecclesiasticarum et reliquorum beneficiorum et locorum piorum in dictis litteris expressorum, per nos fuisse et esse impositas; et propterea omnes et singulos pensionarios, quacumque auctoritate, dignitate, praeeminentiâ praefulgeant (non tamen personas in praedictis litteris exceptas), ad ipsarum decimarum solutionem pro ratâ cuiuslibet pensionis teneri et obligatos esse, neque ullum ius et actionem (etiam in vim cuiuscumque pacti et conventionis, quantumvis ex causâ onerosâ, vel donationis, iuramenti, obligationis cameralis, augmenti pensionum et cuiusvis alterius quantumvis inexcogitatae cautelae et pactionis, etiam a Sede Apostolicâ in genere vel in specie atque individualiter cum illorum et illarum tenore inserto approbatis et confirmatis, et forsan pro decennio durante approbandis et confirmandis[2]) aliquid aliquando ab ipsis titularibus repetendi competere; sed ipsos pensionarios ad decimarum huiusmodi solutionem pro ratâ suae cuiuslibet pensionis, iuxta nostrarum litterarum praedictarum formam et tenorem ac praesentem nostram declarationem, ac si quoad easdem decimas per nos impositas nullatenus pacta, conventiones, donationes, iuramenta, obligationes et aliae cautelae superius dictae et per Sedem Apostolicam approbatae vel approbandae nullatenus emanassent vel emanaverint; imo illis omnibus, quoad solutionem decimarum praedictarum, plenarie, expresse et specifice, ad favorem fructuum praedictorum, seu titularium et beneficiatorum ac administratorum praedictorum, derogatum fuisse, ac iterum nos tenore praesentis motusproprii expresse et plenarie ad exonerationem titularium et beneficiatorum ac mensarum, aliorumque locorum praedictorum contra pensionarios derogamus, et dicto durante decennio eosdem pensionarios teneri, ac, per eos ad quos spectat et pro tempore spectabit, iuxta praedictae impositionis et huius nostrae declarationis formam et tenorem cogi et compelli posse seu debere.

Clausulas apponit.

§ 5. Et pro potiori cautelâ quascumque sententias in causis praedictis contra[1] ipsos pensionarios, seu eorum aliquem, super praemissis decimis hactenus latas, promulgatas et publicatas, ac etiam exequutioni demandatas, uti nullas et invalidas revocamus, cassamus, annullamus et viribus evacuamus cum omnibus inde sequutis, ipsisque pensionariis perpetuum silentium super praemissis imponimus et impositum esse declaramus, et hanc mentis nostrae declarationem cum omnibus et singulis per nos praesenti motuproprio ordinatis locum habere et omnino servari volumus, tam in pensionibus hactenus impositis, quam in posterum imponendis; quibuscumque pactis, conventionibus, clausulis et cautelis, ac etiam eidem

1 Heic deest *iuxta* vel simile (R. T.).

2 At legendum *approbatae et confirmatae... approbandae et confirmandae* (*conventionis*), vel *approbati et confirmati*, etc. (*pacti*), vel *approbatorum*, etc. (R. T.).

1 Non satis ista cohaerent; forsan *pro ipsis*, etc. (R. T.).

praesenti nostrae declarationi recunciatione, etiam iuramento factâ, non obstantibus; quae omnia eo ipso irrita et invalida, ac nullius roboris et effectus fore et esse censeantur, et ita declaramus, sicque et non aliter per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, quavis auctoritate fungentes, ac causarum palatii apostolici auditores, etc., sublatâ, etc., iudicari et definiri debere, irritumque, etc., decernimus.

Contraria tollit. § 6. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac nostrâ et cancellariae apostolicae regulâ de iure quaesito non tollendo, ac ecclesiarum in quibus beneficia huiusmodi existunt, seu a quibus mensae ipsae dependent, etiam iuramento, etc., roboratis, etc., privilegiis, etc.; quibus omnibus, etc., eorum tenores, etc. latissime, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse motu pari derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque, cum clausulis opportunis.

Fiat motuproprio F.

Et quod litterarum praedictarum tenores etiam veriores, ac datae, ac singulorum pensionariorum praedictorum dignitates, qualitates et praeeminentias, etiam speciali notâ dignas, et alias de necessitate exprimendas, praesentibus pro individualiter expressis habentes[1], seu in toto vel in parte exprimi possint in litteris; et de declaratione, denunciatione, avocatione, extinctione, silentii impositione singulis derogationibus et decretis, ut supra in litteris latissime extendendis; et quod praemissorum omnium et singulorum, etiam denominationum, qualitatum, aliorumque necessariorum maior et verior specificatio et expressio fieri possit in litteris, si videbitur, etiam per viam de curiâ expediendis; et cum decreto quod interim etiam ante earumdem litterarum expeditionem sola nostri praesentis motusproprii signatura sufficiat, et ubique plenam fidem faciat in iudicio et extra, regulâ quacumque contrariâ non obstante; et firmis remanentibus ceteris omnibus et singulis per nos in dictis litteris impositionis decimarum dispositis et ordinatis.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem, kalendis aprilis, anno IX.

Datum kalendis aprilis 1664 [1] anno IX.

1 Syntaxis turbata; oporteret legere *dignae, et aliàs exprimendae... ... habeantur* (R. T.).

CDLXXI.

Attestatur excellentissimum dominum principem Marium Chisium fratrem Suae Sanctitatis ac capitaneum generalem S. R. E. vere innocentem esse in omnibus illis quae die XX *augusti* MDCLXII *contigerunt in almâ Urbe, etc*[2].

Alexander Papa VII, ad futuram rei memoriam.

Prooemium. Cum dilectus filius nobilis vir Marius Chisius, princeps Terrae Campaniani, noster secundum carnem frater germanus, totiusque nostrae et S. R. E. militiae tam equestris quam pedestris capitaneus et gubernator generalis, circa attentatum die XX augusti MDCLXII in almâ Urbe nostrâ contra dilectum filium nobilem virum ducem Crequium pro carissimo in Christo filio nostro Ludovico rege christianissimo apud nos et Sedem Apostolicam oratorem a militibus Corsis[3] in eâdem Urbe tunc existentibus commissum, testatus fuerit ut infra, videlicet:

« Io Mario Chigi attesto in fede di

1 Ed. Main. posuit hanc Bullam sub ann. 1663; at kalendae aprilis anni IX pertinent ad ann. 1664; ideoque nos illam huc transtulimus.

2 Ex Regest. in Secret. Brev.

3 De hac re vide supra pag. 143; hinc patet ibi fuisse legendum *Corsos* pro *cursores*, uti erronee nos posuimus (R. T.).

cavaliere di non aver avuta parte alcuna nell'attentato commesso da' soldati Côrsi contro il signor duca di Crequì, ambasciatore di sua maestà cristianissima in Roma, e che averei creduto di fare una azione detestabile e contraria alla mia nascita, ed alla mia condizione, se vi avessi pur pensato, e perciò ho scritta e sottoscritta la presente di mia propria mano.

Attestatio Pontificis. In Roma, questo dì XVIII aprile MDCLXIV.

Io MARIO CHIGI ».

§ 1. Nos, veritati testimonium perhibere, simulque conventis et promissis pro parte nostrâ per tractatum concordiae inter nostrum et dicti Ludovici regis plenipotentiarios die XII februarii proxime praeteriti Pisis conclusum, et subinde tam a nobis quam ab eodem Ludovico rege ratificatum, satisfacere volentes, eumdem Marium principem in omnibus illis quae dictâ die XX augusti MDCLXII contigerunt omnino inscium, atque vere innocentem esse harum serie attestamur.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXVI aprilis MDCLXIV, pontificatus nostri anno X.

Dat. die 26 aprilis 1664, pontif. an. x.

CDLXXII.

Absolutio amplissima ab omnibus excessibus et delictis in civitate Avenionensi et comitatu Venayssino commissis occasione et praetextu casus die XX *augusti in Urbe commissi* [1].

Alexander Papa VII, ad futuram rei memoriam.

Exordium. Assidua cordis nostri meditatio paternam charitatem nostram ad id praecipue convertit et sollicitat, ut nostrorum et Apostolicae Sedis etiam in temporalibus subditorum quieti, securitati et indemnitati, quantum nobis ex alto conceditur, prospicere iugiter studeamus.

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

Tractatus concordiae cum plenipotentiario regis christianissimi.

§ 1. Quoniam itaque in tractatu concordiae nuper, videlicet die XII februarii proxime praeteriti, inter nostrum ex unâ et carissimi in Christo filii nostri Ludovici regis christianissimi plenipotentiarios ex alterâ partibus Pisis concluso et stabilito, ac subinde tam a nobis quam a dicto Ludovico rege ratificato, inter alia, nempe articulo XIV ipsius tractatus, conventum fuit, quod idem Ludovicus rex, immediate postquam dilectus filius noster Flavius tituli S. Mariae de Populo S. R. E. presbyter cardinalis Chisius nuncupatus, noster secundum carnem ex fratre germano nepos, quem nostrum et dictae Sedis Apostolicae legatum ad dictum Ludovicum iam deputavimus, in conspectum regium venerit,

Sedis Apostolicae restitutio promissa.

§ 2. Nos et sanctam Sedem Apostolicam in possessionem civitatis Avenionensis et comitatus Venayssini nostrorum cum omnibus illorum pertinentiis et membris reponet, ac omnia acta, arresta, et alia quaecumque a curiâ parlamenti Aquensis circa hoc negocium facta, cassari et annullari curabit, sublato omni impedimento ad hoc ut eadem sancta Sedes illis sicut prius frui possit; quodque habitatores civitatis Avenionensis et comitatus Venayssini praefatorum, cuiuscumque status, qualitatis, conditionis et sexus existant, tam ecclesiastici quam laici, nobiles et plebei, non exceptâ ullâ personâ, quae sit originaria ex dictâ civitate vel comitatu, aut illic domicilium contraxerit, vel ibidem bona stabilia vel mobilia, feuda vel allodialia possideat, non molestabuntur, requirentur nec inquirentur, sub quocumque praetextu, de iis omnibus, quae secuta sunt in eisdem [1] civitate et comitatu a die XX augusti MDCLXII

1 Ed. Main. legit *eidem* pro *eisdem* (R. T.).

usque ad dictum tempus, quo memoratus Ludovicus rex nos et sanctam Sedem praefatam in possessionem civitatis et comitatus praefatorum reponet; et ipsi habitatores plenâ, pacificâ et tranquillâ securitate gaudebunt vigore et beneficio dicti tractatus; quodque nos daturi simus, bonâ fide, et absque ullâ reservatione tacitâ vel expressâ, omnes ordines, edicta, declarationes et assicurationes, quae praefatus Ludovicus rex desideraverit, ad hoc ut dicti cives Avenionenses ac incolae[1] totius comitatus praefati, directe vel indirecte, virtualiter vel expresse, sub clausulis in principio dicti articuli appositis comprehensi, tam Avenionenses et aliarum civitatum dicti comitatus, quam communitatum, oppidorum, castellorum et aliorum locorum subalternorum illius, non possint accipere ab officialibus nostris ullam molestiam, poenam et condemnationem, sive iudicialem sive extraiudicialem, nec in bonis, nec in personis, in odium, ultionem seu vindictam omnium illorum, quae in dictis civitate Avenionensi et comitatu facta et secuta sunt in consequentiam casus die XX augusti MDCLXII in hac almâ Urbe secuti; ac demum, quod, in executionem omnium conditionum supra narratarum, nos daturi simus supradictas expeditiones in meliori et magis authenticâ formâ, quam memoratus Ludovicus rex necessaria[2] existimaverit pro securitate et indemnitate dictorum habitatorum Avenionis totiusque comitatus, ut supra, et aliàs prout in dicto tractatu, cuius tenorem praesentibus pro plene et sufficienter expresso, ac de verbo ad verbum inserto haberi volumus, continetur:

Confirmat Pontifex quidquid per plenipotentiarios statutum est.

§ 3. Hinc est quod nos, sicut praefatum Ludovicum regem omnibus illis, quae eius nomine, sicut praemittitur, promissa, et per eum ratificata fuerunt, regiâ fide satisfacturum certo nobis pollicemur, ita quoque conventa pro parte nostrâ sincere pontificiâque fide ac omni animi promptitudine adimplere volentes, ac paternam nostram erga nostros et Apostolicae Sedis subditos charitatem et benignitatem demostrare cupientes, necnon omnium et singulorum civium, habitatorum, originariorum et incolarum civitatis Avenionensis et comitatus Venayssini nostrorum praefatorum, ac ibidem domiciliariorum, et bona stabilia et mobilia, feuda vel alliodialia illic quomodolibet possidentium, tam ecclesiasticorum quam laicorum utriusque sexus, nomina, cognomina, qualitates, statum, denominationes, nuncupationes, munera, officia, titulos, gradus, praeeminentias et dignitates, tam ecclesiasticas, seculares et regulares, quam mundanas, bonorumque huiusmodi quantitates, naturas, situationes, vocabula, confines, ac veros etiam annuos valores, omniumque singulorum, quae in eisdem civitate Avenionensi et comitatu Venayssino, ac illorum respective suburbiis, dependentiis, oppidis, castellis, terris, civitatibus et locis quibuscumque in consequentiam casus praefati die XX augusti MDCLXII in hac almâ Urbe secuti, ab inde citra, quovis modo, etiam contra nostram et dictae Sedis maiestatem et supremam potestatem, auctoritatem et iurisdictionem ecclesiasticam et temporalem, debitamque nobis et eidem Sedi obedientiam, subiectionem, observantiam et reverentiam, ac in spretum, vilipendium, damnum, iniuriam et contumeliam vicelegati, gubernatorum, locumtenentium, auditorum, iudicum, apparitorum, militum, officiariorum, aliorumve quorumlibet nostrorum et dictae Sedis ministrorum, acta, facta, gesta et attentata fuerunt hactenus,

1 Edit. Main. legit *incola* (R. T.).

2 Lege *necessariam* vel *necessarium* (R. T.).

quaeque in futurum usque ad restitutionem naturalis possessionis civitatis Avenionensis et comitatus Venayssini nostrorum praefatorum, nobis et dictae Sedi Apostolicae a memorato Ludovico rege ut praefertur faciendam, quomodolibet agi, fieri, geri, vel attentari contigerit, seriem, qualitates, causas, occasiones et circumstantias quascumque, etiam factum ipsum quomodocumque et qualitercumque ac quantumcumque aggravantes, mutantes et alterantes, ac etiam laesae maiestatis, etiam in primo capite seditionis, rebellionis, conspirationis, vis publicae et armatae, aliave quaecumque crimina et delicta, quantumlibet atrocia et enormia, ac gravissima et enormissima, importantes, seu inducentes, et alia quaecumque, etiam specialem et individuam mentionem et expressionem requirentia, etiamsi talia sint, ut, nisi nominatim et sigillatim enumerentur, sub quacumque generali et generalissimâ expressione etiam in favorabilibus non veniant nec comprehensa censeantur, praesentibus pro plenissime et sufficientissime ac sigillatim et nominatim accuratissimeque, et nihil penitus omisso, expressis, annotatis, specificatis et enumeratis habentes et semper haberi debere decernentes:

Et absolutionem ab omnibus delictis hac occasione patratis concedit.

§ 4. Motu proprio, ac ex certâ scientiâ nostrâ, et maturâ deliberatione meâque liberalitate nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, omnes et singulos cives, habitatores, originarios, domiciliarios et incolas civitatis Avenionensis et comitatus Venayssini nostrorum praefatorum, ac bona stabilia, mobilia, feudalia et allodialia in eis quomodolibet possidentes, tam ecclesiasticos, seculares et regulares, quam laicos, cuiuscumque status, sexus, gradus, ordinis, congregationis, societatis, vel instituti, militiae, dignitatis, tam ecclesiasticae, etiam archiepiscopalis et episcopalis, quam temporalis seu mundanae, praeeminentiae, praerogativae et conditionis existant, necnon civitatis Avenionensis et comitatus Venayssini huiusmodi illorumque respective suburbiorum, oppidorum, terrarum, civitatum, locorum, pertinentiarum et dependentiarum quarumcumque communitates, universitates et homines, consules, priores, rectores, viguerios, gubernatores, vicarios, apparitores, barisellos, satellites, notarios, scribas actuarios, graphiarios, tabelliones, aliosve quoslibet officiales et ministros quomodolibet nuncupatos, ac marchiones, comites, barones, magnates, optimates, illustres, nobiles, domicellos, patritios, et quovis titulo et praerogativâ insignitos, qui in consequentiam, seu occasione, obtentu vel praetextu casus supradicti die XX augusti MDCLXII in hac almâ Urbe secuti ab inde citra usque ad praesentem diem quomodocumque et qualitercumque et quantiscumque vicibus etiam adversus nostram et dictae Sedis Apostolicae maiestatem, dignitatem, supremum dominium, potestatem, auctoritatem et iurisdictionem ecclesiasticam et temporalem, debitamque ac etiam iuratam nobis et eidem Sedi fidelitatem, obedientiam, subiectionem, homagium, fidem, observantiam et reverentiam, necnon in spretum, contemptum, vilipendium, damnum, iniuriam et contumeliam vicelegati, gubernatorum, magistratuum, aliorumque officiariorum et ministrorum nostrorum praefatorum, seu alicuius eorum, sive pro subvertendo, turbando, mutando, vel alterando antiquo regimine et gubernio civitatis Avenionensis et comitatus Venayssini, aliarumque civitatum, oppidorum et locorum praedictorum, aliquid etiam gravissimum et atrocissimum fecerunt, egerunt, gesserunt, commiserunt, perpetrarunt,

dixerunt, machinati sunt et attentarunt, seu fieri, agi, geri, committi, perpetrari, dici, machinari et attentari curarunt vel permiserunt, aut aliis, similia facientibus, machinantibus et attentantibus, auxilium, consilium, favorem, auctoritatem, opem, subsidium, vel adminiculum, publice vel occulte, directe vel indirecte, tam coniunctim quam divisim, et aliàs quomodolibet praestiterunt, vel illis obtemperarunt et obsecuti sunt, a praemissis omnibus et singulis delictis, reatibus et criminibus, etiam laesae maiestatis, in quocumque capite, etiam primo, rebellionis, seditionis, conspirationis, ac vis publicae et armatae, et iniuriae principi, magistratibus, iurisdictioni et personis publicis in nostrâ et dictae Sedis tutelâ et salvaguardiâ existentibus quomodolibet illatae, aliisve quibuslibet excessibus quantumcumque gravibus, atrocibus et enormibus, ac gravissimis, atrocissimis et enormissimis, ex praemissis seu eorum aliquo qualitercumque et quomodocumque resultantibus et consurgentibus, atque[1] inde resultare et consurgere praetendi, censeri, vel intelligi, seu induci quovis modo possent, etiam quantumlibet continuatis et iteratis, necnon excommunicationis latae sententiae, suspensionis et interdicti, aliisque sententiis et censuris, ac etiam capitis et ultimi supplicii laesaeque maiestatis, rebellionis et aliorum criminum et delictorum huiusmodi, ac amissionis privilegiorum, gratiarum et indultorum a dictâ Sede Apostolicâ concessorum, privationis, confiscationis, publicationis, caducitatis et devolutionis quorumcumque titulorum, honorum, insignium, dignitatum, ecclesiarum, monasteriorum, beneficiorum, munerum, officiorum, castrorum, terrarum, villarum, casalium, praediorum, possessionum, domorum, palatiorum, censuum, locorum montium, societatum, officiorum, fideicommissorum, substitutionum, primogeniturarum, maioricatuum, fructuum, emolumentorum, creditorum, rerum, iurium et actionum, aliorumque bonorum, tam mobilium quam immobilium, dominiorum, feudorum etiam ecclesiasticorum et iurisdictionalium, merumque et mixtum imperium, gladii potestatem, vassallagia et alia regalia habentium, ac allodialium et emphyteuticorum, cuiuscumque quantitatis et qualitatis existentium, tam de praesenti quam in futurum quomodolibet et qualitercumque et ex quavis causâ competentium, aliisque tam corporis afflictivis, quam bonorum districtivis, ceterisque tam spiritualibus quam temporalibus poenis, a iure vel ab homine, ac etiam per quascumque Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum et nostras constitutiones, ordinationes et sanctiones, necnon leges publicas, edicta, bannimenta et decreta quaelibet, etiam cameralia et consistorialia, etiam contra periuros, fidelitatisque debitae et iuratae violatores, et aliàs quomodolibet inflictis et impositis, quas propter omnia et singula praemissa, illorumque seu alicuius eorum causâ et occasione, quovis modo incurrerunt, aut incurrisse dici, censeri, praetendi, intelligi vel allegari possent, quasque pati et luere deberent, etiamsi maiores supra expressis, et quantumcumque graves forent, specialemque et individuam notam et expressionem requirerent, ac etiamsi ipsi vel eorum aliqui aliàs similia vel dissimilia, etiam gravissima, et supradictis graviora crimina, delicta et excessus commiserint et desuper absolutionem et gratiam semel, iterum et pluries etiam a nobis et dictâ Sede obtinuerint, tenore praesentium in utroque foro ple-

1 Pro *atque* legerem *et quae* (R. T.).

nissime absolvimus, penitusque ac omnino et totaliter liberamus.

Necnon ab incursu censurarum.

§ 5. Quinimo illos omnes et singulos ab incursu censurarum et poenarum huiusmodi ex causâ et ratione continuationis et iterationis, novaeque commissionis et perpetrationis similium vel dissimilium excessuum, criminum et delictorum, quae per eos, seu eorum aliquem, usque ad diem, quo memoratus Ludovicus rex nos et sanctam Sedem Apostolicam praefatam in possessionem civitatis Avenionensis et comitatus Venayssini nostrorum praefatorum, sicut praemittitur, reponet, communiter vel divisim, et aliàs quovis modo et qualitercumque continuari, repeti et iterari, ac de novo quantiscumque vicibus committi, perpetrari vel attentari contigerit, praeservamus, ac praeservatos, illisque nullatenus obnoxios, atque ex nunc, prout ex tunc, et e contra, respective absolutos et plenissime liberatos esse et fore decernimus et declaramus, omnesque et singulas culpas, reatus, excessus, delicta, crimina, circumstantias et poenas huiusmodi illis et eorum cuilibet gratiose remittimus et condonamus.

Et in pristinum statum delinquentes reponit.

§ 6. Ac illos omnes et singulos ad pristinam famam, statum, honores, titulos, gradus, dignitates, etiam ecclesiasticas, monasteria, etiam consistorialia, beneficia, privilegia, gratias et indulta apostolica, praerogativas, praeeminentias, castra, terras, villas, casalia, praedia, possessiones, domos, palatia, census, loca montium, societates officiorum, mobilia, immobilia, feuda, allodialia, et alia bona quaecumque etiam iurisdictionalia ac emphyteutica et ecclesiastica, necnon iurisdictiones, dominia, vassallos, et alia regalia, iura, officia, etiam ecclesiastica, munera, credita, res et actiones, fideicommissa, tam purificata quam purificanda, substitutiones, donationes, primogenituras, maioratus, proprietates, fructus, tam hactenus seu medio tempore decursos, quam decursuros, et quaecumque alia ad ipsos et eorum quemlibet spectantia, eisque et eorum cuilibet undecumque et quomodocumque competentia et debita, ad hoc ut ipsi omnes et singuli praemissa omnia et singula ut prius habere, possidere, retinere, administrare et de illis disponere, illorumque fructus, iura, obventiones et emolumenta quaecumque percipere, exigere, levare, ac in suos usus et utilitatem convertere, necnon privilegiis, indultis, praerogativis, praeeminentiis, facultatibus, concessionibus, et aliis gratiis tam spiritualibus quam temporalibus sibi respective quomodolibet concessis et competentibus uti, frui, potiri et gaudere libere et licite valeant, ac denique in pristinum, et eum in quo ante dictam diem XX augusti MDCLXII quomodolibet erant, sique omnia et singula subinde sequuta nullatenus contigissent quovis modo reperirentur, statum in omnibus et per omnia ac quoad omnia, perinde ac si de praemissis nunquam cogitassent, restituimus, reponimus et plenarie reintegramus, ac restitutos, repositos et plenarie reintegratos esse volumus, pariterque decernimus et declaramus; necnon omnem et quamcumque et qualemcumque inhabilitatis et infamiae, tam iuris quam facti, ac irregularitatis, et aliam quamlibet maculam sive notam ex praemissis quomodolibet insurgentem vel contractam, ab ipsis omnibus et singulis respective penitus et omnino tollimus, abstergimus et abolemus, ac per praemissa eorum omnium vel singulorum statui, honori, famae, titulis, dignitatibus, ecclesiis, monasteriis, beneficiis, officiis, iurisdictionibus, dominiis, regalibus, feudis, allodialibus, investituris, maioratibus, primogenituris, fideicom-

missis, substitutionibus, rebus, fructibus, ceterisque bonis mobilibus et stabilibus, privilegiis, gratiis et indultis apostolicis, ac iuribus, et aliis praefatis, nullum omnino praeiudicium etiam minimum illatum, exortum vel inductum, nec aliquod ius fisco nostro vel camerae nostrae apostolicae, seu cuicumque alteri, in illis vel ad illa acquisitum, aut in alios translatum fuisse, nec esse, nec unquam fore, decernimus similiter et declaramus.

Nec ullo unquam tempore de patratis a delinquentibus inquiri iubet.

§ 7. Volentes et statuentes praefatos omnes et singulos nullo unquam tempore super praemissis, seu eorum aliquo, vel aliquibus, etiam hîc minus plene et sufficienter specificatis et expressis, ac etiam penitus occultis, illorumque dependentibus, annexis et connexis, ac inde sequutis et sequuturis quibuscumque, eorumque causâ, occasione et ratione, quovis praetextu et quaesito colore aut ingenio, capi, carcerari, inquiri, accusari, denunciari, querelari, arrestari, interrogari, vel examinari, aut aliàs in eorum personis, feudis, allodialibus, bonis mobilibus et stabilibus, privilegiis, gratiis et indultis, iuribus et rebus quibuslibet, aliisque supra expressis, civiliter, criminaliter vel mixtim, aut aliàs quomodolibet, directe vel indirecte, publice vel occulte, coniunctim vel divisim, perturbari, molestari, vexari, inquietari, aut impediri a quibusvis iudicibus et personis quacumque auctoritate et potestate fungentibus et functuris, etiam S. R. E. cardinalibus, et sacro illorum collegio, posse neque debere. Et nihilominus omnibus et singulis legatis, vicelegatis, gubernatoribus, iudicibus, barigellis, capitaneis, ceterisque iustitiae ministris praesentibus et futuris tam urbis et civitatis Avenionensis ac comitatus Venayssini praefatorum, quam universi Status Ecclesiastici nobis mediate vel immediate subiecti, etiam eiusdem S. R. E. cardinalibus eorumque collegio, ac quibuscumque aliis personis interesse quomodolibet habentibus et habere praetendentibus, ne aliquid in personas, feuda, allodialia, res, vel bona mobilia et stabilia, iura, aliaque supradicta omnium et singulorum praefatorum, aut aliàs quidquam aliud in eorum seu cuiuslibet eorum praeiudicium contra tenorem praesentium facere vel attentare quoquo modo audeant seu praesumant, districtius inhibemus et praecipimus, ac illis omnibus et singulis, necnon etiam fisco nostro, ipsiusque fisci procuratori, perpetuum desuper silentium harum serie imponimus, osque occludimus.

Imo quoscumque processus occasione praemissorum irritat.

§ 8. Ac quascumque informationes, inquisitiones, relationes, examina et processus, aliave acta, sive iudicialia, sive extraiudicialia, si quae contra praefatos omnes et singulos, occasione vel causâ praemissorum, seu alicuius eorum, ac inde sequutorum et sequuturorum seu dependentium quorumcumque, per quoscumque legatos, vicelegatos, praesidentes, gubernatores, auditores, iudices et alios quoslibet nostros et Sedis praefatae officiales et ministros, quacumque auctoritate et potestate fungentes, ubicumque et quandocumque facta, formata et fabricata fuerint, cassamus, irritamus et annullamus, viribusque et effectu penitus et omnino vacuamus, ac ab omnibus et singulis, ad quos spectat et pertinet, seu spectabit quovis modo in futurum, de libris, notis et scripturis, in quibus aliqua illorum mentio facta reperiatur, omni morâ et contradictione seu tergiversatione remotâ, confestim cassari, deleri et aboleri, et ex nunc pro cassatis, deletis, abolitis, annullatis, irritis, viribusque et effectu vacuis penitus et omnino haberi et censeri volumus et mandamus, illisque nullam prorsus fidem in iudicio vel extra illud ubicumque

haberi, perinde ac si nunquam emanassent aut extitissent, omnesque et singulos praefatos ad verificanda praemissa, aut ea vel illorum aliqua, eorumque causas, loca, tempora, qualitates et circumstantias in iudicio vel extra illud exprimenda vel revelanda nullatenus teneri, neque ad id, nullo unquam tempore, invitos cogi vel compelli posse, solasque praesentes litteras ad probationem, verificationem et iustificationem omnium et singularum gratiarum praemissarum sufficere, nec alterius probationis adminiculum ad hoc requiri, ipsasque praesentes litteras, etiam ex eo quod motu proprio emanaverint, nec fisci nostri procurator et camerae nostrae apostolicae commissarius generalis, aliique nostri et dictae Sedis officiales et ministri, ceterique desuper interesse habentes seu habere praetendentes, ad praemissa vocati, citati et auditi fuerint, neque cum eis concordatum extiterit, ipsique ad id non consenserint, seu quod non sic sed aliter factum se habuerit, et praemissa cum eorum circumstantiis et qualitatibus etiam quantumcumque aggravantibus tam personarum quam rerum, temporum et locorum, aliove quovis respectu, expressa et specificata non sint, et ex quibusvis aliis causis quantumvis legitimis et iuridicis, ac ex quocumque praetextu, titulo et capitulo, etiam in corpore iuris clauso, de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrae vel quopiam alio quantumlibet magno, substantiali, formali, incogitato et inexcogitabili defectu notari, impugnari, redargui, infringi, retractari, limitari, modificari, rescindi, annullari, ad terminos iuris reduci, vel adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque iuris, facti vel gratiae remedium impetrari, seu etiam motu, scientiâ et potestatis plenitudine paribus concedi, aut ita concesso quempiam in iudicio vel extra illud uti nullatenus unquam posse, minusque easdem praesentes litteras sub quibusvis similium vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus vel aliis contrariis dispositionibus, etiam per nos et Romanos Pontifices successores nostros, Sedemque praefatam, sub quibuslibet verborum tenoribus et formis, ac cum quibusvis clausulis et decretis quandocumque faciendis comprehendi, aut comprehensas censeri, sed semper ab illis exceptas, et quoties illae emanaverint, toties in pristinum, firmissimumque et validissimum, eumque in quo antea quomodolibet erant, statum restitutas, repositas et plenarie reintegratas, et de novo etiam sub quacumque posteriori datâ, per eos, ad quos spectat et pro tempore spestabit, eorumve quemlibet, quandocumque eligendâ, concessas intelligi, perpetuoque validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac inviolabiliter et inconcusse observari, omnibusque et singulis praefatis, ut supra, in omnibus et per omnia plenissime suffragari.

Ab omnibus iudicari secundum praesentium litterarum tenorem.

§ 9. Necnon, in eventum quo super praemissis, aut eorum aliquâ parte, ambiguitatem, controversiam, dubium, litem vel contentionem iudicialiter vel extraiudicialiter oriri vel moveri contigerit, semper ad omnium et singulorum praefatorum commodum, utilitatem et favorem resolvi, decidi, decerni et interpretari, sicque et non aliter in omnibus et singulis praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos, ipsorumque cardinalium collegium, necnon camerarium seu pro-

camerarium, thesaurarium generalem, praesidentes, clericos et commissarium generalem, vicelegatos, rectores, gubernatores, aliosve quoslibet Sedis et camerae praefatarum officiales et ministros, quacumque praeeminentiâ, auctoritate et potestate praeditos[1], suffultos et fungentes, ac quandocumque functuros, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretendi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane quidquid secus super his per quoscumque, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, decernimus pariter et declaramus.

Contrariis derogat.

§ 10. Non obstantibus omnibus et singulis praemissis, ac felicis recordationis Pii IV et Pii V Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum, quibus cavetur huiusmodi gratias seu absolutiones non valere nisi reis constitutis in carceribus, necnon eiusdem Pii IV praedecessoris de gratiis qualecumque interesse camerae apostolicae praefatae quomodolibet concernentibus in eâdem camerâ intra certum inibi expressum tempus praesentandis, registrandis seu insinuandis, ita ut praesentes litterae, etiamsi in ipsâ camerâ vel in alio quovis tribunali aut loco nunquam praesententur, registrentur aut insinuentur, nihilominus valeant, firmissimeque subsistant, ac omnibus et singulis praefatis, quos concernunt, plenissime ac amplissime suffragari debeant, aliisque dicti Pii IV et recolendae memoriae Iulii III, Gregorii XIII et Sixti V Romanorum Pontificum praedecessorum pariter nostrorum, et praesertim eiusdem Sixti praedecessoris, quae incipiunt *Hoc nostri pontificatus, etc.*, sub datum halendis iulii MDLXXXV, et *Dum pro commissi, etc.*, sub datum XI kalendas martii MDLXXXVIII, respective emanatis, necnon nostris et cancellariae apostolicae regulis, praecipue illâ de non tollendo iure quaesito, ceterisque quibuslibet apostolicis, ac in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, legibus quoque etiam imperialibus et municipalibus, edictis, bannimentis, stabilimentis ac decretis, etiam cameralibus et consistorialibus, cameraeque et civitatis Avenionensis et comitatus Venayssini praefatorum, aliorumve quorumvis locorum, et aliis quibuslibet, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis, eorumque reformationibus et novis additionibus, stylis, usibus et consuetudinibus, etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis etiam civitati Avenionensi, comitatui Venayssino, ac fisco et camerae praefatis, eorumque officialibus et ministris, aliisque quibuslibet personis et locis per quoscumque Romanos Pontifices praedecessores nostros, ac per nos et Sedem praefatam, etiam motu, scientiâ et potestatis plenitudine similibus, ac etiam consistorialiter, et aliàs quomodolibet, sub quibuscumque verborum tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis, in genere vel in specie, ac aliàs in contrarium quomodolibet concessis, confirmatis, approbatis et saepius innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, individua et expressa, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut ali-

1 Male edit. Main. legit *praedictos* pro *praeditos* (R. T.).

qua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso insererentur, praesentibus pro expressis ac sufficienter specificatis et insertis, formasque in illis traditas pro servatis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, harum serie, specialiter et expresse ac latissime et plenissime derogamus, ac derogatum esse volumus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides.

§ 11. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra illud habeatur, quae praesentibus ipsis haberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXVI aprilis MDCLXIV, pontificatus nostri anno X.

Dat. die 26 aprilis 1664, pontif. anno X.

CDLXXIII.

Revocatio et annullatio mandatorum et praeceptorum domino cardinali Maidalchino factorum, ut extra Urbem habitaret, seque in loco seu locis determinatis contineret, cum absolutione propter transgressionem mandatorum huiusmodi, suumque e Statu Ecclesiastico egressum, et restitutione ad quaecumque privilegia, cum decreto, quod eius familiares, qui consilio, scripturâ vel operâ casui die XX *augusti* MDCLXII *in Urbe secuto, et ipsius domini cardinalis egressui praefato cooperati sunt, molestari non possint*[1].

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

Dilecto filio nostro Francisco S. Mariae in Porticu S. R. E. diacono cardinali Maidalchino nuncupato,

Alexander Papa VII.

Dilecte fili noster,
salutem et apostolicam benedictionem.

Exordium.

Circumspectionis tuae erga nos et Sedem Apostolicam fides et devotio, ac praecipuus, quo te in Domino prosequimur, charitatis affectus, nos inducunt, ut quieti, securitati et indemnitati tuae, quantum nobis ex alto conceditur, benigne consulamus.

Cardinalem Maidalchinum egressum e Statu Pontificio et in Galliam profectum

§ 1. Cum itaque tibi aliàs iussu nostro semel vel pluries mandatum seu praeceptum fuerit, ut e Romanâ Curiâ et almâ Urbe nostrâ egredereris, teque in districtu civitatis nostrae Viterbiensis et Terrae Caprarolae contîneres; et tu quidem debitam illico obedientiam mandatis nostris huiusmodi praestiteris, verum, occasione eorum quae subinde consecuta sunt, ad requisitionem carissimi in Christo filii nostri Ludovici regis christianissimi, iam inde a mense ianuario MDCLXIII, licet mandata seu praecepta praefata revocata non essent, nec licentiam eâ super re a nobis petiisses, nihilominus temporali Status nostri Ecclesiastici ditione egressus fueris, ac in Status dilecti filii nobilis viri Raynutii Parmae et Placentiae ducis, aliasque Italiae civitates te contuleris, et postea in Galliam transieris; unde inferri posset te mandata seu praecepta nostra huiusmodi transgressum esse, ac in contraventionem diversarum constitutionum apostolicarum, et praesertim felicis recordationis Innocentii Papae X praedecessoris nostri, quae incipit *Cum iuxta sacrorum canonum dispositionem, etc.*, incurrisse; tametsi revera tuae intentionis nunquam fuerit debitam nobis ac constitutionibus apostolicis praefatis obedientiam et observantiam ullo modo violare;

Ad Urbem redire et solitis praerogativis frui postulat rex christianissimus.

§ 2. Cumque propterea memoratus Ludovicus rex securitati tuae provisum esse desideret, ac in tractatu concordiae Pisis inter nostrum et eiusdem Ludovici regis plenipotentiarios die XII februarii proxime praeteriti concluso, et postea tam a nobis quam ab eodem Ludovico rege ratificato, inter alia per specialem articulum ipsius tractatus conventum et nomine nostro promissum fuerit nos, rem gratam dicto Ludovico regi faciendi ergo, tibi permissuros esse ut de praesenti ad almam Urbem praefatam revertaris, ad hoc ut ibidem in futurum omnibus praerogativis tuae dignitatis frui, ac functiones cardinalitias exercere valeas, teque non iri inquietatum vel molestatum ex causâ cuiuscumque praeiudicii quod incurrisses quia Statu Ecclesiastico egressus fuisti, quemadmodum tibi ab eodem Ludovico rege significatum fuerat, ac nostras in simili formâ Brevis litteras tibi super his concessum iri pro maiori tuâ securitate, iuxta desiderium praefati Ludovici regis, cum reintegratione in bonis, in casum quo ratione dicti egressus e Statu Ecclesiastico damnum acceperis:

A censuris in primis cardinalem praedictum absolvit Pontifex.

§ 3. Hinc est quod nos, in executionem tractatus huiusmodi, et iuxta illius articulum supra expressum, rem gratam memorato Ludovico regi facere, simulque paternum nostrum in te affectum demonstrare, et clementiâ nostrâ erga te uti volentes, ad instantiam ipsius Ludonici regis, ac ex certâ scientiâ et maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, te in primis ab interdictis, aliisve quibuslibet censuris, quibus quomodocumque innodatus esse posses, ad effectum praesentis gratiae dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, omnia mandata, praecepta, seu iussa, sive iudicialiter, sive extraiudicialiter, quocumque tempore, in scriptis, vel oretenus, data seu facta, et per quamcumque personam mediate vel immediate tibi significata, ut extra Urbem praefatam habitares, vel a quocumque loco non discederes, sive in loco vel locis determinatis remaneres, tenore praesentium revocamus, cassamus, irritamus et annullamus, viribusque et effectu penitus et omnino vacuamus, et revocata, cassata, irritata et annullata, viribusque et effectu penitus et omnino vacua esse volumus, in omnibus et per omnia perinde ac si nunquam facta, data, tibique significata seu intimata fuissent, nec unquam emanassent, ita ut nullo unquam tempore ex quacumque causâ, praetextu vel colore inquietari vel molestari possis ratione cuiusvis actus contraventionis vel inobedientiae ex causis supradictis.

Neque in poenas a bullis Pontificum comminatas incidisse declarat.

§ 4. Et quia mentis nostrae est te ad habitationem dictae Urbis, et consequenter ad exercitium functionum tuae dignitatis, ac ad omnes et quascumque praerogativas, privilegia, iura et actiones, quae tibi, antequam mandata, praecepta, seu iussa praefata emanarent, competebant, plenarie et integre restitutum et reintegratum intelligi, nec ad cuiuscumque instantiam, tam pro tempore post emanata mandata et praecepta seu iussa huiusmodi lapso, quam in futurum respectu eorum quae consecuta sunt, ullam unquam molestiam, ullumve damnum seu praeiudicium etiam minimum in ullâ re, quae personam vel bona seu utilitates tuas concernant, pati posse vel debere: idcirco, ex eisdem causis gratificandi dicto Ludovico regi, et articulum supra expressum dicti tractatus concordiae adimplendi, ac ut ostendamus quantopere ad rem gratam eidem Ludovico regi faciendum, teque in futurum paternâ benevolentiâ ac omni affectus et clementiae significatione prosequendum

propensi simus, ad instantiam ipsius Ludovici regis, ac ex certâ scientiâ et maturâ deliberatione, deque apostolicae potestatis plenitudine paribus, te nullum omnino praeiudicinm ex causâ seu ratione poenarum in praefatâ Innocentii aliisve quibuslibet Romanorum Pontificum praedecessorum pariter nostrorum constitutionibus eiusdem seu similis naturae existentibus commemoratarum pati vel recipere debere volumus, ordinamus et declaramus; et, quatenus in poenas huiusmodi incurreris, seu incurrisse quoquo modo dici, praetendi vel intelligi posses, te ab interdicti ingressus ecclesiae, aliisve quibuslibet censuris et poenis ecclesiasticis et temporalibus per praefatas Innocentii praedecessoris et alias costitutiones apostolicas quomodolibet impositis, et aliis etiam quantumlibet gravioribus et maioribus, ac individuâ mentione specialique notâ dignis, ad quarum declarationem et executionem a nobis vel Romanis Pontificibus successoribus nostris contra te propter praemissa quovis modo deveniri[1] posset, earumdem tenore praesentium absolvimus et totaliter liberamus, dictasque[2] poenas tibi gratiose remittimus et condonamus, ac te ab eisdem poenis absolutum, nec illis ullatenus obnoxium esse vel fore, decernimus et declaramus, in omnibus et per omnia perinde ac si praefato Statu Ecclesiastico, sicut praemittitur, egressus non fuisses, nec eisdem Innocentii et aliorum praedecessorum constitutionibus ullo modo contravenisse reperireris[3]; omnemque inhabilitatis, seu inobedientiae, aliamve quamlibet maculam, sive notam ex praemissis quomodocumque consurgentem, seu quae inde quomodolibet induci vel inferri posset, abs te penitus et omnino abstergimus et abolemus.

Aliaque cardinali praedicto concedit ut in rubricâ.

§ 5. Praeterea te, adversus praemissa et quaecumque praeiudicalia tibi inde quomodolibet enata, ad omnia et singula privilegia, immunitates, exemptiones, facultates et indulta quaecumque, etiam conferendi et commendandi beneficia ecclesiastica, ac transferendi pensiones, seu fructus ecclesiasticos loco pensionum, tibi auctoritate apostolicâ reservatas et reservatos, necnon testandi et disponendi de rebus et bonis tuis, etiam paramentis et ornamentis ecclesiasticis, ac sacris supellectilibus cappellae tuae cardinalitiae, tibi per Sedem Apostolicam concessa et quomodolibet competentia, seu quae tibi antequam e praefato Statu Ecclesiastico, sicut praemittitur, egredereris, quovis modo competebant, eorumque omnium et singulorum liberum usum et fruitionem in integrum et pristinum, ac eum, in quo, priusquam e Statu Ecclesiastico huiusmodi, ut praefertur, egredereris, quomodolibet eras, statum restituimus, reponimus et plenarie reintegramus, illaque omnia et singula tibi harum serie confirmamus; ac quascumque provisiones, collationes, nominationes, commendas et dispositiones de beneficiis huiusmodi, necnon pensionum et fructuum ecclesiasticorum praefatorum translationes, ac bonorum, ad ecclesias, prioratus, monasteria, aliaque beneficia ecclesiastica quaecumque per te in titulum, commendam vel administrationem, seu aliàs quomodolibet obtenta et possessa spectantium, in emphyteusim perpetuam vel ad tempus concessiones, et eiusmodi concessionum renovationes, si quas post praefatum tuum e Statu Ecclesiastico egressum quovis modo feceris, dummodo ceteroquin canonice factae fuerint, validamus et confirmamus, validasque, firmas et efficaces existere et

1 Ed. Main. legit *devenire* (R. T.).
2 Edit. Main. habet *dictaque* (R. T.).
3 Ed. Main. habet *reperiveris;* alios errores minoris momenti praeterimus (R. T.).

fore ac suos plenarios et integros effectus sortiri et obtinere debere decernimus pariter et declaramus.

Et de omnibus redditibus ecclesiasticis tam decursis quam decurrendis frui

§ 6. Volentes te propter causas supradictas a perceptione fructuum, reddituum, proventuum, iurium, obventionum et emolumentorum quorumcumque, omnium et singularum dignitatum, ecclesiarum, monasteriorum, prioratuum, beneficiorum, officiorum et munerum tuorum quorumlibet, ac iurisdictionis ecclesiasticae et temporalis, quam antehac habueris, nullo modo sive in perpetuum sive ad tempus cecidisse, idque non solum quoad perceptionem et recuperationem omnium fructuum, reddituum, proventuum, iurium, obventionum et emolumentorum huiusmodi, quae durante tuâ a memorato Statu Ecclesiastico absentiâ decurrerunt, sed etiam quoad integram actionem et ius prosequendi perceptionem et recuperationem eorumdem fructuum, reddituum, proventuum, iurium, obventionum et emolumentorum, tam iudicialiter quam extraiudicialiter contra quamcumque personam, quae sub quovis praetextu tenoris praefatae constitutionis Innocentii praedecessoris, seu ex quocumque alio iure vel concessione cuiuslibet naturae, ex causâ tamen et occasione contraventionis supradictorum mandatorum, praeceptorum et iussorum, ac egressus tui e Statu Ecclesiastico huiusmodi fundos vel redditus, aut iura, quae ad te prius spectabant et nunc spectant, sibi appropriare praetendere valeret, ad quam actionem et ius te pariformiter harum serie restituimus et plenarie reintegramus; ac, in gratiam supradicti Ludovici regis, tibi, ut ad almam Urbem praefatam reverti, omnibusque et singulis tuae cardinalitiae dignitatis honoribus et praerogativis uti, frui, potiri et gaudere, necnon omnes functiones cardinalitias, quemadmodum omnes et singuli venerabiles fratres nostri S. R. E. cardinales facere solent, pariformiter exercere libere et licite possis et valeas, permittimus[1], concedimus et indulgemus.

Familiares etiam cardinalis praedicti pro reatibus tali occasione incursis non molestari decernit.

§ 7. Ceterum, ut benevolentiam erga te nostram uberiori significatione testatam faciamus, omnes et singulos familiares tuos, qui consilio, scripturâ, vel operâ casui die xx augusti MDCLXII in Urbe praedictâ sequuto, tuoque e Statu Ecclesiastico egressui, et seu illorum annexis et connexis, dependentibus, vel inde sequutis quibuscumque, quae praesentibus pro plene et sufficienter expressis et specificatis haberi volumus, aliquid contribuerint, seu desuper quicquam, sive magnum sive parvum, principaliter vel accessorie, aut aliàs quomodolibet egerint vel fecerint, seu contribuere, agere vel facere potuerint eâ de causâ, ratione vel occasione, sub quovis praetextu, colore vel ingenio a quibusvis iudicibus et personis quacumque auctoritate et potestate fungentibus et functuris ac eiusdem S. R. E. cardinalibus et sacro illorum collegio in personis, bonis, iuribus et rebus suis civiliter, criminaliter, vel mixtim et aliàs quomodolibet, directe vel indirecte, publice vel occulte, molestari, perturbari, vexari, inquietari vel impediri, seu capi, carcerari, arrestari, interrogari, examinari, aut inquiri nullatenus posse neque debere, decernimus similiter, ac ordinamus et declaramus.

Pontifex irritat processus omnes his de causis factos.

§ 8. Et nihilominus omnibus et singulis legatis, vicelegatis, gubernatoribus, iudicibus, barigellis, capitaneis, ceterisque iustitiae ministris praesentibus et futuris, tam dictae Urbis quam universi Status Ecclesiastici nobis mediate vel immediate subiecti, etiam S. R. E. cardi-

1 Ed. Main. legit *praemittimus* (R. T.).

nalibus, eorumque collegio, ac quibuscumque aliis personis interesse quomodolibet habentibus et praetendentibus, ne aliquid in personas, res, bona vel iura tua, tuorum familiarium praefatorum, seu alicuius eorum respective, aut quidquam aliud in tuum eorumque seu cuiuslibet eorum praeiudicium contra tenorem praesentium facere vel attentare quoquo modo audeant seu praesumant, districtius inhibemus et praecipimus; necnon illis omnibus, ac etiam fisco nostro, ipsiusque fisci procuratori perpetuum desuper silentium harum serie imponimus, ac quascumque informationes, inquisitiones, relationes, examina et processus, aliaque acta, sive iudicialia, sive extraiudicialia, si quae contra te, vel familiares tuos praefatos, aut eorum aliquem, praemissorum ac inde sequutorum ac dependentium causâ vel occasione, per quoscumque legatos, vicelegatos, praesidentes, gubernatores, eorumque locatenentes et alios quoslibet nostros et Sedis Apostolicae officiales et ministros, quacumque auctoritate et potestate fungentes, ubicumque, etiam in Urbe praefatâ et quandocumque facta, formata et fabricata fuerint, cassamus pariter et irritamus, ac annullamus, viribusque et effectu vacuamus, et ab omnibus et singulis, ad quos spectat et pertinet, de libris, notis et scripturis, in quibus aliqua illorum mentio facta reperitur, omni morâ et contradictione remotâ, confestim cassari, deleri et aboleri, ac ex nunc pro cassis, deletis et abolitis, annullatis, irritis, viribusque et effectu vacuis penitus et omnino haberi et censeri volumus et mandamus, illisque nullam prorsum fidem in iudicio vel extra illud ubicumque haberi, perinde ac si nunquam extitissent, teque et familiares tuos praefatos ad verificanda praemissa, aut ea, vel illorum aliqua, eorumque causas, loca, tempora, personas, qualitates et circumstantias in iudicio vel extra illud exprimenda et revelanda nullatenus teneri, neque ad id ullo unquam tempore invitos cogi vel compelli posse, solasque praesentes ad probationem omnium et singulorum praemissorum sufficere, nec alterius probationis adminiculum ad hoc requiri; easdem autem praesentes litteras, et in eis contenta quaecumque, etiam ex eo quod fisci nostri procurator et camerae nostrae apostolicae commissarius generalis, aliique nostri et dictae Sedis officiales et ministri, ceterique desuper interesse habentes seu habere praetendentes, ad praemissa vocati non fuerint, nec cum eis concordatum extiterit, ipsique ad id non consenserint, seu quod non sic sed aliter factum se habuerit, et praemissa cum eorum circumstantiis et qualitatibus etiam quantumcumque aggravantibus tam personarum quam rerum et locorum aliove quovis praetextu expressa et specificata non sint, seu ex quibusvis aliis causis quantumvis legitimis et iuridicis, ac ex quocumque praetextu, titulo et capite, etiam in corpore iuris clauso, de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrae vel quopiam alio quantumlibet magno et substantiali defectu notari, impugnari, redargui, infringi, retractari, rescindi, annullari, ad terminos iuris reduci, vel adversus eas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque iuris, facti vel gratiae remedium impetrari, seu etiam motu proprio concedi, aut ita concesso quempiam in iudicio vel extra illud uti nullatenus unquam posse, minusque sub quibusvis similium vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, aut aliis contrariis dispositionibus comprehendi, sed semper ab illis ex-

ceptas, et quoties illae emanabunt, toties in pristinum et eum in quo antea quomodolibet erant statum restitutas, repositas et plenarie reintegratas, ac de novo etiam sub quacumque posteriori datâ, per te et familiares tuos praefatos eorumve quemlibet quandocumque eligendâ, concessas, perpetuoque validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac inviolabiliter observari, tibique et familiaribus tuis praefatis, ut supra, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, necnon, in eventum quo super praemissis, aut eorum aliquâ parte, ambiguitatem, controversiam, dubium, litem vel contentionem iudicialiter vel extraiudicialiter oriri vel moveri contigerit, semper ad tui et familiarium tuorum praefatorum commodum, utilitatem et favorem resolvi, decidi et interpretari, sicque et non aliter in omnibus et singulis praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos, ipsorumque cardinalium collegium, necnon camerarium seu procamerarium, thesaurarium generalem, praesidentes, clericos et commissarium, aliosve quoslibet dictarum Sedis et camerae officiales et ministros, quacumque praeeminentiâ et potestate fungentes et functuros, in quavis causâ et instantiâ, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Clausulà *sublatâ* et decretum irritans.

Contraria tollit.

§ 9. Non obstantibus omnibus et singulis praemissis, ac praefatâ Innocentii praedecessoris, necnon, quatenus opus sit, recolendae memoriae Pii IV et Pii V Romanorum Pontificum praedecessorum pariter nostrorum disponentibus huiusmodi gratias seu absolutiones non valere nisi reis constitutis in carceribus, et eiusdem Pii IV praedecessoris de gratiis, qualecumque interesse dictae camerae apostolicae concernentibus, in eâdem camerâ intra certum tempus inibi expressum praesentandis, registrandis, seu insinuandis (ita ut praesentes litterae, etiamsi in ipsâ camerâ, seu quovis alio tribunali, archivio et loco nunquam praesententur, registrentur, nec insinuentur, nihilominus valeant et subsistant, ac tibi et familiaribus tuis, quos concernunt, suffragari debeant), ac nostris et cancellariae apostolicae regulis, praesertim illâ de non tollendo iure quaesito, aliisve quibuslibet apostolicis, ac in conciliis etiam universalibus editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, legibus quoque etiam imperialibus et municipalibus, edictis, bannimentis et decretis, etiam consistorialibus et cameralibus, ac dictae Urbis et camerae, aliisve quibuslibet, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis eorumque reformationibus et novis additionibus, stylis, usibus et consuetudinibus, etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis etiam fisco nostro et camerae praefatae, eiusque et dictae Sedis officialibus et ministris, aliisve quibuslibet personis et locis, sub quibuscumque verborum tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis, ac irritantibus et aliis decretis, in genere vel in specie, ac aliàs in contrarium quomodolibet concessis, confirmatis, approbatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro eorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus

specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso insererentur, praesentibus pro expressis ac sufficienter specificatis et insertis, formamque in illis traditam pro servatâ habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, harum serie, specialiter et expresse ac latissime derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis credi mandat. § 10. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique tam in iudicio quam extra illud habeatur, quae ipsis praesentibus haberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXVI aprilis MDCLXIV, pontificatus nostri anno X.

Dat. die 26 aprilis 1664, pontif. anno X.

CDLXXIV.

Nobili infanti Francisco duci Mutinensi eiusque haeredibus et successoribus in perpetuum conceditur ius patronatus et praesentandi loci Ordinariis personas idoneas ad praeposituram secularem in ecclesiâ abbatiae de Pomposa, ac archypresbyteratum sive plebaniam ecclesiae S. Mariae de Bondeno Ferrariensis dioecesis, et perpetuum simplex beneficium ex fructibus ab illâ dismembratis erectum [1].

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

Alexander Papa VII, ad perpetuam rei memoriam.

Motiva. § 1. Laudabilia infantilis aetatis indicia ex quibus verisimiliter concipitur dilectum filium nobilem infantem Franciscum Mutinae etiam Rhegii ducem, succedentibus sibi cum Dei benedictione annis, in virum virtutibus generis sui splendore dignis illustrem, principemque Sedi Apostolicae devotum esse evasurum, nos inducunt, ut libentius illa ei eiusque haeredibus et successoribus paternâ benignitate concedamus, per quae erga personas benemeritas sibique gratas et acceptas sese beneficos exhibere possint et liberales.

Pontifex concedit serenissimo duci Mutinae iuspatronatus ut in rubricâ. § 2. Itaque, conventis et promissis pro parte nostrâ per tractatum concordiae inter nostrum et carissimi in Christo filii nostri Ludovici regis christianissimi plenipotentiarios die XII februarii proxime praeteriti Pisis initum et conclusum [1], ac subinde tam a nobis quam ab eodem Ludovico rege ratificatum, satisfacere, dictoque Ludovico regi peramplius gratificari, ac praefatum Franciscum ducem specialis favore gratiae prosequi cupientes, necnon dicti tractatus tenorem, ac praeposituram et archipresbyteratus sive plebaniae et beneficii infrascriptorum qualitates, eorumve cuiuslibet fructuum, reddituum et proventuum veros etiam annuos valores et alia quaecumque, etiam specialem et individuam mentionem et expressionem requirentia, praesentibus pro plene et sufficienter expressis et specificatis habentes, motu proprio, ac ex certâ scientiâ et maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, eidem Francisco duci, eiusque haeredibus et successoribus in perpetuum, ius patronatus et praesentandi loci Ordinario personas idoneas

1 Ed. Main. habet *conclusam* (R. T.).

ad praeposituram secularem in ecclesiâ monasterii abbatiae nuncupati de Pomposa S. Benedicti seu alterius Ordinis, ac archipresbyteratum sive plebaniam ecclesiae S. Mariae de Bondeno, perpetuumque beneficium simplex ex fructibus ab illâ dismembratis erectum, Ferrarien-sis dioecesis, quos venerabilis frater noster Franciscus episcopus Portuensis S. R. E. cardinalis Barberinus nuncupatus, eiusdem S. R. E. vicecancellarius, in titulum seu commendam ad sui vitam ex concessione et dispensatione apostolicâ ad praesens obtinere dignoscitur (quotiescumque praeposituram et archipresbyteratum ac beneficium huiusmodi, seu eorum alterum, perpetuis futuris temporibus, tam ex praefati Francisci cardinalis quam cuiusvis alterius S. R. E. cardinalis et aliorum quorumcumque etiam nostrorum et Romani Pontificis pro tempore existentis, seu cuiusvis S. R. E. praefatae cardinalis, tunc viventis aut defuncti, familiarium continuorum commensalium, seu Romanae Curiae et Sedis Apostolicae officialium, aut aliàs quomodolibet reservationem inducentibus personis, per liberas ac etiam in favorem et ex causâ permutationis resignationes, iuriumque cessiones, etiam necessarias vel simplices, de illis, seu eorum altero, in nostris et pro tempore existentis Romani Pontificis aut cuiusvis alterius personae manibus pro tempore quandocumque factas et admissas, vel quamvis aliam dimissionem, amissionem, seu privationem, et assecutionem cuiusvis beneficii ecclesiastici quacumque auctoritate collati, religionis ingressum, matrimonii contractum, ad cathedralium ecclesiarum vel monasteriorum etiam consistorialium regimina, aliamve quamcumque promotionem, seu decessum et obitum, etiam apud Sedem et in curiâ huiusmodi, ac etiam in quocumque ex mensibus nobis seu Romano Pontifici pro tempore existenti, et dictae Sedi per quascumque constitutiones apostolicas seu cancellariae apostolicae regulas editas et quandocumque edendas, vel aliàs quomodolibet, reservatis et reservandis, aut locorum Ordinariis et aliis collatoribus per easdem vel alias constitutiones apostolicas, aut cancellariae huiusmodi regulas similiter editas et edendas, vel litteras alternativarum, aliave quaevis indulta apostolica, seu aliàs quomodolibet hactenus concessis et in posterum concedendis, ac de iure communi vel particulari et aliàs quomodocumque competentibus et competituris, et aliàs, quomodolibet et ubicumque, tam apud Sedem et in curiâ huiusmodi, quam extra eam vacare contigerit, etiamsi affecti speciaiiter ex causis praedictis, vel aliàs generaliter, et quantumvis multipliciter reservati, et seu litigiosi existant), in praepositum praepositurae secularis, et archipresbyterum archipresbyteratus sive plebaniae, necnon rectorem beneficii praefatorum respective ad praesentationem huiusmodi in formâ solitâ instituendas, tenore praesentium perpetuo reservamus, concedimus et assignamus.

§ 3. Decernentes et declarantes ius patronatus et praesentandi huiusmodi laicorum nobilium, et illustrium, et principum, ac in omnibus et per omnia ad instar regum vere existere, dictisque Francisco duci et aliis futuris patronis non ex privilegio, sed ex verâ primaevâ, reali, actuali, plenâ, integrâ et omnimodâ fundatione, erectione et dotatione laicali ex bonis mere laicalibus et patrimonialibus competere, ac ad illos pertinere, necnon iuris patronatus et praesentandi laicorum nobilium, et illustrium, ac principum, et ad instar regum, effectum, vim, naturam, substantiam, et essentiam, ac qualitatem, validitatem et

Alia privilegia in iurepatronatu praedicto.

roboris firmitatem obtinere, ac Francisco duci aliisque futuris patronis praedictis perpetuo suffragari debere, in omnibus et per omnia, et absque ullâ prorsus differentiâ, perinde ac si ipsi Francisco duci eiusque haeredibus et successoribus in perpetuum nomine verae, realis, actualis, plenae atque integrae fundationis, et perpetuae dotationis per eos de propriis ac mere laicalibus et patrimonialibus eorum bonis factae, ac prout principibus et regibus competeret, ac reservatum, concessum et assignatum esset, et proinde, uti tale, sub quacumque derogatione, etiam cum quibusvis praegnantissimis et efficacissimis clausulis, ac irritantibus, et aliis fortioribus decretis, etiam cum clausulâ *quorum tenores*, in quacumque dispositione, etiam per viam constitutionis, legis generalis, ac regulae cancellariae praedictae, etiam per nos et Romanos Pontifices successores nostros in crastinum assumptionis cuiuslibet eorum ad summi apostolatus apicem, ac etiam motu, scientiâ et potestatis plenitudine paribus, et consistorialiter, seu aliàs quomodolibet pro tempore factâ, concessâ et emanatâ nullatenus comprehendi, seu comprehensum dici, intelligi vel praetendi posse, neque illi ullo unquam tempore, sub quocumque praetextu, aut ex quacumque causâ, quantumvis piâ favorabili et legitimâ, etiam per nos, seu Romanos Pontifices successores nostros, et Sedem praedictam, aut illius etiam de latere legatos, etiam motu, scientiâ et potestatis plenitudine similibus, seu cuiusvis intuitu et contemplatione, per quascumque litteras apostolicas etiam in simili formâ Brevis, et quascumque etiam derogatoriarum derogatorias, ac fortiores et insolitas clausulas, necnon irritantia et alia decreta contraria quaecumque continentes, etiam toto et integro praesentium tenore inserto, aut aliàs quomodolibet nisi de consensu patronorum derogari posse vel debere; praesentes quoque litteras nullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrae vel alio quocumque quantumvis formali et substantiali defectu, etiam ex eo quod quicumque in praemissis interesse forsan habentes, vel habere quomodolibet praetendentes, cuiusvis status, ordinis, praeeminentiae et dignitatis, vel aliàs speciali et individuâ mentione digni existant, ad praemissa vocati, citati et auditi, causaeque, propter quas praesentes emanarunt, adductae, verificatae et iustificatae non fuerint, nec praedicti interesse habentes desuper consenserint, vel ex quavis aliâ quantumvis legitimâ, iuridicâ, piâ et privilegiatâ causâ, occasione, praetextu et capite, etiam in corpore iuris clauso, notari, impugnari, annullari, invalidari, retractari, ad terminos iuris reduci, in controversiam revocari, aut adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque iuris, facti vel gratiae remedium impetrari, aut impetrato, seu etiam motu, scientiâ et potestatis plenitudine paribus concesso, quempiam in iudicio seu extra illud uti posse, neque easdem praesentes litteras sub quibusvis similium vel dissimilium reservationum, concessionum et assignationum, aliarumque gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, derogationibus, et aliis contrariis dispositionibus per quascumque litteras et constitutiones apostolicas, seu cancellariae praedictae regulas, sub quibuscumque verborum tenoribus et formis, ac cum quibusvis clausulis et decretis, per nos seu quoscumque successores nostros Romanos Pontifices, etiam in crastinum cuiuslibet eorum ad summi apo-

stolatus apicem assumptionis, dictamque Sedem, etiam motu, scientiâ, deliberatione et potestatis plenitudine similibus, ac etiam consistorialiter, pro tempore factis et emanatis comprehendi, seu comprehensas censeri, sed semper ab illis exceptas, et, quoties illae emanabunt, toties in pristinum et validissimum statum restitutas et plenarie reintegratas, ac de novo etiam sub quacumque posteriori datâ per praedictum Franciscum ducem aliosque patronos pro tempore quandocumque eligendâ concessas intelligi, firmasque, validas et efficaces existere et perpetuo fore, ac Francisco duci et aliis patronis praedictis plenissime suffragari,

Sicque ab omnibus iudicari mandat.

sicque et non aliter in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac eiusdem S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos, et quosvis alios quacumque auctoritate et potestate fungentes, et quandocumque functuros, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariis derogat.

§ 5. Non obstantibus praemissis, ac quibusvis nostris, et cancellariae praedictae regulis editis et edendis, etiam illâ de non tollendo iure quaesito, aliisque apostolicis, ac in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, necnon, quatenus opus sit, ecclesiarum et monasterii seu abbatiae et Ordinis praedictorum, aliisve quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, seu quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, sub quibuscumque verborum tenoribus et formis, ac, cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, et irritantibus, et aliis decretis, etiam motu, scientiâ et potestatis plenitudine paribus, ac consistorialiter, et aliàs quomodolibet in contrarium praemissorum concessis, confirmatis, et pluries innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso et formâ in illis traditâ inserererentur et exprimerentur, praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, specialiter et expresse ac latissime derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXV maii MDCLXIV, pontificatus nostri anno X.

Dat. die 25 maii 1664, pontif. anno x.

CDLXXV.

Confirmatio decreti congregationis episcoporum et regularium, quo, inhaerendo constitutioni Ordinis Minorum sancti Francisci, statuitur ut in posterum commissarii visitatores deputandi pro provinciâ de Guatimala Nominis Iesu nuncupatâ Ordinis huiusmodi debeant assumi ex unâ de provinciis vicinioribus, videlicet S. Georgii de Nicaraguas, et S. Iosephi de Iucatan [1].

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

Alexander Papa VII,
ad futuram rei memoriam.

Expositio.

§ 1. Nuper pro parte dilecti filii Alphonsi de Ortega custodis provinciae Nominis Iesu de Guatimala Ordinis fratrum Minorum sancti Francisci de Observantiâ nuncupatorum congregationi venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositae exposito quod per constitutiones generales dicti Ordinis cavetur expresse ut commissarii visitatores ex provinciis vicinioribus mittantur, quodque provinciae viciniores praefatae provinciae de Guatimala sint provinciae S. Georgii de Nicaragua et S. Iosephi de Iucatan, inter alias vero provincias vicinior trecentarum leucarum intervallo distet, nec commissarius visitator inde ad primodictam provinciam nisi cum illius maximâ impensâ et detrimento proficisci possit; et in eâdem expositione subiuncto quod idem Alphonsus praemissis attentis plurimum cupiebat ordinari ut commissarius visitator non posset ad eamdem provinciam Nominis Iesu de Guatimala mitti, nisi ex alterutrâ memoratarum provinciarum viciniorum S. Georgii et S. Iosephi assumeretur: emanavit ab eâdem congregatione cardinalium decretum tenoris qui sequitur, videlicet:

Decretum sacrae congregationis in quo statuitur ut in rubrica.

« Sacra congregatio eminentissimorum S. R. E. cardinalium negociis et consultationibus episcoporum et regularium praeposita, attentis narratis et assensu ministri generalis Ordinis huiusmodi, inhaerendo praefatae eiusdem Ordinis constitutioni, statuit et decrevit ut in posterum commissarii visitatores pro praefatâ provinciâ de Guatimala deputandi debeant assumi ex unâ de duabus provinciis vicinioribus tantum, videlicet S. Georgii de Nicaraguas et S. Iosephi de Iucatan, et ita harum vigore statuit et decernit; contrariis quibuscumque non obstantibus.

Romae IX maii MDCLXIV.

M. Cardinalis GINETTUS.

E. episcopus Camerinensis secret. ».

Confirmat decretum. Pontifex.

§ 2. Cum autem, sicut dilectus Alphonsus nobis subinde exponi fecit, ipse decretum huiusmodi, pro firmiori illius subsistentiâ, apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri summopere desideret: nos, ipsum Alphonsum specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, decretum praeinsertum, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus; salvâ tamen semper in praemissis auctoritate praefatae congregationis cardinalium.

Decretum irritans.

§ 3. Decernentes easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon, quatenus opus sit, Ordinis et provincia-

rum huiusmodi, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, approbatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXVI maii MDCLXIV, pontificatus nostri anno X.

Dat. die 26 maii 1664, pontif. anno X.

CDLXXVI.

Confirmatio decreti congregationis episcoporum et regularium, quo approbatur constitutio duorum capitulorum generalium Ordinis fratrum Minorum sancti Francisci de Observantia, per quam stabilitur alternativa officiorum inter patres Criollos ex unâ parte et patres dictos Cachapinos et filios provinciae Nominis Iesu de Guatimala in Nova Hispania Ordinis huiusmodi ex alterâ, etc.[1].

Alexander Papa VII, ad futuram rei memoriam.

Expositio. § 1. Nuper pro parte dilecti filii Alphonsi de Ortega, custodis provinciae Nominis Iesu de Guatimala in Novâ Hispania Ordinis fratrum Minorum sancti Francisci de Observantia nuncupatorum, congregationi venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositae exposito quod in capitulo generali dicti Ordinis anno MDCXLV Toleti celebrato facta fuerat constitutio tenoris qui sequitur, videlicet:

Constitutio capituli generalis. « Praeterea definitorium generale declaravit quod in provinciâ Nominis Iesu de Guatimala in novâ Hispania observetur alternativa inter patres dictos Criollos ex unâ parte, et inter patres dictos Cachapinos et filios provinciae ex aliâ, et quod cetera officia aequaliter dividantur inter praedictas duas partes »; quae constitutio confirmata fuerat in capitulo eiusdem Ordinis anno MDCLVIII habito, sub titulo *pro Indiis occidentalibus,* num. I, his verbis: « Confirmatur alternativa in provinciâ Nominis Iesu de Guatimala inter patres Criollos ex unâ parte et patres Cachapinos et filios provinciae ex alterâ, quemadmodum in capitulo Toletano, anno MDCXLV celebrato, instituta est, sicque servari debet sub poenâ nullitatis aliter factorum »;

Et in eâdem expositione subiuncto quod dictus Alphonsus praefatas constitutiones auctoritate dictae congregationis confirmari plurimum desiderabat: emanavit ab eadem congregatione decretum tenoris qui sequitur, videlicet:

Sacrae congregationis decretum. « Sacra congregatio eminentissimorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praeposita, attentis narratis, ac audito ministro generali Ordinis huiusmodi, praeinsertum decretum capitulorum generalium benigne approbavit et confirmavit, et iuxta illorum tenorem in posterum omnino servari mandavit.

Romae IX maii MDCXLIV.

M. cardinalis GINETTUS.

E. episcopo Camerinensis, secret. ».

Decretum Pontifex confirmat. § 2. Cum autem, sicut praefatus Alphonsus nobis subinde exponi fecit, ipse decretum huiusmodi, pro firmiori illius subsistentiâ, apostolicae confirmationis nostrae robore communiri summopere

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

cupiat: nos, ipsum Alphonsum specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, praeinsertum praefatae congregationis cardinalium decretum, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illique apostolicae firmitatis robur adiicimus; salvâ tamen semper in praemissis auctoritate eiusdem congregationis cardinalium.

Decretum irritans.

§ 3. Decernentes easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contraria tollit.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon, quatenus opus sit, praefatorum Ordinis et provinciae, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, approbatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXVI maii MDCLXIV, pontificatus nostri, anno X.

Dat. die 26 maii 1664, pontif. anno X.

CDLXXVII

Quod non liceat fratribus Minorum de Observantiâ sancti Francisci commorantibus Tolosae inducere novum Rosarium sub titulo Seraphici, nec facere processionem confraternitatis Conceptionis primâ dominicâ cuiuslibet mensis, nec tabellam exponere in qua Beata Virgo det Rosarium sanctis Francisco et Clarae.

Alexander Papa VII,
ad futuram rei memoriam.

Prooemium.

In supremo militantis Ecclesiae solio, meritis licet imparibus, per ineffabilem divinae bonitatis abundantiam constituti, exortas inter religiosos viros controversias opportunis rationibus dirimere studemus, sicut in Domino conspicimus salubriter expedire.

A censuris absolvit.

§ 1. Itaque dilectum filium procuratorem generalem Ordinis Praedicatorum specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes,

Prohibet Pontifex patribus

§ 2. Supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis incli-

praedictis ut in rubricâ.

nati, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium sacris ritibus praepositorum consilio, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, declaramus, ad favorem dilectorum filiorum fratrum dicti Ordinis Praedicatorum Tolosae commorantium, non licere dilectis pariter filiis fratribus Ordinis Minorum sancti Francisci de Observantia nuncupatorum, minusque confraternitati in eorum ecclesiâ magni conventus erectae sub titulo Conceptionis SS. Virginis Immaculatae, illiusque confratribus, facere processionem primâ dominicâ cuiuslibet mensis; nec posse praedictos fratres Ordinis Minorum sancti Francisci de Observantiâ novum Rosarium sub titulo Seraphici, aut novem novenarum, vel alterius rationis, inducere, praedicare et docere, nec in Litaniis B. Virginis aliquid innovare, nec tabellam exponere, in qua B. Virgo Dei Mater det Rosarium sanctis Francisco et Clarae, prout etiam praefata omnia fieri prohibemus et servari mandamus.

Decretum irritans.

§ 3. Decernentes easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis danda fides.

§ 5. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra adhibeatur, quae praesentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXVIII maii MDCLXIV, pontificatus nostri anno X.

Dat. die 28 maii 1664, pontif. anno x.

CDLXXVIII.

Confirmat decretum sacrae congregationis pro erectione conventus Congregationis Pauperum Matris Dei Scholarum Piarum in oppido Piscinae, Marsicanae dioecesis.

Alexander Papa VII, ad futuram rei memoriam.

Expositio.

§ 1. Aliàs pro parte dilectorum filiorum congregationis[1] clericorum pauperum Matris Dei Scholarum Piarum sacrae[2] congregationi venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositae exposito quod ipsi iam inde ab anno MDCXLII fundationem conventus in oppido Piscinae, Marsicanae dioecesis, in exequutionem legati domus et summae decem millium ducatorum sibi a quondam Laelio Thomasetti facti, de licentiâ Ordinarii, ac consensu regularium, necnon universitatis et hominum dicti oppidi inchoaverant, prout ex scripturis aliàs in eâdem congregatione cardinalium exhibitis constare asserebant; nec fundationem huiusmodi subinde perficere potuerunt propter multa impedimenta, quae supervenerant, ac deducta et discussa fuerunt in praedictâ congregatione cardinalium, quae tunc ipsis exponentibus legatum huiusmodi, quod a dilectis filiis monachis Silvestrinis oc-

1 Edit. Main. heic addit *sacrae* (R. T.).
2 Heic nos ponimus vocem *sacrae* (R. T.).

cupatum fuerat, consignari curaverat; ideoque iidem exponentes mediante dicto legato fundationem praedictam prosequi et absolvere intendebant; et licet non putarent sese sub constitutione felicis recordationis Innocentii Papae X praedecessoris nostri super extinctione et suppressione parvorum conventuum anno MDCLII editâ comprehensos esse, cum novam fundationem conventus non facerent, sed inchoatam anno MDCXLII de licentiâ Ordinarii prosequi et perficere intenderent, nihilominus, ad tollendam omnem difficultatem et dubietatem, opportunam sibi desuper licentiam a memoratâ cardinalium congregatione concedi plurimum desiderabant, attento quod ad eorum favorem licentia Ordinarii et consensus necessarii, sicut supra dictum est, concurrerent; quodque legatum domus et decem millium ducatorum huiusmodi pro fabricâ ecclesiae et conventus eorumque sustentatione abunde sufficeret, idque eo magis, quod ipsi exponentes iuxta eorum institutum eleemosynas quaerere solent, unde etiam ultra numerum duodenarium sustentari possent, prout in hac almâ Urbe aliisque locis experientiâ compertum erat; quodque in praedicto oppido Piscinae victualia, ac operae et res ad fabricandum necessariae[1] satis vili pretio haberi possent: emanavit a praedictâ congregatione cardinalium decretum tenoris qui sequitur, videlicet:

Decretum sacrae congregationis.

§ 2. « Sacra congregatio eminentissimorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praeposita, attentis narratis, et ex eo quod de requisitis ad fundationem conventus huiusmodi constitit, facultatem impertitur episcopo Marsorum ut ad ipsam fundationem procedi ad formam constitutionum apostolicarum concedat ac decernat, contrariis quibuscumque non obstantibus.

Romae XV februarii MDCLXIV.

M. cardinalis GINETTUS ».

Decretum Pontifex confirmat.

§ 3. Cum autem, sicut exponentes praedicti nobis nuper exponi fecerunt, ipsi decretum huiusmodi, pro firmiori eius subsistentiâ, apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri summopere cupiant: nos, specialem ipsis exponentibus gratiam facere volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, decretum praeinsertum, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus; salvâ tamen semper in praemissis auctoritate congregationis cardinalium.

Decretum irritans.

§ 4. Decernentes easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariis derogat.

§ 5. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apo-

1 Ed. Main. legit *necessarias* (R. T).

stolicis, necnon, quatenus opus sit, sub[1] quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XVI iunii MDCLXIV, pontificatus nostri anno X.

Dat. die 16 iunii 1664, pontif. anno x.

CDLXXIX.

Confirmatio decreti definitorii generalis Ordinis fratrum Minorum sancti Francisci de Observantiâ, quod commissarius visitator provinciae S. Didaci Canariensis, Ordinis huiusmodi, ex eâdem provinciâ eligatur[1].

Alexander Papa VII,
ad futuram rei memoriam.

Expositio. § 1. Exponi nobis nuper fecerunt dilecti filii Bernardus Andreas de Vera, lector iubilatus et custos, et Antonius Valladares, guardianus et prominister provinciae S. Didaci Canariensis, Ordinis fratrum Minorum sancti Francisci de Observantiâ nuncupatorum, quod (cum eadem povincia trecentarum leucarum intervallo ab oris Hispaniae distet, nec in eâ tam copiosae fiant eleemosynae quam in Hispania et Italia, ipsaque provincia proinde summâ egestate prematur, ita ut illi non suppetat unde necessitatibus fratrum subveniatur, et conventus eleemosynis missarum ad religiosorum victum indigeant) constitutio generalis dicti Ordinis, qua cavetur quod visitatores commissarii cuiuslibet provinciae sint electi ex alterâ viciniori et quod non sint de ipsâmet provinciâ visitandâ, in eâdem provinciâ Canariensi servari non potest. Nam provincia huiusmodi, quae in septem insulis a se invicem dissitis unica existit, alteram sibi propinquam non habet, ex qua commissarii visitatores eligi possint. Accedit quod insulae Canarienses a Turcis infestantur, sicut etiam orae Hispaniae; unde, si commissarius visitator eiusque socii caperentur, provincia praefata, ut eos a captivitate liberaret, vasa argentea divino cultui dicata vendere cogeretur, atque ita conventus calicibus ad celebrationem missarum necessariis destituti remanerent. Praeterea commissarius visitator secum ducere solet saltem secretarium, ac socium et fratrem laicum, pro quorum expensis accessus de Hispania et reditus in Hispaniam summa mille quingentorum scutorum est necessaria, quam dicta provincia suppeditare, simulque religiosorum necessitatibus subvenire non valeret; periculumque esset ne religiosi necessitate pressi ad votum paupertatis infringendum et necessaria mediis illicitis sibi conquirenda contra regulam et in animarum suarum perniciem adducerentur. Nec minor consideratione dignum est, quod, propter adeo graves sumptus commissariorum visitatorum ex Hispania venientium, illucque regredientium, dictae provinciae Canariensi per multos annos impossibile fuerit mittere vocales ad capitula generalia Ordinis praefati, quae Toleti et Romae respective celebrata fuerunt.

1 Particula *sub* redundat, vel leg. *aliis* (R. T.).
2 Ex Regest. in Secret. Brev.

Supplicatio. § 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, praemissis attentis, dicti exponentes supplicaverint dilectis filiis definitorio generali dicti Ordinis ut decernerent quod de cetero dilectus pariter filius minister generalis eiusdem Ordinis, de tempore capituli in praefatâ provinciâ Canariensi celebrandi monitus, ex propositis per definitorium ipsius provinciae quatuor aut quinque religiosis aptis et idoneis, unum eligere deberet in commissarium, qui provinciam visitare, ac capitulum celebrare et actus sui rationem eidem ministro generali reddere teneretur; hoc etiam per eosdem exponentes adiecto quod commissarii visitatores ex Hispania missi unam tantum vel duas ex praefatis insulis visitare, ad alias vero propter earumdem distantiam, ac maris, Turcarumque pericula, suos commissarios ex dictâ provinciâ nominatos mittere solebant; cumque idem definitorium generale post maturam discussionem decreverit quod, attentâ necessitate, ac itinerum periculis, necnon ad tollendas intolerabiles expensas, proponat deinceps ipsamet provincia Canariensis superiori generali dicti Ordinis tres aut quatuor fratres ex eâdem provinciâ, ex quibus eligatur commissarius visitator, et ita in posterum observari mandaverit, non obstantibus in contrarium quibuscumque, prout in decreto huiusmodi in conventu S. Mariae de Arâcaeli de Urbe eiusdem Ordinis die XXIX maii proxime praeteriti edito continetur: nobis propterea dicti exponentes humiliter supplicari fecerunt ut idem decretum, quo firmius subsistat et servetur exactius, apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri de benignitate apostolicâ dignaremur.

Confirmat Pontifex decretum definitorii generalis. § 3. Nos igitur, ipsos exponentes specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, supra expressum decretum definitorii generalis huiusmodi pro memoratâ provinciâ S. Didaci Canariensis, die XXIX maii proxime praeteriti editum ut praefertur, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos iuris et facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Decretum irritans. § 4. Decernentes easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, inviolabiliter observari, et illis respective plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariis derogat. § 5. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon dictorum Ordinis et provinciae, aliisve quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter ex-

pressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XVII iunii MDCLXIV, pontificatus nostri anno X.

Dat. die 17 iunii 1664, pontif. anno X.

CDLXXX.

Confirmatio decreti definitorii generalis Ordinis Minorum sancti Francisci de Observantiâ, quo conceditur septem provinciis Peruanis Ordinis huiusmodi alternativa officiorum inter fratres Hispanos et nationales, sicuti in Novâ Hispaniâ servari solet[1].

Alexander Papa VII, ad futuram rei memoriam.

Exordium. § 1. Exponi nobis nuper fecerunt dilecti filii custodes et prominístri septem provinciarum Peruanarum Ordinis fratrum Minorum sancti Francisci de Observantiâ nuncupatorum, quod ipsi decretum a definitorio generali dicti Ordinis obtinuerunt eorum libello supplici subnotatum tenoris qui sequitur, videlicet:

« *Reverendissime pater, ceterique reverendi patres ex definitorio generali.*

Supplex libellum a patribus Peruanis definitorio datum. Patres custodes et prominístri provinciarum septem Peruanarum adsumus et pervenimus ad reverendissimas paternitates vestras in illâ meliori formâ, quae nobis secundum ius pertinere possit, cum illâ etiam humilitate quae nobis ut subditis attinet ratione tantorum patrum[2] et praelatorum, et dicimus, quod, cum iam per multum temporis spatium, et tam per multas etiam experientias, cognita sint disturbia, iurgiaque inter illas pauperes provincias, eo quod tam multi sint fratres diversi in patriâ; siquidem uni sunt Hispani, alteri ex alterâ natione, alteri etiam naturales et oriundi ex illis partibus, qui quidem communiter appellantur *Criollos*; ex quibus omnibus quotidie accidit construere[1] quamdam partialitatem ad modum monarchiae ita ferox et rigorosa, ut non solum irregularis, verum etiam barbara, suo modo loquendo, videntur[2], hoc est valde experimentatum, et quod peius est, scandala, quae oriuntur inter seculares, et irrisiones quas ratione istius magni momenti nos talia scientes patimur: quapropter multis aliis rationibus et fundamentis istius generis, quasi iam praenotatis, ut qualibet censurâ dignis, ut hoc malum et perniciosum paci communi, et particulari illarum provinciarum, et suo meliori commodo et regimini, et tranquillitati fratrum diversorum, et ut tollatur de medio inconveniens nationum, et omnes habeant, tam in officiis quam in ceteris functionibus, suam intentionem, et omnia omnibus aequivalenter distribuantur, ad vestras paternitates reverendissimas accedimus, et humillime petimus, necnon cum omni fiduciâ postulamus, ut illis nostris provinciis Peruanis modus alternândi in electionibus, vel alternativa, ut ita dicam, concedatur eo simili modo, servatis servandis, quo concessum est provinciis Novae Hispaniae, ratione cuius omnes illae provinciae pace gaudent, et tali suffragio ad invicem consolantur in Domino. Utor etiam alio exemplari, quo iam fruitur una ex illis septem provinciis Peruanis, scilicet provincia S. Francisci de Quito, in qua alternantes fratres

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

2 Ed. Main. legit *patruum* pro *patrum* (R. T.).

1 Forsan *consurgere*, at textum emendandi spem omnem deponimus (R. T.).

2 Forsan *videatur* (R. T.).

Hispani cum naturalibus communiter appellati, ut antea diximus, *Criollos*, in omnibus electionibus et officiorum distributione summâ gaudent pace, et non est iurgium quoddam inter ipsos, imo confraternitas desiderabilis, et amicitia mutua unis cum alteris intercedit. Haec etiam alternativa habetur pro commodo speciali iustitiae distributivae in illis partibus Limae apud patres Augustinianos regni de Quito, apud patres Domenicanos; et sic multa alia exemplaria, quae nec latent nec latere possunt maxime apud regentes et gubernantes homines, qui quidem sunt diversi in natione, patriâ, moribus, etc. Hoc est, reverendi patres nostri, quod a nobis postulatur, in cuius testimonio subscribimus nomina nostra, ut, si inconveniens[1] fuerit, ut nos iudicamus, placueritque tanto et superiori iudicio, fiat a reverendis paternitatibus vestris. Aracaeli, et maii XXVIII die, anno Domini MDCLXIV.

Frater Ignatius Irraraga, custos provinciae Limensis.

Frater Benedictus de Iesu, prominister S. Francisci Queti.

Frater Bartolomaeus Alunque, custos S. Fidei.

Frater Gabriel Alfian, custos provinciae Quitensis.

Frater Franciscus Perez de Ybieta, custos Charearum.

Frater Ioannes Guttierez, prominister S. Fidei.

Frater Didacus Corottada, prominister de Chilensis.

Decretum definitorii. Suppositâ petitione provinciarum, conceditur alternativa, sicuti in Novâ Hispaniâ uti solet.

Die v iunii MDCLXIV.

Frater BASIUS a Benfumea,
definitor gener., et secret. definitorii ».

1 Videtur legendum *id conveniens* pro *inconveniens* (R. T.).

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, praefati exponentes decretum huiusmodi, quo firmius subsistat et servetur exactius, apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri summopere desiderent: Supplicatio.

§ 3. Nos, specialem ipsis exponentibus gratiam facere volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium; negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositorum, consilio, attentis narratis, ac viso per eosdem cardinales decreto definitorii generalis praeinserti tenoris authenticâ formâ exhibito, ipsum decretum, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, benigne approbamus et confirmamus, et executioni demandari iubemus; salvâ tamen semper in praemissis auctoritate congregationis praefatorum cardinalium. Decretum definitorii confirmat Pontifex.

§ 4. Decernentes easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, plenissime suffragari, et ab illis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Decretum irritans.

Derogatio contrariorum.

§ 5. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon, quatenus opus sit, Ordinis et provinciarum huiusmodi, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliâs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XX iunii MDCLXIV, pontificatus nostri anno X.

Dat. die 20 iunii 1664, pontif. anno X.

CDLXXXI.

Statuit ut de cetero capitula provincialia in qualibet provinciâ Congregationis clericorum secularium Doctrinae Christianae in Galliâ singulis trienniis intra mensem septembris vel octobris habeantur; capitulum vero generale singulis tantum sexenniis celebretur loco et tempore a praeposito generali designandis, etc. [1].

Alexander Papa VII,
ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

Ad pastorale fastigium, meritis licet imparibus, divinâ dispositione evecti, felici congregationum virorum pietatis officiis assidue incumbentium regimini et gubernio libenter intendimus, ut congregationes ipsae, laudabilibus suis institutis inhaerentes, prosperioribus in dies (benedicente Domino) proficiant incrementis.

Expositio.

§ 1. Exponi siquidem nobis nuper fecit dilectus filius Franciscus Avias, presbyter et procurator generalis Congregationis clericorum secularium Doctrinae Christianae in Galliâ, quod, iuxta tenorem quarumdam nostrarum in simili formâ Brevis litterarum anno MDCLIX emanatarum, quibus cavetur ut capitulum generale dictae Congregationis cum praescripto numero vocalium singulis trienniis celebretur, mense septembri proxime praeterito celebratum fuit Tolosae ultimum capitulum generale eiusdem Congregationis, in quo vocales congregati, visis instantiis missis a provinciis ipsius Congregationis supplicantibus ut capitula provincialia, quae in capitulo generali praecedenti Avenione anno MDCLX habito suppressa fuerant, restituerentur, et in unâquaque provinciâ singulis trienniis more solito intra mensem septembris vel octobris celebrarentur, reque mature discussâ, et attentâ facultate constitutiones condendi, ac conditas pro rerum et temporum qualitate variandi, et alias de novo edendi, praeposito generali cum assensu capituli generalis eiusdem Congregationis a felicis recordationis Innocentio Papa X praedecessore nostro anno MDCXLVII concessâ, decreverunt restituenda esse cuilibet provinciae Congregationis huiusmodi sua capitula provincialia singulis trienniis ut hactenus celebranda intra mensem septembris vel octobris; quod quidem decretum, absoluto praefato ultimo capitulo generali, in unâquaque provinciâ ipsius Congregationis executioni demandatum fuit. Et postmodum in eodem ultimo capitulo generali decretum fuit (attentis restitutione capituli provincialis in qualibet provinciâ singulis trienniis celebrandi huiusmodi, ac prorога-

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

tione[1] dictae Congregationis, quae (benedicente Domino) in dies extendit ramos suos, necnon distantiâ locorum et provinciarum, tum etiam plurimo fructu, qui ex frequentiori visitatione praepositi generalis provenit) nobis esse supplicandum, ut, non obstantibus litteris nostris praefatis anno MDCLIX expeditis super celebratione capituli generalis in dictâ Congregatione singulis trienniis faciendâ, dignaremur concedere quod in posterum, postquam capitulum generale proximum anno scilicet MDCLXVI celebratum fuerit, in praefatâ Congregatione singulis tantum sexenniis celebretur capitulum generale, loco et tempore a praeposito generali ipsius Congregationis assignandis, et cum praescripto iam a nobis per nostras litteras praefatas numero vocalium, quibus adiungatur vicarius generalis, cum electus fuerit; tum etiam ut duo discreti, unus rector, et alius non rector, ex qualibet provinciâ mittendi ad capitulum generale, eligantur in capitulo provinciali immediate praecedenti capitulum generale, non obstante formâ per alias nostras pariter in formâ Brevis die XII augusti MDCLXII confirmatâ; ac demum, ut, eveniente obitu praepositi generalis, is qui defuncti vices geret, ex praescripto constitutionum dictae Congregationis, non expectato triennio praefato, teneatur intra sex menses convocare capitulum generale, in quo, si ante illius celebrationem non praecesserit capitulum provinciale in provinciis, interveniant iidem duo discreti, qui praecedenti capitulo generali interfuerint.

Supplicatio. § 2. Idcirco praefatus Franciscus procurator generalis nomine memoratae Congregationis nobis humiliter supplicari fecit ut in praemissis opportune providere de benignitate apostolicâ dignaremur.

§ 3. Nos igitur, eiusdem Congregationis utilitati, quantum cum Domino possumus, salubriter consulere, dictumque Franciscum procuratorem generalem specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, necnon praefatarum litterarum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, ut de cetero capitula provincialia, in qualibet provinciâ dictae Congregationis singulis trienniis intra mensem septembris vel octobris, sicut praemittitur, habeantur; capitulum vero generale ipsius congregationis, post celebrationem proxime futuri capituli generalis anno MDCLXVI faciendam, singulis tantum sexenniis celebretur loco et tempore a praeposito generali eiusdem Congregationis designandis, et cum praescripto iam a nobis per litteras primodictas numero vocalium, quibus vicarius generalis Congregationis huiusmodi, cum electus fuerit, adiungatur; praeterea ut duo discreti, unus scilicet rector, et alius non rector, ex qualibet provinciâ mittendi ad capitulum generale, in capitulo provinciali immediate praecedenti capitulum generale eligantur; eveniente autem obitu praepositi generalis dictae Congregationis, is qui defunti vices geret, ex praescripto constitutionum eiusdem Congregationis non expectato sexennio, teneatur intra sex menses convocare capitulum generale, in quo, si ante illius celebrationem non praecesserit capitulum provinciale in provinciis, interveniant iidem duo discreti, qui

Concedit ut in rubrica.

1 Videtur legendum *propagatione* (R. T.).

praecedenti capitulo generali interfuisse reperientur, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, concedimus et indulgemus, ac statuimus et ordinamus.

Decretum irritans.

§ 4. Decernentes easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros, effectus sortiri et obtinere, ac ab illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contraria tollit.

§ 5. Non obstantibus litteris praefatis, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon dictae Congregationis, eiusque provinciarum quarumlibet, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, approbatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis haaentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides transumptorum.

§ 6. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique locorum tam in iudicio quam extra illud adhibeatur, quae ipsismet praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXV iunii MDCLXIV, pontificatus nostri anno X.

Dat. die 25 iunii 1664, pontif anno X.

CDLXXXII.

Quod festum S. Dominici celebretur de praecepto in toto regno Neapolitano tanquam de patrono, cum octavâ.

Alexander Papa VII, ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Commissi nobis divinitus sacrosancti apostolatus officii ratio postulat ut piis christifidelium votis, quibus sanctorum in caelis regnantium honor et veneratio in terris augentur, paternâ benignitate annuamus.

S. Ianuarius in toto regno Neapolitano dignior patronus

§ 1. Cum itaque ea semper fuerit erga sanctum Ianuarium dilectorum filiorum populi Neapolitani religio, ut, quamvis idem populus sanctum Dominicum confessorem in totius regni patronum duxerit assumendum, eum tamen sancto Ianuario digniori patrono, utpote Martyri Pontifici, praeferendum nunquam assenserit,

Et sacra rituum congregatio praeminentiam illi ut potè digniori patrono decrevit.

§ 2. Proindeque congregationi venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium sacris ritibus praepositorum iterum atque iterum supplicaverit ut debitas sancto Ianuario Martyri et Pontifici patronatus regni praeeminentias decerneret, et eadem congregatio supplicationibus hisce die IV augusti MDCLXIII benigne subscripserit;

Divi Dominici festum de praecepto servari mandat.

§ 2. Nunc vero, ne exinde in eodem regno devotio erga sanctum Dominicum decrementum aliquod patiatur, populus praedictus festum eiusdem sancti Dominici patroni in toto regno Neapolitano pariter de praecepto servari, eiusque officium cum octavâ, ut hactenus, ab uni-

verso clero inibi recitari summopere desideret: nos, memorati populi devotionem specialis favore gratiae prosequi cupientes, ipsiusque populi singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes,

Quod approbatur a Pontifice.

§ 4. Supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de praedictorum cardinalium consilio, festum eiusdem sancti Dominici patroni in universo regno Neapolitano praedicto ab omnibus christifidelibus illic degentibus de praecepto servari, et sicuti alia festa de praecepto celebrari, eiusque officium cum octavâ, ut hactenus, ab universo clero eiusdem regni recitari, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, decernimus, praecipimus et mandamus; salvâ tamen in praemissis auctoritate praedictae congregationis cardinalium; non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Derogatio contrariorum.

§ 5. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etam impressis, manu notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra adhibeatur, quae praesentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Transumptorum fides.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXVIII iunii MDCLXIV, pontificatus nostri anno X.

Dat. die 28 iunii 1664, pontif. an. X.

CDLXXXIII.

Ut in regnis Hispaniarum et Indiarum de praecepto recitetur officium et missa Conceptionis B. Mariae Virginis Immaculatae, cum octavâ[1].

Alexander Papa VII,
ad perpetuam rei memoriam.

Motiva.

Quae inter praeclaras multiplicesque carissimi in Christo filii nostri Philippi Hispaniarum regis catholici virtutes eximie elucet erga Beatissimam Virginem Dei Genitricem Mariam devotio, aliaque omni laude digna eiusdem Pilippi regis in res sacras studia promerentur[2], ut piis eius votis, ad augendum eiusdem Beatissimae caeli Reginae cultum tendentibus, paternâ benignitate libentissime annuamus.

Officium et missa B. M. V. Conceptionis cum octavâ in Hispaniis.

§ 1. Itaque iteratis piisque precibus memorati Philippi regis nomine nobis humiliter porrectis benigne inclinati, ut in omnibus regnis Hispaniarum et Indiarum, eiusdem Philippi regis[3] imperio subiectis, tum a secularibus tum a regularibus utriusque sexus, qui horas canonicas recitare tenentur, officium et missa Conceptionis Beatae Mariae Virginis Immaculatae cum octavâ in posterum de praecepto recitetur, cum lectionibus in octavario romano a congregatione venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium sacris ritibus praepositorum approbato contentis, et a die VIII ad XV decembris rite dispositis, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, mandamus et decernimus; idemque officium ad usum eiusdem cleri seorsum ab octavario romano imprimi posse concedimus.

Derogatio contrariorum.

§ 2. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

1 Ex Regest. in Secret. Brev.
2 Edit. Main. legit *promoventur* (R. T.).
3 Edit. Main. *regnis* legit pro *regis* (R. T.).

Transumptorum fides.

§ 3. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique locorum et gentium tam in iudicio quam extra illud adhibeatur, quae ipsismet praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die VII iulii MDCLXIV, pontificatus nostri anno X.

Dat. die 7 iulii 1664, pontif. anno X.

CDLXXVIV.

Confirmatio alternativae in electione provincialis et aliorum officialium provinciae S. Iosephi de Iucatan in Novâ Hispania Ordinis fratrum Minorum sancti Francisci de Observantiâ[1].

Alexander Papa VII, ad futuram rei memoriam.

Expositio.

§ 1. Exponi nobis nuper fecerunt dilecti filii fratres provinciae S. Iosephi de Iucatan in Novâ Hispania Ordinis fratrum Minorum sancti Francisci de Observantiâ nuncupatorum, quod aliàs, postquam dilectus filius Michaëlangelus a Sambuca, tunc temporis minister generalis dicti Ordinis, alternativam in electione ministri provincialis et aliorum officialium dictae provinciae iampridem ad litium occasiones extirpandas de communi omnium consensu determinatam seu stabilitam, et non solum per quondam Ioannem Merinero, dum vixit, ministrum generalem Ordinis huiusmodi, sed etiam in capitulo generali eiusdem Ordinis Toleti anno MDCXLV celebrato roboratam approbaverat, ratificaverat et confirmaverat per suas patentes litteras tenoris qui sequitur, videlicet:

Decretum ministri generalis de alternativâ prout in rubricâ.

§ 2. « Frater Michaëlangelus a Sambuca, totius Ordinis fratrum Minorum seraphici patris nostri Francisci minister generalis et servus, dilecto nobis in Christo patri, fratri Iosepho de Arcila, proministro provinciae nostrae S. Iosephi de Iucatan in regno Novae Hispaniae, salutem in Domino sempiternam.

Cum iam pridem per patres provinciae nostrae S. Iosephi de Iucatan in regno Novae Hispaniae de communi omnium consensu, ad litium occasiones extirpandas, determinata fuerit alternativa in electione ministri provincialis et aliorum officialium, confirmataque per reverendissimum patrem fratrem Ioannem Merinero ministrum generalem, ac postmodum omnimode roborata in capitulo generali Toleti celebrato anno MDCXLV, quo non obstante in pacis dispendium aliquando executa non fuit per commissarios generales et commissarios visitatores illius regni sub variis praetextibus: nobis humiliter pater vicarius, suo et totius provinciae nomine, supplicari fecit, quatenus praedictam alternativam iterum confirmare et sub gravibus poenis observari mandare dignaremur.

Hinc est quod, pro nostri muneris ratione, praedictae provinciae tranquillitati meliorique gubernio providere volentes, alternativam praedictam denuo approbamus, ratificamus et confirmamus. Praecipientes pro eius inviolabili observatione commissariis generalibus Novae Hispaniae, nunc et pro tempore esistentibus, in virtute sanctae obedientiae, ac sub excommunicationis latae sententiae poenâ, ut praedictam alternativam inviolabiliter servent, et ab aliis, ad quos spectat et spectabit quomodolibet, servari curent, alioquin, si eos in hac parte de-

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

liquisse compertum fuerit, ad propriam provinciam regredientes, omni privilegio, titulo, immunitate et exemptione privati remaneant. Ita praecipimus, ordinamus et mandamus, non obstantibus quibuscumque.

Datum Romae in conventu nostro Aracaelitano, die XVI mensis maii MDCLXIV.

Fr. MICHAËLANGELUS de Sambuca, minister generalis.

Fr. CHRISTOPHORUS de Chaves, secretarius generalis Ordinis.

Illamque observari mandat eminentissimus Ordinis protector.

§ 3. Venerabilis frater noster Franciscus episcopus Portuensis S. R. E. cardinalis Barberinus nuncupatus, Ordinis praefati apud nos et Sedem Apostolicam protector, eamdem alternativam confirmavit pariter et approbavit, ac inviolabiliter observari mandavit per suas quoque patentes litteras tenoris sequentis, videlicet:

« Franciscus miseratione divinâ episcopus Portuensis cardinalis Barberinus, sanctae Romanae Ecclesiae vicecancellarius, Ordinis Minorum sancti Francisci protector, corrector et gubernator,

Dilectis nobis in Christo commissario generali Novae Hispaniae, ministro provinciali, custodi ac definitoribus, ceterisque fratribus praesentibus et futuris provinciae S. Iosephi de Iucatan in partibus Indiarum, salutem in Domino sempiternam.

Cum, sicut accepimus, ad tollendas discordias et litium occasiones in huiusmodi vestrâ provinciâ amputandas, omnium suffragiis determinatum fuerit in electionibus ministri provincialis et aliorum officialium servandam esse alternativam, quae postmodum confirmata et approbata fuit a piae memoriae patre Ioanne Marinero, et demum in capitulo generali Toletano anno MDCXLV; nihilominus sub diversis praetextibus nonnulla in contrarium attentata seu innovata fuerunt per commissarios generales seu visitatores, aliosque, non sine animorum perturbatione et religiosae quietis detrimento: quibus omnibus occurrere, ut par est, auctoritate nostrâ cupientes, auditâ relatione patris ministri generalis, alternativam praefatam ex certâ scientiâ confirmamus et approbamus, ac inviolabiliter observari mandamus. Quocirca vobis omnibus et vestrum cuilibet stricte praecipimus et inhibemus, ne aliquid in contrarium quavis de causâ aut quaesito colore attentare praesumat, sub poenis nullitatis, atque privationis vocis activae et passivae, privilegiorum, et perpetuae inhabilitatis ad eadem ubique obtinenda, necnon excommunicationis latae sententiae ipso facto incurrendis.

Datum Romae in cancellariâ apostolicâ die XXXI maii MDCLXIV.

F. card. BARBERINUS, protector.

Fr. IDELPHONSUS SALIZANES, minister generalis.

AGAPITUS COLORTIUS, secretarius.

Confirmatio apostolica petitur.

§ 4. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, praefati exponentes praemissa, quo firmius subsistant et serventur exactius, apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri summopere desiderent: nos, specialem ipsis exponentibus gratiam facere volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, alternativam in electione ministri provincialis et aliorum officialium

Pontifex confirmat.

supradictae provinciae S. Iosephi de Iucatan, sicut praemittitur; stabilitam et roboratam, a memoratis Francisco cardinale protectore et Michaëleangelo ministro generali confirmatam et approbatam, expeditasque desuper respective eorumdem Francisci cardinalis protectoris et Michaëlisangeli ministri generalis litteras patentes praeinsertas, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos iuris et facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Decretum irritans. § 5. Decernentes easdem praesentes litteras firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogat contrariis. § 5. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon, quatenus opus sit, provinciae et Ordinis praefatorum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenore praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die VII iulii MDCLXIV, pontificatus nostri anno X.

Dat. die 7 iulii 1664, pontif. anno X.

CDLXXXV.

Confirmatio quorumdam statutorum provinciae Franciae Ordinis beati Ioannis Dei in capitulis generalibus dicti Ordinis ab anno MDCXLV *Romae celebratis cum partecipatione eminentissimi domini cardinalis Ginetti protectoris*[1].

Alexander Papa VII, ad futuram rei memoriam.

Expositio. § 1. Exponi nobis nuper fecerunt dilecti filii frater provinciae Franciae de Charitate nuncupati Ordinis beati Ioannis Dei, quod in capitulis generalibus dicti Ordinis ab anno MDCXLV celebratis in hac almâ Urbe cum participatione et consensu venerabilis fratris nostri Martii episcopi Sabinensis S. R. E. cardinalis Ginnetti nuncupati, eiusdem Ordinis apud nos et Sedem Apostolicam protectoris, facta et stabilita fuerunt statuta infrascripta in eâdem provinciâ Franciae deinceps observanda, videlicet:

«Quod fratres Galli debebunt de triennio in triennium celebrare capitula provincialia, ubi, electo per eos praesidente capituli celebrandi, eligent pariter provincialem, priores et duos assistentes provinciae, qui a dicto praesidente confirmabuntur; novus autem provincialis, statim atque electus fuerit, habebit et debebit exercere munus vicarii generalis, et illi et non alii debebit superior generalis Ordinis praefati mittere patentes litteras vicariatus generalis. Deinde, quod, sequuto provincialis obitu, subintrabit in eius officium eius ante-

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

cessor immediatus, illoque ex causâ morbi vel aliter impedito, succedet qui eum praecessit, et hoc quoque deficiente primus assistens provinciae; deficientibus autem omnibus istis, primus prior secundum ordinem conventuum. Et provincialis sic substitutus habebit eamdem auctoritatem, quam habebat defunctus provincialis, ac exercebit ambo officia provincialis et vicarii generalis, quousque alius provincialis in proximo capitulo, quod tempore solito celebrabitur, electus fuerit. Quod si superior generalis capitulum in quinto mense celebrationem illius praecedente non intimaverit, ad provincialem spectabit eiusmodi intimationem facere. Praeterea quod superior generalis non concedet ulli religioso dictae provinciae litteras dimissoriales ad effectum suscipiendi sacros ordines, nisi prius viderit attestationem de vitâ et moribus eiusmodi religiosi subscriptam a superiore maiori provinciae, ac a superiore familiae, in qua dictus religiosus reperietur, et ubi per aliquod tempus habitaverit. Quod si aliquis religiosus sese contra formam iam dictam ad ordines promoveri curaverit, in Italiâ retineri debebit; si autem in Franciam redire voluerit, interdictum ei erit exercitium sacrorum ordinum, perinde ac si religionis habitum dimisisset, iuxta dispositionem quarumdam felicis recordationis Pauli Papae V praedecessoris litterarum die I iulii MDCIX, ut asseritur, emanatarum.

Petunt a Pontifice praedicto statutorum confirmationem.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, praefati exponentes statuta huiusmodi, ut firmius subsistant et serventur exactius, apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri summopere desiderent: nos, specialem ipsis exponentibus gratiam facere volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositorum consilio, attentis narratis, et habitâ desuper per eosdem cardinales relatione, ac voto memorati Martii cardinalis protectoris, praeinserta statuta, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, benigne approbamus et confirmamus, atque executioni demandari iubemus, quatenus tamen eiusdem Ordinis constitutionibus, praesertim apostolicâ auctoritate roboratis, non repugnent.

Decretum irritans.

§ 3. Decernentes easdem praesentes litteras, semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, plenissime suffragari, et ab illis respective inviolabiliter observari sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariis derogat.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XV iulii MDCLXIV, pontificatus nostri anno X.

Dat. die 15 iulii 1664, pontif. anno x.

CDLXXXVI.

Confirmatio quarumdam definitionum in definitorio capituli generalis Congregationis Observantiae Lombardiae Ordinis Eremitarum sancti Augustini cum interventu eminentissimi domini cardinalis Pallotti protectoris et praesidentis, pro felici gubernio ipsius Congregationis factarum[1].

Alexander Papa VII,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium. Sacrosancti apostolatus officii, quod auctore Deo gerimus, sollicitudo nos admonet, ut, paternam christifidelium, qui, spretis mundi illecebris, Altissimi obsequiis sese sub suavi religionis iugo manciparunt, uberesque bonorum operum fructus assidue proferre satagunt, curam gerentes, eosque peculiari charitate prosequentes, illa, quae pro felici eorum in viâ Domini directione, prosperoque gubernio provide sapienterque constituta esse noscuntur, quo[2] firma illibataque permaneant et inviolabiliter serventur, apostolici muniminis nostri patrocinio constabilimus.

Expositio. § 1. Exponi siquidem nobis nuper fecit dilectus filius Franciscus Maria Luranius, procurator generalis Congregationis Observantiae Lombardiae Ordinis fratrum Eremitarum sancti Augustini, quod in definitorio capituli generalis dictae Congregationis novissime in almâ Urbe nostrâ celebrati cum interventu venerabilis fratris nostri Ioannis Baptistae episcopi Albanensis S. R. E. cardinalis Pallotti nuncupati, praefati Ordinis apud nos et Sedem Apostolicam protectoris, dictique capituli nostro et eiusdem Sedis nomine praesidentis, factae fuerunt pro felici eiusdem Congregationis regimine et gubernio nonnullae definitiones tenoris qui sequitur, videlicet:

Ordinationes factae a definitorio generali. « Definitiones factae in definitorio capituli generalis Congregationis Observantiae Lombardiae Ordinis fratrum Eremitarum sancti Augustini in conventu S. Mariae de Populo Romae celebrati sabbato ante dominicam quartam post Pascha Resurrectionis anno Domini MDCLXIV, interessentibus eminentissimo et reverendissimo domino D. Ioanne Baptista episcopo Albanensi S. R. E. cardinali Pallotto totius Ordinis sancti Augustini protectore ac eiusdem capituli generalis praesidente, et admodum reverendis patribus Hieronymo de Sauliano vicario generali noviter electo, Donato de Bergomo vicario generali absoluto, ac Angelo Maria de Mediolano, Fulgentio de Casali, Francisco de Menenio et Ioanne Carolo Maria de Genua, definitoribus, necnon Iulio Caesare de Lauda et Ioanne Francisco de Vitelliana, visitatoribus, Carolo de Ponte Vico et Carolo de Immola loco patrum Angeli de Pontenico et Modesti de Cremona visitatorum absentium subrogatis, necnon aliis opportune subrogatis in locum aliquorum ex praedictis respective prout in actis capitularibus.

« Cum, qui praesunt, zelum divini cultus sedulo induere in sollicitudine debeant, ac circa commissum sibi gregem vigiles semper admonere[1] teneantur oculos, hinc est quod in praedicto capitulo generali Congregationis Observantiae Lombardiae Ordinis fratrum Eremitarum sancti Augustini, in conventu S. Mariae de Populo Romae, ut supra, celebrato, praefatus eminentissimus et reverendissimus dominus Ioannes Baptista episcopus Albanensis S. R. E. cardinalis Pallottus totius Ordinis sancti Augustini

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

2 Male edit. Main. legit *pro* (R. T.).

1 Videtur legendum *admovere* pro *admonere* (R. T.).

vigilantissimus protector ac eiusdem capituli generalis apostolicus praesidens a sanctissimo domino nostro Alexandro Papa VII per litteras in formâ Brevis sub die VII maii eiusdem anni MDCLXIV emanatas specialiter deputatus, et praedicti alii reverendi patres, integrum completum et canonicum corpus definitorii perficientes, unicuique dictae Congregationis religioso verba illa S. Paramiastes memorantes: *Si volueris mandata servare conservabunt te,* sequentes mandarunt et ordinarunt definitiones, videlicet:

I. Declaratum et decretum fuit nedum definitores, verum etiam visitatores lectoratus gradu esse debere insignitos, eorumque sufficientiam per lecturas aut praedicationes, vitae probitate accedente, a patre vicario generali et examinatoribus deputatis per secreta suffragia, maiori parte votorum concurrente, in litteris patentibus ab eodem patre vicario generali expeditis cognoscendam et approbandam esse; absentibus autem aut deficientibus examinatoribus, vel aliquo eorum, patrem visitatorem generalem alios assumere debere, quos idoneos iudicaverit.

II. Neminem imposterum posse in priorem alicuius conventus eligi aut deputari, qui trigesimum aetatis annum non compleverit, et duodecimum ad minus in Congregatione post professionem laudabiliter vixerit; omninoque vetitum sit patri vicario generali pro tempore creare aut deputare aliquem in priorem non servatâ formâ et non concurrentibus requisitis ac conditionibus in constitutionibus et definitionibus etiam praesentibus praefixis; quod si ipse pater vicarius generalis contrafecerit, decretum fuit ipsum utrâque voce privatum saltem per triennium remanere, huiusque poenae declarationem et executionem ad definitorium spectare.

III. Praeviâ confirmatione, et, quatenus opus sit, innovatione definitionis XII in capitulo generali romano MDCXLIV, decretum fuit priores creatos et creandos post praedictam definitionem et capitulum nullatenus posse habere vocem in capitulo generali, praerogativisque ac titulo priorum eatenus gaudere quatenus fuerint in actuali gubernio conventuum; quo peracto redire teneri ad suae professionis locum sub poenâ privationis vocis activae et passivae per sexennium.

IV. Decretum fuit, quod illi, qui ratione lecturae seu praedicationis locum et vocem super alios respective vigore definitionis XIII praefati capituli generalis romani MDCXLIV obtinuerint, eumdem locum et praerogativam retineant etiam respectu eorum qui locum et vocem ex vi dictae definitionis post ipsum assecuti fuerint licet professione anteriores.

V. Decretum fuit, quod, inter priores quibus prioratus gradus fuerit in eodem definitorio collatus, praecedentia illi competat qui in professione fuerit anterior, etiamsi forsan in posteriori sessione eiusdem definitorii fuerit in priorem conventus constitutus.

VI. Cum[1] legitimam seu rationabilem causam, propter quam liceat prioribus recusare, seu non acceptare, aut renuntiare actuale gubernium conventuum, fuit decretum, quod, si huiusmodi recusatio, aut non acceptatio, aut renunciatio facta fuerit durante capitulo generali seu dietâ, ad iudicium definitorii pertineat; si autem extra tale tempus acciderit, ad patrem vicarium generalem iudicium spectet etiam auctoritate capituli generalis seu dietae, cum voto saltem quatuor ex patribus qui ius habeant ingrediendi definitoria.

1 Videtur legendum *Circa* pro *Cum* (R. T.).

VII. Quoad lectorum creandorum examen non modo servàri debere ea quae disponuntur in definitione XVI capituli generalis romani MDCXLIV et in capitulo generali Cremonensi MDCL, sed ulterius praescriptum fuit, quod his, qui ad lectoratum consequendum examinandi sunt, dentur tria puncta, seu quaestiones sorte extractae ex diversis tractatibus *Summae* divi Thomae per vigintiquatuor horas ante, super quibus lectionem sive explanationem latino idiomate facere teneantur coram examinatoribus, a quibus conclusiones ex materiis explanatis impugnandae erunt, solventes ipsi obiectiones. Praeceptum autem fuit praedicta omnia, ut supra disposita, ita servari, ut, aliquo non servato, tum quod gestum fuerit irritum sit et inane, et pater vicarius generalis subiaceat poenis superius taxatis.

VIII. Decretum fuit, quod in postulatione conventuali priorum ad capitulum generale mittendâ, quae per ballottationem fieri debet, praecedat nominatio a quolibet vocali conventus, saltem duorum, quae quidem nominatio per schedulas fiat manu unius vel plurium scriptas, ut secretum magis servetur, et illi tres, qui a pluribus fuerint in schedulis nominati, imbussulentur et ballottentur in primo, secundo et tertio loco ad praescriptum nostrarum constitutionum.

IX. Modus recipiendi novitios ad habitum in Congregatione, assignatus in definitione XX capituli generalis romani MDCXLIV, omnino fuit reductus ad praescriptum decreti sanctissimi domini nostri Alexandri Papae VII pro recipiendis novitiis in Congregatione nostrâ emanati. Attestationes autem et petitiones ex vi praefati decreti ad patrem visitatorem mittendae ad eumdem non transmittantur, nisi per manus patris vicesgerentis loci seu conventus, cuius nomine novitius acceptatur.

X. Caputium nimis latum et manicae capparum nimis latae prohibitae sint, et decretum fuit quod manicae non excedant in circumferentiâ quatuor palmos romanos, et caputia ad cubitos non pertingant, et in anteriori parte zonam non cooperiant, sub poenis arbitrio patris vicarii generalis.

XI. Fuit decretum quod lectores, qui lecturas scholasticas actu non exercent, aut praedicationibus non sunt addicti, iussu prioris docere teneantur grammaticalia clericos grammaticae instructionibus indigentes, sub poenâ privationis lectoratus si docere recusaverint.

XII. Resolutum et decretum fuit omnium actorum capitulorum generalium et dietarum, item omnium decretorum sacrarum congregationum curiae Romanae, necnon omnium litterarum apostolicarum, tam sub plumbo quam sub annulo Piscatoris, concernentium interesse Congregationis, item omnium instrumentorum, piarum dispositionum, legatorum, sententiarum seu decretorum, iurà omnium et singulorum conventuum Congregationis tangentium, originalia accurate et diligenter conserventur in archivio Congregationis in conventu S. Mariae de Populo Romae ad id specialiter deputato, in loco bene tuto et securo, cum crate ferreâ et portâ validâ et bene firmatâ, tribus clavibus obserandâ, quarum una penes priorem dicti conventus, alia penes procuratorem generalem pro tempore, et alia penes religiosum eiusdem conventus a capitulo eiusdem conventus eligendum remaneant, et copiae in authenticâ formâ omnium praedictarum scripturarum conserventur in archivio altero Congregationis assignato in conventu S. Augustini Cremonae, cum qualitatibus pro

archivio Romano descriptis, et unâ ex tribus clavibus servetur penes priorem conventus pro tempore, et aliae duae penes syndicos eiusdem conventus; et aliae copiae similiter authenticae praedictarum omnium scripturarum in alio pariter archivio Congregationis conserventur assignando in conventu S. Iacobi in Carignano Genuae, cum iisdem prorsus conditionibus supra assignatis, expensis interesse habentium; retineatur tamen in archivio cuiuslibet conventus copia pariter authentica omnium instrumentorum et scripturarum ad eundem conventum spectantium.

Quorum omnium executio stricte iniungitur patri vicario generali, ut omnino infra annum curet illorum implementum, et patres visitatores de huiusmodi implemento in visitatione sedulo inquirant, et, ubi opus fuerit, praedicta adimpleri curent et faciant, et in proximo capitulo generali accurate et fideliter referant.

XIII. Decretum fuit quod ex mille quingentis duplis aureis Hispaniarum depositis Taurini ex retractu conventus S. Nicolai de Broù Brorgi Brixiae (qui quidem contractus locum habeat ad formam et praescriptum litterarum apostolicarum sanctissimi domini nostri, et non aliàs, aliter, nec alio modo, etc.) transmittantur quo nunc[1] Romam hîc integre persolvenda scuta quatuor mille monetae romanae ad effectum investiendi in locis montium non vacabilium Romanae curiae cameralium, seu communitatum, dictam integram summam scutorum quatuor milium monetae Romanae; et reliqua, quae supersunt, relinquantur ad commodum unius vel plurium conventuum regionis Pedemontium nostrae Congregationis iuxta intentionem datam serenissimo Sabaudiae duci, vel illius ministris, et huiusmodi applicatio fiat ad commodum unius vel plurium dictorum conventuum, cum onere summam praefatam investiendi in bonis stabilibus liberis et securis, et quod talis applicatio sit remissa ad arbitrium patris vicarii generalis praesentis, reservato beneplacito apostolico, et non aliàs, aliter, nec alio modo.

XIV. Decretum fuit ulterius quod fructus, percipiendi ex dictis scutis quatuor millibus monetae romanae investiendis in tot locis montium non vacabilium cameralium, seu communitatum, ex retractu praedicti conventus S. Nicolai de Broù, ad favorem et in creditum Congregationis nostrae applicentur et expendantur tantum pro urgentiis et necessitatibus extraordinariis praefatae Congregationis a definitorio capituli generalis cognoscendis et approbandis per vota secreta tribus saltem ex quatuor partibus concurrentibus; ita tamen ut, si omnes fructus praedicti, vel pars ipsorum, in huiusmodi necessitatibus et urgentiis, servatâ formâ praedictâ, non expendantur, investiri debeant in tot locis montium similium; et hoc idem faciendum sit de fructibus percipiendis, tam de locis montium primo acquirendis, quam de aliis emendis ex fructibus successive percipiendis. Quae quidem loca montium, ex fructibus, ut praefertur, emenda et multiplicanda, remaneant sub liberâ dispositione praedicti definitorii capituli generalis pro tempore, ad effectum tamen erogandi praedictos fructus nonnisi in gravioribus necessitatibus et contingentiis nostrae Congregationis, tribus saltem ex quatuor votorum partibus concurrentibus, per vota secreta, reservato pro subsistentiâ praesentis definitionis beneplacito apostolico, et non aliàs, aliter, nec alio modo.

1 Forsan *pro nunc* legend. pro *quo nunc* (R.T).

XV. Item decretum fuit quod mille duplae aureae Hispaniarum (quae hodie remanent penes patres Discalceatos Ordinis sancti Augustini Congregationis Franciae, et quae, iuxta dispositionem litterarum apostolicarum sanctissimi domini nostri super cessione praefati conventus S. Nicolai de Broù, solvendae sunt a dictis patribus Discalceatis), cum ad manus et commodum dictae nostrae Congregationis pervenerint, tunc investiendae sint in tot locis montium non vacabilium Romanae Curiae cameralium, seu communitatum, ad favorem eiusdem Congregationis eisdem modo et formâ, tam quoad sortem praedictam, quam quoad fructus et alia, in omnibus et per omnia ut supra dictum est de scutis quatuor millibus investiendis ex duplis mille et quingentis retractis ex cessione praefati conventus S. Nicolai et depositis Taurini, et de fructibus subinde percipiendis.

XVI. Statutum et decretum fuit quod in futurum ad capitulum generale convenire debeant tantum pater vicarius generalis actualis, patres vicarii generales absoluti, patres definitores et visitatores actuales, pater procurator generalis, pater socius, seu scriba, pater vicarius generalis actualis, pater secretarius Congregationis, licet aliàs in capitulo generali vocem non haberet, et patres priores actuales, et qui iuxta definitionem XIII capituli generalis Romae celebrati anno MDCXLIV votum obtinuerint; exclusis patribus prioribus vacantibus et patribus discretis ex gravissimis causis in definitorio propositis et plene discussis; reservato tamen beneplacito Sedis Apostolicae, et non aliàs, aliter, nec alio modo.

XVII. Statutum fuit quod in futurum patres omnes vicarii generales absoluti ingredi possint definitoria tam capituli generalis quam dietae, et alia etiam extraordinaria, cum voto unâ cum patribus vicario generali pro tempore, seu vicario generali absoluto respective, et quatuor patribus definitoribus, et quatuor visitatoribus electis, seu subrogatis, cum praerogativâ tamen non solum praecedentiae respectu definitorum et visitatorum praedictorum, verum etiam praesidentiae in casibus, in quibus praesidentia aliàs spectasset ad primum definitorem: hoc tamen ordine et modo, ut, inter plures vicarios generales absolutos, illi praesidentia competat, qui aliàs praesidentiae munus non obierit; et inter plures, qui eodem praesidentiae munere functi non fuerint, is praeferatur, qui ante alios munus vicariatus generalis adimpleverit; et si omnes vicarii generales absoluti praedicto munere praesidentiae aliquando functi fuerint, tunc inter illos per circulum is praesidere debeat, qui prius vicarii generalis officium exercuerit; et successive ii, qui postea eodem officio functi fuerint, non concurrente tamen alio qui munus dictae praesidentiae nunquam impleverit, qui semper praeferatur iis qui aliquando praefato munere praesidentiae functi fuerint: quod vicarii generales absoluti ineligibiles sint et incapaces officii definitorum generalium et visitatorum generalium, et, dummodo ex omnibus, qui, ut supra, ius habent ingrediendi definitorium, novem praesentes sint, subrogationi vice absentium seu deficientium locus non sit; reservato tamen beneplacito apostolico, et non aliàs, aliter, nec alio modo.

XVIII. Decretum fuit quod pro bono Congregationis et feliciori directione gubernii illius in futurum patres omnes, qui ius habent ingrediendi definitorium capituli generalis, conveniant ad celebrationem eiusdem definitorii pro se-

cundâ dominicâ post Pascha Resurrectionis; ita ut ante electionem patris vicarii generalis, quae facienda est sabbato ante dominicam tertiam, fieri possint definitiones, decreta et statuta, quae hactenus fiebant post electionem patris vicarii generalis; et praedicti, qui convenire debent, omnino id exequantur sub poenis arbitrio eiusdem definitorii infligendis, quatenus sine rationabili, aut legitimâ causâ non accesserint.

XIX. Ad fovendam humilitatem et obedientiam regularem, exercendam iustitiam distributivam, et providendum laudabili otio et quieti religiosorum, decretum fuit quod in futurum religosi, qui per sex annos continuos munus quodcumque iurisdictionis exercuerint, sive vicarii generalis, sive definitoris, aut visitatoris per electionem, sive prioris actualis, a quocumque ex praedictis muneribus indispensabiliter per biennium vacare debeant.

XX. Statutum fuit quod in futurum acta visitationum, tam patris vicarii generalis et illius commissariorum, quam patrum visitatorum, deferenda sint ad capitulum generale, et deferenda in definitorio eiusdem capituli ante electionem patris vicarii generalis congregando, ad effectum ut opportune provideri possit, prout iustitia, religiosa prudentia et zelus dictaverit, etiam in electionibus faciendis.

XXI. Pro maiori Dei servitio, beneficio Congregationis, ac illius perfectiori observantiâ, aliisque iustis de causis insinuatis et mature perpensis, decretum fuit quod in futurum (servato tamen beneplacito Sedis Apostolicae, et non aliàs, aliter, nec alio modo) tempus durationis munerum vicarii generalis, definitorum et visitatorum per electionem, necnon priorum actualium singulorum conventuum, non amplius ad biennium sed ad triennium perduret, et dietae nonnisi in secundo anno celebrari possint.

XXII. Stantibus definitione et decreto superius facto pro duratione munerum et guberniorum ad triennium, ex altero pariter decreto de vacatione biennali post sex annos iurisdictionalis regiminis, decretum fuit quod in posterum vacatio non quidem per biennium tantum, sed per triennium perduret respectu munerum in eodem decreto expositorum; quo vero ad patrem vicarium generalem, qui functus sit munere vicarii generalis, ad idem munus ineligibilis sit per sexennium, reservato beneplacito apostolico, et non aliàs, aliter, nec alio modo.

XXIII. Decretum fuit quod id, quod statutum est de duratione triennali munerum patris vicarii generalis et aliorum, ut supra, idem observandum sit quoad durationem munerum patrum procuratoris generalis, socii, seu scribae et secretarii Congregationis pro tempore existentium, reservato beneplacito apostolico, et non aliàs, etc.

XXIV. Statutum et decretum fuit, quod, eveniente casu mortis, seu cuiuscumque alterius et legitimi et canonici impedimenti patris vicarii generalis pro tempore, quo munus vicarii generalis per alium exercendum foret, tunc, si dictus casus accidat intra sex menses proximos ante celebrationem capituli generalis, gubernium Congregationis devolvatur ad patrem vicarium generalem proxime absolutum superstitem, seu legitime et canonice non impeditum, usque ad proximum capitulum generale celebrandum tempore superius statuto durationi gubernii ad triennium, in reliquis ad formam constitutionum; si autem casus, de quo supra, evenerit ante sex menses praedictos, tunc, delato gubernio patri vicario generali absoluto praedicto,

procedatur intra duos menses (et interim quo citius fieri poterit) ad electionem novi vicarii generalis; et ad electionem, opportuno tempore advocentur patres vicarii generales absoluti, quatuor definitores, quatuor visitatores, procurator generalis, socius et secretarius Congregationis, et his competat ius eligendi patrem vicarium generalem aliàs eligibilem et capacem et non vacantem ad formam decreti superius emanati, duraturum usque ad capitulum generale proxime celebrandum; satisque erit, si ex praedictis nominatis electoribus saltem duodecim conveniant, et reperiantur in electione praedictâ; si autem in minori numero quam duodecim convenerint, usque ad eumdem numerum duodecimum ab his qui praesentes fuerint subrogentur alii, qui aliàs vocem in proximo capitulo habituri essent, et, qui, ut praefertur, electus fuerit, ineligibilis omnino sit in vicarium generalem in proximo capitulo celebrando; reservato beneplacito apostolico, et non aliàs, etc.

XXV. Confirmatae et quatenus opus sit innovatae fuerunt definitiones in capitulo generali Romano de anno MDCXLIV editae et emanatae in omnibus praesentibus non adversantibus.

XXVI. Ne praedictarum definitionum exequutio oblivioni tradatur, districte praecipitur prioribus omnibus localibus, ut post illarum receptionem et publicationem eas inserere et colligare faciant in libro regulae post antiquas definitiones, sub poenâ privationis officii et aliarum[1] arbitrio patris vicarii generalis: quas poenas pariter subibunt, si eas singulo quoque mense coram fratribus in publicâ mensâ legi non curaverint.

Et supplicetur sanctissimo domino nostro pro confirmatione in formâ specificâ omnium praedictarum definitionum per Breve Sanctitatis Suae.

IOANNES BAPTISTA episcopus Albanensis cardinalis PALLOTTUS, protector et praeses.

Frater FRANCISCUS MARIA de Cremona, procurator generalis, manu propriâ».

A Pontifice confirmantur.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, praefatus Franciscus Maria procurator generalis definitiones huiusmodi, quo firmius subsistant et serventur exactius, apostolicae confirmationis nostrae praesidio communiri summopere desideret: nos, ipsius Francisci Mariae procuratoris generalis votis favorabiliter annuere cupientes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, omnes et singulas definitiones praeinsertas in definitorio capituli generalis huiusmodi factas, ut praefertur, cum omnibus et singulis contentis in illis, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, perpetuo confirmamus et approbamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos iuris et facti defectus, si qui in illis quomodolibet intervenerint, supplemus.

Decretum irritans.

§ 3. Decernentes easdem praesentes litteras, ac definitiones praeinsertas, semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, inviolabiliter et in-

1 Videretur legendum *aliis* (R. T.).

concusse observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariis derogat. § 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac, quatenus opus sit, congregationis et Ordinis huiusmodi, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis credi mandat. § 5. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique locorum et gentium adhibeatur, quae ipsismet praesentibus adhiberetur, si forent exhibite vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XVIII iulii MDCLXIV, pontificatus nostri anno X.

Dat. die 18 iulii 1664, pontif. anno X.

CDLXXXVII.

Confirmatio declarationis Pii V quod conventus S. Mariae super Minervam de Urbe, Ordinis Praedicatorum, sit primus inter conventus provinciae Romanae, cum novo decreto quod ab eâdem provinciâ separari nequeat[1].

Alexander Papa VII, ad futuram rei memoriam.

Expositio. § 1. Exponi nobis nuper fecerunt dilecti filii fratres conventus S. Mariae super Minervam de Urbe provinciae Romanae Ordinis Praedicatorum, quod, cum dictus conventus unus ex magis cospicuis provinciae et Ordinis huiusmodi conventibus semper fuerit, felicis recordationis Pius Papa V praedecessor noster, informatus quod idem conventus, vel rationabili ordinatione patrum, vel usu plurium annorum continuatione deducto, locum habebat super omnes alios eiusdem provinciae conventus; ad tollendam de cetero omnem in hac parte ambiguitatem et haesitationem, vivae vocis oraculo bonae memoriae Michaëli Bonellō, dum vixit, S. R. E. cardinali Alexandrino nuncupato, eâ semper[2] re facto, declaravit ac decrevit et statuit, ut deinceps perpetuis futuris temporibus idem usus servari deberet, ac prior dicti conventus tamquam provinciae capitis in communibus actionibus et conventibus seu capitulis eiusdem provinciae primum locum et vocem haberet super omnes aliorum conventuum dictae provinciae priores; salvis iure magisterii in theologiâ, et aliis exceptionibus per constitutiones vel ordinationes dicti Ordinis expressis, non obstante antiquitate cuiusvis alterius conventus (si probari posset), aliisque contrariis quibuscumque, et aliàs prout contineri dicitur in litteris patentibus praefati Michaëlis cardinalis desuper expeditis tenoris qui sequitur, videlicet:

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

2 Videtur legendum *super* pro *semper* (R. T.).

Litterae patentes cardinalis Alexandrini ut in rubricâ.

« Michaël Bonellus, miseratione Divinâ S. R. E. tituli S. Mariae supra Minervam presbyter cardinalis Alexandrinus nuncupatus, universis et singulis, ad quorum notitiam hae nostrae pervenerint, fidem facimus et attestamur qualiter sanctissimus in Christo pater et dominus noster Pius divinâ providentiâ Papa V, informatus qualiter in Romanâ provinciâ Ordinis Praedicatorum conventus S. Mariae super Minervam, vel rationabili ordinatione patrum, eo videlicet, quia eadem provincia ab Urbe Roma denôminatur, vel usu a pluribus annis continuatione deducto, locum habet super omnes alios eiusdem provinciae conventus, ad tollendam de cetero omnem in hac parte ambiguitatem et haesitationem, vivae vocis oraculo nobis hac infrascriptâ die facto declaravit, immo decrevit ac statuit, ut deinceps perpetuis futuris temporibus idem usus servari debeat, ac prior dicti conventus tamquam provinciae capitis in communibus actionibus et conventibus seu capitulis eiusdem provinciae primum locum et vocem habeat super omnes aliorum conventuum dictae provinciae priores; salvis iure magisterii in theologiâ et aliis exceptionibus per constitutiones et ordinationes dicti Ordinis expressas[1], non obstante antiquitate cuiusvis alterius conventus (si probari posset) aliisque in contrarium facientibus quibuscumque. In quorum fidem has fieri, et, manu nostrâ subscriptas, nostri sigilli iussimus appositione muniri.

Datum Romae, in palatio apostolico, die 21 novembris 1566, pontificatus eiusdem sanctissimi domini nostri Pii, anno I.

F. Michaël Bonellus,
cardinalis Alexandrinus ».

Locus † sigilli.

§ 1. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, praefati exponentes praemissa, quo firmius subsistant et serventur exactius, apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri, et aliàs opportune desuper ut infra a nobis indulgeri summopere desiderent: nos, specialem ipsis exponentibus gratiam facere volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, declarationem ac decretum et statutum a memorato Pio praedecessore, sicut praemittitur, facta, et a praefato Michaële cardinale attestata, expeditasque desuper ipsius Michaëlis cardinalis litteras patentes praeinsertas, cum omnibus et singulis contentis in illis, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos iuris et facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus. Pontifex confirmat.

§ 3. Praeterea supradictum conventum S. Mariae super Minervam ad praefatam provinciam Romanam semper in futurum spectare, nec ab illâ quovis modo separari posse, sed uti caput eiusdem provinciae supradictae praecedentiâ gaudere debere, auctoritate et tenore praedictis decernimus, ac statuimus et ordinamus. Et conventum S. Mariae super Minervam in provinciae Romanae caput declarat.

§ 4. Decernentes easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque ple- Decretum irritans.

1 Forsan *expressis* (R. T.).

narios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, plenissime suffragari, et ab illis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Obstantia tollit. § 5. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon, quatenus opus sit, dictorum Ordinis et provinciae, aliisve quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXIX iulii MDCLXIV, pontificatus nostri anno X.

Dat. die 29 iulii 1664, pontif. anno x.

CDLXXXVIII.

Prorogatio subsidii quadringentorum viginti millium ducatorum annuorum super fructibus ecclesiasticis universarum Hispaniarum et Sardiniae pro rege catholico ad quinquennium[1].

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

Carissimo in Christo filio nostro Philippo, Hispaniarum regi catholico, Alexander Papa VII.

Carissime in Christo fili noster, salutem et apostolicam benedictionem.

Motiva. § 1. Magnis causis adducti, concessionem subsidii annui quadringentorum et viginti millium ducatorum ex fructibus et redditibus ecclesiasticis civitatum et locorum regnorum universarum Hispaniarum ac etiam Sardiniae claraе memoriae Philippo II avo tuo Hispaniarum regi catholico a felicis recordationis Pio V ad certum tunc expressum tempus factam, et deinde pluries etiam a Gregorio XIII, Sixto V, Gregorio XIV, Clemente VIII ac Paulo V Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris eidem Philippo avo, et clarae similiter memoriae Philippo III[1] etiam Hispaniarum regi catholico genitori[2] tuis, et a recolendae memoriae Urbano VIII et Innocentio X Romanis Pontificibus praedecessoribus pariter nostris, per diversas eorum respective, et praesertim dicti Clementis sub datum die IX februarii MDXCII, pontificatus sui anno I, et die XVII iunii MDC, pontificatus item sui anno IX, et die XXX octobris MDCIII, pontificatus similiter sui anno XII, ac dicti Pauli sub datum die XXI iunii MDCV, pontificatus sui anno I, et die VII septembris MDCXI, pontificatus item sui anno VII, et die XII novembris MDCXV, pontificatus pariter sui anno XI, et die XXI octobris MDCXIX, pontificatus etiam sui anno XV, necnon praefati Urbani, die XXVI martii MDCXXIV, pontificatus sui anno I, et die III maii MDCXXXIV, pontificatus pariter sui anno XI, et die II iunii MDCXXXV, pontificatus item sui anno XII, et die IX ianuarii MDCXXXIX, pontificatus etiam sui anno XVI, ac dicti Innocentii, praedeces-

1 Edit. Main. legit *V* (R. T.).
2 Pessime edit. Main. legit *genitorum* (R. T).

sorum, die II Ianuarii MDCXLV, pontificatus sui anno I, et die XXII maii MDCLI, pontificatus etiam sui anno VII, et novissime a nobis die XVIII aprilis MDCLXII, pontificatus nostri anno VIII, per nostras in simili formâ Brevis expeditas litteras, maiestati tuae ad quinquennium prorogatam, litterasque omnes desuper confectas (quarum tenores praesentibus haberi volumus pro expressis), motu proprio, et certâ scientiâ nostrâ, ac de apostolicae potestatis plenitudine, ad aliud quinquennium a fine ultimodicti quinquennii ut praefertur prorogati numerandum extendimus et prorogamus.

Ad aliud quinquennium subsidium prorogat Pontifex.

Et nihilominus eidem maiestati tuae illud ipsum annuum subsidium quadringentorum et viginti millium ducatorum, cum omnibus et quibuscumque indultis, facultatibus, concessionibus, clausulis et decretis in aliis tam Pii quam Gregorii XIII, Sixti V, Gregorii XIV, Clementis VIII, Pauli V, ac Urbani VIII et Innocentii X praedecessorum praefatorum ac nostris litteris contentis, ad praefatum quinquennium a fine quinque annorum ultimo concessorum, ut praefertur, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, concedimus et assignamus.

Exactores mandat.

§ 2. Ac propterea dilectis filiis moderno et pro tempore existenti nostro et Sedis Apostolicae apud maiestatem tuam nuncio, necnon Iosepho Gonzalez, iam eiusdem subsidii exactoribus, commissariis generalibus, et eorum cuilibet, plenam et liberam in praemissis facultatem et auctoritatem tribuimus, per se, vel alium, seu alios, quos ad id idoneos duxerint, ad exequutionem praemissorum, ac aliàs iuxta facultates per dictos praedecessores aliis commissariis et exactoribus ac ipsis concessas, omni et quacumque appellatione postpositâ, procedendi, aliaque faciendi et exequendi, quae in praemissis et circa ea necessaria fuerint, seu quomodolibet opportuna.

Derogatio contrariorum.

§ 3. Non obstantibus praemissis, necnon omnibus aliis, quae dicti praedecessores voluerunt in suis et nos quoque voluimus in nostris litteris praefatis respective non obstare; ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides.

§ 4. Ut autem praesentes litteras, cum opus fuerit, facilius ad omnium notitiam deduci possint, decernimus ut earumdem transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXIX iulii MDCLXIV, pontificatus nostri anno X.

Dat. die 29 iulii 1664, pontif. anno x.

CDLXXXIX.

Confirmatio alternativae inter Observantes et Reformatos Ordinis fratrum Minorum sancti Francisci, quod unâ vice eligatur commissarius generalis familiae cismontanae ex Reformatis et alterâ ex Observantibus, hac tamen conditione, ut tres definitores generales eligantur ex Observantibus, et tres ex Reformatis in cunctis congregationibus et capitulis generalibus [1].

Alexander Papa VII,
ad futuram rei memoriam.

Exordium.

Illius, qui charitas est et Deus pacis, vices licet immeriti gerentes in terris, ea, quae ad conservandam inter religiosos viros individuae fraternitatis con-

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

cordiam provide statuta et decreta esse noscuntur, ut firmius subsistant et serventur exactius, apostolici muniminis praesidio libenter constabilimus.

Expositio. § 1. Exponi siquidem nobis nuper fecit dilectus filius Ildephonsus Salizanes, minister generalis Ordinis fratrum Minorum sancti Francisci de Observantiâ nuncupatorum, quod in capitulo generali dicti Ordinis novissime in hac almâ Urbe nostrâ celebrato quaedam alternativa inter fratres de Observantiâ et Reformatos nuncupatos familiae cismontanae eiusdem Ordinis determinata fuit per decretum tenoris qui sequitur, videlicet:

Decretum capituli generalis pro alternativâ ut in rubricâ. « Cum ad concordiam, fraternamque pacem conservandam inter Observantes et Reformatos propositum fuerit in pleno capitulo generali, ut inter eos fieret alternativa, scilicet, quod unâ vice eligatur commissarius generalis cismontanae familiae ex Reformatis, alterâ vero ex Observantibus: decrevit idem capitulum generale unanimi consensu, utroque definitorio et discretorio annuente, quod ad eamdem pacem stabiliendam, supradicta alternativa fieret; hac tamen conditione, ut tres definitores provinciales eligantur ex Observantibus, et tres ex Reformatis in cunctis congregationibus et capitulis generalibus; necnon ad maiorem rei firmitatem supplicetur Summo Pontifici pro confirmatione huiusmodi concordati ».

Pontifex praedictum decretum confirmat. § 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, dictus Ildephonsus decretum huiusmodi, pro firmiori illius subsistentiâ, apostolicae confirmationis nostrae robore communiri summopere desideret: nos, specialem eidem Ildephonso ministro generali gratiam facere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, decretum praeinsertum in capitulo generali huiusmodi factum, ut praefertur, omniaque et singula in eo contenta, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, approbamus et confirmamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et ingulos iuris et facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Decretum irritans. § 3. Decernentes easdem praesentes litteras, ac decretum huiusmodi, semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum. § 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon, quatenus opus sit, Ordinis et familiae cismontanae huiusmodi, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum,

hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides. § 5. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique locorum habeatur, quae ipsismet praesentibus haberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die xxx augusti MDCLXIV, pontificatus nostri anno x.

Dat. die 30 augusti 1664, pontif. anno x.

CDXC.

Confirmatio decreti magistri generalis Ordinis Praedicatorum, quod collegium S. Ludovici Angelopolitanum ad conventum S. Dominici Mexicanum et provinciam S. Iacobi Ordinis huiusmodi pertineat, etc. [1].

Alexander Papa VII,
ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium. Ad pastoralis dignitatis fastigium, nullo licet meritorum nostrorum suffragio, per ineffabilem divinae bonitatis abundantiam evecti, circa ea, per quae exorta inter christifideles quoscumque et praesertim Altissimi obsequiis sub suavi religionis iugo mancipatos dissidia iuxta aequitatis et iustitiae praecepta dirimuntur, ac paci, fraternaeque concordiae opportune consulitur, propensis studiis intendimus, illisque, ut firmius subsistant et serventur exactius, libenter, cum a nobis petitur, apostolici muniminis adiungimus firmitatem.

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

Expositio. § 1. Exponi siquidem nobis nuper fecit dilectus filius Fernandus de Moroi, frater expresse professus ac procurator provinciae S. Iacobi de Mexico, Ordinis Praedicatorum, in sacrâ theologiâ magister, quod, cum dilectus filius Ioannes Baptista de Marinis, magister generalis dicti Ordinis, per quasdam suas patentes litteras die xxix septembris MDCLVI emanatas, quae subinde, nempe die xii octobris eiusdem anni, a nobis per nostras in simili formâ Brevis litteras specifice totoque [1] illarum inserto tenore confirmatae fuerunt, provinciam S. Iacobi de Mexico Ordinis praefati in duas, unam quidem S. Iacobi de Mexico et alteram Angelopolitanam respective nuncupandas provincias, assignatis utrique seu alteri illarum suis terminis ac conventibus, collegiis et vicariis, diviserit, ac inter cetera collegium S. Ludovici in civitate Angelopolitanâ positum dictae provinciae Angelopolitanae assignaverit, non advertens dictum collegium S. Ludovici non solum vi suae fundationis, sed etiam vigore subsequuti contractus ad conventum S. Dominici Mexicanum dictae provinciae S. Iacobi de Mexico velut membrum eidem conventui indissolubiliter incorporatum pertinuisse et pertinere; idem Ioannes Baptista magister generalis, postmodum hoc comperto, declaravit nunquam fuisse mentis aut intentionis suae derogare iuri quaesito praefati conventus Mexicani, quod in dictum S. Ludovici collegium Angelopolitanum ei competere iam compertum est; ac supradictas suas patentes litteras, quibus Angelopolitanam a Mexicana provinciâ disterminavit, quoad unicum hoc punctum translationis eiusdem collegii (ceteris in suo robore permanentibus), revocavit, abolevit et an-

1 Edit. Main. legit *totaque* (n. 1.).

nullavit, et eatenus revocatas, abolitas et nullas esse et fore decrevit; ipsum vero collegium S. Ludovici, cum omnibus suis pertinentiis, iuribus, annexis et connexis, mobilibus et immobilibus, curae, regimini, iurisdictioni, ac proprietati memorati conventus Mexicani, et gubernio solius provinciae S. Iacobi praefatae, privative ad alios quoscumque ipso Ioanne Baptista magistro generali inferiores praelatos, adiudicavit, ac de huius conventus Mexicani mensâ esse, fuisse et manere pronunciavit, nec posse huic invito illud eripi, alienari aut dismembrari declaravit, edixit, atque statuit, et aliàs prout uberius continetur in decreto ipsius Ioannis Baptistae magistri generalis desuper edito, tenoris qui sequitur, videlicet:

Decretum magistri generalis.

« Frater Ioannes Baptista de Marinis, sacrae theologiae professor, Ordinis Praedicatorum humilis magister generalis et servus, ad perennem rei memoriam.

Pacem solius iustitiae fructum esse, neque illam sine hac seminari posse graviter admonuit S. Iacobus in suâ *Catholica*, cap. III. Quando igitur datis anno MDCLVI die XXIX septembris litteris patentibus novam provinciam Angelopolitanam in occiduis Indiis a veteri S. Iacobi Mexicanâ solo quietis pacisque seminandae studio divisimus, utique iustitiam (a qua totum semen mutuandum[1] noveramus) nec scienter praeterivimus, nec intendebamus quoquo modo praeterire. Porro meminimus in praedictâ provinciarum disiunctione novae provinciae nostrae Angelopolitanae tunc inter alia loca seu regularia domicilia ipsum quoque per nos attributum fuisse collegium nostrum S. Ludovici, utpote fundatum ac situm in civitate Angelopolitana, neque enim id nobis poterat non videri iustissimum, quamdiu naturam et speciales clausulas, pacta, circumstantias huius fundationis neque per somnium exploratas habebamus.

Nunc autem, ex quo noster S. Dominici conventus Mexicanus, missò in almam hanc Urbem procuratore ad id specialiter et rite instructo, ius suum quaesitum super dictâ fundatione et collegio coram officio nostro iuridice modesteque repraesentavit, ac sese in iustâ illius possessione manuteneri, et inspectis partium momentis seu rationibus controversiam decidi, factamque translationem aboleri petiit: aequum imo pernecessarium duximus iuris experimento praebere locum, ut ex inviolatâ iustitiâ tutiorem pacem seminemus.

Itaque nuperrime die V iulii in pleno collectorum patrum consilio dicti procuratoris exhibitum memoriale, cum responsis provinciae Angelopolitanae ad protestationes Mexicanae, cum epistolâ patris vicarii generalis eiusdem Angelopolitanae provinciae, nobis totique consessui clarè et distincte perlegi fecimus, ac tandem variis ultro citroque motis et ponderatis, nostro omniumque suffragio decretum fuit, in re gravissimâ (ne quid forte praecipitaremus) celebrium iuris consultorum maturrima iudicia fore exquirenda, ut inde tutius ad definitivam sententiam, auditis peritorum arbitriis, procederemus. Delegimus vero ex omnibus illustrissimos dominos Nicolaum Severolum et Prosperum Bottinium sacrae aulae consistorialis advocatos, viros in hoc genere versatissimos, qui demum, audito prolixe totius nostri Ordinis procuratore generali, perlectis, discussis, examinatis omnibus ac singulis pro utrâque parte adductis scripturis, expensisque rationum ponderibus, ore ac scripto singulorum manibus seorsim concepto signatoque nobis concorditer re-

1 Forsan *maturandum* (R. T.).

sponderunt ac deduxerunt, praememoratum nostrum S. Ludovici collegium, non solum vi suae fundationis et conditionum huic appositarum, verum etiam vigore subsequenti [1] postea contractus onerosi, ac ultro citroque obligatorii, liquido iure ad praefatum S. Dominici conventum Mexicanum hactenus pertinuisse ac pertinere velut membrum eidem indissolubiliter incorporatum, non obstantibus quae in contrarium opponebantur, aut opponi posse videbantur, ne quidem ipsismet litteris nostris patentibus initio citatis, quantumcumque apostolico Brevi insertis et communitis, quae tunc denuo coram nobis, procuratore generali Ordinis, et praenominatis illustrissimis dominis iureconsultis, unà cum reliquo scripturarum huc pertinentium instrumento, productae, visae et diligenter scrutinatae fuerunt.

His ergo (ut praefertur) sollicite praemissis, tandem ad definitivam sententiam, procuratore instante, citra comperendi nationem, duximus procedendum.

Sententia revocatoria magistri Ordinis.

Proinde nos, qui supra, hac die XXVI iulii MDCLXIV in camerâ solitae nostrae residentiae existentes, Christi nomine invocato, solumque Deum et iustitiam prae oculis habentes, praesentium tenore, et nostri officii auctoritate, in primis declaramus nunquam fuisse mentem aut intentionem nostram derogari iure [2] quaesito praefati nostri conventus Mexicani quod in dictum S. Ludovici collegium Angelopolitanum ei competere iam compertum est: deinde praememoratas nostras litteras patentes, quibus Angelopolitanam à Mexicanâ provinciâ disterminavimus, quoad unicum hoc punctum translationis eiusdem collegii (ceteris in suo robore permanentibus), revocamus, abolemus, annullamus et eatenus revocatas, abolitas, nullas esse ac fore decernimus; ipsum vero collegium S. Ludovici, cum omnibus suis pertinentiis, iuribus, annexis, mobilibus et immobilibus, curae, regimini, iurisdictioni ac proprietati conventus nostri Mexicani, et gubernio solius provinciae S. Iacobi, privative ad alios quoscumque nobis inferiores praelatos, adiudicamus, ac de huius conventus Mexicani mensâ esse, fuisse, manere pronunciamus, nec posse huic invito illud erigi, alienari aut dismembrari declaramus, edicimus atque statuimus; denique, in virtute Spiritus Sancti, sanctae obedientiae sub formali praecepto, necnon sub poenâ maioris excommunicationis et privatione utriusque vocis, graduum et officiorum, perpetuâque inhabilitate ad eadem recuperanda, universim omnibus nostrae curae subiectis districtissime prohibemus, ne quisquam, clam aut palam, communi aut privato, suove aut alieno nomine, per se vel per alium, directe aut indirecte, vel quocumque immaginabili modo, praetextu aut motivo, audeat huic nostrae definitivae sententiae refragari, obniti vel contraire, et quidquid versus [1] eamdem in posterum quovis colore et viâ gestum vel tentatum fuerit, ex nunc inane, cassum irritumque esse volumus et declaramus; sub eodem formali praecepto, censurâ et poenis praecipimus nostrae provinciae Angelopolitanae superioribus, quatenus sive [2] dilatione apostolicâ aut exceptione praefatum nostrum S. Ludovici collegium, cum omnibus suis bonis et attinentiis, pacifice, quiete et fideliter in manus provinciae nostrae S. Iacobi et conventus nostri Mexicani remittant, nec inde quidquam sibi aut provinciae suae Angelopolita-

1 Forsan *subsequuti* pro *subsequenti* legendum (R. T.).

2 Potius lege *derogare iuri* (R. T.).

1 Legendum *adversus* (R. T.).

2 Legendum *sine* pro *sive*; porro quae sequentur emendet lector scius (R. T.).

nae arrogent, reservent aut praetendant; sicque reponimus et reponere intendimus hunc nostrum conventum regalem Mexicanum integre in eodem statu, dictique collegii possessione, usu et gubernio quoad omnia, prout erat antequam provincia Angelopolitana divideretur a Mexicanâ. In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. Amen. Non obstantibus in contrarium quibuscumque.

Actum Romae, in conventu nostro S. Mariae super Minervam, anno, mense, die, quibus supra.

Fr. Ioannes Baptista de Marinis, magister Ordinis.

Fr. Antonius Gorualis, magister et secretarius ».

Pontifex praedictam sententiam confirmat.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, supradictae patentes litterae a nobis specifice, ut praefertur, confirmatae fuerunt, cupiatque propterea dictus Fernandus procurator opportune in praemissis a nobis provideri et ut infra indulgeri: nos, ipsum Fernandum specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, ac tam earumdem patentium dicti Ioannis Baptistae magistri generalis quam praefatarum nostrarum super illarum confirmatione emanatarum litterarum tenores et datas etiam veriores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, supplicationibus eiusdem Fernandi nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, praeinsertum memorati Ioannis Baptistae magistri generalis decretum, cum omnibus et singulis in eo quomodolibet contentis, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos iuris et facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Decretum irritans.

§ 3. Decernentes easdem praesentes litteras et decretum praeinsertum semper firma, valida et efficacia existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab illis respective inviolabilis observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Exequutores deputat.

§ 4. Quocirca venerabilibus fratribus archiepiscopo Mexicano et episcopis Angelopolitano et Iucatanensi, seu dilectis filiis eorum officialibus, per praesentes committimus et mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum, per se, vel alium, seu alios, ubi et quando opus fuerit, et quoties pro parte dilectorum filiorum superiorum et fratrum provinciae S. Iacobi et conventus Mexicani praefatorum, aliorumve in praemissis interesse habentium, seu alicuius eorum, desuper fuerint requisiti, easdem praesentes litteras et in eis contenta quaecumque solemniter publicantes, illisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate nostrâ illos et eorum quemlibet praesentium litterarum et in eis contentorum huiusmodi commodo et effectu pacifice frui et gaudere, non permittentes illos

desuper a quoquam, quavis auctoritate, quomodolibet indebite molestari, perturbari, vel inquietari; contradictores quoslibet et rebelles per censuras et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postpositâ, compescendo, legitimisque super his habendis servatis processibus, censuras et poenas ipsas etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis.

Contrariis derogat.

§ 4. Non obstantibus praefatis nostris litteris super confirmatione supradictarum patentium litterarum expeditis, aliisque praemissis, ac felicis recordationis Bonifacii Papae VIII praedecessoris nostri de unâ, et concilii generalis de duabus dietis, dummodo aliquis auctoritate praesentium ultra tres dietas in iudicium non trahatur, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon, quatenus opus sit, Ordinis et provinciarum, conventus et collegii praefatorum, aliisve quibuslibet, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, approbatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides danda transumptis.

§ 5. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo alicuius personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique locorum tam in iudicio quam extra illud adhibeatur, quae ipsismet praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXVII septembris MDCLXIV, pontificatus nostri anno X.

Dat. die 27 septembris 1664, pontif. anno X.

CDXCI.

Unio monasterii S. Mariae de Sagittario Ordinis Cisterciensis sancti Bernardi Anglonensis dioecesis congregationi Tusciae Ordinis huiusmodi[1].

Alexander Papa VII, ad futuram rei memoriam.

Exordium.

Pastoralis officii nobis, nullo meritorum nostrorum suffragio, divinitus commissi ratio postulat, ut religiosos viros Altissimi obsequiis sub suavi monasticae vitae iugo mancipatos peculiari paternae charitatis benevolentiâ prosequentes, illorum commodis et felici regimini, ac in viâ mandatorum Domini progressui, regularisque observantiae conservationi et incremento, quantum nobis ex alto conceditur, consulere iugiter satagamus.

Motiva talis unionis ut in rubricâ.

§ 1. Cum itaque, sicut accepimus, congregatio sancti Bernardi Italiae monachorum Ordinis Cisterciensis, quae ex duabus provinciis Tusciae scilicet et Lombardiae constat, eximiâ regularis observantiae laude floreat, eâque de causâ omnia dicti Ordinis monasteria in Statu nostro Ecclesiastico, et pleraque in regno Neapolitano respective consistentia, memoratae provinciae Tusciae auctoritate apostolicâ etiam a nobis unita fuerint, unde divini servitii augumentum, exactiorque disciplinae regularis obser-

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

vantia, ac maior quies et tranquillitas religiosorum ipsorum monasteriorum
Unio fit. consecuta sunt: hinc est quod nos, spirituali temporalique monasterii S. Mariae de Sagittario nuncupati, Ordinis praefati, Anglonensis dioecesis, quod (ut pariter accepimus) unicum in provinciâ Basilicatae dicti regni, et tum ob monachorum multitudinem, tum ob regularis disciplinae vigorem conspicuum existit, ac dudum a felicis recordationis Urbano Papa VIII praedecessore nostro per quasdam suas desuper expeditas litteras provinciae Calabriae dicti Ordinis unitum fuit, utilitati pariformiter prospectum esse cupientes, necnon dictarum Urbani praedecessoris litterarum tenorem, et alia [1] etiam specialem et individuam mentionem et expressionem requirentia, praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes, motu proprio, ac ex certâ scientiâ et maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, praefatum monasterium S. Mariae de Sagittario a dictâ provinciâ Calabriae tenore praesentium perpetuo separamus et dismembramus, ipsumque monasterium, cum omnibus et singulis eius personis ac bonis eius mensae conventualis, congregationi sancti Bernardi et provinciae Tusciae praefatis itidem perpetuo unimus, annectimus et incorporamus; eâ tamen lege ut idem monasterium debitam annuam taxam contributionem dilecto filio moderno et pro tempore existenti abbati generali dicti Ordinis solvere teneatur, electio vero abbatis claustralis ipsius monasterii, quae a dilectis filiis praesidente et definitoribus supradictae provinciae Calabriae fieri solebat, de cetero a dilectis pariter filiis praesidente et definitoribus memoratae congregationis sancti Bernardi pro tempore existentibus de personis monachorum nationalium eiusdem monasterii, si ibidem idonei fuerint, fieri debeat.

§ 2. Decernentes easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, inviolabiliter et inconcusse observari, neque de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrae aut interesse habentium consensus, aliove quolibet etiam substantiali defectu notari, infringi, retractari, aut in controversiam revocari, seu ad terminos iuris reduci, vel adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque iuris, facti vel gratiae remedium impetrari, seu impetrato, aut etiam motu, scientiâ et potestatis plenitudine paribus concesso, quempiam in iudicio vel extra illud uti seu se iuvare posse, sicque et non aliter in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos, et alios quoslibet, quacumque praeeminentiâ et potestate fungentes et functuros, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Decretam irritans.

§ 5. Non obstantibus praefatis Urbani praedecessoris litteris, aliisque praemissis, ac, quatenus opus sit, de non tollendo iure quaesito, aliisque nostris et cancellariae apostolicae regulis, et aliis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, etiam conciliaribus, necnon Ordinis et congregationis ac monasterii Contrariis derogat.

1 Male ed. Main. legit *aliam* pro *alia* (R.T.),

et provinciarum huiusmodi, aliisve quibuslibet, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis etiam Ordini et congregationi ac monasterio et provinciis praefatis, eorumque superioribus et personis, sub quibuscumque verborum tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis, in genere vel specie, etiam motu pari, ac etiam consistorialiter, aut aliàs quomodolibet, etiam iteratis vicibus, in contrarium praemissorum concessis, approbatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, ac formâ in illis traditâ observatâ, exprimerentur et insererentur, praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die 1 octobris MDCLXIV, pontificatus nostri anno X.

Dat. die 1 octobris 1664, pontif. anno X.

CDXCII.

Constitutio determinans quomodo et quando liceat superioribus regularibus monialium earumque confessoribus ingredi septa monasterii, et prope illud commorari [1].

Alexander Episcopus,
servus servorum Dei,
ad perpetuam rei memoriam.

Felici sacrarum virginum statui, quae, contemptis illecebris seculi, divinis se obsequiis manciparunt, quantum nobis ex alto conceditur, consulere volentes, motu nostro proprio, non ad alicuius instantiam, sed ex nostrâ merâ deliberatione, ac de apostolicae potestatis plenitudine, de voto tamen nonnullorum venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium, ac dilectorum filiorum Romanae curiae praelatorum, quibus negotium sedulo ac mature examinandum commisimus, Proœmium.

§ 1. Praesentibus perpetuo valituris sancimus, ut imposterum intra fines Italiae et insularum adiacentium generalibus, provincialibus, abbatibus et quibuscumque aliis superioribus regularibus, quibus alioquin cura et regimen monasteriorum sanctimonialium quovis modo incumbit, intra septa eorumdem monasteriorum nullatenus ingredi liceat, nisi ex causâ visitationis localis, et hoc semel tantum in anno, ita ut in eo anno, in quo unus ex memoratis superioribus visitaverit, alius superior a visitatione huiusmodi se omnino abstineat. Superior semel tantum in anno ingredi potest monasterium in visitatione.

§ 2. Quod si ob clausuram, quae a sanctâ Tridentinâ Synodo, etiam in monasteriis exemptis, curae et vigilantiae epi- Extra visitationem cum facultate Ordinarii.

1 Monialium monasteria quibus casibus earum praelati ingredi possint, sancivit Gregorius XIII, Const. XIII, *Deo*, tom. VIII, pag. 28; monialium numerus in monasteriis exemptis, cum interventu superiorum, ab Ordinariis stabiliendus iuxta Gregorii XIII Const. XLIV, ibid., pag. 113; monialium confessores, etiam exempti, approbandi sunt ab episcopo ex Gregorii XV Constit. XII, tom. XII, pag. 656.

scopi in primis committitur, aut ob aliam urgentem ac necessariam causam oportuerit superiorem regularem eodem anno pluries ingredi septa monasterii, tunc non aliter ingrediatur, quam cum praesentiâ episcopi dioecesani, vel alterius personae ecclesiasticae secularis boni exempli ac maturae aetatis ab ipso episcopo ad hoc specialiter deputatae.

Superior per seipsum visitet cum unico socio.

§ 3. Visitet autem superior regularis interiorem clausuram per seipsum, non autem per alium, etiamsi fuerit legitime impeditus, quo casu differatur visitatio in aliud tempus, quo cessaverit impedimentum, et visitationem celeriter et unicâ die, debitâ tamen cum diligentiâ, absolvat, nec ante ortum solis eam incipiat, nec post occasum protrahat, neque ipse visitator, neque eius socii ullam sumant in monasterio refectionem.

Generalis Ordinis cum duobus sociis.

Porro si visitet generalis, possit secum habere duos socios sui Ordinis, si alius a generali, unum tantum, exclusis omnibus aliis, etiam ratione officii. Qui quidem socii assumantur exemplares et maturae aetatis, et in actu visitationis a visitatore nunquam separentur, sed eum aspicere et ab ipso aspici semper possint.

Visitatori assistant quatuor moniales.

§ 4. Ac praeterea visitatori assistant quatuor moniales ex senioribus monasterii, quae similiter visitatione durante nunquam separentur a visitatore et sociis. Reliquae vero moniales et quaecumque aliae mulieres et puellae seculares in monasterio degentes, nisi legitimo detineantur impedimento, conveniant omnes in choro antequam visitator ingrediatur interiorem clausuram, et in eo permaneant durante visitatione, et quousque idem visitator cum sociis e monasterio exierit. Ideoque curet visitator ut tempestive admoneatur abbatissa seu monasterii praefecta de praestitutâ die et horâ visitationis. Visitatio vero personalis fiat ad crates, et omnino extra clausuram monasterii, et per ipsummet superiorem dumtaxat, ut supra dictum est de visitatione interioris clausurae.

Confessarius non ingrediatur absque necessitate.

§ 5. Ad haec confessor sanctimonialium, tam ordinarius, quam extraordinarius, minime ingrediatur septa monasterii, nisi ad sacramenta Poenitentiae, Eucharistiae et Extremae Unctionis ministranda monialibus, vel aliis personis infirmis ibi degentibus, necnon ad commendandam animam agonizantium, nec unquam ingrediatur, nisi cum socio, qui sit probatae vitae et maturae aetatis, semperque maneat in eâ parte monasterii, qua confessorem videre et ab ipso videri semper possit.

Confessarii pernoctare debent in proprio conventu.

§ 6. Insuper districte praecipimus memoratis superioribus regularibus, ut, infra terminum duorum mensium a publicatione praesentis constitutionis computandorum, revocent ad claustra confessores, eorumque socios, concionatores et alios quoscumque regulares apud monasteria sanctimonialium vel assidue vel ad tempus quocumque titulo pernoctare solitos; neve permittant eosdèm, seu alios regulares, intra, seu prope septa monasteriorum huiusmodi habitare vel commorari, quin etiam, infra eumdem terminum, quascumque cellas, mansiones seu cubicula prope monasteria praedicta ad usum memoratorum regularium existentia, si clausurae monasteriorum earumdem monialium contigua sint, eidem clausurae includi, vel dirui omnino faciant; si vero sint extra septa, vendi, pretiumque in monasterii utilitatem converti; nec in posterum alia similia aptari, aedificari, aut emi permittant. Quod si infra dictum terminum superiores regulares praemissa cum effectu non adimpleverint, teneatur Ordinarius loci, tamquam Sedis Apostolicae delegatus, illa adimplere et omnino exequi, etiam in-

vocato, si opus fuerit, brachii secularis auxilio.

Quando autem non teneantur pernoctare in proprio conventu.

§ 7. Verumtamen si monasterium sanctimonialium sit extra moenia urbis vel oppidi, et monasterium regularium virorum, quibus moniales sunt subiectae, sit intra dicta moenia, vel e converso, habeantur vel conducantur, si commode fieri possit, mansiones ad usum confessoris quae non sint coniunctae seu contiguae ipsi monasterio monialium, sed ab eo penitus disiunctae, non solum per parietes, sed etiam per tecta: sin autem utrumque monasterium sit intra moenia, et unum ab altero, episcopi iudicio, multum distans, tunc habeantur vel conducantur huiusmodi mansiones ut supra distinctae et separatae a monasterio monialium distantiâ ab ipso episcopo recognoscendâ et approbandâ; ita tamen ut in mansionibus confessoris, sive intra sive extra moenia constitutis, excepto ipso confessore cum suo socio, alii regulares, etiamsi superiores sint, minime pernoctent.

Poenae contra inobedientes.

§ 8. Si quis vero praedictorum regularium aliquid contra praesentium tenorem facere vel moliri praesumpserit, aut adimplere neglexerit, ipso facto poenam excommunicationis et privationis omnium officiorum quae obtinet, ac perpetuae inhabilitatis ad illa vel alia in posterum obtinenda, vocisque activae et passivae, absque aliâ declaratione, incurrat. Et nihilominus nullis privilegiis et exemptionibus tueri se possit, quominus ab episcopo loci, tamquam ad hoc Sedis Apostolicae delegato, quoties et quando opus fuerit, corrigi et puniri valeat.

Decretum irritans.

§ 9. Decernentes easdem praesentes, etiam ex eo quod superiores regulares, et ceteri quicumque in praemissis interesse habentes, seu habere quomodolibet praetendentes, illis non consenserint, nec ad ea vocati et auditi fuerint, nullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis, nullitatis aut invaliditatis vitio, seu intentionis nostrae aut alio quovis defectu, etiam quantumvis magno, inexcogitato, ac substantiali, sive etiam ex eo quod in praemissis, seu eorum aliquo, solemnitates et quaevis alia servanda et adimplenda, servata et adimpleta non fuerint, aut ex aliquo alio capite quocumque, a iure vel facto, aut statuto vel consuetudine aliquâ resultante, seu etiam enormis, enormissimae et totalis laesionis, aut quocumque alio colore, etiam in corpore iuris clauso, seu occasione vel causâ quantumvis iustâ, rationabili et privilegiatâ, etiam tali, quae ad effectum validitatis praemissorum necessario exprimenda foret, aut quod de voluntate nostrâ huiusmodi nihil ullibi appareret, seu aliter probari posset, notari, impugnari, invalidari, retractari, in ius vel controversiam revocari, aut ad terminos iuris reduci, vel adversus illas restitutionis in integrum, aperitionis oris, reductionis ad viam et terminos iuris, facti, gratiae vel iustitiae remedium impetrari, seu quomodolibet concesso et impetrato quempiam uti seu se iuvare in iudicio vel extra posse, neque easdem praesentes sub quibusvis similium vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, aut aliis contrariis dispositionibus pro tempore quomodolibet faciendis comprehendi, sed semper ab illis exceptas, perpetuoque validas, firmas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac per omnes et singulos, ad quos spectat et quomodolibet spectabit in futurum, inviolabiliter observari, sicque et non aliter in praemissis omnibus et singulis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici audi-

tores, necnon S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos et Sedis Apostolicae nuncios, ac alios quavis auctoritate et potestate fungentes, nunc et pro tempore existentes, in quavis causâ et instantiâ, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi, facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, et, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, irritum et inane decernimus.

Contrariis derogat.

§ 10. Non obstantibus, quatenus opus sit, regulâ nostrâ de non tollendo iure quaesito, aliisque in cancellariae apostolicae regulis, ceterisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, etiam in conciliis generalibus editis, etiam specialiter in favorem quarumcumque personarum, atque Ordinum, tam Mendicantium quam non Mendicantium, congregationum, societatum et cuiusvis alterius instituti et monasteriorum, conventuum, collegiorum, domorum et locorum regularium quorumcumque, necnon illorum[1] roboratis statutis et consuetudinibus, etiam immemorabilibus, exemptionibus quoque, indultis et privilegiis etiam ex causâ et titulo oneroso, vel in limine fundationis et mari magno, seu bullâ aureâ, aut aliter nuncupatis, sub quibuscumque tenoribus et formis, et cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, necnon irritantibus et et aliis decretis, etiam motu, scientiâ deliberatione et potestatis plenitudine, etiam ad imperatoris, regum, reginarum, rerumpublicarum et quorumvis aliorum principum et personarum quarumcumque ecclesiasticâ vel seculari dignitate fulgentium instantiam, seu eorum intuitu et contemplatione, ac etiam consistorialiter, et aliàs quomodolibet, etiam per viam communicationis seu extensionis, concessis et iteratis vicibus approbatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, quoad ea quae praesentibus quomodolibet adversantur, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis illorumque totis tenoribus et formis specialis, individua, et de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut quaevis exquisita forma servanda esset, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, et formâ in illis traditâ observatâ, inserti forent, eisdem praesentibus pro expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides.

§ 11. Volumus autem ut praesentes litterae in valvis ecclesiae Lateranensis et basilicae Principis Apostolorum, necnon cancellariae apostolicae, ac in acie Campi Florae de Urbe publicentur et affigantur, quae, postquam affixae et publicatae fuerint, omnes et singulos, quos illae concernunt, perinde arctent et afficiant, ac si unicuique eorum nominatim et personaliter intimatae fuissent; atque earumdem praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra illud ubique adhibeatur, quae praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae sanctionis, praecepti, decreti, derogationis et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

1. Forsan deest vox *iuramento* (n. r.).

Datum in Arce Gandulphi, dioecesis Albanensis, anno Incarnationis Dominicae MDCLXIV, XIII kalendas novembris, pontificatus nostri anno X.

Dat. die 20[1] octobris 1664, pontif. anno X.

CDXCIII.

Decernit et statuit quod deinceps in Indiarum partibus priores parochorum Ordinis Praedicatorum, non ab ipsismet parochis, sed a singularum provinciarum provincialibus per vota secreta duodecim ad minus canonice eligantur.

Alexander Papa VII, ad futuram rei memoriam.

Exordium. Militantis Ecclesiae regimini per ineffabilem divinae bonitatis abundantiam nullo licet meritorum nostrorum suffragio praesidentes, in eam praecipue sollicitudinem propensis studiis incumbimus, ut fidelibus populis cura pastoralis non desit; sed eiusmodi cura per operarios idoneos salubri assiduâque sedulitate exerceatur, quo horrea Domini uberiori messe, adspirante superni favoris auxilio, magis magisque in dies locupletentur.

Expositio. § 1. Exponi siquidem nobis nuper fecit dilectus filius magister generalis Ordinis Praedicatorum, quod in vastis Indiarum partibus variae sparsim illarum gentium ad fidem catholicam conversarum parochiae, quas quidem illic usitatiori vocabulo doctrinas et vicarias appellant, a religiosis dicti Ordinis ex indulto Sedis Apostolicae administrantur. Iis autem religiosis parochis, seu vicariis, de more per singulos districtus (praefecturâ ad summum biennii vel triennii) respective praeest unus ex ipsorum numero prior vocem in capitulo provinciali habens, quem statutis temporibus ipsi canonice eligunt, et ad eiuscemodi capitularem electionem celebrandam procul a suis residentiis in certum aliquem locum solent evocari.

Motiva. § 2. Porro, cum, iuxta constitutiones Ordinis praedicti, electoribus priorum integer mensis debeatur a notitiâ vacantis officii, ut intra hunc terminum congregentur, deliberent et eligant, nimis frequenter contingit hosce parochos seu vicarios eo titulo et longissime et diu abesse a suis doctrinis seu ecclesiis, dum plerique foris transigunt totum hunc mensem electionis, imo et menses, si forte contingat primam electionem a priore provinciali ob iustas causas non confirmari, quo casu alius denuo, aliusque mensis iisdem vocalibus debetur.

Petitio. § 3. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, haec longa et crebra parochorum absentia, praecipue in illis regionibus, fideli plebi et praesertim moribundis debito interea sacramentorum Ecclesiae ministerio destitutis plurimum noceat: nobis propterea memoratus magister generalis humiliter supplicari fecit ut de opportuno in praemissis remedio providere et ut infra indulgere de benignitate apostolicâ dignaremur. Nos igitur, piis eiusdem magistri generalis votis hac in re, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere cupientes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati,

Confirmat prout in rubricâ. § 4. Quod deinceps in praedictis Indiarum partibus tales fratrum dicti Or-

1 Male ed. Main. ad margimem habet *10* (R.T.).

dinis parochorum priores seu vicarii non ab ipsismet parochis, sed a singularum provinciarum provincialibus in graviori earumdem conventu per vota secreta decisiva duodecim ad minus antiquorum fratrum, si extra capitulum provinciale fuerit, rite et canonice eligantur; si vero durante definitorio, a provinciali et definitoribus eodem modo eligantur; quodque priores parochorum ad id muneris assumi nequeant, nisi revera sat calleant proprium idioma plebis, cui tamquam priores seu vicarii praeficientur, et quod iidem suo populo continue assistant, ita ut neque capitulum provinciale adire, neque aliàs unquam a suâ parochiali residentiâ ultra spatium trium leucarum elongare se possint, nisi relicto ibidem idoneo substituto illius idiomatis bene gnaro, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, decernimus, statuimus et ordinamus.

Decretum irritans. § 5. Decernentes pariter easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum. § 6. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon dicti Ordinis, et aliis quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides. § 7. Volumus autem ut earumdem praesentium transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem fides in iudicio et extra adhibeatur, quae praesentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die VIII novembris MDCLXIV, pontificatus nostri anno X.

Dat. die 8 novembris 1664, pontif. an. X.

CDXCIV.

Erectio ecclesiae Reginohradecensis in regno Bohemiae[1].

Alexander episcopus,
servus servorum Dei,
ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium. Super universas orbis ecclesias, Eo disponente, qui cunctis imperat et cui omnia obediunt, quantumcumque sine nostris meritis, constituti, levantes in circuitu agri dominici oculos nostrae mentis more pervigilis pastoris inspecturi quid provinciarum et locorum quorumlibet statui congruat, quidve desuper hoc praesertim tempore, quo humani generis hostis omni conatu ad ipsarum animarum perniciem et fidei catholicae eversionem incumbit, disponi debeat, divino fulti praesidio, dignum quin potius debitum arbitramur in irriguo militantis Ecclesiae agro novas episcopales sedes

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

et ecclesias plantare, praecipue dum catholicam religionem propagari exoptantium regum, ac pia praelatorum, signanter fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium, quos in partem sollicitudinis apostolicae evocavit Altissimus, vota id exposcunt, ut per huiusmodi novas plantationes popularis augeatur devotio, divinus cultus floreat, et animarum salus subsequatur, ac humiliora loca dignioribus ecclesiis illustrentur, et condignis favoribus attollantur, illorumque incolae et personae, venerabilium praesulum assistentiâ, regimine et doctrinâ suffulti, proficiant semper in fide, et quod in temporalibus sunt adepti non careant in spiritualibus incremento.

Ferdinandus imperator pensionem annuam super vectigali salis assignat pro erectione episcopatuum in regno Bohemiae.

§ 1. Sane aliàs gloriosae memoriae Ferdinandus Romanorum et Bohemiae rex in imperatorem electus, cum ad sedandos bellorum tumultus, qui regnum[1] Bohemiae tunc concutiebant, in quasdam pacis conditiones consensisset, per quas multa illius regni bona ecclesiastica ante et inter bellicas tempestates per seculares occupata, ipsis occupatoribus rata remanebant, nec reddebantur quae erant Dei Deo, mox huius permissi, seu commissi poenitens, ac suae et avitae pietatis memor, ad damna, quae per eam pacificationem res ecclesiarum illius regni capiebant, utcumque reparanda, pensionem annuam perpetuam quindecim millium aureorum ex vectigali salis eiusdem regni quotannis percipiendam constituit et assignavit, ratam habente felicis recordationis Urbano Papa VIII praedecessore nostro eâ quidem gratiâ, ut, quandocumque ex dictâ annuâ pensione sub administratione sacrae congregationis S. R. E. cardinalium rebus propagandae fidei praepositorum tanta excrevisset pecuniarum summa, quae unius ecclesiae episcopalis doti in eodem regno erigendae satis esse videretur, tunc a dioecesi Pragensi in immensum diffusâ pars aliqua avelleretur, et in loco seu oppido partis avulsae nova sedes episcopalis opportune erigeretur; idque, dictâ pensione annuatim redeunte et post aliquot iterum annos ad notabilem summam auctâ, pluries fieret, donec quatuor omnino sedes episcopales novae in illis partibus sic dotatae et erectae forent; qui casus cum sub initium pontificatus nostri accidisset, nos modis et rationibus, quibus supra, in praedicto regno ecclesiam Litomericensem apostolicâ auctoritate ereximus et dotavimus, illique episcopum praefecimus et pastorem, prout in nostris desuper confectis litteris plenius continetur[1].

Ecclesia Reginohradecensis erigitur.

§ 2. Cum autem nuper venerabiles fratres nostri S. R. E. cardinales rebus propagandae fidei huiusmodi praepositi ad nos retulerint tantam pecuniarum vim ex dictâ pensione annuâ iterum esse conflatam, quae doti alterius ecclesiae ibidem erigendae fere sufficiat, considerantes etiam oppidum Reginohradecense in dictâ dioecesi Pragensi prope confluenta amnium Aquilae et Albis cum foro duplici situm satis esse amplum et insigne, quippe quod in longitudinem patet ad quadringentos, in latitudine vero ad trecentos circiter passus, quodque valde commendant ipsa antiquitas, aëris salubritas, fertilitas soli, incolarumque numerus et pietas, et, quod caput est, fidei ibidem propagandae opportunitas, et porro in eodemmet oppido etiam adest ecclesia parochialis, quae archidiaconalis dicitur, Spiritui Sancto dicata, structurae non invenustae, fonte baptesimali decorata, in qua parochus et aliquot[2] cappellani animarum curae et sa-

1 Male ed. Main. legit *regnorum* (R. T.).

1 Quas vide in tom. XVI, pag. 31 (R. T.).

2 Edit. Main. legit *aliquos* (R. T.).

luti sacrisque operari solent, ac proinde eadem congregatio censuit dictum oppidum cum toto eius districtu et praedictam parochialem a dictâ dioecesi Pragensi posse avelli et dismembrari, idemque oppidum in civitatem, et eius districtum in dioecesim, ac praedictam parochialem ecclesiam in cathedralem Reginohradecensem nuncupandam ad maiorem Dei gloriam et religionis orthodoxae propagationem erigi et institui, et praesertim quod, in eiusdem ecclesiae dotem, dominium de Chrast nuncupatum octoginta octo florenorum bohemicorum millibus ex dictâ pensione in summam collectis illis in partibus sit emptum, et quod carissimus in Christo filius noster Leopoldus Ignatius in imperatorem electus, cuius temporali dominio idem oppidum et districtus paret, in supplementum dictae dotis alia florenorum similium triginta millia de suâ liberalitate donata ad supradictam adiecerit, ex quibus pro episcopi habitatione domus valde commoda, aliaque opportuna coëmpta sunt: nos, qui congregationis huiusmodi sententiam approbavimus, et ad ulteriora in dictâ erectione procedi iussimus, volentes tandem hoc bonum et pium opus executioni demandare, eique manum imponere supremam, habitâ igitur super his cum praedictis et aliis S. R. E. cardinalibus venerabilibus fratribus nostris maturâ deliberatione, de illorum consilio et assensu, ac apostolicae potestatis plenitudine, iuxta decretum eorumdem S. R. E. cardinalium rebusque de propagandâ fide praepositorum factum, accedentibus ad haec omnia non modo expressis assensibus, sed etiam precibus saepius interpositis tum venerabilis fratris nostri[1] Ernesti tituli S. Praxedis S. R. E. presbyteri cardinalis Harrach nuncupati, ecclesiae Pragensis ex dispensatione apostolicâ praesulis, tum dicti Leopoldi Ignatii regis, tenore praesentium dictum oppidum Reginohradecense, et eius districtum, et dictam parochialem ecclesiam ab ipsâ diocesi Pragensi perpetuo dismembramus et separamus, idemque oppidum in civitatem, et eius districtum in dioecesim, dictamque eius parochialem ecclesiam in cathedralem Reginohradecensem nuncupandam, cum capitulo sex canonicorum, cum clero, populo et vassallis, cumque aliis privilegiis et praerogativis aliis cathedralibus ecclesiis huiusmodi concedi solitis, auctoritate et tenore praedictis erigimus et instituimus; atque in eiusdem cathedralis dotem eiusque mensae episcopalis supradictum dominium de Chrast, sic, ut praefertur, emptum, et alia florenorum bohemicorum triginta millia a dicto Leopoldo Ignatio rege in supplementum dictae dotis liberaliter donata applicamus, adscribimus et assignamus; futurisque deinceps dictae ecclesiae Pragensis legitimis praesulibus ius metropoliticum in praedictam ecclesiam Reginohradecensem futuram praedictae ecclesiae Pragensis suffraganeam, ac praedicto Leopoldo Ignatio regi, aliisque venturis Bohemiae regibus, ipso tamen et ipsis in puritate fidei orthodoxae et sincerâ erga Romanum Pontificem pro tempore existentem et Sedem Apostolicam devotione, obedientiâ atque observantiâ persistentibus, privilegium nominandi et Romano Pontifici pro tempore existenti[1] personam idoneam ad dictam ecclesiam Reginohradacensem, quandocumque illam etiam ab hac primâ eius institutione vacare contigerit, auctoritate et tenore praemissis concedimus et impertimur.

Suffraganea tamen ecclesiae Pragensis et ad nominationem Bohemiae regis.

1 Pessime edit. Main. legit *cum venerabilibus fratribus nostris* pro *tum venerabilis fratris nostri* (R. T.).

1 Forsan deest vox *praesentandi* (R. T.).

Obstantium derogatio.

§ 3. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Decretum irritans.

§ 4. Nulli ergo omnino hominum liceat hac paginam nostrae approbationis, iussi, voluntatis, dismembrationis, separationis, erectionis, institutionis, approbationis, adscriptionis, assignationis, concessionis et impartitionis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, anno Incarnationis dominicae MDCLXIV, IV idus novembris, pontificatus nostri anno X.

Dat. die 10 novembris 1664, pontif. anno X.

CDXCV.

Confirmatio statuti super commissariis visitatoribus provinciarum Baeticae et Legionensis tertii Ordinis sancti Francisci in capitulo generali editi [1].

Alexander Papa VII, ad futuram rei memoriam.

Expositio.

§ 1. Exponi nobis nuper fecerunt dilecti filii fratres provinciarum Baeticae et Legionensis tertii Ordinis sancti Francisci quod aliàs, videlicet die XXX maii proxime praeteriti, in capitulo generali Ordinis fratrum Minorum eiusdem sancti Francisci de Observantiâ nuncupatorum, factum fuit pro praefatis provinciis Baeticâ et Legionensi statutum tenoris qui sequitur, videlicet:

Decretum capituli generalis.

« Statuitur et ordinatur quod commissarii visitatores tertii Ordinis de cetero non possint assumi de Observantiâ, sed quod assumi debeant de ipso tertio Ordine, ita quod pro visitatione in qualibet provinciâ tertii Ordinis debito tempore peragendâ designet reverendissimus virum aliquem, qui sit eiusdem professionis et instituti, alterius tamen provinciae, talem quidem qualem statuta generalia decernunt. Casu tamen quo non inveniretur visitator idoneus in tertio Ordine, poterit assumi et ex primo et ex vicinioribus provinciis.

Statutum capituli generalis Pontifex confirmat.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, dicti exponentes statutum huiusmodi, quo firmius subsistat, et servetur exactius, apostolicae nostrae confirmationis patrocinio communiri summopere desiderent[1]: nos, specialem ipsis exponentibus gratiam facere volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositorum consilio, attentis narratis, praeinsertum statutum, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, benigne approbamus et confirmamus, eique apostolicae auctoritatis robur adiicimus, et illud in posterum servari mandamus, salvâ tamen semper in praemissis auctoritate congregationis eorumdem cardinalium.

Decretum irritans.

§ 3. Decernentes easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac aliis, ad quos spectat et pro tempore

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

1 Edit. Main. legit *desideret* (R. T.).

spectabit, plenissime suffragari; sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariorum derogatio.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon, quatenus opus sit, provinciarum et Ordinis huiusmodi, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXII novembris MDCLXIV, pontificatus nostri anno X.

Dat. die 22 novembris 1664, pontif. anno X.

CDXCVI.

Commissio nuncio Neapolis contra episcopum Policastrensem [1].

Venerabili fratri Iulio, archiepiscopo Laodiceae, nostro et Apostolicae Sedis in regno Neapolis nuncio,

Alexander Papa VII.

Venerabilis frater,
salutem et apostolicam benedictionem.

Processus contra episcopum Policastrensem.

§ 1. Cum, sicut accepimus, a quibusdam praetendatur nonnullos excessus in terrâ de Orsaya Policastrensis dioecesis cum participatione venerabilis fratris episcopi Policastrensis commissos fuisse, nos, de excessibus huiusmodi informationem capi volentes, fraternitati tuae causam seu causas eorumdem excessuum contra memoratum episcopum Policastrensem, cum illius, seu earum incidentibus, emergentibus, annexis et connexis, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, usque ad sententiam exclusive, committimus; mandantes tibi ut omni diligentiâ processum desuper dictâ auctoritate formes seu formari et confici facias. Nos enim quamcumque necessariam et opportunam ad id facultatem tibi harum serie eâdem auctoritate tribuimus et impertimur, tibique, ut nullam praemissorum occasione irregularitatem contrahas, concedimus et indulgemus.

Sem committitur nuncio Neapolis

§ 2. Ceterum volumus, ut, si quid contra praefatum episcopum Policastrensem resultaverit, tu informationes et processum vel processus, quos in exequutionem praesentium feceris seu fieri curaveris, sub tuo sigillo clausos ad nos quamprimum transmittas, ut quod desuper statuendum fuerit, maturâ deliberatione habitâ, decernamus.

Clausulae derogatoriae.

§ 3. Non obstantibus felicis recordationis Bonifacii VIII praedecessoris nostri de unâ, et concilii generalis de duabus dietis, aliisque apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, necnon, quatenus opus sit, ecclesiae Policastrensis, et aliis quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum teno-

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

res praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die 1 decembris MDCLXIV, pontificatus nostri anno X.

Dat. die 1 decembris 1664, pontif. anno X.

CDXCVII.

Amplissima facultas legato Avenionensi absolvendi omnes et singulos reos, complices et participes delictorum in civitate Avenionensi eiusque districtu a die XXIV *octobris proximi praeteriti usque ad praesentem diem commissorum, exceptis tamen illis personis, quas placuerit eidem legato nominare, seu quae ab eius vicelegato magis culpabiles repertae fuerint*[1].

Dilecto filio nostro Flavio tituli S. Mariae de Populo S. R. E. cardinali Chisio nuncupato, nostro secundum carnem ex fratre germano nepoti, in civitate Avenionensi et comitatu nostris Venayssino in spiritualibus et temporalibus vicario generali, ac in illis necnon in Viennensi, Arelatensi, Ebredunensi, Aquensi et Narborensi provinciis, ac illis adiacentibus civitatibus, terris et locis, nostro et Apostolicae Sedis de latere legato,

Alexander Papa VII.

Dilecte fili noster,
salutem et apostolicam benedictionem.

Exordium. Illius qui visitat in virgâ iniquitates hominum et in verberibus peccata, misericordiam autem suam non dispergit ab eis, vices, licet immeriti, gerentes in terris, sicuti virgam disciplinae illis, qui debitae fidelitatis et subiectionis limites transgressi, nobis et Apostolicae Sedi rebellare contumaci protervia non verentur, inviti adhibemus, ita reversos in viam paternae nostrae charitatis et apostolicae libenter complectimur misericordiâ lenitatis.

Motiva. § 1. Cum itaque (sicut non sine gravi animi nostri molestiâ accepimus) in civitate nostrâ Avenionensi, eiusque suburbiis et dependentiis ac districtu, a die XXIV octobris proxime praeteriti citra, gravissima contra nostram et Apostolicae Sedis maiestatem et auctoritatem, ac dignitatem et supremum imperium, debitamque nobis et eidem Sedi fidelitatem et subiectionem delicta, crimina, excessus et facinora a multis facinorosis hominibus publicae quietis perturbatoribus et reipublicae quantum in ipsis fuit eversoribus (qui nostros et dictae Sedis milites, [illegible]s praesidii causâ in eâdem civitate collocari iusseramus, plebe concitatâ, violenter inde expulerunt, seu inde egredi coëgerunt, ac dilectum filium magistrum Alexandrum de Columna vicelegatum tuum ad iniquas pactiones et capitulationes cum ipsis sive cum civitate huiusmodi ineundas contra ius fasque armis adegerunt, nostramque et dictae Sedis officialium et ministrorum potestatem, iurisdictionem et auctoritatem sibi damnabiliter usurpaverunt, et multipliciter violarunt et perturbarunt) commissa et perpetrata ac attentata fuerint:

Reos quoscumque absolvi mandat Pontifex. § 2. Nos, licet eiusmodi facinorosorum hominum improbitatem condignis poenis et animadversionibus puniri et coërceri aequitati et iustitiae consonum ac reipublicae salubre reputemus, pontificiae nihilominus mansuetudinis nostrae benignitatem illis, qui, ad eos reversi, fidelem nobis et Sedi praefatae subiectionem de cetero exhibere et servare parati fue-

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

rint, impertiri volentes; ac de eximiâ, multisque et gravissimis in nostris et dictae Sedis negotiis spectatâ, plurimisque experimentis comprobatâ, circumspectionis tuae in nos et Sedem eamdem fide, prudentiâ, sapientiâ, dexteritate, rerum usu, et boni publici zelo plenissime in Domino confisi, omniumque et singulorum criminum, excessuum, delictorum et facinorum huiusmodi a dictâ die XXIV octobris proxime praeteriti usque in praesentem diem in civitate Avenionensi, eiusque suburbiis ac dependentiis et districtu praedictis, etiam contra nostram et dictae Sedis maiestatem et supremam potestatem, imperium et iurisdictionem, debitamque nobis et eidem Sedi fidelitatem, obedientiam, subiectionem, observantiam et reverentiam, ac in spretum, vilipendium, iniuriam et contumeliam memorati Alexandri vicelegati, aliorumve quorumlibet nostrorum et Sedis praedictae officialium et ministrorum, per quoscumque etiam specificâ et individuâ mentione et expressione dignos quovis modo commissorum, perpetratorum et attentatorum, seriem, qualitates, causas, occasiones et circumstantias quascumque etiam factum ipsum quomodocumque et qualitercumque aggravantes, mutantes et alterantes, ac etiam laesae maiestatis, etiam in primo capite, seditionis, rebellionis, conspirationis, vis pubblicae et armatae, aliave quaecumque crimina et delicta quantumvis atrocia et enormia et atrocissima ac enormissima importantes seu inducentes, aliave quaelibet etiam specialem et individuam mentionem et expressionem requirentia, etiamsi talia sint ut nisi nominatim et sigillatim exprimantur sub quacumque generali et generalissimâ expressione etiam in favorabilibus non veniant, nec comprehensa censeantur, praesentibus pro plenissime et sufficientissime ac sigillatim et nominatim accuratissimeque, et nihil penitus omisso, expressis, specificatis et enunciatis habentes et semper haberi debere decernentes, motu proprio, ac ex certâ scientiâ et maturâ deliberatione merâque liberalitate nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, circumspectioni tuae, per te ipsum, vel alium, seu alios, quos ad id duxeris deputandum seu deputandos, omnes et singulos praefatorum criminum delictorum, excessuum, facinorum a praefatâ die XXIV octobris proxime praeteriti usque ad praesentem diem in civitate Avenionensi eiusque suburbiis, districtu et dependentiis praedictis quomodolibet commissorum, perpetratorum et attentatorum, seu cuiuslibet eorum respective reos, criminosos, auctores, fautores, complices, et quovis modo participes et culpabiles, cuiuscumque status, gradus, ordinis, conditionis, praerogativae, praeeminentiae et dignitatis existant, et alios quoscumque qui eorumdem dilectorum reis et perpetratoribus in praemissis auxilium, consilium, favorem, auctoritatem, opem, subsidium, vel adminiculum, publice vel occulte, directe vel indirecte, tam coniunctim quam divisim, et aliàs quomodolibet praestiterunt, vel illis obtemperarunt et obsequuti sunt (exceptis tamen illis personis, quas nominare tibi placuerit, seu quae a memorato Alexandro vicelegato tuo magis culpabiles repertae[1] fuerint) a praemissis omnibus et singulis criminibus, reatibus, delictis, excessibus et facinoribus, etiam laesae maiestatis in quocumque capite, etiam primo, rebellionis, seditionis, conspirationis, ac vis publicae et armatae, iniuriaeque principi, magistratibus, iurisdictioni et personis publicis in nostrâ et dictae Sedis tutelâ et salvaguardiâ existentibus quomodolibet illatae, aliisve

1 Edit. Main. legit *reperta* (R. T.).

quibuslibet sceleribus quantumcumque gravibus, atrocibus et enormibus, ac gravissimis, atrocissimis et enormissimis, ex praemissis, seu eorum aliquo, qualitercumque et quomodocumque resultantibus et consurgentibus, aut [1] quae inde resultare et consurgere praetendi, censeri vel intelligi seu induci quovis modo possent, etiam quantumlibet iteratis, necnon excommunicationis latae sententiae, suspensionis et interdicti, aliisque sententiis et censuris, ac etiam capitis et ultimi supplicii, laesaeque maiestatis, rebellionis, seditionis, et aliorum criminum et delictorum huiusmodi, et amissionis, privationis, caducitatis, devolutionis, publicationis et confiscationis quorumcumque titulorum, bonorum mobilium et immobilium, etiam iurisdictionalium, feudalium, allodialium, emphyteuticorum et fideicommissariorum, aliorumve iurium et actionum quarumcumque et cuiusvis quantitatis et qualitatis existentium, aliisque tam corporis afflictivis quam bonorum destrictivis poenis, a iure vel ab homine, ac etiam per quascumque Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum et nostras constitutiones, ordinationes et sanctiones, necnon leges publicas, edicta, bannimenta, statuta, stabilimenta et decreta quaelibet, etiam cameralia et consistorialia, etiam contra periuros, fidelitatisque debitae et iuratae ac pacis publicae violatores et infractores, et aliàs quomodolibet inflictis et impositis, quas propter omnia et singula praemissa, illorumque, seu alicuius eorum causâ et occasione, quovis modo incurrerunt, aut incurrisse dici, praetendi, censeri vel intelligi possent, quasque pati et luere deberent, etiamsi maiores supra expressis et quantumcumque graves forent, specialemque et individuam notam et expressionem requirerent, ac etiamsi ipsi vel eorum aliqui aliàs similia vel dissimilia etiam gravissima et supradictis graviora crimina, delicta et excessus commiserint, et desuper absolutionem et gratiam semel, iterum et pluries etiam a nobis et dictâ Sede obtinuerint, iis modo et formâ qui tibi placuerint et benevisi fuerint, auctoritate nostrâ apostolicâ in utroque foro plenissime absolvendi et totaliter liberandi, omnesque et singulas culpas, reatus, excessus, delicta, crimina, circumstantias et poenas huiusmodi illis et eorum cuilibet gratiose remittendi et condonandi, ac illos omnes et singulos ad pristinam famam, statum, honores, titulos, gradus, dignitates, insignia, praerogativas, praeeminentias, privilegia, gratias et indulta apostolica, ac castra, terras, villas, casalia, praedia, possessiones, domos, palatia, census, loca montium, societates officiorum, mobilia et immobilia, feudalia, allodialia et alia bona quaecumque, etiam iurisdictionalia et emphyteutica, etiam ecclesiastica, necnon iurisdictiones, dominia, vassallos et alia regalia, iura, officia, munera, credita, res et actiones, fideicommissa, tam purificata quam purificanda, substitutiones, donationes, primogenituras, maioratus, proprietates, fructus, tam hactenus seu medio tempore decursos, quam decursuros, et quaecumque alia ad ipsos et eorum quemlibet spectantia, eisque et eorum cuilibet undecumque et quomodocumque competentia et debita, ad hoc ut ipsi omnes et singuli praemissa omnia et singula, ut prius, habere, possidere, retinere, administrare et de illis disponere, illorumque fructus, iura, obventiones et emolumenta quaecumque percipere, exigere, levare, et in suos usus et utilitatem convertere, necnon privilegiis, indultis, praerogativis, praeeminentiis, facultatibus, concessionibus et aliis gratiis tam

1 Particulam *aut* nos addimus (R. T.).

spiritualibus quam temporalibus sibi respective quomodolibet concessis et competentibus uti, frui, potiri et gaudere libere et licite valeant, ac denique in pristinum et eum in quo ante dictam diem XXIV octobris proxime praeteriti quomodolibet erant, statum in omnibus et per omnia ac quoad omnia, perinde ac si de praemissis nunquam cogitassent, prout tibi videbitur, dictâ auctoritate restituendi, reponendi et plenarie reintegrandi, ac restitutos, repositos et plenarie reintegratos esse et fore decernendi et declarandi, necnon omnem et quamcumque ac qualemcumque inhabilitatis et infamiae tam iuris quam facti, et aliam quamlibet maculam sive notam ex praemissis quomodolibet insurgentem vel contractam, ab ipsis omnibus et singulis respective penitus et omnino tollendi, abstergendi et abolendi, ac per praemissa eorum omnium vel singulorum statui, honori, famae, titulis, dignitatibus et officiis, iurisdictionibus, dominiis, regibus, feudis, allodialibus, investituris, maioratibus, primogenituris, fideicommissis, substitutionibus, rebus, fructibus, ceterisque bonis mobilibus et stabilibus, privilegiis, gratiis et indultis apostolicis, ac iuribus et aliis praefatis nullum omnino praeiudicium, etiam minimum, illatum, exortum vel inductum, nec aliquod ius fisco nostro, vel camerae nostrae apostolicae, seu cuiquam alteri, in illis vel ad illa acquisitum, aut in alios translatum fuisse nec esse, nec unquam fore, eâdem auctoritate decernendi similiter et declarandi; praeterea omnes et singulos praefatos, quibus absolutionem et liberationem huiusmodi vigore praesentium concesseris, nullo unquam tempore super praemissis, seu eorum aliquo, vel aliquibus, etiam hîc minus plene et sufficienter specificatis et expressis, ac etiam penitus occultis, illorumque annexis, connexis et dependentibus, ac inde secutis quibuscumque, eorumque causâ, ratione et occasione, quovis praetextu et quaesito colore vel ingenio, accusari, inquiri, denunciari, querelari, capi, carcerari, arrestari, interrogari vel examinari, aut aliàs in eorum personis, feudis, allodialibus, iurisdictionibus, bonis mobilibus et immobilibus, privilegiis, gratiis et indultis, ac iuribus et rebus quibuslibet, aliisque supra expressis, civiliter, criminaliter vel mixtim, aut aliàs quomodolibet, directe vel indirecte, publice vel occulte, coniunctim vel divisim, molestari, perturbari, vexari, inquietari, aut impediri a quibusvis iudicibus et personis quacumque auctoritate et potestate fungentibus et functuris, etiam S. R. E. cardinalibus, etiam de latere legatis, posse neque debere, dictâ auctoritate statuendi et mandandi; et nihilominus omnibus et singulis legatis, vicelegatis, gubernatoribus, iudicibus, barigellis, capitaneis, ceterisque iustitiae ministris praesentibus et futuris, tam urbis et civitatis Avenionensis huiusmodi, quam universi Status Ecclesiastici, mediate vel immediate nobis subiecti, ac etiam eiusdem S. R. E. cardinalibus, et quibuscumque aliis personis interesse desuper quomodolibet habentibus, seu habere praetendentibus, ne aliquid in personas, feuda, allodialia, res, iurisdictiones, aliaque iura, res, bona, mobilia et immobilia, ceteraque supradicta omnium et singulorum praefatorum, quibus absolutionem et liberationem, ut praefertur, impartitus fueris, aut aliàs quicquam aliud in eorum seu cuiuslibet illorum praeiudicium contra tenorem tuae absolutionis et liberationis huiusmodi facere vel attentare quoquo modo audeant seu praesumant, auctoritate praefatâ districtius inhibendi et praecipiendi; illisque omnibus et singulis, ac etiam fisco nostro, ipsiusque fisci procuratori,

perpetuum desuper silentium eâdem auctoritate imponendi, osque occludendi; necnon quascumque informationes, inquisitiones, relationes, examina et processus, aliaque acta, sive iudicialia sive extraiudicialia, si qua contra praefatos omnes et singulos, quos sicut praemittitur absolvendos et liberandos duxeris, occasione vel causâ praemissorum, seu alicuius eorum, ac inde secutorum seu dependentium quorumcumque per quoscumque legatos, vicelegatos, praesidentes, gubernatores, auditores, iudices et alios quoslibet nostros et Sedis praefatae officiales et ministros quacumque auctoritate fungentes, ubicumque et quandocumque facta, formata et fabricata fuerint, dictâ auctoritate cassandi, irritandi et annullandi, viribusque et effectu penitus et omnino vacuandi; et ab omnibus et singulis, ad quos spectat et pertinet, seu spectabit quovis modo in futurum, de libris, notis et scripturis, in quibus aliqua illorum mentio facta reperiatur, omni morâ et contradictione seu tergiversatione remotâ, confestim cassari, delere et aboliri, ac pro cassatis, deletis, abolitis, annullatis, irritis, viribusque et effectu vacuis penitus et omnino haberi et censeri debere, eâdem auctoritate mandandi; illisque nullam prorsus fidem in iudicio vel extra illud ubicumque haberi, perinde ac si nunquam emanassent aut extitissent, ac omnes et singulos praefatos, quibus absolutionem et liberationem, ut praefertur, concesseris, ad verificanda praemissa, aut ea, vel illorum aliqua, eorumque causas, loca, tempora, qualitates et circumstantias in iudicio vel extra illud exprimenda vel revelanda nullatenus teneri, neque ad id ullo unquam tempore invitos cogi vel compelli posse, solasque litteras tuarum absolutionis et liberationis huiusmodi ad probationem, verificationem et iustificationem omnium et singularum gratiarum praemissarum sufficere, nec alterius probationis adminiculum ad hoc requiri, dictâ auctoritate decernendi pariter et declarandi; aliaque omnia et singula in praemissis quomodolibet necessaria et opportuna, prout expedire iudicaveris et tibi magis placuerit, dicendi, mandandi, decernendi, ordinandi, faciendi, gerendi et exequendi, ac executioni mandari iubendi et curandi, plenissimam, latissimam et amplissimam, ac liberrimam et omnimodam facultatem, potestatem et auctoritatem, tenore, praesentium tribuimus et impertimur. Ac tibi ut de omnibus et singulis quae praesentium vigore quomodolibet egeris, gesseris, feceris, mandaveris, decreveris, iusseris, executus fueris, ac executioni demandari curaveris, nullam omnino, neque nobis, neque successoribus nostris Romanis Pontificibus, nec sacro venerabilium fratrum nostrorum eiusdem S. R. E. cardinalium collegio, aut cuivis alii, praeterquam soli Deo, ullo unquam tempore rationem etiam minimam reddere tenearis, nec ad id quovis modo cogi et compelli possis, motu, deliberatione, scientiâ et potestatis plenitudine paribus concedimus et indulgemus.

Decretum irritans.

§ 3. Decernentes easdem praesentes litteras, et in eis contenta, ac inde secutura quaecumque, etiam ex eo quod motu proprio emanaverint, nec fisci nostri procurator et camerae nostrae apostolicae commissarius generalis, et alii nostri et dictae Sedis officiales et ministri, ceterique in praemissis interesse quomodolibet habentes, seu habere praetendentes, ad illa vocati, citati et auditi fuerint, neque cum eis concordatum extiterit, ipsique ad id non consenserint, seu quod non sic, sed aliter factum se habuerit, et praemissa cum eorum circumstantiis et qualitatibus, etiam quantum-

cumque aggravantibus, tam personarum quam rerum, temporum et locorum, aliove quovis respectu expressa et specificata non sint, ac ex quibusvis aliis causis quantumvis legitimis et iuridicis, et ex quocumque praetextu, titulo et capite etiam in corpore iuris clauso, de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrae vel quovis alio quantumvis magno, substantiali, formali, incogitato et incogitabili defectu notari, impugnari, redargui, infringi, retractari, limitari, modificari, rescindi, annullari, ad terminos iuris reduci, vel adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque iuris, facti vel gratiae remedium impetrari, seu etiam motu, scientiâ et potestatis plenitudine paribus concedi, aut ita concesso quempiam in iudicio vel extra illud uti nullatenus unquam posse, minusque ipsas praesentes litteras sub quibusvis similium vel dissimilium facultatum et gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, vel aliis contrariis dispositionibus, etiam per nos et Romanos Pontifices successores nostros, Sedemque praefatam, sub quibuscumque verborum tenoribus et formis, ac cum quibuslibet clausulis et decretis, quandocumque faciendis, comprehendi aut comprehensas censeri; sed semper ab illis exceptas, et quotiescumque illae emanaverint, toties in pristinum, firmissimumque et validissimum, ac eum, in quo antea quomodolibet erant, statum restitutas, repositas et plenarie reintegratas, ac de novo etiam, sub quacumque posteriori datâ per te et alios, ad quos spectat et pro tempore spectabit, eorumve quemlibet, quandocumque eligendâ concessas intelligi, perpetuoque validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac tibi, omnibusque et singulis praefatis, quos, ut praefertur, absolvendos et liberandos duxeris, in omnibus et per omnia plenissime suffragari; necnon, in eventum quo super praemissis, indeque secuturis, aut eorum aliquâ parte, ambiguitatem, controversiam, dubium, litem vel contentionem, iudicialiter vel extraiudicialiter oriri vel moveri contigerit, semper ad tui aliorumque omnium et singulorum praefatorum, quibus absolutionem et liberationem huiusmodi concesseris, commodum, utilitatem et favorem resolvi, decidi, decerni et interpretari; sicque et non aliter in omnibus et singulis praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. camerarium, seu procamerarium, et alios cardinales, etiam de latere legatos, ipsorumque cardinalium collegium, necnon thesaurarium generalem, praesidentes, clericos et commissarium generalem, vicelegatos, rectores et gubernatores, aliosve quoslibet Sedis et camerae praefatarum officiales et ministros, quacumque praeminentiâ, auctoritate et potestate praeditos, suffultos et fungentes, et quandocumque functuros, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi, facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 4. Non obstantibus omnibus et singulis praemissis, ac felicis recordationis Pii IV et Pii V Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum quibus cavetur huiusmodi gratias seu absolutiones non valere, nec suffragari nisi reis constitutis in carceribus, necnon eiusdem Pii IV praedecessoris de gratiis qualecumque interesse dictae camerae quomodolibet concernentibus in eâdem camerâ intra certum tunc expressum tem-

pus praesentandis, registrandis, seu insinuandis, ita ut praesentes litterae, etiamsi in ipsâ camerâ vel in quovis alio tribunali aut loco nunquam praesententur, registrentur, aut insinuentur, nihilominus valeant, firmissimeque subsistant, ac tibi, omnibusque et singulis praescriptis, quos concernunt et concernent, plenissime et amplissime suffragari debeant, aliisque dicti Pii IV et recolendae memoriae Iulii III, Gregorii XIII et Sixti V Romanorum Pontificum praedecessorum pariter nostrorum, ac praesertim eiusdem Sixti praedecessoris, quae incipiunt *Hoc nostri pontificatus*, etc., sub datum kalendis iulii MDLXXXV, etc., *Dum pro communi*, etc., sub datum XI kalendas martii MDLXXXVIII, respective, emanatis, necnon nostris et cancellariae apostolicae regulis, praecipue illâ de non tollendo iure quaesito, ceterisque quibuslibet apostolicis, ac in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, legibus quoque etiam imperialibus et municipalibus, edictis, bannimentis, stabilimentis et decretis, etiam cameralibus et consistorialibus, ac dictarum camerae et civitatis Avenionensis, aliisve quibuslibet, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis, eorumque reformationibus et novis additionibus, stylis, usibus et consuetudinibus, etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, etiam civitâti Avenionensi, ac fisco et camerae praedictis, eorumve officialibus et ministris, et aliis quibuslibet personis et locis, sub quibuscumque verborum tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis, in genere vel in specie, ac aliàs in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, approbatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso insererentur, praesentibus pro expressis ac sufficienter specificatis et insertis, formamque in illis traditam pro servatâ habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, specialiter et expresse derogamus, ac plenissime et amplissime derogatum esse volumus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides.

§ 5. Volumus autem ut earumdem praesentium transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus ubique fides tam in iudicio quam extra illud adhibeatur, quae praesentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die VII decembris MDCLXIV, pontificatus nostri anno X.

Dat. die 7 decembris 1664, pontif. anno X.

CDXCVIII.

Indultum regi christianissimo nominandi personas idoneas ad cathedrales ecclesias Metensem, Tullensem et Virdunensem [1].

1 Ex Regest. in Secret. Brevium.

Carissimo in Christo filio nostro Ludovico, Francorum regi christianissimo, Alexander Papa VII.

Carissime in Christo fili noster, salutem et apostolicam benedictionem.

Exordium. § 1. Orthodoxae fidei conservandae, ac christianae religionis tuendae et propagandae zelus, quem etiam nuper missis in Hungariam adversus Turcas validis armatorum subsidiis egregie ostendisti, ac preclara et christianissimo rege dignissima maiestatis tuae erga nos et Apostolicam Sedem filialis observantia, quam nobis laudabiliter testatus es, dum auctoritatem et potentiam tuam pro continendis in debitâ nobis et eidem Sedi fidelitate et subiectione nostris et dictae Sedis subditis in civitate Avenionensi et comitatu Venayssino nostris praesto semper futuram, tum per litteras tuas, tum per dilectum filium nobilem virum Carolum ducem Crequium, maiestatis tuae apud nos et Sedem praefatam oratorem, spopondisti, aliaque eximia eiusdem maiestatis tuae, ac progenitorum et maiorum tuorum regum christianissimorum principum longe clarissimorum, invictissimorumque Christi athletarum, et egregiorum dictae Sedis Apostolicae cultorum promerita, sicuti firmam nobis in Domino spem atque fiduciam praestant fore ut, viae eorumdem maiorum tuorum vestigiis impressae inhaerens, populos ditioni tuae creditos in catholicâ fide et vetere erga Sedem praefatam obedientiâ et observantiâ continere pari laude conaturus, constitutionesque apostolicas in universis dominiis tuis debitae semper exequutioni mandari ac Sedis eiusdem honorem et auctoritatem illibatos conservari omni studio curaturus sis, ita paternam benevolentiam et charitatem nostram facile adducunt ad ea tibi favorabiliter concedenda, per quae clare innotescat nos tui honoris, quem semper fecimus maximi, et Deo dante in posterum faciemus, condignam et praecipuam habuisse rationem.

§ 2. Volentes itaque tibi, qui (ut accepimus) Metensem, Tullensem et Virdunensem civitates de praesenti possides, quo regiam beneficentiam tuam erga personas benemeritas tibique gratas et acceptas exercere valeas, gratiam facere specialem, ac sperantes te in nominandis ad earumdem civitatum cathedrales ecclesias personis, quae vitae integritate, religione, fide et doctrinâ praestent et episcopalis muneris praerogativâ dignae sint, summum studium, summamque diligentiam semper adhibiturum, nec conscientiam tuam hac in re ullo modo laedi passurum esse, motu proprio et ex certâ scientiâ nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, maiestati tuae, quoad vixeris, ius nominandi nobis et pro tempore existentibus Romanis Pontificibus successoribus nostris personas probatas, boni nominis, et secundum sacrorum canonum dispositionem idoneas ad cathedrales ecclesias Metensis, Tullensis et Virdunensis civitatum a te possessarum, quoties illas quibusvis modis, et ex quorumcumque personis, non tamen per obitum apud Sedem Apostolicam praedictam, vacare contigerit, per nos et successores nostros praefatos ad nominationem huiusmodi eisdem ecclesiis respective praeficiendas, tenore praesentium, reservamus, concedimus et assignamus.

Regi Franciae Pontifex concedit indultum nominandi ad ecclesias ut in rubricâ.

§ 3. Decernentes ius nominandi huiusmodi ad cathedrales ecclesias praefatas tibi, quoad vixeris, competere debere, neque sub quacumque quantumvis speciali derogatione comprehendi, vel ei quovis modo et ex quacumque causâ derogari, et, si ei derogari contingat, minime suffragari posse, et

Decretum irritans.

1 Edit. Main. legit *via* (R. T.).

nihilominus quascumque earumdem ecclesiarum provisiones, ac alias de eis dispositiones, etiam cum iuris nominandi huiusmodi derogatione, contra earumdem praesentium tenorem, etiam per nos et successores praefatos, et Sedem eamdem, etiam motu, scientiâ et potestatis plenitudine paribus, quoquo modo pro tempore faciendas, et desuper conficiendas litteras, ac inde sequutura quaecumque, nulla et invalida, nulliusque roboris et momenti fore et esse, sicque et non aliter per quoscumque iudices et commissarios, quavis auctoritate fungentes, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariis derogat.

§ 4. Non obstantibus quibusvis generalibus vel specialibus ecclesiarum praefatarum reservationibus seu affectionibus apostolicis per quoscumque Romanos Pontifices praedecessores nostros ac nos et Sedem praefatam quomodolibet factis, seu pro tempore faciendis, necnon cancellariae apostolicae regulis editis et edendis, et quibusvis aliis apostolicis, ac in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, ac dictarum ecclesiarum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis etiam quasvis clausulas et reservationes in se continentibus, per eosdem praedecessores ac nos et Sedem eamdem ecclesiis praefatis illarumque capitulis et personis quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio facienda aut aliqua alia exquisita forma ad id servanda foret, illorum omnium et singulorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis et ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, ad praemissorum effectum, harum serie, specialiter et expresse, motu, scientiâ et potestatis plenitudine similibus, derogamus, et ad plenum derogatum esse volumus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides.

§ 5. Volumus autem ut intra sex menses a die vacationis ecclesiarum huiusmodi computandos personas idoneas nobis et pro tempore existenti Romano Pontifici pro provisione obtinendâ nominare omnino tenearis, alioquin, dictis sex mensibus elapsis, de ecclesiis praefatis, ut praefertur vacantibus, per nos seu pro tempore existentem Romanum Pontificem libere disponi possit.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XI decembris MDCLXIV, pontificatus nostri anno X.

Dat. die 11 decembris 1664, pontif. anno x.

CDXCIX.

Quod fratres Cappuccini Ordinis Minorum sancti Francisci transeuntes ad aliam religionem, non possint permanere in eâdem provinciâ in qua emiserunt professionem [1].

1 Vide ad Const. CCXCVIII (*al.* 273) Urbani VIII, tom. XIV, pag. 1, *Iniuncti nobis*, ubi prohibe-

Alexander Papa VII,
ad futuram rei memoriam.

Prooemium. Pastoralis officii, quod auctore Deo gerimus, sollicitudo nos admonet ut conservandae religiosorum Ordinum eximiae pietatis et arctioris disciplinae meritis conspicuorum existimationi, quantum nobis ex alto conceditur, consulere satagamus.

Expositio. § 1. Exponi siquidem nobis nuper fecit dilectus filius procurator generalis Ordinis fratrum Minorum sancti Francisci Cappuccinorum nuncupatorum, quod nonnulli e dicto Ordine ad alias religiones transeunt, assumptoque in illis habitu regulari, ad eas provincias in quibus habitum praedicti Ordinis fratrum Cappuccinorum publice gestaverant, ac cogniti et commorati fuerant, illico habitatum se conferunt, et, ad tegendas seu defendendas proprias imperfectiones, eiusdem Ordinis fratrum Cappuccinorum famam multis imposturis lacerare non verentur, cum gravi secularium scandalo bonique nominis dicti Ordinis detrimento.

Prohibet ut in rubricâ. § 2. Quare idem procurator generalis nobis humiliter supplicari fecit ut in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolicâ dignaremur. Nos, ipsius procuratoris generalis votis favorabiliter quantum cum Domino possumus annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus in-

tur ne fratres Cappuccini ad laxiorem religionem transeant.

clinati, ne de cetero quisquam qui a[1] memorato Ordine fratrum Cappuccinorum, post emissam in illo professionem regularem, ad aliam quamcumque religionem quomodolibet transierit, in eâ provinciâ, in qua professionem huiusmodi emiserit ac habitum eorumdem fratrum Cappuccinorum publice gestaverit, habitare seu commorari audeat quovis modo vel praesumat, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, prohibemus et inerdicimus.

Decretum irritans. § 3. Decernentes easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariis derogat. § 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon quorumvis Ordinum, congregationum et institutorum regularium, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides. § 5. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis,

1 Praeposit. *a* nos addimus (R. T.).

etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae praesentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XVII decembris MDCLXIV, pontificatus nostri anno X.

Dat. die 17 decembris 1664, pontif. anno X.

D.

Ut priores abbatiarum commendatarum Ordinis Praemonstratensis in Galliâ eligantur inter definitores in capitulo generali Ordinis huiusmodi[1].

Alexander Papa VII, ad futuram rei memoriam.

Expositio. § 1. Exponi nobis nuper fecerunt dilecti filii priores abbatiarum commendatarum Ordinis Praemonstratensis, quod in totâ Gallià supersunt solum undecim monasteria dicti Ordinis abbatibus commissa; cetera vero, quae numerum sexaginta quinque excedunt, possidentur a commendatariis, quorum monasteriis praeficiuntur priores scientiâ praediti, honestate morum conspicui, et disciplinae regularis amantes, nullum, sicut abbates, in suis monasteriis superiorem agnoscentes, ac plenam in spiritualibus et temporalibus administrationem habentes; et propterea, sicut abbates eiusdem Ordinis, vocantur ad capitulum generale, ut cum ipsis abbatibus concurrant ad ea, quae reformationem Ordinis huiusmodi spectant.

Supplicatio. § 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, nihilominus dicti abbates, iam numero pauci, nolint priores praedictos longe numero plures inter definitores in capitulo generali Ordinis huiusmodi admittere, licet de iure et ex particulari decreto cuiusdam capituli generalis eiusdem Ordinis debeant inter definitores assumi, utpote qui, in omnibus supplentes vicem abbatum, maiorem notitiam ac praxim disciplinae regularis habeant quam ipsi abbates, qui ut plurimum in administratione rerum temporalium detenti totam disciplinae regularis curam in suos priores refundunt, quo fit ut dilectus filius abbas generalis Ordinis praedicti priorum potius operâ utatur in Galliis quam abbatum: nobis propterea dicti exponentes, de licentiâ et consensu (ut asserunt) dicti abbatis generalis, humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Statuit ut in capitulis non admittantur priores excedentes pro tertiâ parte numerum abbatum.

§ 3. Nos igitur, ipsos exponentes specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, factâ nobis relatione de praemissis, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, statuimus et mandamus, ut in posterum in capitulis generalibus Ordinis huiusmodi, habitâ ratione paucitatis vel pluralitatis abbatum capitulantium, plures etiam vel pauciores priores abbatiarum commendatarum eiusdem Ordinis inter definitores eligantur, qui tamen tertiam partem definitorum non excedant.

Decretum irritans. § 4. Decernentes easdem praesentes litteras semper firmas, validas et effica-

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

ces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, plenissime suffragari, et ab illis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores; iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum. § 5. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon, quatenus opus sit, dicti Ordinis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, approbatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XIX decembris MDCLXIV, pontificatus nostri anno X.

Dat. die 19 decembris 1664, pontif. anno X.

DI.

Quod, in controversiâ inter provincias S. Ioannis Baptistae et B. Petri de Alcantara fratrum Discalceatorum sancti Francisci circa possessionem conventus Murciae, praefata provincia S. Ioannis Baptistae non sit amplius audienda[1].

1 Vide ad Const. CCL (*al.* 248) huius Pontificis, tom. XVI, pag. 480, *Sacrosancti*, et Constit. CCCVIII, *Aliàs nos*, ibid. pag. 596.

Alexander Papa VII, ad futuram rei memoriam.

Expositio. § 1. Nuper pro parte dilectorum filiorum fratrum provinciae B. Petri de Alcantara Ordinis fratrum Minorum sancti Francisci Reformatorum nuncupatorum congregationi venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositae exposito, quod provincia S. Ioannis Baptistae fratrum Reformatorum eiusdem Ordinis in regnis Valentiae, Murciae et Granatae consistens, aucta iam ad excessivum numerum conventuum et religiosorum, fuerat auctoritate apostolicâ ex unicâ in duas divisa, remanente primâ sub titulo seu invocatione S. Ioannis Baptistae cum vigintiocto conventibus, et secundâ sub titulo seu invocatione B. Petri de Alcantara cum solis novem conventibus in regnis Murciae et Granatae sitis; sed exortis inter easdem diversis litibus, praesertim super pertinentiâ conventus civitatis Murciae specialiter et expresse dictae provinciae B. Petri de Alcantara assignati, fuerat tandem a dictâ congregatione sub die XV septembris MDCLXII declaratum et decretum spectare dictum conventum Murciae ad ipsam provinciam B. Petri de Alcantara, et successive impositum partibus perpetuum silentium, et sub acerrimis poenis iniuncta obedientia et exequutio, et prohibita contraventio, etiam sub praetextu novi recursus ad Sedem Apostolicam, prout in ipso decreto, quod nostris in simili formâ Brevis litteris die XI octobris eiusdem anni MDCLXII super illius confirmatione expeditis[1] insertum existit, continetur;

Et in eâdem expositione subiuncto quod nuper quemdam supplicem libel-

1 Quas vide supra pag. 69 (R. T.).

lum nobis pro parte fratrum dictae provinciae S. Ioannis Baptistae porrectum, quo super pertinentiâ praedicti conventus Murciae iterum audiri, non obstante decreto et litteris nostris praedictis, petebant, ad memoratam cardinalium congregationem remiseramus; ideoque pro parte dictorum fratrum provinciae B. Petri de Alcantara eisdem cardinalibus supplicato, ut (considerantes hanc litem diutius et ad saturitatem partis agitatam et ventilatam, ac tandem mediante iustitiâ ad favorem dictae provinciae B. Petri de Alcantara terminatam, et deinde ad sedanda scandala, tam in illis partibus, quam inter ipsos religiosos orta, perpetuum silentium a dictâ congregatione impositum fuisse, ac postmodum, ad instantiam superiorum dicti Ordinis, dictas nostras litteras confirmatorias, clausula *sublatâ;* etc., et decreto irritanti munitas, emanasse) petitam novam audientiam huiusmodi dictis fratribus provinciae S. Ioannis Baptistae denegarent, eosque amplius non esse audiendos decernerent: emanavit ab eâdem congregatione decretum tenoris qui sequitur, videlicet:

Decretum sacrae congregationis episcoporum.

§ 2. « Sacra congregatio eminentissimorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praeposita, denuo ex remissione sanctissimi domini nostri in eâdem congregatione relatâ causâ, censuit standum esse in decretis, et provinciam S. Ioannis Baptistae super hoc negotio amplius non audiendam, quibuscumque non obstantibus.

Romae, v decembris MDCLXIV.

M. cardinalis GINETTUS ».

Decretum praedictum confirmat Pontifex.

§ 3. Cum autem, sicut praedicti fratres provinciae B. Petri de Alcantara nobis subinde exponi fecerunt, ipsi decretum huiusmodi, pro firmiori illius subsistentiâ et observatione, apostolicae confirmationis nostrae robore communiri summopere desiderent: nos, specialem ipsis exponentibus gratiam facere volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, decretum praeinsertum, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus; salvâ tamen semper in praemissis auctoritate congregationis dictorum cardinalium.

Decretum irritans.

§ 4. Decernentes easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac dictis exponentibus plenissime suffragari, et ab illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 5. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon, quatenus opus sit, Ordinis ac provinciarum et conventus huiusmodi, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et

innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis insertis et habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXI ianuarii MDCLXV, pontificatus nostri anno X.

Dat. die 21 ianuarii 1665, pontif. anno X.

DII.

Pro translatione professorii monachorum regularium S. Bernardi Ordinis Cisterciensis a monasterio S. Pudentianae de Urbe ad monasterium S. Bernardi eiusdem Urbis[1].

Alexander Papa VII, ad futuram rei memoriam.

Motiva. Cum, sicut dilectus filius superior provincialis provinciae Romanae Congregationis monachorum reformatorum sancti Bernardi Ordinis Cisterciensis nobis nuper exponi fecit, in dietâ generali dictae congregationis mense aprili proxime praeterito in hac almâ Urbe nostrâ celebratâ, pro sublevando monasterio S. Pudentianae Urbis et Congregationis huiusmodi, in quo professorium cum novitiatu coniunctum reperiebatur, decretum fuerit idem professorium inde ad monasterium S. Bernardi earumdem Urbis et Congregationis, quod omnia requisita necessaria habet, et in quo eiusmodi professorium aliàs collocatum fuit, accedente tamen ad id licentiâ congregationis venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium super statu regularium deputatae, transferri debere, cupiatque propterea dictus superior provincialis opportune in praemissis a nobis provideri et ut infra indulgeri:

Annuit Pontifex. § 1. Nos, ipsum superiorem provincialem specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, de memoratorum cardinalium consilio, attentis narratis, loco praedicti monasterii S. Pudentianae, designati pro professorio in provinciâ Romanâ Congregationis monachorum reformatorum huiusmodi, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, designamus, ac deputamus pro professorio praenominatum monasterium S. Bernardi eiusdem provinciae; salvâ tamen semper in praemissis auctoritate praedictae congregationis cardinalium.

Decretum irritans. § 2. Decernentes easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quo quam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogat contrariis. § 3. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon, quatenus opus sit, Congregationis ac provinciae et monasteriorum huiusmodi, etiam iuramento, con-

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

firmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXVI ianuarii MDCLXV, pontificatus nostri anno X.

Dat. die 26 ianuarii 1665, pontif. anno x.

DIII.

Constitutio prohibens accessum ad monasteria monialium regnorum Hispaniarum, cum diversis ordinationibus[1].

Alexander Papa VII,
ad perpetuam rei memoriam.

Motiva. Pastoralis officii, quo Ecclesiae catholicae per universum orbem diffusae adstringimur, cura animum nostrum assidue sollicitat, ut decorem sacrarum virginum, quae, oblitae populum suum et domum patris sui, divinis sese obsequiis et beneplacitis sub suavi religionis iugo devoverunt, illibatum tueri et conservare, quantum cum Domino possumus, connitamur; quo illae bono semper sint Christi odore de bonâ conversatione fragrantes: « Nam (ut martyr gloriosissimus B. Cyprianus ait) flos est ille ecclesiastici germinis, decus atque ornamentum gratiae spiritualis, laeta indoles laudis et honoris, opus integrum atque incorruptum, Dei imago respondens ad sanctimoniam Domini, illustrior portio gregis Christi. Gaudet per ipsas, atque in illis largiter floret Sanctae Matris Ecclesiae gloriosa fecunditas; quantoque plus gloriosa virginitas numero suo addit, tanto plus gaudium Matris augescit ». Quocirca si quando in earum monasteriis aliquid per abusum irrepsisse novimus, quod in earum honestatis ponat gloriâ maculam, aut illas in occursum caelestis sponsi per viam mandatorum eius ambulantes a recto tramite deflectere vel remorari possit, id apostolicae sanctionis ministerio tollere satagimus, et in id ipsum quoque tendentia catholicorum regum vota propensâ charitate exaudimus, sicut, maturâ consultatione adhibitâ, ad omnipotentis Dei gloriam, Christi sponsarum decorem, religiosae tranquillitatis incrementum, ac secularium aedificationem salubriter expedire in Domino arbitramur.

Postulatio. § 1. Cum itaque, sicut nomine carissimi in Christo filii nostri Philippi Hispaniarum regis catholici nobis nuper expositum fuit, ipse Philippus rex nonnullarum personarum honoris de zelo eximie praeditarum relatu cognoverit, in plerisque monasteriis monialium Calceatarum et non reformatarum, quae in eius regnis et dominiis Hispaniarum consistunt, gravem notari corruptelam ex immoderatâ ortam licentiâ libere tractandi ad rotas et collocutoria dictorum monasteriorum cum omnis generis personis, tam secularibus quam regularibus, quam eaedem moniales sibi sumunt; indeque non solum maxima nascatur observantiae regularis, quam dictae moniales profitentur, relaxatio, sed etiam non modica bonorum omnium offensio, divinaeque maiestatis offensa et alia gravia mala consequantur; quia vero eiusmodi delicta, quae a personis Deo dicatis committuntur, eo graviora sunt,

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

maiusque scandalum inducunt, quo eaedem personae perfectioris vitae studiis incumbere, bonumque sui exemplum ceteris praebere arctiori suae professionis vinculo obligantur, ideo dictus Philippus rex opportunum in praemissis remedium a nobis adhiberi plurimum desideret: nos, praeclarum et catholico rege dignissimum eiusdem Philippi regis zelum magnopere in Domino commendantes, piisque eius votis et supplicationibus nobis super hoc humiliter porrectis, quantum nobis ex alto conceditur, favorabiliter annuere cupientes, de venerabilium fratrum nostrorum sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositorum consilio, pro conservatione et incremento regularis disciplinae ac divini obsequii, in praefatis monasteriis monialium in universis regnis et dominiis Hispaniarum huiusmodi consistentibus, hac nostrâ perpetuo valiturâ constitutione, ne deinceps ullus religiosus clericus vel laicus, cuiuscumque status, gradus, qualitatis et conditionis existat, ad ianuas, rotas, crates seu collocutoria dictorum monasteriorum cum illorum monialibus, tam professis quam novitiis, vel mulieribus seu puellis secularibus ibidem educationis causâ de Sedis Apostolicae licentiâ degentibus, aut earum ancillis, tractare vel communicare, seu eas visitare aut alloqui (praeterquam ex causâ necessaria, iustâ seu legitimâ) audeat quovis modo vel praesumat, auctoritate apostolicâ districte prohibemus et interdicimus.

Annuit Pontifex ut in rubricâ.

§ 2. Et, ad occurrendum inconvenientibus quae ex eiusmodi visitationibus et allocutionibus monialium oriri possent, omnibus et quibuscumque praelatis monasteriorum monialium in eisdem Hispaniarum regnis et dominiis existentium, ipsorumque monasteriorum superiorissis quocumque nomine nuncupatis, rotariis, ianitricibus, sacristanis, ac monialibus et ancillis earumdem praesentibus et futuris, illorumque et illarum singulis in solidum, in virtute sanctae obedientiae, ac sub excommunicationis maioris latae sententiae, necnon privationis vocis activae et passivae, et officiorum per eos et eas respective obtentorum poenis ipso facto incurrendis, districte pariter praecipiendo iniungimus, ut, statim atque praesens constitutio eis intimata fuerit, seu ad illorum et illarum notitiam pervenerit, caveant unusquisque et unaquaeque illorum et illarum respective, prout ad se spectabit, ne eiusmodi visitationes sub quocumque praetextu, colore vel causâ ad ianuas, rotas, crates vel collocutoria, seu in aliâ quacumque parte monasteriorum huiusmodi, a quibusvis regularibus clericis vel secularibus recipiant, neve illos alloquantur, aut eos alloquendi, seu cum eis tractandi, eorumque visitationes excipiendi causâ sese ad ianuas, rotas, crates, seu collocutoria, aliamve quamlibet partem monasteriorum huiusmodi conferant, nec visitationes seu allocutiones huiusmodi cuiquam tacite vel expresse aut aliàs quomodolibet permittant, exceptis tamen genitoribus, fratribus, ac patruis et avunculis ipsarum monialium, quibus licebit suas respective natas, sorores et neptes moniales in collocutoriis, et non alibi, de licentiâ superiorissae visitare et alloqui, non tamen in adventu et quadragesimâ, quibus temporibus ne illis quidem huiusmodi visitatio seu allocutio permittatur.

Poenae contra inobedientes.

§ 3. Quia vero in aliquibus monasteriorum praefatorum crates collocutoriorum ex malâ introductione ita laxae et apertae sunt, ut per earum foramina brachia porrigi et manus utrinque coniungi pos-

Alia decernit ut in rubricâ.

sint; idcirco crates huiusmodi ita coarctari et disponi iubemus, ut id amplius fieri nequeat. Mandantes ac sub eisdem poenis et censuris iniungentes superioribus dictorum monasteriorum, eorumque vicariis, ubi nullus alius superior fuerit, ut, statim atque praesens constitutio eis intimata fuerit, hanc reformationem et coarctationem cratium dispônere et executioni mandare non praetermittant. Quod si aliquae moniales professae vel novitiae, aut ancillae, vel puellae, seu mulieres seculares, in monasteriis huiusmodi educationis vel famulitii causâ aut alio titulo de licentiâ dictae Sedis degentes, necesse habuerint cum aliquâ personâ pro dispositione et exactione suorum reddituum et iurium, aliisque iustis de causis, tractare et communicare, unaquaeque illarum eâ super re licentiam petat a superiorissâ sui monasterii, necnon ab illius superiore si adfuerit, sin minus a vicario ipsius monasterii, qui de necessitate huiusmodi informati eiusmodi licentiam concedere possint, limitate tamen, vel pro unicâ vice tantum, idque in scriptis, ac eâ lege ut illic assistat aliqua monialis ex senioribus, quae audire et videre possit quidquid ibidem agi et dici contigerit. Omnes autem scripturae, quae monialibus de cetero mittentur, ab illis nec legantur nec aperiantur, nisi prius eas ad suas respective superiorissas detulerint; quae animadvertent an sint valde frequentes, et suspicioni causam praebere possint, quo casu eaedem superiorissae illas aperiant et registrent, exceptis tamen schedulis confessariorum, quae aperiri non debebunt; hoc etiam animadverso ut sub nomine confessarii non sint aliorum. Porro habitus et indumenta dictarum monialium sint earum regulis respective congruentia; moniales ipsae nec fuco, nec vestibus, aut ornamentis secularibus, nec capillitio promissiore utantur. Superiorissae vero impediant ne clausuram suorum monasteriorum ingrediantur personae seculares sub praetextu onera importandi vel exportandi; si autem id necessarium fuerit, ingressuri sint eius professionis seu opificii, cuius exercendi gratiâ ingredientur, nec permittant, ut tamquam baiuli intrent qui tales non sint. Volentes et dictâ auctoritate statuentes ut[1] contra rebelles ad declarationem incursus in censuras ac executionem poenarum huiusmodi et aliàs prout iuris fuerit procedatur.

Alia quoad confessarios praedictorum monasteriorum addit.

§ 4. Praeterea omnibus et quibuscumque praelatis quorumvis Ordinum, tam monachorum, quam mendicantium, quibus superioritas et iurisdictio in quaecumque monasteria huiusmodi competit, et eorum singulis in solidum, sub poenis et censuris praefatis iniungimus, ut suis respective regularibus subditis praecepta et censuras imponant, ne ad eadem monasteria monialium accedant; curent quoque ipsi superiores, ut confessarii ordinarii et extraordinarii, ac vicarii per eos nominandi, et illorum socii, sint maturae aetatis, bonique nominis et famae, et ad satisfactionem superiorissarum dictorum monasteriorum monialium, necnon eis licentiam seu commissionem in scriptis per patentes litteras concedant specifice ad monialium confessiones audiendas, alioquin si sine eiusmodi licentiâ seu commissione ad monasteria monialium accesserint, praecepta violasse, ac censuras huiusmodi incurrisse censeantur. Socii autem, quos hi confessarii secum adducent, moniales alloqui non possint. Ad haec volumus ut iidem superiores, intra bimestre a die quo praesentis constitutionis notitiam habuerint, ipsius consti-

1 Edit. Main. legit *et* pro *ut* (R. T.).

tutionis tenorem, illiusque executionem quam fecerint, in libris, ubi eorum electiones annotari solent, annotent pariter, et annotari curent, adiectâ speciali notâ et obligatione, quod, quotiescumque eligetur novus praelatus, vel superior, ille huiusmodi praecepta et censuras renovet, et, donec id fecerit, praeter incursum in censuras et poenas supradictas, officio praelati fungi illudve exercere nequeat, nec eius subditi obedientiam illi praestare teneantur. Mandabunt quoque dicti superiores ut tenor constitutionis ac illius executio et praecepta seu ordinationes huiusmodi in libris electionum dictorum monasteriorum monialium eis respective subiectorum similiter annotentur, et, statim atque electae fuerint novae superiorissae, rotariae, ianitrices et sacristanae, eis intimetur ipsa praesens constitutio, ad hoc ut semper observetur, ac debitae executioni mandetur et adimpleatur, et contra rebelles procedatur sicut supra dictum est. Ac demum venerabilibus fratribus archiepiscopis et episcopis eorumdem regnorum et dominiorum Hispaniarum in virtute sanctae obedientiae praecipimus pariter et mandamus, ut eamdem praesentem constitutionem in monasteriis monialium eorum iurisdictioni et superioritati respective subiectis exequantur similiter, et debitae executioni demandari curent et faciant. Nos enim praemissa omnia et singula in omnibus monialium monasteriis dictorum regnorum et dominiorum Hispaniarum, tam Ordinariis quam regularibus subiectis et subordinatis, inviolabiliter observari debere, dictâ auctoritate decernimus et ordinamus.

Exequutionem Constitutionis committit.

§ 5. Decernentes pariter ipsas praesentes litteras, et in eis contenta quaecumque, etiam ex eo quod praelati et superiores regulares, ac superiorissae et moniales, aliaeque personae praefatae, et alii quicumque, cuiusvis status, gradus, ordinis, conditionis, praeeminentiae et dignitatis, seu aliàs specifica et individua mentione digni existant, in praemissis interesse habentes, seu habere quomodolibet praetendentes, illis non consenserint, nec ad ea vocati, citati et auditi, neque causae, propter quas praesentes litterae emanaverint, sufficienter adductae, verificatae et iustificatae fuerint, aut ex aliâ quacumque, quantumvis iustâ, legitimâ, piâ et privilegiatâ causâ, colore, praetextu et capite, etiam in corpore iuris clauso, nullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrae, aut interesse habentium vel praetendentium consensus, aliove etiam quantumvis magno ac formali et substantiali, individuamque expressionem requirente defectu notari, impugnari, invalidari, infringi, retractari, rescindi, limitari, ad terminos iuris reduci, aut in controversiam vocari, seu adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque iuris, facti vel gratiae remedium impetrari vel intentari, aut impetrato, seu etiam motu proprio et de apostolicae potestatis plenitudine concesso, quempiam in iudicio vel extra illud uti seu se iuvare posse, sed easdem praesentes litteras semper et perpetuo firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab omnibus et singulis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia inviolabiliter et inconcusse observari et adimpleri, sicque et non aliter in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac eiusdem S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos et Apostolicae Sedis nuncios, aliosque quoslibet, qua-

Decretum irritans.

vis auctoritate et potestate ac praeeminentiâ fungentes et functuros, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 6. Non obstantibus praemissis, et, quatenus opus sit, nostrâ et cancellariae apostolicae regulâ de non tollendo iure quaesito, aliisque apostolicis, ac in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, necnon quorumvis monasteriorum, conventuum et domorum regularium, ac Ordinum, tam Mendicantium quam non Mendicantium, congregationum, societatum et institutorum, aliisve quibuslibet, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis, usibus et consuetudinibus, etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, indultis, libertatibus, exemptionibus et litteris apostolicis, etiam *mari magno*, seu *bullâ aureâ*, aut aliter noncupatis, eisdem monasteriis, conventibus et domibus regularibus, ac Ordinibus, congregationibus, societatibus et institutis, eorumque superioribus et personis quibuslibet, sub quibuscumque verborum tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis, etiam motu proprio, et de apostolicae potestatis plenitudine, ac consistorialiter, seu aliàs quomodolibet, in genere vel in specie, etiam in limine fundationis, aut per viam communicationis seu extensionis, in contrarium praemissorum concessis, confirmatis, et pluries approbatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda, aut quaecumque alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso et formâ in illis traditâ observatâ exprimerentur et insererentur, praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides transumptorum.

§ 7. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique locorum et gentium, tam in iudicio quam extra illud, adhibeatur, quae ipsismet praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die xxx ianuarii MDCLXV, pontificatus nostri anno x.

Dat. die 30 ianuarii 1665, pontif. an. x.

DIV.

Exhibet formulam subscribendam ab omnibus ecclesiasticis in regnis Galliae pro confutatione quinque propositionum Cornelii Iansenii, etc.

Alexander episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Regiminis apostolici divinâ providentiâ nobis, quamvis immeritis, commissi

ratio postulat, ut ad ea potissimum, quae catholicae religionis integritati et propagationi, animarumque saluti et fidelium tranquillitati consulere apta et idonea esse indicantur, animum et curam omnem, quantum licet in Domino, applicemus.

Iansenii haeresis pluries damnata.

§ 1. Quamobrem Cornelii Iansenii haeresim, in Galliis praesertim serpentem, ab Innocentio X felicis recordationis praedecessore nostro fere oppressam, ad instar colubri tortuosi, cuius caput attritum est, in varios gyros et cavillationum deflexus euntem, singulari constitutione ad hunc finem editâ altero assumptionis nostrae anno extinguere conati fuimus. Sed, ut multiplices hostis hominum generis artes adhibet, nondum plene consequi potuimus ut omnes errantes in viam salutis redirent, qui tamen unicus erat votorum et curarum nostrarum scopus; quibus operam et industriam suam egregio sane studio venerabiles fratres nostri archiepiscopi et episcopi regni Galliae, earumdem constitutionum apostolicarum exequutioni praecipue intenti, contulerunt, et carissimus in Christo filius noster rex christianissimus singulari pietate auxiliarem dexteram strenuo ac constantissimo animo porrexit.

Formula omnibus subscribenda proponitur.

§ 2. Cum autem praefatus rex christianissimus eodem religionis zelo ductus per suum in Urbe oratorem nobis significari exponique curaverit, nullum aliud opportunius remedium pestiferae huius contagionis reliquiis extirpandis adhiberi posse, quam si omnes certam formulam subscriberent nostrâ auctoritate firmatam, in qua quinque propositiones ex Cornelii Iansenii libro, cui titulus *Augustinus*, excerptas, sincere damnarent, ac proinde illam a nobis quantocitius expediri, ad quaelibet effugia praecludenda, omnesque removendos obtentus, flagitaverit: nos, tam piis dicti regis christianissimi votis benigne annuendum esse ducentes, formulam infrascriptam ab omnibus ecclesiasticis, etiam venerabilibus fratribus nostris archiepiscopis et episcopis, necnon aliis quibuscumque ecclesiastici ordinis, tam regularibus quam secularibus, etiam monialibus, doctoribus et licentiatis, aliisque collegiorum rectoribus, atque magistris subscribi districte mandamus; idque intra tres menses a die publicationis seu notificationis praesentium; aliàs contra eos, qui intra terminum praedictum non paruerint, irremissibiliter procedi volumus iuxta canonicas constitutiones et conciliorum decreta.

Formula a supradictis subscribenda.

Pontifex dat formulam.

Ego N. constitutioni apostolicae Innocentii X datae die XXX maii MDCLIII et constitutioni Alexandri VII datae die XVI octobris MDCLVI, summorum Pontificum, me subiicio, et quinque propositiones ex Cornelii Iansenii libro, cui nomen *Augustinus*, excerptas, et in sensu ab eodem auctore intento, prout illas per dictas constitutiones Sedes Apostolica damnavit, sincero animo reiicio ac damno, et ita iuro; sic me Deus adiuvet, et haec sancta Dei Evangelia.

Decretum irritans.

§ 3. Decernentes insuper praesentes litteras semper et perpetuo validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, ubique iudicari et definiri debere, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Exequutores deputat.

§ 4. Quocirca venerabilibus fratribus archiepiscopis et episcopis, aliisque locorum Ordinariis, committimus et man-

damus, ut singuli in suis dioecesibus ac locis suae iurisdictioni subiectis praesentes litteras, et in eis contenta quaecumque, exequantur et exequutioni mandari ac observari ab omnibus curent, et inobedientes quoscumque per sententias, censuras et poenas, aliaque iuris et facti remedia, appellatione postpositâ, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, brachii secularis auxilio, omnino compellant.

Transumptorum fides.

§ 5. Volumus autem ut praesentium transumptis, etiam impressis, manu notarii publici subscriptis, et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem fides prorsus adhibeatur, quae ipsis originalibus litteris adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

§ 6. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc nostram constitutionem et ordinationem infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, anno Incarnationis Dominicae MDCLXV, XV kalendas martii, pontificatus nostri anno X.

Dat. die 15 februaii 1665, pontif. anno X.

DV.

Confirmatio decreti congregationis rituum super patronatu principaliore sancti Ianuarii in regnum Neapolitanum[1].

Alexander Papa VII, ad futuram rei memoriam.

Motiva.

§ 1. Cum aliàs (propositis de mandato nostro in congregatione venerabilium fratrum nostrorum sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium sacris ritibus praepositorum controversiis inter dilectos filios deputatos thesauri sancti Ianuarii et fratres sancti Dominici, cuinam ipsorum debeatur patronatus principalis regni Neapolis, sancto ne Ianuario, vel potius sancto Dominico) praefati cardinales, bene et mature perpensis hinc inde deductis, censuerint deberi divo Ianuario, ac proinde festum de praecepto tamquam de principaliore patrono regni Neapolitani fieri debere per totum regnum de dicto sancto Ianuario episcopo et martyre, non obstantibus litteris apostolicis datis die XXIII augusti MDCXL, ceterisque decretis eiusdem congregationis, si ita nobis videretur, prout in ipsius congregationis decreto desuper die IV augusti MDCLXIII emanato continetur; et, sicut pro parte dilectorum filiorum communitatis et hominum civitatis Neapolitanae ac deputatorum thesauri huiusmodi nobis nuper expositum fuit, ipsi hoc decretum apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri summopere desiderent: nos, specialem eisdem exponentibus gratiam facere volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, supra expressum memoratae congregationis decretum, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, approbamus et confirmamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robus adiicimus; salvâ tamen semper in praemissis auctoritate praefatae congregationis cardinalium.

Confirmat Pontifex decretum sacrae congregationis.

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

Decretum irritans.

§ 2. Decernentes easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contraria tollit.

§ 3. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die xx martii MDCLXV, pontificatus nostri anno x.

Dat. die 20 marti 1665, pontif. anno x.

DVI.

Confirmatio constitutionum pro felici regimine congregationis seu confraternitatis Scholae Christi *Madriti Toletanae dioecesis, idque pro congregationibus seu confraternitatibus sub nomine dictae* Scholae Christi, *et sub earumdem constitutionum observantiâ, tam erectis quam erigendis in universis regnis et dominiis Hispaniarum, ac etiam in almâ Urbe*[1].

Alexander Papa VII,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Ad pastoralis dignitatis fastigium, nullo licet meritorum nostrorum suffragio, per ineffabilem Salvatoris et Domini Iesu Christi bonitatem evecti, illa, quae, pro sodalitatum quarumlibet ad exercenda pietatis opera pie prudenterque institutarum prospero gubernio, salubrique sodalium ad eternae beatitudinis metam per viam mandatorum Dei consiliorumque evangelicorum usum currere satagentium directione, maturo sapientique constituta et decreta noscuntur esse consilio, quo firma semper et inviolabilia permaneant, libenter cum a nobis petitur, apostolici muniminis praesidio constabilimus, ipsisque sodalitatibus spiritualium gratiarum dona elargimur, sicut ad omnipotentis Dei gloriam et animarum salutem cognoscimus in Domino salubriter expedire.

Expositio.

§ 1. Exponi siquidem nobis nuper fecerunt dilecti filii confratres congregationis seu confraternitatis sub nomine *Scholae Christi* in oppido Madriti Toletanae dioecesis canonice erectae, quod, pro felici ipsius congregationis seu confraternitatis regimine, piorumque exercitiorum in eâ fieri solitorum, ac illius confratrum salubri directione, factae et hispanico idiomate editae fuerunt, cum approbatione venerabilis fratris archiepiscopi Toletani, diversae constitutiones, quae de hispanico in latinum idioma versae sunt tenoris qui sequitur, videlicet:

Constitutiones congregationis Scholae Christi Domini nostri *fundatae sub protectione Mariae Virginis SS. et dominae nostrae in nosocomio Matritensi nationis Italicae.*

Caput I. De fine et instituto huius scholae.

I. Institutum et finis huius scholae profectus spiritualis est, et quod aspiret unusquisque fratrum ad voluntatem Dei eiusque praecepta et consilia in omnibus adimplenda, progrediendo ad perfectionem secundum suum cuiusque statum, illiusque obligationem, cum correctione vitae, poenitentiâ et peccatorum contritione, cum mortificatione sensuum,

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

puritate conscientiae, oratione, sacramentorum frequentiâ, operibus charitatis, aliisque sanctis exercitiis, quae in illâ docentur et exercentur, cum aestimatione magnâ aeternorum, contemptuque temporalium, strictiorem ac serveriorem salutis viam atque semitam, in quocumque statu quaerendo: *Arcta via est, quae ducit ad vitam; intrate per angustam portam* (MATTH., VII).

CAPUT II. De divino magistro huius scholae, ac de indignissimis eius discipulis.

II. Praeceptorum et consiliorum Christi Domini nostri, scholaeque iis discendis et exequendis omnino intentae, Christus magister est: *Magister vester unus est Christus* (MATTH., XXIII); divinam suam doctrinam et sacras actiones iubet nos discere: *Discite a me* (MATTH., XI). Humiles discipuli, misericordiâ sic magnâ et sic grandi titulo semper indigni, recognoscere continuo debent a quo magistro in discipulos sint vocati, et quas obligationes includat hic titulus.

Profiteri debent erga Mariam SS. matrem ac dominam nostram devotionem tenerrimam, servitutem amoris plenissimam atque humillimam filiationem. Quam loco matris piae dominaeque clementissimae Christus discipulis suis exhibet: *Dicit discipulo: Ecce mater tua* (IOANN., XIX). Ad eius religiosissimum cultum, sacramque venerationem, ad[1] continuam eius invocationem, protectionisque demerendam gratiam, attendere semper, promptique semper ac vigilantes uti filii subiecti uti amantes servi esse debent, cum spe securâ obtinendi unice per eius manus gratias Dei, beneficia et misericordias.

Et quia placuit Deo communicare spiritum huiusmodi scholarum Christi discipulorum interventu sancti Philippi Nerii, reputabit haec nostra et reverebitur eum tamquam patrem, heroicarum ipsius virtutum exemplar ante oculos sibi ponens ad imitationem, iuxta suum uniuscuiusque statum.

Discipuli huius Scholae viri esse debent a vitiis remoti, seculique fallaciis et vanitatibus, qui cum perfectâ cognitione ac firmo proposito placere Deo in omnibus, voluntatemque eius adimplere desiderent, qui oratione ac meditatione se exerceant, devoti, pii, misericordes, modesti, patientes, bonoque ceteris exemplo.

Agere debent inter se cum amore, aequalitate et charitate fraternâ; Christi enim scholae discipuli fratres sunt: *Omnes autem vos fratres estis* (MATTH., XXIII).

Haec unio et charitas, formaque exercitiorum et uniuscuiusque profectus cura non permittit eos magno esse numero. Erunt ad plurimum sacerdotes viginti-quatuor, laicique quadraginta et octo, quem quidem nullatenus excedere possint. Sub sacerdotibus cum regulares tum seculares veniunt comprehensi; uti sub secularibus comprehenduntur, si quis oblatus alicuius religiosi Ordinis huius Scholae sit frater, omnesque alii ordinem sacrum non habentes.

CAPUT III. De praeside *Obedientia* dicto.

III. Is qui huic scholae praeest[1] *Obedientia* appellatur, ideo ut a nomine etiam ipso superiores doceantur ceteri, quam ante te omnes curare debeant de promovendâ in se huius virtutis perfectione, qui in omnibus Christi operibus adeo resplenduit: *Factus obediens usque ad mortem* (*Ad Philipp.*, II). In his omnibus, quae operabitur, docebit et ordinabit, divinae legi, consiliis et voluntati obediet. Hoc in munere eius est virtutem hanc colere et docere, sanctaeque obedientiae exemplum aliis praebere. Exercitiis omnibus et congregationibus praeest, gubernationi, directioni, disciplinae ac

1 Forsan *ac* pro *ad* legendum (R. T.).

1 Ed. Main. legit *praeesse* pro *praeest* (R. T.).

profectui scholae invigilat. Exhortari debet fratres ad virtutem et perfectionem doctrinâ atque consiliis evangelicis inculpabilisque vitae exemplo: *Qui fecerit et docuerit* (MATTH., v); idque ut consequatur, ad orationem continuo recurrere, a Deoque petere lumen sibi primum quod deinde aliis communicare possit, gratiamque et vires ad exequendum in se ipso, quae alios postea docturus est. Ex consilio deputatorum operabitur, et in gravioribus consulet quoque antianos. Eius ac ceterorum officialium munera per quatuor menses durant.

Si paucis diebus ille absit, officio eius in scholâ fungitur et in congregationibus deputatis[1] primus ecclesiasticus; eoque absente, secundus. At si absentia longior mense fuerit, congregatio antianorum aliquem, qui locum eius subeat, nominabit; morienteque, aut aliò sine[2] redeundi proposito abeunte, congregatio eadem deliget suffragiis secretis Obedientiam, qui usque ad finem quadrimestris hoc munus gerat.

CAPUT IV. De deputatis.

IV. Deputati quatuor erunt, duo sacerdotes, duoque laici. Sacerdotes quidem eo spiritu, fervore, doctrinâque, ut in defectum Obedientiae, munus hoc peragere possint, et generaliter tam hi quam illi magnae pietatis et prudentiae, ac de constitutionibus, decretis, dictaminibus, regimine, atque exercitiis scholae apprime docti; hi omnibus in congregationibus suffragium habent, ac veluti consultores Obedientiae sunt; fratrum profectus atque defectuum inspectores, veraeque eorumdem fratrum, sanctaeque fraternitatis promotores esse debent; opitularique eorum necessitatibus spiritualibus et corporalibus, referendo eas Obedientiae, atque in rebus gravioribus congregationi antianorum, ad hoc ut decernatur et ordinetur, re mature perpensâ, id quod gratius Deo atque utilius fratribus sit futurum. Qui admitti ad scholam cupient, ab his deputatis ex mandato Obedientiae examinabuntur.

CAPUT V. De secretario.

V. Secretarius habere debet optime notas constitutiones, decreta, atque exercitia, notosque item scholae fratres; interesseque continuo et diligenter exercitiis omnibus et congregationibus. Cui muneri deligetur is qui fuerit magnae capacitatis, modestiae et probitatis. Suffragium habet in omnibus congregationibus, absenteque eo, coadiutor eius; librum penes se habet decretorum et admissionis fratrum, qui recipiuntur, annotatque quis eorum quaque hebdomade in scholam non venit; de quo monet congregationem, quae singulis mensibus fit, ne ignoretur uniuscuiusque diligentia aut negligentia, inquiraturque in causam absentiae, et quod expediat ordinetur. Cui rei curet fratrum nomina in quadam tabulâ descripta habere, ita ut facile annotare possit venientes in scholam, atque eâ finitâ eos qui abfuerint, necnon eos, qui excusatum se miserint, annotabit (excusatio autem iusta pro praesentiâ est); epistolarum ad scholam aliunde remissarum, seu ab eâdem scribendarum custodiam et curam habet, necnon omnium instrumentorum, quorum tamen praecipua cum libris decretorum et admissionum in archivo esse debent duabus clavibus munito, atque ex his alteram Obedientia penes se habebit, alteram secretarius. In diebus scholae et congregationis anticipabit aliquantulum, ut, si quo opus est, mature id expediat. Coadiutor ei adsignatur, qui absentis vices gerat, ne aliquis non sit, atque ut fratres ad exercendum id munus habiles reddantur.

1 Videtur legendum *deputatus* pro *deputatis* (R. T.).

2 Perperam ed. Main. legit *alio sive* pro *aliò sine* (R. T.).

CAPUT VI. De nuntiis.

VI. Nuntii quatuor sunt, duo ecclesiastici et duo seculares; ecclesiastici curam habent altaris et oratorii, distribuunt flagella et schedulas meditationis; seculares manent secus portam oratorii, prohibentque ne alii praeter fratres eo intrent, nisi cum licentiâ; comitantur eos, quibus introitus conceditur, usque ad locum, in quo sedere debent; Obedientiae referunt, si quis ingredi volens, aut quidquam nomine alterius nuntiaturus ad portam accesserit, et si quid aliud referri oportet. Assistunt et comitantur novitios receptionis die, atque in omnibus, quae illos facere oportet, dirigunt. Tam ecclesiastici quam seculares, fratrum zelatores sunt, monereque Obedientiam debent, si quem defectum gravem et publicum alicuius fratris noverint, aut talem, ex quo, quantumvis gravis non sit, resultare possit aliquod inconveniens. Venient ad oratorium ante horam praescriptam, ut omnia in tempore sint parata. Deligentur[1] hi ex modestioribus, maioreque charitate et diligentiâ praeditis. Nominantur item quatuor alii coadiutores; duo ex ecclesiasticis, ac duo seculares, ut absentium nuntiorum vice fungantur.

CAPUT VII. De compositione oratorii, et quinam in id admitti debeant.

VII. In altari oratorii ponentur imagines Christi Domini crucifixi et Mariae dominae nostrae, cum ornatu decenti, mundo et modesto, absque eo quod curiosus aut dives sit; et supra sedem Obedientiae alia sancti Philippi Nerii patris nostri. Ante altare collocabuntur duae calvariae, totidemque mortuorum ossa, duoque flagellorum fascicula. In fine oratorii contra altare scabellum erit humile, quo sedet Obedientia, et ante eum mensa parva et humilis, atque in eâ erunt calvaria, liber constitutionum, cartulae meditationis, vas aquae benedictae cum aspersorio, horologium et campanula. In medio cameraе tria scabella aeque humilia; unum ad latus evangelii, quo exercitans, duo e regione, quibus exercitati sedeant. In circuitu per totam cameram fratres sedebunt in scamnis humilibus et planis. Fenestrae clausae erunt, et lumen solum candelabrum, utpote ad colligendos sensus conducens, admovebitur: *Clauso ostio, ora Patrem tuum in abscondito* (MATTH., VI).

Quibus diebus scholae habentur fratres tantum eo introibunt, exceptâ tamen si qua[1] persona eximiae adeo virtutis et meritorum, cuius praesentiam, eo, quod videbitur, tempore, utilem scholae, ac proinde gratam Deo futuram, Obedientia et deputati existimabunt, maxime si regularis sit. In quo tamen prudenti examine et multo rigore utentur.

De fratribus aliarum scholarum, quibus ingressus permittetur, cap. XXI tractabitur.

CAPUT VIII. De exercitiis diei quo schola habetur.

VIII. Omnibus quintis feriis hebdomadae post meridiem habetur congregatio seu schola, excepto quod in maiori hebdomadâ transfertur in feriam tertiam.

Incipere debet duobus ante solis occasum horis, secundum anni tempestatem. Fratres paulo ante venient, statimque sine morâ nemini colloquentes ingredientur cum modestiâ et summo silentio in ecclesiam, ibique ante vivificum Eucharistiae sacramentum genibus flexis manebunt, corda colligere, atque ab omnibus curis temporalibus et quacumque aliâ distractione avertere procurantes, disponendo se ad sancta ea, ad quae veniunt, exercitia, Deumque precando, ut accepta illo[2] sint, et quod praestet eis lumen et gratiam suam, ut istis horis, vitaeque residuo, sanctae Dei voluntati obsequentes fructuose utantur.

1 Male ed. Main. legit *Diligenter* pro *Deligentur* (R. T.).

1 Edit. Main. legit *quae* (R. T.).

2 Potius lege *illi* (R. T.).

Praescriptâ adveniente horâ, ad nutum Obedientiae, dato signo, cum eâdem modestiâ et silentio ingrediantur oratorium; Obedientia occupabit suum scamnum; deputati duo ecclesiastici ad latera ei sedebunt, primoque eorum proximus secretarius; nuntii altaris iuxta altare, et nuntii portae iuxta eam; ceteri quo ingredientur ordine, sine differentiâ et sine ullâ urbanitatis exhibitione, utpote humilitati et christianae fraternitati, quam in scholâ fratres profitentur, vere contraria.

Ante oratorii ingressum enses in certo aliquo loco deponunt. Pallium et galerum post, aut sub scamno, quo sederit unusquisque, mittet, in gestu manens profundae humiliationis, tamquam is qui auctoritatem, cultum, curas et negotia secularia deponit, parvitatem suam et nihil suum recognoscit, Deique maiestatem reverentissimâ humilitate adorare desiderat. In quo etiam oculos habebunt ad imitandam humilitatem, atque exemplum Christi Domini nostri: *Et posuit vestimenta sua* (Joann., xiii); cupientque simul pravis habitibus expoliari, quibus natura indui solet.

Prosternunt sese omnes ad terram, et facto signo ab Obedientiâ, sese in genua erigunt: tunc ille ait: *Laudetur sanctissimum Eucharistiae sacramentum.* Aspergit fratres aquâ benedictâ, recitatque orationes alias quae in postremo ponuntur capite. In recitandâ confessione iterum fratres prosternunt se, quemadmodum hi, qui serius veniunt, facere debent statim atque ingredientur, quousque signum dederit Obedientia.

Absolutis precibus, Obedientia legit considerationem aliquam devotam super id quod meditationi feriâ quintâ antecedenti fuit propositum. Mentalisque oratio per spatium dimidiae horae habetur. Interim iaculatorias preces unam aut alteram de eâdem materiâ dicit, fervori fratrum intendendo. Et ad absolvendam orationem, ceteris humi provolutis, actus aliquos doloris, contritionisque peccatorum dictat, verbi gratiâ: *Peccavi, Domine, miserere mei*, aut similia: repetuntque eadem fratres. Miscet autem his ille affectus quosdam sive exclamationes ad peccatorum poenitentiam atque amorem Dei excitandum. Deinde litanias et orationem, quae in ultimo capite est, recitat.

Signum dat, et, sedentibus fratribus, signoque crucis frontem munientibus, introducit is breviter solidae ac fervidae meditationis, super qua conferendum est, articulum. Deinde tres fratres vocat, quorum unus reliquos duos in examine et interrogatione exerceat. Interim tamen omnes simul hi tres infra loca exercitandorum ingeniculantur, nemo eorum praesumens vocatum se esse ut examinet et exerceat reliquos duos. Obedientia tunc unum eorum iubet exercitantis locum occupare, exercitandorum[1] reliquos; verbisque gravibus atque aedificantibus monet ac exhortatur exercitantem (qui ex fratribus ferventioris spiritus esse debet) ut ad Deum oculos et cor erigat, eumque precetur det sibi lumen ut cum fructu possit fratres illos examinare, consiliis salutaribus erigere, et perfectionis viam iis commonstrare, aliamve huius propositi.

Exercitator, muniens se signo crucis, humiliter agnoscens indignum se eo munere, quod sibi imponitur, si aliquem in scholae exercitiis defectum commiserit, flexis genibus refert. Obedientiaque aliquam ei poenitentiam imponit; qua perfectâ, sedet, fratrumque singulos interrogat, an illâ hebdomadâ impleverint officia et exercitia scholae, an meditati sint super puncto designato, et

1 Edit. Main. legit *excitandorum* (R. T.).

quid specialiter de illo aut in illo cogitaverint.

Respondent singuli eorum, facto crucis signo, cum humilitate, sinceritate et modestiâ, de plano, ac breviter sine discursibus, aut digressionibus, absque eo quod interiora resque confessori reservatas indicet[1], sed de iis se accuset tantum defectibus, quae ad constitutionum pertinent adimplementum; veluti quod quotidiano examine non excusserit conscientiam; quod aegrotos in hospitali non visitaverit, quamvis culpâ careant hi defectus. Et haec dicet flexis genibus, atque Obedientia imponet unicuique poenitentiam sibi placitam.

Exercitator monebit eos de iis, quae in Deo iudicaverit secundum responsa eorum futura utiliora, quae confirmare poterit aliquo sacrae Scripturae, aut patris[2] testimonio pro documento et exhortatione.

Obedientia pro arbitrio suo resumat ea, quae dicta sunt, aut eorum partem, expendatque ut fratres moveat et accendat adductis sacrae Scripturae, aut Sanctorum locis, subtilitatem et multiplicationem locorum devitans, ut prosit, non ut gloriam sibi quaerat; ad animarum utilitatem, defectuum emendationem, virtutumque exercitationem omnia dirigens. Sciatque muneris sui esse mortificare[3] omnes, laudare neminem.

Post haec quasdam tribus illis poenitentias, quibus ceteri aedificentur, imponit. Osculantur illi terram cum vocati ad exercitium ingeniculantur, et cum exercitium absolvunt.

Iterum, tertioque vocat (si expediens videbitur) tres alios fratres eodem modo ac primos, et singulos[1] tres idem quod iam dictum manet exequuntur.

Procuret in quadrimestri suo neminem, cuiuscumque sit gradus, inexercitatum remanere, et ipse exercitari se aliquando faciat; et hoc exercitandi munus idoneioribus imponat. Praeterea, quando sibi placuerit, etiamsi praesens sit, iniungere poterit alicui ex fratribus Obedientiae officium, ut formentur personae illius capaces, atque item ab scholâ uti tales cognoscantur.

Ultimum exercitium absolvetur aliquo actu ferventi amoris Dei, et peccatorum contritionis, sicut de oratione mentali dictum manet.

Post haec nuntii altaris distribuunt flagella et lumina extinguunt. Obedientia tunc cum tono gravi, tardo ac devoto dicit dominicae Passionis summarium, versusque illos, qui in capite finali positi sunt. Et cum perventum est ad versiculum *Apprehendite disciplinam*, flagellatio incipit, recitantque, tam Obedientia quam ceteri fratres, alternatim per choros psalmum *Miserere mei Deus* et psalmum *De profundis*, actumque contritionis, ut in dicto capite finali. Quibus absolutis, dat signum Obedientia: et dum fratres se componunt, iniungit eis, ut recitent *Pater noster* et *Ave Maria* tot vicibus quoties et pro intentione quae in dicto capitulo referuntur. Tunc hymnus *Nunc dimittis* alternatim ut psalmi recitatur, et cum versus ille *Lumen ad revelationem* dicitur, introducit lumen alter ex nuntiis portae, et candelae accenduntur. Obedientia ait: *Fratres emendemus in melius*, ut in dicto capitulo finali; datoque signo redit unusquisque ad locum sedis suae.

Legit meditationem et iaculatoriam

1 Edit. Main. legit *inclucet*, quod esse potest *includat*, vel *inculcet*, vel *indicet* (R. T.).

2 Nempe ut videtur patris Philippi Nerii (R. T.).

3 Ni legendum sit *aedificare* pro *mortificare* (R. T.).

1 Videtur legend. *singuli* vel *secundi* (R. T.).

hebdomadae sequentis, quae conformia erunt evangeliis per annum, sequenturque omnino spiritum Ecclesiae. At in quadragesimâ erunt de dominicâ Passione. Cernui tunc fratres ter repetunt[1] iaculatoriam, datoque ab Obedientiâ signo sedent. Obedientia dat nuntiis altaris schedulas dictae meditationis, ut eas distribuant, intereaque legit caput quoddam constitutionum, ut memoriâ ei[2] retineantur.

Duos fratres assignat qui proxime sequenti hebdomadâ de oratorio mundando et parando curam habeant, id munus inter omnes distribuens.

Quando fratrum aliquis aegrotaverit, duos alios designet, qui eum nomine scholae visitent, atque ii observabunt, quae illis imponuntur in capite XII.

Postea exhortetur cum ferventi animi sensu fratres ad Iesu Christi Domini adorationem. Pergat ipse et nomine omnium ante altare adoret: comitantibus ipsum corde fratribus, cum magnâ humilitate et reverentiâ super faciem cadentibus.

Adoratio tribus genuflectionibus facienda est, primum in parte inferiori camerae, iterum in eius medio, tandem prope altare, dicto per singulas genuflexiones, *Adoramus te, etc.* quod fratres repetunt: et ad finem dicit orationem *Respice quaesumus, etc.* ut in dicto capite finali. Cum revertitur, tres alias genuflexiones faciat, Mariam Virginem dominam nostram adorans, et salutans *Ave, filia, etc.*, ut in dicto capitulo.

Quintâ feriâ concurrente dominicae Nativitatis, aut eam subsequente, unâ cum Obedientiâ omnes fratres vadunt puerum Iesum adoraturi, et cum prostraverint se ante praesepe, Obedientia prorumpet in aliquos amoris sensus super hoc mysterio.

Die Epifaniae, si erit feriâ quintâ, sive feriâ quintâ proxime eam sequente, vadunt fratres singuli terni adorationem[1] peracturi, ter, principio, et medio oratorii, et iuxta praesepe, humi procumbentes[2]: *Procidentes adoraverunt* (MATTH. II). Nempe ante alios Obedientia cum duobus deputatis ecclesiasticis, deinde tres alii de uno ex choris, quos alii tres de altero sequuntur; et hoc ordine ceteri, et in ultimâ prostratione tantillum durantes, redeunt ad sedes suas ex illâ parte, qua suus illis chorus est, sine ullâ genuflexione, venientibus ne impedimento sint. Ceteri flexis genibus expectant.

Omnibus quintis feriis a vesperis Nativitatis usque ad Epifaniam, si hoc festum inciderit in talem diem, sive usque ad quintam feriam Epiphaniam proxime sequentem, flagellatio cessat; quemadmodum, et in die Corporis Christi, et infra octavas Paschae et Pentecostes, in hisque omnibus prolixiores aliquanto fiunt oratio et exercitia, ita ut duas horas iuste compleant.

Feriâ tertiâ maioris[3] hebdomadae, et si festum Inventionis vivificae Crucis, maio mense veniens, in quintam feriam inciderit, aut proximâ post id, eodem modo, ac in festo Regum, fit Crucis adoratio, altâ voce alternantibus fratribus versus hymni *Vexilla regis prodeunt, etc.* qui est in capite finali.

Omnia haec exercitia sic ordinanda sunt ut duas horas non excedant, scilicet oratio mentalis mediae, tria exercitia unius, reliquumque alterius mediae horae spatio duret.

Finitâ adoratione, Obedientia ait: *Pro-*

1 Edit. Main. legit *repetuntur* (R. T.).
2 Vox *ei* redundare vel legendum *memoriei* (R. T.).

1 Edit. Main. legit *ad Orationem* (R. T.).
2 Ed. Main. legit *praecumbentes* (R. T.).
3 Edit. Main. legit *maiores* (R. T.).

cedamus in pace: cui fratres: *In nomine Domini;* terramque osculantes, et pallia resumentes, cum modestiâ in ecclesiam exeunt, atque sacram Eucharistiam adorant, de eo quod tam sanctis exercitiis interfuerint gratias Deo agentes, Deiparam Virginem oratione angelicâ salutant, et cum eodem silentio et modestiâ in principio dictâ proficiscuntur, interius aliquod affectum[1] suorum silentium consequi procurantes.

Caput IX. De diebus communionis generalis et quid in his observetur.

IX. Praeter communiones particulares, de quibus agetur in capite XIV, fit communio generalis singulis dominicis secundis uniuscuiusque mensis, primo die Pentecostes, die Nominis Mariae, ac die sancti Philippi Nerii patris nostri, et quando aliquis ex fratribus diem suum obierit.

Congregantur fratres in oratorio, diligenti conscientiae examine, prolixiore, quam aliàs, oratione, sacramentalique confessione iam praeparati. Silentium, modestia et reverentia, tanto magis his, quam in scholae diebus, augeri debent, quanto excellentius est Deum in Sacramento adorare et recipere, ineffabiliterque atque intime ei uniri; consideratis inter motiva alia devotionis et teneritudinis Christi discipulorum nomine et professione.

Tantisper in oratione manent quousque signum dat Obedientia ut sedeant. Tunc ille breviter atque aptis diei verbis accendit eos et exhortatur; tandemque mutuam charitatem suadet, si forte inter eorum aliquos disconvenientiae causa sit: *Vade prius reconciliari fratri tuo* (MATTH. V); in genua cadunt, singulique ordine alterne dicunt: *Si in aliquâ re fratres meos offendi, precor mihi parcant, atque ego idem facio,* et cum dixerint, terram osculantur.

Vestit se Obedientia, cui nuntii altaris cum superpelliceis assistunt, missamque celebrat privatam eâ devotione, quam tanti sacrificii ministrum decet, eumque a quo discere debet tam sancta schola. Pergunt fratres singuli bini ad sumendam Eucharistiam, par fratrum ex uno, et par aliud ex altero choro, atque eodem modo ceteri, ter humo procumbentes.

Gladios relinquunt oratorium ingressuri, pallia vero non relinquunt memoriâ retinentes Christum dominum nostrum, quantumvis paupertatem et humilitatem semper amaverit, ornatum tamen et apparatum elegisse instituturum hoc divinum Sacramentum: *Coenaculum grande stratum* (MARC. XIV), ad idque vestes resumpsit: *Accepit vestimenta sua* (IOAN. XIII).

Oratio habetur postea, qua Deo gratias pro tam magno beneficio redduntur. Absolvitque Obedientia dicens: *O sacrum convivium*, ut in capite finali; factoque signo exeunt cum toties dicto silentio et modestiâ.

Caput X. De die Corporis Christi.

X. Hoc die post meridiem habetur schola, cum quinta feria sit; praescriptisque horis manifestatur propter solemnitatem eius diei in oratorio sacrosancta Eucharistia. Ornatur altare cum munditiâ gravi et decenti. Sedilia exercitiis deservientia, Obedientiae mensula, calvariae, ossa et flagella hoc die non videntur.

Congregantur fratres in oratorio; vestitusque Obedientia cum cappâ pluviali, comitatus duobus nuntiis altaris, aliisque duobus fratribus sacerdotibus cum superpelliceis, in ecclesiam venit, procedentibus reliquis fratribus cum cereis in manu accensis (quae inter eos distribuunt coadiutores nuntiorum altaris) eâ cum modestiâ, attentione et circumspectione, qua debent Christi discipuli euntes quaesitum transportatumque in scholam divinum suum magistrum. Extrahit

1 Forsan *affectuum* (B. T.).

Obedientia sanctissimam Hostiam e sacrario, ducitque in processione, alternantibus fratribus versus[1] hymni *Pange lingua*, qui est in capitulo finali, collocatque in altari oratorii. Spoliat se, ac tendit in locum suum; fratresque, postquam in genua procubuerunt, et humum osculati sunt, erigentes se, penes scamna ingeniculantur. Omissoque aspersorio, et ceteris orationibus, legit Obedientia devotas quasdam de sanctissimo hoc Sacramento considerationes, super quibus meditantur per tres horae quadrantes; interimque Obedientia iaculatoriis aliquot orationibus devotis, teneris ac ferventibus utitur; tandemque oratio absolvitur, dicente Obedientiâ: *Fratres, Tantum ergo Sacramentum, veneremur cernui:* procumbuntque humi omnes, durantque aliquantulum in hoc gestu corporis, facientes interiores actus fidei, adorationis et amoris.

Sedentibus omnibus (quod propter debilitatem aut infirmitatem aliquorum, ut absit inaequalitas, permittitur), corde tamen prostratis, cum summâ reverentiâ et humilitate, ter vocat Obedientia, ut moris est, singulos ternos ex fratribus, ut exerceant et exerceantur. Qui ingeniculantur eo in loco, ubi aliis diebus scamnula sunt, aut, si Obedientiae necessarium videatur, iussi in terrâ sedent. De constitutionum adimplemento non interrogantur, nec defectus suos profitentur, vellet enim schola in nullo defecisse filios suos, praesertim hac die, aut magistro huic divino inofficiosos fuisse. Quamvis enim secretiores defectus ei patent, atque oculis eius manifesti sunt, decet tamen hos, cum realiter et corporaliter Dominus adest, non audiri. Tum propter gaudium et laetitiam, qua debemus ei assistere, excusantur hoc die actus omnes manifestationis et poenitentiae: *Numquid possunt filii sponsi lugere, quando cum illis est sponsus* (Matth., ix).

Exercitia reducuntur ad collationes, documenta et exhortationes circa infinitum amoris excessum, quo voluit Christus Dominus in sacramento inter nos manere, divinique huius sacramenti effectus, et circa modum, quo ad eum excipiendum praeparare nos, excepto gratias habere, et pro tam ineffabili beneficio gratos reddere nos debeamus. Respondeant exercitati ad interrogata modeste ac breviter id de quo singulos Deus docuerit. Qui deinde monebuntur ab exercitantibus, excitabunturque ad maiorem venerationem et servitutem huius sacramenti, et ad effectus misericordiae eius mirabiles tempore[1] ac defectibus non impediendos.

Obedientia exercitantium dicta in summam redigit, iisve, quod monere magis aut excitare maiorem fervorem possit, adiungit. Exercitia hodie plus quam aliis diebus per horae quadrantem protelari[2] possunt. Imponit Obedientia, ut pro Summo Pontifice, pro rege, etc., ut moris est, Deum fratres precentur. Tunc, vestibus resumptis, cum eodem assistentium, ceterisque cum cereis accensis, comitatu, pergit ad custodiae reddendum Sanctissimum iuxta caeremonialis regulas: et fratribus dicentibus *Tantum ergo, etc.*, benedictionem illis dat cum sanctissimâ Hostiâ, quam quidem illi recipere debent sic reverenter humiliter et confidenter, quasi a Christo visibiliter apparente sibi elargitam; aeque reverenter ac devote procedentes, eamdem sacram Eucharistiam usque ad sacrarium comitantur; quo cum inclusa fuerit, osculantes humum, redeunt cum Obedientiâ ad sacri-

1 Edit. Main. legit *versu* (R. T.).

1 Forsan *taepore* pro *tempore* legend. (R.T.).
2 Ni lege *debeat protrahi* aut *praetendi* (R. T).

stiam, indeque cum summo silentio et modestiâ unusquisque abit.

Hoc die propter id quod in praecedenti capite dictum est, pallia non deponunt.

CAPUT XI. *De memoriâ et exercitio mortis.*

XI. Iubet nos Christus dominus noster paratos esse ad illam horam, qua ei placuerit nos vocare : *Vos estote parati* (MATTH., XXIV), quae cum ita incerta sit et ignorata: *Sero, an mediâ nocte, an galli cantu, an mane*[1] (MARC., XIII), continuo parare nos debemus, ne subitanea imparatis superveniat: *Ne cum venerit*[2] *repente, inveniat vos dormientes* (ibid.).

Igitur scholae Christi discipuli nunquam non parare sese debent ne imparatos inveniat eorum Dominus cum venerit, mortemque ob oculos ponere, strictumque iudicium, quo nos iudicaturus est, cuius quidem memoria transformandae in melius vitae sufficiens est: Christus praesentem habuit obitum suum, loquebaturque de eo frequenter, etiam in gloriâ transfigurationis, permisitque (ut pati atque mori iam tunc inciperet) mortem suam in timore sibi atque agoniâ repraesentari : quotannisque confessionem generalem ac testamentum facere, a culpis et imperfectionibus se avertentes, virtutibusque ferventer se exercitantes, ita ut Deo vivere, culpisque et passionibus mori procurent.

Quod ut commodiori ordine consequantur, disponent sese tertia pars fratrum antiquiorum quatuor primis anni mensibus hac formâ.

Facere debent intra hoc quadrimestre generalem confessionem eius temporis, quod post aliam ultimo factam erit transcursum, sive quo alio modo eorum patri spirituali visum fuerit, ordinareque suum testamentum, res suas disponendo, eaque quorum sese agnoscunt debitores, quo modo poterint in praesenti rerum statu, persolvendo, quemadmodum facerent, si se vidissent morti propinquos.

Quotidie aliquod temporis spatium, praeter consueta alia scholae exercitia, meditationi[1] mortis, strictique, cui subiacebunt, iudicii, se exercere debent, actusque aliquos contritionis ferventes, tamquam iam morituri, facient, defutura[2] sibi forte, cum mors advenerit, vel unius actus faciendi tempus aut dispositionem considerantes. In adimplendis etiam maiori sollicitudine et exemplo exercitiis et obligationibus scholae, omnibusque aliis devotionis et charitatis operibus, alacres erunt.

Diebus scholae imponet quibusdam eorum Obedientia mortificationis aliquos actus, et ad tertium exercitium ultimae quintae feriae cuiuslibet mensis eorum aliquos vocabit, qui examinabuntur de modo meditationis mortis, de dispositione, et exequtione eorum, quae iam dicta sunt.

Exeunte iam quadrimestri tempore, quo die Obedientiae visum fuerit, ante tamen quintam feriam electionis officiorum, convenient simul omnes in oratorio; celebrabit Obedientia missam privatam defunctorum pro animabus fratrum, qui e seculo abierunt, ac pro eâdem intentione Eucharistiam accipient.

Post gratiarum actionem habebit brevem ac ferventem sermonem de brevitate vitae, incertitudine mortis, eiusque agone, anxietatibus et periculis, de confusione et tristitiâ quam inducit culparum memoria, de iudicii et examinis terroribus, quo meliori modo possit commovere nos ut vivamus in continuo timore illius valde terribilis valdeque periculosi momenti, a quo vel aeterna salus pendet, vel aeterna damnatio.

1 Perperam ed. Main. legit *Galli mane* (R. T.).
2 Male edit. Main legit *venerint* (R. T.).

1 Videtur legendum *meditatione* (R. T.).
2 Male ed. Main. legit *de futura* (R. T.).

Iubebit inde in genua se dimittere fratres, qui eo quadrimestri exercitantur, breviterque rogabit ab eis, adimpleverint ne, et qualiter, ea, quae sibi in hoc capite imponuntur, exhortabiturque ut perseverent et adventum Domini semper spectent parati.

Secretarius recitabit nomina fratrum qui pone * sequuntur, secundum admissionis antiquitatem, ut hac ipsâ formâ exerceantur quadrimestri sequenti; idque absentibus nuntiabit. Huicque numero adiunguntur ii, qui, vel abfuerint, vel quod aliàs impediti fuerint, elapsis mensibus sibi assignatis exercitati non erunt. Instanter rogabit fratres Obedientia, uti erga defunctorum, praecipue fratrum nostrorum, animas piissime ac liberalissime se gerant, atque pro illis offerant missas, indulgentias, eleemosynas, ieiunia, mortificationes, aliaque pietatis opera secundum uniuscuiusque devotionem, deponentes omnia haec in manibus Reginae Angelorum, per manus sancti Philippi Nerii patris nostri, ut benedicto Filio suo eadem offerat et pro arbitrio applicet; quod certe erit ad maiorem Dei gloriam, maioraque animarum omnium defunctorum praecipue fratrum nostrorum suffragia, obligationumque, quibus obstricti sumus, certius complementum.

* Sic.

Proxime sequentis scholae die portabit unusquisque in schedulis scriptum, absque eo quod suum nomen apponat, omne id, quod obtulit, consignabitque eam secretario. Qui, collatis omnibus, deductâque ratione, quae oblata sunt palam scholae recitat.

Beatus ille servus quem cum venerit dominus eius, invenerit sic facientem (Matth., xx) fortunatissimum erit si nos Dominus, cum venerit, ita operantes ac nosmetipsos exercentes invenerit.

Haec ipsa exercitia, atque eâdem formâ, peragunt fratres moderniores in secundo et tertio quadrimestri, in tres partes divisi, ut dictum manet. Quaeque hucusque sunt dicta fient perpetuo per singulos annos: contendentque fratres quotidie promoveri in his exercitiis, meliusque disponi ad recipiendum Dominum et Magistrum nostrum, cum illi nos vocare ad se placitum sit: *Similes hominibus expectantibus dominum suum* (Luc. xii).

Caput XII. De charitate qua tractandi sunt fratres infirmi.

XII. Statim ac fratrum aliquis aegrotaverit, nuntiabit Obedientiae, et si gravis fuerit infirmitas, assistent ei frequenter ii qui visitandis aegrotis sunt destinati, monebuntque Obedientiam de eius statu, ut de spirituali ac temporali consolatione aegroti convenientem curam habeat, et cum gravior fiet infirmitas, procuret ei opportune ministrare sacramenta Ecclesiae, et cum eo agere, ut disponat se omnino ut christianus et Christi discipulus. Nominabit aliquot fratres ultra praedictos, qui ei assistant, maxime sacerdotes; rogabitque omnes eum[1] Deo commendare.

Si ad proximum venerit mortis discrimen, designabit et adhuc alios, praecipue sacerdotes, eidem adimplendo pietatis officio, qui aegrotum semper comitabuntur per horas alii aliorum loco subrogati; precabiturque instanter omnes pro illo Deum orare, et quemque, secundum vires suas, missis eum, oratione, eleemosynis et mortificationibus adiuvare.

Cum ad hunc statum deventum fuerit, sacra Eucharistia manifestabitur in ecclesiâ[2] per duas horas, singulis diebus, quo magis decenter poterit; fratresque, quanto plures poterunt, ibi intererunt, anxie ac dolenter ex intimo corde a Deo petentes animae illius fratris salutem, eâ quidem devotione ac teneritudine, quae debetur eius momenti causae, amo-

1 Male edit. Main. legit *cum* pro *eum* (R. T.).
2 Edit. Main. legit *ecclesias* (R. T).

rique atque erga fratrem nostrum charitati, qui in agone mortis positus sic brevi tempore sistendus est ante tribunal Dei, redditurus rationem etiam levissimarum totius vitae cogitationum, auditurusque sententiam aeternae sive salvationis sive damnationis (quod ultimum Deus avertat), atque eo modo id facient, quomodo unusquisque adiuvari se in mortis hoc volet articulo.

CAPUT XIII. De charitate qua utendum est erga fratrum defunctorum animas.

XIII. Statim atque placitum Deo fuerit vocare ad se aliquem ex fratribus, Obedientia omnes alios certiores faciat, ad hoc ut quanto citius defuncto opem ferant missis, indulgentiis, eleemosynis, mortificationibus, etc., extendetque unusquisque quanto magis possit pietatem suam, sciens Deo futurum id gratum valde et acceptum, debitoresque nos esse fratribus defunctis suffragiorum huiusmodi et charitatis. Offerat unusquisque et applicet iis quidquid sibi a pietate suâ dictatum venerit, per manus Virginis Deiparae, consignabitque secretario primâ quaque die scholae chartam, in qua id notaverit, quomodo in capite XI dictum fuit.

Cadaver omnes fratres comitabuntur, exequiisque eius intererunt eâ cum devotione et modestiâ, quae inter Christi discipulos alicui eorum defuncto debetur.

Fiet inde communio generalis in oratorio, celebrabitque pro eius animâ missam defunctorum Obedientia; fratresque omnes diligenter procurabunt intendere animi devotionem et pietatem quo magis misericordiam et beatitudinem animae isti a Deo impetrare valeant.

Si fratres extra hanc curiam obierint, celebrabitur missa, generalis communio, et supra narrata oblatio fiet.

CAPUT XIV. De exercitiis extra scholam.

XIV. Actus et forma vitae in fratribus omnino respondere debet scholae doctrinae et exercitiis: vere enim professio et obligationes discipulorum Christi actionem omnem huic titulo minus convenientem a se expellunt: quinimmo hunc debent virtutis operibus comprobare.

Diligent se verâ charitate, mutuoque sibi auxiliabuntur, tam in spiritualibus quam in corporalibus: *In hoc cognoscent omnes, quod discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem* (IOAN., XIII).

Praecipua eorum cura esse debet vitae iustam sibique omnino conformem rationem praefigere, Deoque plus quam mundo vivere.

Iuvat certe plurimum obligationes et exercitia devotionis, ut recte adimpleantur, temporis distributio cum ordine et mensurâ: sicut e contrario id facile deperditur, deestque rebus magis necessariis, cum non ordinatur. Perpensis unusquisque status sui obligationibus, negotiis occurrentibus, atque iis quae pro inserviendo Deo facere cupiunt, proportionabiliter horas distribuent, tempusque inter ea omnia quae agenda sunt commodum divident cum consilio patris sui spiritualis, contendentque accurate id observare, quatenus negotiis insuper venientibus non impedientur, procurenque ut tempus sibi, iis de causis subtractum minoribus obligationibus Deoque minus gratis,[1] desit.

Manè uniuscuiusque diei ordinabunt dirigentque omnes suas actiones, cogitationes, verba et opera ad maiorem Dei gloriam, et quo magis ei serviant, implorantes a Deo gratiam, ut, quaecumque operantur, ea omnia divinis eius oculis placeant; orationemque mentalem quamprolixam poterunt, aut si hac horâ non poterunt, aliâ commodiore habebunt; sacrum audient aeque attente ac devote, ac in scholâ, eâdemque devotione, quantum per status occupationes iis licebit,

1 Videtur deesse *non* (R. T.).

assistent, comitabunturque sanctissimam Eucharistiam, ubi exponetur, aut si processionaliter, vel ad infirmos defertur, memores id proprium esse officium Christi discipulorum, si huic Domino serviant, et hunc Dominum comitentur.

Procurabunt pro viribus continuare exercitium praesentiae Dei, punctumque meditationis illius hebdomadae, iaculatoriam, aut considerationem, quam sibi magis intime Deus in oratione docuerit, in mente versare. Lectioni vacabunt librorum piorum de vitis sanctorum, aliorumque spiritualium, ex quibus praecipuum unusquisque eum habebit, quo magis ad pietatem excitatur, et in cuius lectione maiorem devotionis affectum et doctrinae fructum experietur; hunc que magis frequenter leget. Noctu examinabunt exacte conscientiam ante accubitum, multum dolentes de illius diei defectibus, emendationemque proponentes; cogitent tantisper de morte, reducantque in memoriam, quot ea interceperit in somnii tenebras, cum nihil minus ii, cum quieti se dederunt, extimuerint, absque eo quod corporales oculos videndo lumini aut spiritualia lumina implorandae a Deo misericordiae aperire ultra iis concessum sit.

Singulis septimanis ad minus semel Eucharistiam sument in quo confessorum et spiritualium patrum nutum sequentur. Visitabunt pauperes in nosocomio die sibi praescripto, assistentque ad horam prandii, servientque eis cum humilitate, et in eis Domino et Magistro nostro, corporaliterque et spiritualiter, secundum uniuscuiusque captum, eos consolabuntur: advertentes se eo ad serviendum et obediendum, non ad alteri negotio se ingerendum venisse. Sacerdotes vespertinis horis sibi expeditioribus accedent ut confessiones aegrotorum audiant et spiritualia eis solatia ministrent. Ad eaque officia dies hebdomadae inter fratres sacerdotes et laicos distribuentur. Curet autem specialiter Obedientia ne hoc pietatis opus Deo gratissimum praetermittatur, omnesque exercitantes et exercitati super hoc interrogentur an[1] id exequuti sint.

Quotannis ter ibunt fratres, quos Obedientia deliget, ad visitandos carceratos, hoc est in quadragesimâ, in die Portiunculae et Natali dominico: sacerdotes scilicet ad confessiones excipiendas, seculares vero ad exercendum id opus pietatis, quod sibi magis placuerit, non sine praeviâ Obedientiae notitiâ et approbatione.

Vestes et ornatus exterior ab interiori non discordabunt. Sit decens et conditioni status conformis[2], ita ut notâ omni liber sit, et adhuc, intra uniuscuiusque statum, communemque usum, appropinquet magis modestiae, quam splendori, ab omnique profanitate procul absit. Longe aberunt a fratrum modestiâ, temperantiâ et humilitate contentiones discordiaeque, imo aliis erunt imitationi et exemplo, ut composite se gerant. Semperque ante oculos habebunt Christi patientiam et humilitatem, quantum pro nobis toleravit, ac fuit perpessus, et quam nobis suam ipsius in hoc imitationem voluit commendatam; haec enim doctrina eius et consilium est discipulis maximâ in veneratione habenda, et pro viribus exequenda: *Ego autem dico vobis, quia omnis, qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio: Ego autem dico vobis non resistere malo: Ego autem dico vobis, diligite inimicos vestros* (MATTH. V).

Scholae exercitia et particularia quaeque iis qui extranei sunt non facile referent; palam enim id evenire quod

1 Male ed. Main. legit *aut* pro *an* (R. T.).
2 Edit. Main. legit *conformet* (R. T.).

taepidius fit, edificatione caret; quod autem devote ac fervide agitur, si publices, plausum emendicare videberis. At id facere poterunt, quoties speciale aliquod motivum obvenerit praestandi Deo servitii, aut procurandae scholae utilitatis, aut si interrogati a superioribus fuerint.

In his omnibus, quae pro generali regulâ laicis fratribus imponuntur, sacerdotes intelligent haud quidem se excellentiae et obligationibus status sui paria facere, nisi in exequendis iis optimos quosque ex laicis longe superent, atque adeo sacerdotis unius exemplum et virtutem ad conversionem universae cuiusque reipublicae debere sufficere.

CAPUT XV. Quod festa nulla publice ac solemniter celebrentur, et quod nulla exercitia his exercitiis adiungantur.

XV. Festa publica et solemnia, cuiuscumque sint generis, nunquam celebrabuntur, et in hoc nullâ ex causâ aut ratione superveniente innovabitur. Haec enim schola interior est et occulta, eiusque praecipuum institutum poenitentiae et mortificationis sunt exercitia. Pietas autem fratrum in tot aliis festis, quae ubique fiunt, proficere poterit.

Nulla autem exercitia adiungentur de novo: *Nihil aliud, quam constitutum est vobis, faciatis* (LUC., III). Nisi ea forma servetur, et eae qualitates concurrent, quas mutandis constitutionibus praescribet caput XXII.

Evitentur expensae, quae omnino evitari possunt: cum enim haec schola ad imitationem Christi Domini nostri aspiret, sanctam eius paupertatem continuo ante oculos habere debet.

Nulla unquam pecuniarum indictio fratribus fiet; si quando autem omnino id opus sit, Obedientia prius de eâ re ad consessum antianorum referet, qui si annuerint, proponet eam necessitatem scholae, ita ut illo vel illo modo fratres, qui velint, eleemosynam pro modo suae devotionis elargiri possint.

CAPUT XVI. De regimine scholae.

XVI. Obedientia et deputati summe curare debent constitutiones observari, et ad unguem adimpleri; nec ullo colore aut titulo relaxationem ullam aut novitatem admittere. Obedientia deputatos de omnibus consulit; suffragiaque eorum, ac secretarii, sive eius coadiutoris, aeque ac suffragium Obedientiae decisiva sunt; et quod horum omnium maior pars iudicabit, exequutioni mandabitur.

De rebus gravioribus referetur ad antianorum consessum, qui habebitur omnino secundâ dominicâ post meridiem uniuscuiusque mensis, in quo assistent, et suffragia decisiva habebunt, Obedientia et deputati, et reliqui antiani, secundum ordinem antiquitatis, ad quindecim usque, septem ecclesiastici et septem seculares, cum secretario, sive eius coadiutore, qui vel ecclesiasticus esse poterit, vel secularis. Inter ecclesiasticos post Obedientiam et deputatos praesentis temporis numerentur illi omnes, qui Obedientiae munere functi sunt, deindeque ii qui deputati ecclesiastici aliquando fuerint, secundum antiquitatis gradum, usque ad praedictum septenarium numerum. At si ex his aliquis absens sit, aut occupatus, vocabitur antiquior, qui subsequetur in unoquoque ordine, ut completus sit quindenarius numerus.

Quandocumque res momenti obtigerit, quam expediri oporteat ante diem consessus, vocabit extraordinarie alium, quo die sibi visum fuerit, Obedientia.

Quidquid determinabitur in dictis consessibus inviolabiliter observabitur, nec nisi gravissimâ ex causâ mutabitur. Specialem curam habebunt non variandi; nec multiplicandi decreta; eapropter, in resolvendâ quaque re, multo consilio, regulisque aequalibus, tutis ac solidis uti debent.

Pari accuratione servabunt modestiam,

silentiumque in consessibus : *Nihil per contentionem, nec per inanem gloriam, sed in humilitate superiores sibi invicem arbitrantes* (*Ad Philipp.*, II). Super quae Obedientia proponet, singuli ordine servato sententiam dicent (nisi aliàs ab Obedientiâ interrogabuntur) quambrevius poterunt, sine[1] eo tamen quod substantiale quidquam omittant; quod autem alius priore loco attigerit, confirment tantum, non repetant, aut exornent: *Sit sermo vester, est, est, non, non* (MATTH., V). Si quis de aliquâ re monere habebit, proponereve quod utile futurum credat, poterit quidem id, postulatâ prius Obedientiae licentiâ, eâque praeviâ ; attenteque curabit, ne eum qui loquitur interrumpat, impediatve.

Obedientia occupabit praecipuum locum sibi designatum, et ex utroque latere immediate habebit duos deputatos praesentis temporis sacerdotem et secularem, secretariumque, sive eius coadiutorem; ceteri promiscue sedebunt quo ordine venient sine ullâ differentiâ aut urbanae invitationis officio.

Universa schola habet suffragium decisivum in electione Obedientiae ac deputatorum, ut in capite XVII dicetur, in fratrum receptione, ut in capite XIX, et in iis quae adiungi constitutionibus tollique[2] ab eis mutareve oportebit, ut in capite XXII, ac tandem in omnibus causis maioris momenti, de quibus antianorum consessus referri debere ad universam scholam censerit. Fratres tamen, qui nondum octo menses in eâ compleverint, suffragio carebunt.

Electiones et receptiones quae absque ullâ praecedente collatione fiunt in scholâ, et quaeque alia possunt hac ipsâ formâ per suffragia confici, cum brevitate et silentio quovis scholae die expediuntur, exercitia restringendo, aliquodve ex his omittendo. At si negotium contigerit, de quo opus sit informari fratres, et sententiam suam dicere, assignabitur huic rei et suffragationi alia dies scholae vacua. Commendaturque in primis loquendi gravitas et modestia, et ne aliquis extra ordinem, nisi rogatus ab Obedientiâ, loquatur.

Receptio exclusioque fratrum tam in scholâ quam in consessibus expedietur per suffragia secreta, quemadmodum et officialium electio, eaque omnia in quibus grave aut molestum alicui esse possit sensum animi sui manifestare, omnino ut libertas rei conveniens servetur.

Consessus omnes in oratorio fient, nisi aliqua causa impediat.

Secretarius scribet in decretorum libro quidquid in eis consessibus decernetur, clare ac distincte, adiunctis concurrentium nominibus, annotatisque praecipuis stabilitorum rationibus; semper ut habeantur prae oculis non res tantum decretae, sed et earum rationes et fundamenta: subscribentque iis nomina sua Obedientia et secretarius sive eius coadiutor.

In quocumque consessu ante alia secretarius leget antecedentis decreta, ut in primis de adimplemento eorum considerent, aut, si opus sit, super iis quidquam ordinare de eo in consilium eant.

Si quid ex his, quae decreta sunt non observabitur, monebit de eo secretarius; at si in aliquâ ex constitutionibus id contigerit, quicumque ex fratribus in consessum venientibus, qui hoc animadverterit, referre id tenebitur, ne relaxationi aut novitati aliquis detur aditus.

Consessus deputatorum ut dicatur, interesse debent Obedientia cum duobus deputatis et secretario sive eius coadiutore; consessus autem antianorum hic

1 Edit. Main. legit *sive* pro *sine* (R. T.).

2 Ed. Main. legit *tollere qui* pro *tollique* (R.T.).

dicetur in quo intervenerint ad minus Obedientia cum secretario, aut secretarii coadiutore, et septem aliis. Consessus antianorum plenus is cui intererunt Obedientia cum secretario aut coadiutore et aliis undecim suffragatoribus. Et in quocumque horum consessuum, si proprius Obedientia aberit, pro tali habebitur, qui loco eius praeerit, suffragiorum numero ceteroquin completo.

Ad principium et finem dictorum consessuum, orationes capituli ultimi recitabuntur.

CAPUT XVII. *De electione Obedientiae ac deputatorum.*

XVII. Quo die fieri debebit in scholâ electio Obedientiae ac deputatorum, habebitur mane congregatio antianorum in oratorio, ad nominandum personas idoneas, quae pro gerendis his officiis proponantur, ex quibus schola electura sit quos aestimaverit magis idoneos.

Proponi debent tres pro officio Obedientiae, singulique duo pro unicuiusque deputati. Qui pro munere Obedientiae proponentur, sacerdotes esse debent, sive seculares, sive regulares, iis meritis, eâque virtute ac doctrinâ praediti, quae dicta iam sunt, et qui ante annum ad minus in eam admissi fuerint. Pro deputatorum ecclesiasticorum similiter sacerdotes seculares aut regulares, et qui Obedientiae locum supplere possint, et minusque[1] octo mensium antiquitatem habentes. Pro deputatorum quoque secularium fratres seculares magnâ vitae probitate ac prudentiâ.

De iis, qui pro Obedientiae munere proponendi sunt, congregati in suffragia ibunt, hoc est, primo loco de eo, qui primo loco proponi debet, calculatisque suffragiis, notoque quis proponendus est, suffragia ferentur simul de duobus reliquis, qui unâ cum priore illo proponendi sunt. Suffragiumque hoc modo dabitur, ut unusquisque in schedulâ ibi propriâ, aut quam e domo suâ portaverit, nomen eius quem elegerit scribat.

Suffragia numerabunt Obedientia et priores duo deputati, alter sacerdos et alter secularis, unâ cum secretario, et qui plura habebunt, hi nominati intelligentur. Si paria sint pro duobus suffragia, iterum fiet suffragatio; et, si adhuc paria erunt, sortes iacientur.

Si ipsi[1], qui pro Obedientiae officio proponantur, remanent et pro deputatorum officio propositi, excepto tamen eo qui actu fuerit deputatus. Quapropter, si tres illi manebunt propositi, suffragia ferentur pro duobus aliis, ad hoc, ut, levato per secretarium eius nomine qui Obedientia eligetur, quatuor pro deputatis remaneant propositi. Si vero duo manebunt propositi, suffragatio pro tribus aliis fiet; at si unus tantum, pro aliis quatuor ad hoc ut, in quocumque istorum casuum, quinque personae scriptae sint. Si unus eorum Obedientia eligetur, secretarius nomen illius auferat, at si nullus eorum eligatur, nomen auferat ultimo loco propositi, atque omnino qui scholae pro officio hoc deputatorum proponentur, quatuor sint.

Pro deputatis secularibus, quatuor eligentur per suffragia, et in casu paritatis suffragiorum tam in his quam in sacerdotibus sortes iacientur.

Secretarius et coadiutor scribent in schedulis tria nomina propositorum pro Obedientiae officio, iuxta numerum fratrum, qui suffragari debent.

Totidem fient eiusdem formae schedulae cum nominibus propositorum pro deputatis, tantisper separatis sacerdotibus (priori quidem loco scribentis[2]) a secularibus. Afferetque secum eas se-

1 Videtur legendum *ad minusque* (R. T.).

1 Forsan legendum *Ii ipsi* (R. T.).

2 Forsan *scribentibus* (R. T.).

cretarius iustae magnitudinis semirectas, hoc est, priores Obedientiae secundum nomina propositorum in tres partes, posterioresque deputatorum in novem partes, ad hoc ut commodius dividere fratres possint a ceteris nominibus, eius, quem elegerint, nomen.

Post meridiem in scholâ, orationis spatio completo, atque uno ex tribus exercitiis facto, proponit Obedientia debere tunc eligi aliquem, qui per quatuor menses sequentes errores suos ac defectus corrigat, fratresque exhortatur, ut in eum oculos coniiciant, qui munus id gesturus sit ad maiorem Dei gloriam, scholaeque utilitatem, unum scilicet ex tribus a congregatione antianorum propositis; nomina eorum referet, iubebitque exire ab oratorio eos, qui ex his adfuerint: secretariusque et eius coadiutor distribuent schedulas fratribus scholae, qui suffragium habebunt, quos omnes numerabunt, et eorum alternas quodam[1] constituet ad pedes Christi Domini crucifixi, in quem[2] suffragia mittentur. Eligit[3] unusquisque eum, quem magis idoneum existimat, ceterorumque nomina frustatim conscindit. Erigit[4] tunc se Obedientia cum duobus primis deputatis, quos consequuntur ceteri singuli terni ex quocumque choro alternatim; factâque genuflexione, oblatisque[5] Christo, Domino nostro, corde et rectâ intentione, mittunt in vas schedulas, redeuntque in sedes suas, venientes non impediendo.

Suffragatione completâ, secretarius vas ad mensam Obedientiae adducit, ubi, numeratis schedulis, totidemque repertis, quot fratres cum suffragandi vice[1] in oratorio sunt, calculantur omnes ab Obedientiâ, deputatis duobus prioribus, ecclesiastico et seculari, et secretario. Qui ex tribus maiorem habebit suffragiorum numerum in Obedientiam electus manet, et in paritate sortes mittuntur. Tunc Obedientia iubet intrare eos, qui exierant, cumque ii loca sua occupaverint, e suo ipse exit, dicensque cum fratribus hymnum *Vexillâ regis prôdeunt*, imaginemque Christi e cruce pendentis parvam in manibus portans, deponit eam in manibus noviter electi, qui tunc primum declaratur, significare volens committi ei et confidi servitium, cultum, reverentiam et imitationem superni huius Domini, ut ea in se[2] operetur, et alios doceat. Comitatur eum usque ad scamnum, hymnum continuans, tuncque locum aliquem sedendi, ubi laxitas sit maior, petit. Novus Obedientia brevi oratione fatetur incapacem se illius muneris esse, et ab omnibus postulat, se ut precibus suis adiuvent impetrare a Domino ut vitam suam in melius transformet, gratiamque conferat, ut vel eorum aliquid, quae ex munere debet, perficere possit. Si electus adfuerit[3], Obedientia electionem publicam facit, continuatque electionem deputatorum, et reliqua exercitia.

Distribuuntur schedulae pro deputatis, suffragatioque fit et calculatio eâdem formâ, manetque deputatus prior in suo ordine is qui plura suffragia sibi favorabilia meruerit, aut in paritate suffragiorum sortis iactum. Exit de loco suo primus deputatus ecclesiasticus, exportatque calvariam, quae in mensâ est, ad

1 Quid sit *alternas quodam* iudicet lector scius; videtur legendum *alter vas quoddam* (R. T.).

2 Potius lege *in quod*, nempe vas (R. T.).

3 Ed. Main. habet *Elegit* (R. T.).

4 Pessime edit. Main. legit *Exigit* (R. T.).

5 Edit. Main. legit *oblatisque* (R. T.).

1 Legendum *voce* (R. T.).

2 Forsan *ipse* pro *in se* legendum (R. T.).

3 Forsan *abfuerit* legendum; ceterum tot fere errores, quot verba (R. T.).

nove[1] electum, in quo admonetur, curae ei debere esse tam propriam ipsius, quam fratrum mortificationem. Reportatis[2] eam ad Obedientiae praedictam mensam, ac suo loco sedet. Eliguntur deinde tres alii deputati, secundusque ecclesiasticus locum suum occupat. Flagellatio demum et cetera quae moris sunt expediuntur.

At, quia cunctis officialibus de novo venientibus, deesse in consessibus deputatorum aliquem bene instructum de causis et rationibus rerum prius decretarum praeiudicium aliquod inferre poterit, congregationi antianorum permittitur reeligere posse eum, quem voluerit, ex quatuor deputatis, qui primus erit in suo ordine. Et quando ita placuerit, reelectio scholae referetur, proponenturque ei sex tantum pro tribus aliis deputatis.

Obedientia iterum eligi ad hoc officium sive ad alterum nequit, nisi elapso quadrimestri; nec deputati denuo eligi ad idem munus possunt, excepto uno, uti dictum est; at vero in Obedientiam quilibet eorum potest eligi.

Fiet electio Obedientiae ac deputatorum modo iam dicto, post singulos quatuor menses, nempe in fine decembris, aprilis et augusti. Prior illa decembris anteponetur, itaut nec in Natalis dominici diebus, nec in vesperis fiat, ad hoc ut exercitia horum dierum omnia sint contemplationis et amoris erga hoc supernum et dulce mysterium, omni aliâ curâ posthabitâ.

CAPUT XVIII. De electione secretarii, nuntiorum atque coadiutorum.

XVIII. Quo die novo Obedientiae placuerit, ante tamen primam ab suâ[3] electione feriam quintam, congregabit deputatos cum secretario antiquo, ut novum alium secretarium et nuntios pro quatuor suis mensibus eligant. Collationeque inter se factâ, super iis, qui magis idonei ad haec munera inter fratres scholae videbuntur, sive ex consensu, sive per suffragia secreta, nominabunt secretarium eiusque coadiutorem, annum ad minus unum antiquitatis habentes, requisitisque illis ante in capite v annotatis gaudentes, duosque nuntios altaris, atque duos coadiutores, qui ecclesiastici sint: duos item nuntios portae, atque duos coadiutores seculares, eius conditionis, quae dicta fuit in capite vi, saltemque octo menses antiquitatis habentes.

CAPUT XIX. De qualitatibus admittendorum ad hanc sanctam scholam, ac de formâ eos recipiendi.

XIX. Attentissime considerandi sunt ii, qui ad hanc sanctam scholam admittendi erunt; siquidem inde conservatio eius, augumentumque aut relaxatio omnino pendet. In qua re id omnibus commendatur, praesertimque Obedientiae et officialibus, ut exactissime inquirant in eius indolem, et animi dotes, qui admitti desiderat, nil propter humanum aliquem respectum dissimulando aut dispensando.

In capite II dictum fuit quibus dotibus praediti esse debent scholae huius fratres, ut[1] in sequentibus qualis eorum professio, exercitia et obligationes. Iuxtaque considerabitur, an is, qui se admitti postulat, iis qualitatibus gaudeat, quas institutum hoc requirit; eâ scilicet animadversione habitâ necessarium non esse quod completus sit fratrum numerus, sicuti necessarium est eorum neminem magnae virtutis et exempli non esse.

Habebunt saltem in aetate viginti quatuor annos, nisi cum aliquo in hoc dispensandi peculiaris aliqua fuerit ratio; in quo concurrere opus erit duas tertias partes suffragiorum in congregatione antianorum; naturali docilitate et probitate ornati esse debent, et qui sese in

1 Videtur legendum *noviter* (R. T.).
2 Videtur legendum *reportat* (R. T.).
3 Edit. Main. legit *suo* pro *suâ* vel *sui* (R. T.).

1 Forsan legendum *et* pro *ut* (R. T.).

oratione, mortificatione, frequentiâque sacramentorum exercuerint; nec tamen religiosi alicuius Ordinis aut professi aut novitii fuerint, exceptis tamen Ordinibus militaribus.

Prima eius, qui ad scholam admitti desiderat, cura erit Obedientiae manifestum facere hoc suum propositum, qui de eo certiores facit deputatos; quibus si haud idoneus fuerit visus, priusquam ulterius procedat, divertent eum quo magis poterunt suaviter ab hoc proposito. At, si nullum ei obesse manifestum impedimentum censebunt, Obedientia probabit eum in aliquot experimentis prudentibus mortificationis et humilitatis; iniungetque deputato cuidam ecclesiastico ut examinet eum, experiatur et instruat; duobusque aliis fratribus, ut vitae eius, atque operum notitiam sumant: *A fructibus eorum cognoscetis eos* (Matth., vii). Quorum singuli secreto nuntiabunt Obedientiae quae compererint. Si quidquam inde erit deductum, quod impedimento sit eius admissioni, divertet eum Obedientia ab hoc proposito; quod si nil tale adductum sit, proponet scholae intentionem eius, intimato, si quidquam scierit aliquis fratrum quo minus ille admitti debeat, secreto ut Obedientiam certiorem faciat, si forte res incerta nuntiabitur, de eâ inquisitio agetur. Quod si[1] impedimentum nullum sit, imponetur ut confessionem generalem faciat, et tamquam moriturus testamentum condat; cuius confessionis exhibebit schedulam a confessore signatam, tuncque permittetur ei semel, aut bis, quando Obedientiae cum consilio deputatorum placuerit, in scholam venire, pallium tamen non deponet. Post haec omnia, si cum humilitate et bono exemplo perseveraverit, de admissione eius antiani in congregatione suâ in suffragia ibunt secreta, praecedente informatione Obedientiae atque illius deputati, qui eum examinaverit et instruxerit. Qui, si approbationem maioris partis meruerit, veniet inde per suffragia secreta totius scholae, si maior pars ipsum probaverit, admittendus.

Proximâ quintâ feriâ, aut si hac non possit, eâ, quae proximam consequetur, receptio hac formâ fiet:

Introducet eum in oratorium unus ex nuntiis portae, statim post semihoram orationis decursam, ingressus se prosternet, dicentque ex genibus, alternis choris, fratres psalmum *Miserere*; deinde ille ter dicet *Sanctissimum Sacramentum laudetur et purissima Conceptio, etc.*, respondentibus fratribus, *Amen.* Tunc interrogabit eum Obedientia ad quid veniat; respondetque: *Ad emendandam vitam meam, discendumque quo modo melius Deo serviam.* Monebit eum brevi sermone de iis quae facere debet, et quantum procurare opus habeat ut affectibus suis moriatur Deoque vivat. Tunc iurat is in manibus Obedientiae defensurum se Immaculatam Deiparae Virginis absque labe originalis peccati Conceptionem, deinde, dum dicitur *Te Deum laudamus*, alternis choris, ut in capite finali, amplexatur Obedientiam et fratres; Obedientiaque ac deputati, unâ cum amplexu, salutare aliquod ei consilium auribus instillabunt. Omittitur unum ex tribus exercitiis, ne excedant praescriptum tempus, duoque tantum fiunt, et cetera quae moris est facere. Eodem scholae die poterit fieri electio duorum, aut plurium, seorsim tamen; at receptio eorum simul fiet.

Regulares maioris vitae probitatis et melioris exempli, qui desideraverint in scholae fratres recipi, uti hodie sunt cum

1 Particula *si* nos addimus (R. T.).

generali aedificatione praelati quidem[1] et religiosi diversorum Ordinum, admittentur ad fratrum numerum, insuper habitis, propter[2] notorietatem virtutis, mortificationis et maioris perfectionis religiosi status, iis quae diximus examini et probationi subiicienda. Proponet Obedientia in antianorum congregatione eum qui admitti in votis habet, manebitque admissus, si pro se maiorem partem suffragiorum habuerit, idque notum scholae fiet.

Cum hic recipitur, statim atque introductus sit, se prosternet, dictoque per fratres *Miserere mei Deus*, et per eum ter *Laudetur Sanctissimum Sacramentum et purissima Conceptio, etc.*, ut supra, Obedientia et[3] dicet sperare in Deum illi gratiam concessurum ad hoc ut cum animae suae magno profectu exemplum fratribus in viâ sit perfectionis, respondebitque, *Amen;* iuratque Conceptionem, ut supra. Dicetur *Te Deum, etc.*, amplexabiturque Obedientia et fratres.

Cum ultra numerum nullus, sed in locum alterius vacantem recipiendus sit, contingere poterit competitores unius loci duos esse, aut plures, super quibus omnibus supradicta examina facta sint; in quo casu congregatio antianorum secretis suffragiis super approbatione eorum omnium resolvet, et quisnam ex iis tunc scholae proponendus sit; et quidem is proponetur, cui maior suffragiorum pars, aut in pari numero sortes favebunt. Quandoque vero iam approbati duo aut plures erunt, etiamsi eorum aliquis prior ceteris tempore approbationem meruerit, in suffragia ibunt fratres super eo qui ad locum vacantem proponi debet. Tuncque, si de aliquo examen factum erit, super approbatione eius suffragatio habebitur, concurretque cum aliis olim approbatis, ut ex omnibus deligatur is qui proponi debet.

Cum fratrum aliquis proficiscetur sine animo redeundi, locus eius vacans implebitur, et si redierit, denuo ad omnia admittetur, locusque primo vacaturus ei destinabitur, ne fratrum numerus ultra praescriptum sit.

CAPUT XX. De causis et formâ exclusionis ab scholâ.

XX. Sero et cum ingenti dolore ad hoc ultimum devenietur remedium excludendi ab scholâ eos qui suavioribus aliis corrigi non potuerint. Aliquando tamen contingit quod charitas bene ordinata, totum ut conservet, expellit partem: *Si oculus tuus scandalizat te, eiice eum* (MATTH., IX).

Si qui delictum aliquod gravis scandali commiserit, expelletur ab[4] scholâ et cancellabitur admissio eius in libro fratrum. Quae expulsio ita fiet: congregatio antianorum per suffragia secreta id expediet: necessariumque erit pro expulsione esse duas ex tribus partibus suffragiorum: Obedientia inde eam notam faciet scholae. At, quia de re tam gravi consultatio est, cum magnâ deliberatione et maturitate hoc negotium tractabitur, id quod factum fuerit examinando, itemque circumstantias quae culpam augere vel minuere possint: siquidem ex iis licitum quandoque, aut non tam grave est, quod aliàs peccatum esset gravissimum. Et in re ambiguâ potius excusare quam condemnare fratrem debebunt. Dum pendet examen rei et resolutio, Obedientia faciet moneri eum scholâ ut abstineat usque dum facultas veniendi detur.

In aliis causis non sic gravibus, quae tamen discipulorum huius scholae professioni male conveniunt, eamque dedecorant, Obedientia ex consilio deputatorum

1 Forsan *quidam* pro *quidem* legend. (R.T.).
2 Videtur legend. *praeter* non *propter* (R.T.).
3 Videtur legendum *ei* pro *et* (R. T.).

4 Edit. Main. legit *ad* pro *ab* (R. T.).

admnonebit eum fratrem, qui vel debito suo non responderit, vel indebitum quidquam fecerit, semel, bis, tertioque: quo se non emendante aut ex aequo satisfaciente, proponet id congregationi antianorum, quorum prudentiae committitur ut aestiment qualis sit defectus, sive excessus, qui ei imputatur, duritiesque etiam commonefacti in malo perseverandi, praescribentque ea quae cum eo ultra facienda erant. Quae si nullo cum fructu emendationis exequutioni mandata erunt, exclusio uti supra decernetur. Eâque duarum ex tribus partibus munitâ suffragiis, congregatio ex circumstantiis negotii censebit, an publicanda sit in schedulâ[1], an, evitandi scandali causâ, quasi de re factâ non ultra tractandum. Omninoque id fiet, quod ea censebit.

CAPUT XXI. De communicatione cum aliis scholis.

XXI. Haec sancta schola poterit fraternitatem cum aliis eiusdem instituti contrahere, communicareque cum iis fructus et suffragia, de quo tamen attente admodum et mature consultabitur.

Fratres scholarum, cum quibus fraternitas contrahetur, si Obedentiae et deputatis se tales esse documentis idoneis ostenderint, in hac admittentur cum verâ charitate ad omnia eius exercitia, deponent pallia, exercebuntque et exercebuntur, ac ceteris mortificationibus subiicientur, profectusque earum[2], ita uti nostrae scholae fratrum, cura habebitur. Nusquam tamen sive activâ sive passivâ, ut aiunt, voce gaudebunt. Quod si ob numerum, vel alias causas, impedimentum seu inconveniens nascetur scholae, quid tunc fieri debeat congregatio antianorum decernet. Ad quae[2] ipsum in aliis illis scholis cum nostrae fratribus fiet.

1 Forsan *scholâ* pro *schedulâ* (R. T.).
2 Videtur legendum *eorum* pro *earum* (R. T.).
3 Legerem *Atque* pro *Ad quae* (R. T.).

Si casus aliquis gravis postulaverit, litterae ad ipsas dabuntur, litterisque earum respondebitur.

Fraternitas haec per suffragia secreta conferetur et resolvetur in plenâ congregatione antianorum, quae si a duobus partibus suffragiorum approbabitur, tunc scholae proponetur secreto iterum ibi discutienda; cui, si fuerint duae ex tribus partibus suffragiorum, admissa intelligetur.

CAPUT XXII. De facultate augendi his constitutionibus, et eas moderandi, aut variandi.

XXII. Quoniam contingere possunt casus aliqui, de quibus in his constitutionibus non sit provisum, aut experientia docere potest oportere quidquam in provisis quoque variare, scholae reservatur facultas adiungendi, reformandi, corrigendi et variandi ea quae his continentur; ita tamen ut omnino tractari ante alia debeat in congregatione Obedientiae ac deputatorum, an expediat congregationi antianorum id proponere. Quod si expedire visum sit, proponetur eis, et in congregatione plenâ tractabitur; nec tamen in eâ resolvetur, sed, ut deliberate magis et attente id fiat, ad aliam similiter plenam remittetur. In qua hoc per suffragia exquiretur secreta, an scilicet variatio expediat; concurrentibusque pro convenientiâ ex trinis duabus suffragiorum partibus, proponetur scholae, quae non aliter mutationem decrevisse videbitur, quam duobus similiter ex tribus partibus id volentibus. Quod si quidquam sit ad substantiam instituti pertinens, non sine Ordinarii licentiâ et approbatione fiet. Requisitis vero his aut eorum aliquo deficiente, nihil mutari poterit; si res enim valde perspicua erit, nemo non eam agnoscat; si ambigua, mutare aliquid ex constitutionibus opus non erit. Dubia autem super sententiâ seu observantiâ earum solvere, ad congregationem antianorum spectabit.

CAPUT XXIII. De orationibus quae in scholâ dicuntur.

XXIII. Orationes quae in schola dicuntur.

Principio scholae.

Obedientia. *Laudetur Sanctissimum Sacramentum.*

Fratres. *Amen.*

Ob. *Et purissima Conceptio Dominae Nostrae sine labe peccati originalis.*

Fr. *Amen.*

Ob. *Adiutorium nostrum in nomine Domini,*

Fr. *Qui fecit caelum et terram.*

Ad aspersorium.

Ob. *Asperges me,*

Fr. *Domine, hyssopo, et mundabor, lavabis me, et super nivem dealbabor.*

Ob. *Miserere*[1] *mei, Deus, secundum magnam misericordiam tuam,*

Fr. *Et secundum multitudinem miserationum tuarum, dele inquitatem meam.*

Ob. *Gloria Patri, etc.*

Fr. *Sicut erat, etc.*

Ob. *Asperges me,*

Fr. *Domine, hyssopo, etc.*

Ob. *Pater noster*, secreto. *Et ne nos inducas in tentationem,*

Fr. *Sed libera nos a malo.*

Ob. *Salvos fac servos tuos,*

Fr. *Deus meus, sperantes in te.*

Ob. *Mitte nobis, Domine, auxilium de sancto,*

Fr. *Et de Sion tuere nos.*

Ob. *Esto nobis, Domine, turris fortitudinis*

Fr. *A facie inimici.*

Ob. *Nihil proficiat inimicus in nobis,*

Fr. *Et filius iniquitatis non apponat nocere nobis.*

Ob. *Confiteor, etc.*

Fr. *Misereatur tui, etc.*

Ob. *Amen.*

Fr. *Confiteor Deo, etc.*

Ob. *Misereatur vestri, etc.*

Fr. *Amen.*

Ob. *Indulgentiam, absolutionem, etc.*

Fr. *Amen.*

Ob. *Domine, exaudi orationem meam.*

Fr. *Et clamor meus ad te veniat.*

Ob. *Dominus vobiscum.*

Fr. *Et cum spiritu tuo.*

Ob. Oremus.

Deus, cui proprium est miserere semper et parcere, suscipe deprecationem nostram, ut nos et omnes famulos tuos, quos delictorum catena costringit, miseratio tuae pietatis clementer absolvat. Per Christum Dominum nostrum.

Fr. *Amen.*

Ob. *Veni, Creator Spiritus,*
Mentes tuorum visita, etc.

Ob. *Emitte Spiritum tuum et creabuntur,*

Fr. *Et renovabis faciem terrae.*

Ob. *Memento Congregationis tuae,*

Fr. *Quam possedisti ab initio.*

Ob. Oremus.

Deus, cui omne cor patet, et omnis voluntas loquitur, et cui nullum latet secretum, purifica per infusionem Sancti Spiritus cogitationes cordis nostri, ut te perfecte diligere et digne laudare mereamur.

Actiones nostras, quaesumus, Domine, aspirando praeveni et adiuvando prosequere, ut cuncta nostra oratio et operatio a te semper incipiat, et per te coepta finiatur.

Deus, qui beatum Philippum confessorem tuum sanctorum tuorum gloriâ sublimasti, concede propitius, ut cuius solemnitate laetamur, eius virtutum proficiamus exemplo. Per Dominum nostrum, etc.

Fr. *Amen,*

Ob. *Divinum auxilium maneat semper nobiscum.* Fr. *Amen.*

Post orationem.

Ob. *Sub tuum praesidium*

Fr. *Confugimus, sancta Dei Genitrix, etc.*

1 Edit. Main. legit *Misereatur* (R. T.).

Ob. *Domina nostra, auxiliatrix nostra, tuo Filio nos concilia, tuo Filio nos commenda, tuo Filio nos repraesenta. Mater admirabilis, consolatrix afflictorum, regina sanctorum omnium, ora pro nobis,*

Fr. *Ut digni efficiamur, etc.*

Ob. Oremus.

Defende, quaesumus Domine, beata Maria semper Virgine intercedente, istam ab omni adversitate familiam, et toto corde tibi prostratam ab hostium propitius tuere clementer insidiis. Per Christum Dominum nostrum.

Fr. *Amen.*

Litaniae B. M. V.

Kyrie eleison, Christe eleison, etc.

Ob. *Ora pro nobis, sancta Dei Genitrix,*

Fr. *Ut digni efficiamur promissionibus Christi.*

Ob. Oremus.

Gratiam tuam, quaesumus Domine, mentibus nostris infunde, ut qui Angelo nunciante Christi Filii tui incarnationem cognovimus, per Passionem eius et Crucem ad Resurrectionis gloriam perducamur. Per eumdem Christum, etc.

Fr. *Amen.*

Ante flagellationem.

Ob. *Passio Domini nostri Iesu Christi sit semper in cordibus nostris.*

Fr. *Amen.*

Ob. *Recordemini, fratres carissimi, quod Dominus noster Iesus Christus fuit pro nobis venditus, osculo traditus, ad Annam primum, deinde ad Caïpham pontificem ductus, et postremo in praetorium ad Pilatum, ubi fuit ad columnam ligatus et flagellatus, spineâ coronatus, ac veste purpureâ circumdatus, alapis percussus, atque consputus, et Iudaeis traditus ut crucifigeretur, ad Calvariae locum deductus et crucifixus, et cum eo crucifixi sunt latrones duo, unus a dextris et alter a sinistris, et, cum dixisset,* Sitio, *porrexerunt ei acetum, quod cum accepisset, dixit:* Consumatum est, *et inclinato capite, emisit spiritum. Deinde unus militum lanceâ latus eius aperuit, et continuo exivit sanguis et aqua, et de cruce depositus fuit, in monumento novo sepultus, tertiâ autem die resurrexit a mortuis. Tu autem, Domine, miserere nobis.*

Fr. *Deo gratias.*

Ob. *Fratres, servite Domino in timore, et exultate ei cum tremore. Apprehendite disciplinam* (hic incipit flagellatio) *ne*[1] *quando irascatur Dominus*[2]*, et pereatis de viâ iustâ.*

Ob. *Miserere mei Deus, etc.*

Fr. *Et secundum multitudinem, etc.* (dicitur integer psalmus).

Ob. *Gloria Patri, etc.*

Fr. *Sicut erat, etc.*

Ob. *De profundis clamavi, etc.*

Fr. *Fiant aures tuae intendentes, etc.* (dicitur integer psalmus).

Ob. *Requiem aeternam dona eis Domine,*

Fr. *Et lux perpetua luceat eis.*

Ob. *A porta inferi*

Fr. *Erue, Domine, animas eorum.*

Ob. *Requiescant in pace.*

Fr. *Amen.*

Ob. *Dominus vobiscum.*

Fr. *Et cum spiritu tuo.*

Ob. Oremus.

Deus, qui culpâ offenderis, poenitentiâ placaris, preces populi tui supplicantis propitius respice, et flagella tuae iracundiae, quae pro peccatis nostris meremur, averte.

Fidelium omnium conditor et redemptor, animabus famulorum, famularumque tuarum remissionem cunctorum tribue peccatorum, ut indul-

1 Ed. Main. legit *nec* pro *ne* (R. T.).

2 Ed. Main. legit *minus* pro *Dominus* (R. T.).

gentiam, quam semper optaverunt, piis supplicationibus consequantur. Qui vivis, etc.

Fr. *Amen.*

Ob. *Domine, Iesu Christe, etc.*

Ad finem signum facit, et dum se componunt, iniungit eis, ut dicant semel *Pater noster* et *Ave Maria* pro S. M. E., fidei exaltatione, pro Summo Pontifice, et cardinalibus, praelatisque eiusdem Ecclesiae. Alterum *Pater noster*, *Ave Maria*, pro rege et regiâ domo. Alterum pro augumento congregationis. Alterum pro fratribus infirmis et absentibus. Alterum pro iis, qui sunt in peccato mortali. Deinde dicit: *Nunc dimittis, etc.* Cumque pervenit ad versum: *Lumen ad revelationem, etc.*, lux intromittitur. Dicto *Nunc dimittis.*

Ob. *Benedicamus Patrem et Filium cum Sancto Spiritu.*

Fr. *Laudemus et superexaltemus eum in secula.*

Ob. Oremus.

Deus, cuius misericordiae non est numerus, et bonitatis infinitus est thesaurus, piissimae maiestati tuae pro collatis donis gratias agimus, tuam semper clementiam exorantes, ut qui petentibus postulata concedis, eosdem non deseras, sed ad praemia futura disponas. Per Christum Dominum, etc.

Fr. *Amen.*

Ob. *Fratres, emendemus in melius quae ignoranter peccavimus, ne subito praeoccupati die mortis quaeramus spatium poenitentiae, et invenire non possimus.*

Ad adorationem Crucifixi in tribus genuflexionibus.

Ob. *Adoramus te, Christe, et benedicimus tibi, quia per sanctam Crucem et Passionem tuam redemisti mundum, miserere nostri.*

Id fratres ter repetunt.

Ob. Oremus.

Respice, quaesumus, Domine, super hanc familiam tuam, pro qua dominus noster Iesus Christus non dubitavit manibus tradi nocentium, et crucis subire tormentum. Qui tecum, etc.

Fr. *Amen.*

Ad Virginem Deiparam in tribus genuflexionibus.

Ob. *Ave, filia Dei Patris.*
Ave, Mater Dei Filii.
Ave, Sponsa Spiritus Sancti.
Ave, Templum Sanctissimae Trinitatis.

Repetunt id fratres.

Ob. *Dignare me, laudare te, Virgo sacrata,*

Fr. *Da mihi virtutem contra hostes tuos.*

Ob. Oremus.

Famulis tuis, quaesumus, Domine, caelestis gratiae munus impertire, ut quibus beatae Virginis partus extitit salutis exordium, Conceptionis eius votiva solemnitas pacis tribuat incrementum. Per Dominum, etc.

Fr. *Amen.*

Obedientia legit meditationem dominicae subsequentis, et fratres ter dicunt iaculatoriam, cadentes in faciem suam.

Duo Nuncii altaris distribuunt meditationes, et in fine ait Obedientia:

Ob. *Procedamus in pace,*

Fr. *In nomine Domini.*

Ad adorationem crucis in maiori hebdomadâ.

Vexilla regis prodeunt,
Fulget crucis mysterium,
Qua vita mortem pertulit,
Et vita mortem protulit.
Quae vulnerata lanceae
Mucrone diro criminum,
Ut nos lavaret sordibus
Manavit unda et sanguine.
Impleta sunt quae concinit
David fideli carmine

Dicendo nationibus
Regnavit a ligno Deus.
Arbor decora et fulgida,
Ornata regis purpura,
Electa digno stipite
Tam sancta membra tangere.
Beata cuius brachiis
Pretium pependit seculi,
Statera facta corporis,
Tulitque praedam tartari.
O Crux, ave spes unica,
In hac triumphi gloriâ,
Piis adauge gratiam
Reisque dele crimina.
Te, fons salutis Trinitas,
Collaudet omnis spiritus:
Quibus crucis victoriam
Largiris, adde praemium.

Fr. *Amen.*

Ob. *Adoramus te, Christe, etc.*

Fr. *Quia per sanctam Crucem tuam, etc.*

Ob. Oremus.

Respice, quaesumus, Domine, etc.

Fr. *Amen.*

Ad adorationem in Inventione Crucis.

Ob. *Vexilla regis prodeunt,*
Fulget crucis mysterium, ut supra.

Ob. *Hoc signum crucis erit in caelo, alleluia.*

Fr. *Cum Dominus ad iudicandum venerit, alleluia.*

Ob. Oremus.

Deus, qui, in praeclarâ salutiferae crucis inventione, Passionis tuae miracula suscitasti, concede ut vitalis ligni pretio aeternae vitae suffragia consequamur. Qui vivis et regnas, etc.

Fr. *Amen.*

Ad finem adorationis in praesepio.

Ob. *Hodie Christus natus est,*

Fr. *Hodie Salvator apparuit, hodie in terra canunt Angeli, laetantur archangeli, hodie exultant iusti, dicentes: Gloria in excelsis Deo, alleluia.*

Ob. *Verbum caro factum est, alleluia.*

Fr. *Et habitavit in nobis, alleluia.*

Ob. Oremus.

Concede, quaesumus, omnipotens Deus, ut nos Unigeniti tui nova per carnem Nativitas liberet, quos sub peccati iugo vetusta servitus tenet. Per Christum Dominum nostrum.

Fr. *Amen.*

Ad finem adorationis Regum.

Ob. *Videntes stellam Magi*

Fr. *Gavisi sunt gaudio magno, et intrantes domum, obtulerunt Domino aurum, thus et myrrham, alleluia.*

Ob. *Reges Tharsis et insulae munera offerent,*

Fr. *Reges Arabum et Saba dona adducent.*

Ob. Oremus.

Deus, qui hodiernâ die Unigenitum tuum gentibus stellâ duce revelasti, concede propitius, ut qui iam te ex fide cognovimus, usque ad contemplandam speciem tuae celsitudinis perducamur. Per eumdem Dominum nostrum, etc.

In receptione fratrum.

Dicitur *Miserere* alternis choris: *Miserere mei Deus, etc.*

Gloria Patri, etc.

Novitius ter dicet.

Nov. *Laudetur Sanctissimum sacramentum et purissima Conceptio, etc.*

Fr. *Amen.*

Ob. *Frater, ad quid venisti ad hanc scholam?*

Nov. *Ad emendandam vitam meam et discendum melius Deo servire.*

Obedientia dicet ei unum aut alterum verbum, iuratque ille in eius manibus se Conceptionem defensurum Deiparae Virginis.

Alternis choris dicitur *Te Deum*, et interim amplexatur Obedientiam et de-

putatos, qui eum sancto aliquo consilio instruent.

Te Deum laudamus, etc.

Ob. *Benedicamus Patrem et Filium cum Sancto Spiritu.*

Fr. *Laudemus et superexaltemus eum in secula.*

Ob. *Dominus vobiscum.*

Fr. *Et cum spiritu tuo.*

Ob. Oremus.

Exaudi, quaesumus, Domine, supplicum preces, et devoto tibi pectore famulantes perpetuâ defensione custodi, ut, nullis perturbationibus impediti, liberam servitutem tuis semper exhibeamus officiis. Per Christum, etc.

In diebus communionis.

Principio.

Ob. *Veni, Sancte Spiritus, reple tuorum corda fidelium,*

Fr. *Et tui amoris in eis ignem accende.*

Ob. *Dominus vobiscum.*

Fr. *Et cum spiritu tuo.*

Ob. Oremus.

Actiones nostras, quaesumus, Domine, etc.

Fr. *Amen.*

Ad finem.

Ob. *O sacrum convivium,*

Fr. *In quo Christus sumitur, recolitur memoria passionis eius.*

Ob. *Cibavit illos ex adipe frumenti,*

Fr. *Et de petrâ melle saturavit eos.*

Ob. *Dominus vobiscum.*

Fr. *Et cum spiritu tuo.*

Ob. Oremus.

Exaudi preces familiae tuae, omnipotens Deus, et praesta, ut sancta haec, quae assumpsimus, incorrupta in nobis te donante serventur. Per Christum Dominum nostrum.

Fr. *Amen.*

Die Corporis Christi.

Principio.

Ob. *Veni, Sancte Spiritus,* ut supra.

In expositione Sanctissimi Sacramenti.

Ob. *Pange, lingua, gloriosi*
Corporis mysterium,
Sanguinisque pretiosi,
Quem in mundi pretium,
Fructus ventris generosi,
Rex effudit gentium.
Nobis datus, nobis natus
Ex intactâ Virgine,
Et in mundo conversatus,
Sparso verbi semine,
Sui moras incolatus
Miro clausit ordine.
In supremae nocte coenae
Recumbens cum fratribus,
Observatâ lege plene
Cibis in legalibus,
Cibum turbae duodenae
Se dat suis manibus.
Verbum caro panem verum
Verbo carnem efficit,
Fitque sanguis Christi merum,
Et si sensus deficit,
Ad firmandum cor sincerum
Sola fides sufficit.
Tantum ergo Sacramentum
Veneremúr cernui,
Et antiquum documentum
Novo cedat ritui,
Praestet fides supplementum
Sensuum defectui.
Genitori, Genitoque
Laus et iubilatio;
Salus, honor, virtus quoque
Sit et benedictio;
Procedenti ab utroque
Compar sit laudatio. Amen.

Ob. *Panem de caelo praestitisti eis, alleluia.*

Fr. *Omne delectamentum in se habentem, alleluia.*

Ob. Oremus.

Deus, qui nobis sub sacramento mirabili Passionis tuae memoriam reliquisti, tribue, quaesumus, ita nos Cor-

poris et Sanguinis tui sacra mysteria venerari ut Redemptionis tuae fructum in nobis iugiter sentiamus. Qui vivis, etc.

Fr. *Amen.*

In missâ pro defuncto.

Principio.

Ob. *Veni Sancte Spiritus, etc.*, ut supra.

In fine missae.

Ob. *Oremus pro fidelibus, etc.*

Fr. *Requiem aeternam, etc.*

Ob. *Requiescant in pace.*

Fr. *Amen.*

Ob. *Absolve, quaesumus, Domine, animam famuli tui N., ut defunctus seculo tibi vivat, et quae per fragilitatem carnis humanâ conversatione commisit, tu veniâ misericordissimae pietatis absterge.*

Deus, veniae largitor et humanae salutis amator, quaesumus clementiam tuam, ut nostrae congregationis fratres, propinquos et benefactores, qui ex hoc seculo transierunt, beata Maria semper Virgine intercedente cum omnibus Sanctis tuis ad perpetuae beatitudinis consortium pervenire concedas. Qui vivis, etc.

In diebus exercitiorum mortis.

Principio.

Ob. *Veni, Sancte Spiritus, reple tuorum corda fidelium.*

Fr. *Et tui amoris in eis ignem accende.*

Ob. *Dominus vobiscum.*

Fr. *Et cum Spiritu tuo.*

Ob. Oremus.

Acti nes nostras, etc.

Fr. *Amen*, ut supra.

Ad finem.

Ob. *Benedicamus Patrem, etc.*

Fr. *Laudemus, etc.*

Ob. *Dominus vobiscum.*

Fr. *Et cum spiritu tuo.*

Ob. Oremus.

Deus, cuius misericordiae non est numerus, etc.

In principio congregationum.

Ob. *Veni, Sancte Spiritus, etc.*, ut supra.

Ob. Oremus.

Mentes nostras, quaesumus, Domine, lumine tuae claritatis illustra, ut videre possimus quae agenda sunt, et quae recta sunt agere valeamus. Per Christum, etc.

Fr. *Amen.*

In fine.

Ob. *Confirma hoc, Deus,*

Fr. *Quod operatus es in nobis.*

Ob. *Dominus vobiscum.*

Fr. *Et cum spiritu tuo.*

Ob. Oremus.

Praesta, quaesumus, Domine, auxilium gratiae tuae, ut quae te auctore facienda cognovimus, te adiuvante eadem impleamus. Per Christum Dominum nostrum.

Fr. *Amen.*

Ob. *Fidelium animae, etc.*

Fr. *Amen.*

Finis.

Pontifex confirmat ut in rubricâ.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, dicti exponentes constitutiones praedictas, quo firmius subsistant et serventur exactius, apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri, aliisque confraternitatibus[1], sub eodem instituto et nomine Scholae Christi erectis seu erigendis, appellatione, ut infra, a nobis indulgeri summopere desiderent; nos, piis eorumdem exponentium votis, quantum nobis ex alto conceditur, favorabiliter annuere volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homi-

1 Ed. Main. legit *confraternitatis*; sed fortem syntaxis defectiva et implexa (R. T.).

ne, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, praeinsertas constitutiones in congregatione venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositâ de mandato nostro examinatas et approbatione et confirmatione apostolicâ dignas iudicatas, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, approbamus et confirmamus pro congregationibus seu confraternitatibus sub nomine Scholae Christi et sub earumdem constitutionum observantiâ, tam hucusque erectis quam in posterum erigendis in universis regnis et dominiis Hispaniarum, ac etiam in almâ Urbe nostrâ; et huiusmodi congregationes seu confraternitates de indulgentiis concessis praedictae congregationi seu confraternitati Madritensi eiusdem nominis partecipare indulgemus.

Decretum irritans. § 3. Decernentes omnes et singulas constitutiones praeinsertas ac praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, plenissime suffragari, et ab illis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum. § 4. Non obstantibus nostrâ et cancellariae apostolicae regulâ de non concedendis indulgentiis ad instar, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides. § 5. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii pubblici subscriptis, et sigillo alicuius personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique locorum et gentium adhibeatur, quae ipsismet praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die x aprilis MDCLXV, pontificatus nostri anno x [1].

Dat. die 10 aprilis 1665, pontif. anno x.

DVII.

Commissio nuncio Poloniae super convocatione novi capituli monachorum Ruthenorum Ordinis sancti Basilii magni cum opportunis facultatibus [2].

Dilecto filio, nostro et Apostolicae Sedis apud carissimum in Christo filium nostrum Ioannem Casimirum Poloniae et Sveciae regem illustrem nuncio,

Alexander Papa VII.

Dilecte fili,
salutem et apostolicam benedictionem.

Exordium. Sollicitudo pastoralis officii, quo catholicae Ecclesiae regimini divinâ dispositione praesidemus, nos admonet, ut exortas inter quoscumque christifideles, et praesertim illos qui a fluctibus seculi in religiosae vitae portum confugerunt, dissensiones opportunis remediis tollere, et pacem, sine qua non bene colitur pacis Auctor, reducere et stabilire satagamus, sicut, maturâ consulta-

1 Ab electione XI (R. T.).
2 Ex Regest. in Secret. Brevium.

tione adhibitâ, conspicimus in Domino salubriter expedire.

Motiva. § 1. Cum itaque, sicut accepimus, christifideles Rutheni, cum sanctâ Romanâ Ecclesiâ uniti, variis dissidiis agitentur, et eiusmodi dissensionibus praecipue causam dederit celebratio duorum capitulorum, in quorum uno venerabilis frater archiepiscopus Polocensis cum adhaerentiâ quorumdam paucorum suorum sequacium se in abbatem sive superiorem generalem monachorum Ruthenorum Ordinis S. Basilii Magni ad sui vitam eligi[1] curaverat, in altero vero reliqui monachi Rutheni venerabilem etiam fratrem episcopum Chelmensem in eorum abbatem sive superiorem generalem elegerant; memoratus autem episcopus Chelmensis apud congregationem venerabilium fratrum nostrorum eiusdem S. R. E. cardinalium negotiis propagandae fidei praepositorum pluries insteterit ut primodictum capitulum nullum declaretur, quippe quod legitimum esse non poterat propter defectum auctoritatis qua dictus archiepiscopus caruisse reperiebatur:

Committit nuncio ut novum capitulum convocet. Hinc est quod nos, eiusmodi dissidiis et dissensionibus remedium quantum nobis ex alto conceditur adhibere, utque monachi praefati solliciti servent unionem spiritus in vinculo pacis providere cupientes, ac de tuâ fide, prudentiâ, charitate, integritate et religionis zelo plurimum in Domino confisi, de praefatorum cardinalium consilio, discretioni tuae per praesentes committimus et mandamus, ut, minime attentis dictis duobus capitulis, novum capitulum dictorum monachorum Ruthenorum auctoritate nostrâ apostolicâ convoces et canonice congregari cures, illique eâdem auctoritate praesideas, ac sedulo procures ut in eodem novo capitulo electio abbatis seu superioris generalis monachorum praefatorum de personâ alicuius monachi expresse professi dicti Ordinis, qui utrique partium quantum fieri poterit minus suspectus, iisque moribus, discretione, prudentiâ, charitate, ac pacis et religionis zelo praeditus sit, ut ad reconciliandos animos, concordiamque quantum divina bonitas dederit restituendam et constabiliendam aptus habeatur, fiat; nos enim te novi capituli huiusmodi nostro et Apostolicae Sedis nomine praesidentem, cum auctoritate, facultatibus, iurisdictione, honoribus et oneribus similibus praesidentibus et aliis solitis et consuetis, dictâ auctoritate harum serie facimus, constituimus et deputamus, tibique quascumque necessarias et opportunas ad praemissa facultates tribuimus et impertimur; salvâ tamen semper in praemissis auctoritate congregationis praefatorum cardinalium.

Ceterum te in Domino hortamur et monemus ut novum capitulum huiusmodi fideliter regere, ac in illo omnia, quae ad prosperum dictorum monachorum Ruthenorum regimen et gubernium pertinent, decerni, statui et ordinari cures et facias.

Cum omnimodâ facultate etiam puniendi inobedientes. § 3. Mandantes propterea in virtute sanctae obedientiae dilectis filiis eorumdem monachorum superioribus quocumque nomine nuncupatis, ceterisque monachis, et specialiter vocalibus in praefato novo capitulo congregandis, aliisque ad quos pertinet, ut te eiusdem capituli nostro et dictae Sedis nomine praesidentem reverenter suscipiant, tibique in praemissis pareant, obediant et assistant, ac tua salubria monita et mandata humiliter suscipiant et efficaciter adimplere procurent, alioquin sententiam sive poenam, quam rite tuleris seu statueris in re-

1 Ed. Main. legit *elegi* (R. T.).

belles, ratam habebimus et faciemus auctore Domino usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari.

Derogat contrariis. § 4. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon, quatenus opus sit, dicti Ordinis, et aliis quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum in Arce Gandulphi, Albanensis dioecesis, sub annulo Piscatoris, die XXX maii MDCLXV, pontificatus nostri anno XI.

Dat. die 30 maii 1665, pontif. anno XI.

DVIII.

Ut Breve super confirmatione quorumdam decretorum provinciae S. Ivonis tertii Ordinis sancti Francisci congregationis Gallicanae servetur in provinciâ S. Ludovici Ordinis huiusmodi [1].

Alexander Papa VII,
ad futuram rei memoriam.

Expositio. § 1. Exponi nobis nuper fecit dilectus filius Claudius Salivensis, frater expresse professus ac in Romanâ curiâ procurator provinciae S. Ludovici congregationis Galliae fratrum tertii Ordinis sancti Francisci, quod ad avertenda [2] gravia inconvenientia, quibus in casibus occurrentibus per statuta generalia Ordinis huiusmodi a Sede Apostolicâ approbata, praesertim adveniente morte ministri provincialis, ac morte pariter seu vacatione definitoris cuiuslibet, sufficienter provisum non est, in ultimo capitulo provinciali provinciae praefatae unanimi consensu omnium vocalium decretum fuit sub nostro et dictae Sedis beneplacito in provinciâ S. Ludovici huiusmodi in posterum observanda fore nonnulla decreta antehac pro provinciâ S. Ivonis dicti tertii Ordinis facta et a nobis per quasdam nostras in simili formâ Brevis die XXVI februarii MDCLX expeditas litteras confirmata, tenoris qui sequitur, videlicet:

Decretum pro provinciâ S. Ivonis statutum. § 2. « Quod si provincialem ministrum in officio mori contigerit, guardianus loci, ubi obierit, et secretarius defuncti scripturas quascumque ad provinciam et negotia quovis modo spectantes, nihil omnino legendo, minoribus provinciae et loci sigillis bene munitas, ad provincialem novissime absolutum, vel, eo deficiente, ad antiquiorem in religione patrem, qui praelatus vel provinciae vicariatus, vel, utriusque defectu, qui definitoriatus officio functus fuerit, unâ cum sigillis provinciae deferant et assignent; praedicta vero ubi provincialis absolutus aut unus ex supradictis iuxta praescriptum ordinem acceperit, is absque morâ, convocato definitorio, faciet vicarii provincialis electionem, in qua votum activum ipse, cum aliis, qui munus provincialatus et vicariatus provincialis munus egerint, definitoribus tam actualibus quam qui olim fuere, habebit; passivum vero omnes, quos ad provincialatum habere statuta decernunt: quod si minister generalis intra tres dies consistat, consulendus est, et eius responsio expectanda; si tamen longius absit, eo inconsulto fiat

1 Ex Regest. in Secret. Brev.
2 Edit. Main. legit *evertenda* (R. T.).

electio. In capitulo autem provinciali proxime sequenti, si biennio integro, seu in duobus definitoriis consecutivis, provinciae vicariatu functus fuerit, ad provincialatum minime assumi valeat, sed toto triennio consequenti exprovincialatus iure gaudeat. Si quis definitor actualis moriatur, sive aliâ ratione vacaverit, eius loco subrogetur, et pro subrogato habeatur ipso facto, qui antiquior in religione provincialatus vel vicariatus provincialis, et, iis deficientibus, definitoriatus munere aliàs functus est; si vero tales defuerint, subrogentur guardiani actuales in religione antiquiores; subrogatus autem ultimum locum in consessu habeat inter reliquos definitores, et in capitulo provinciali proxime sequenti ad huiusmodi definitoriatus munus assumi minime valeat, si biennio integro in eo munere extiterit, seu duobus definitoriis adfuerit ».

Ut Breve expeditum pro provinciâ S. Ivonis servetur in provinciâ S. Ludovici Pontifex mandat.

§ 3. Quare dictus Claudius nobis humiliter supplicari fecit ut in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolicâ dignaremur. Nos igitur, ipsum Claudium specialis favore gratiae prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, necnon dictarum litterarum nostrarum tenorem praesentibus pro plene et sufficienter expresso et inserto habentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositorum consilio, attentis narratis, ac audito per eosdem cardinales venerabili etiam fratre nostro Francisco episcopo Portuensi eiusdem S. R. E. cardinali Barberino nuncupato Ordinis huiusmodi apud nos et Sedem praefatam protectore, ut praefatae nostrae in formâ Brevis litterae pro S. Ivonis provinciâ expeditae, iuxta tenorem supra expressum, in posterum etiam in dictâ provinciâ S. Ludovici, prout resolutum fuit in capitulo provinciali, inviolabiliter observentur, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, mandamus.

Decretum irritans.

§ 4. Decernentes easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 5. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon, quatenus opus sit, Ordinis et provinciae S. Ludovici huiusmodi, aliisve quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, approbatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maio-

rem, sub annulo Piscatoris, die v iunii MDCLXV, pontificatus nostri anno XI.

Dat. die 5 iunii 1665, pontif. anno XI.

DIX.

Constitutio contra quasdam censuras facultatis theologicae Parisiensis[1].

Alexander Episcopus,
servus servorum Dei,
ad perpetuam rei memoriam

Pontifex damnat censuras quasdam latas a facultate Parisiensi inconsulto Papâ.

Cum ad aures nostras pervenerit duos prodiisse libros, quorum alteri titulus est: *Censura sacrae facultatis theologiae Parisiensis in librum cui titulus est La défense de l'authorité de N. S. P. le Pape, de nosseigneurs les cardinaux, les archevesques et evesques, et de l'employ de la religion des Mendians contre les erreurs de ce temps, par Jacques de Vernat à Mets, 1658;* alteri vero titulus est: *Censura sacrae facultatis theologicae Parisiensis in librum, cui titulus est Amadei Grimensis Lomarensis, olim primarii sacrae theologiae professoris, opusculum singularia universae fere theologiae moralis complectens adversus quorumdam expostulationes contra nonnullas Iesuitarum opiniones morales ad tractatus de peccatis, de opinione probabili, editum novissime, etc., Lugduni, sumptibus Philippi Borde, Laurentii Arnaud, Petri Bordé et Guillemi Barbier, 1664, cum appositione et superiorum permissu,* Parisiis, MDCLXV; in quibus libris censurâ praesumptuosâ notantur aliquae propositiones, eaeque praesertim quae ad Romani Pontificis et sanctae Sedis Apostolicae auctoritatem, episcoporum iurisdictionem, parochorum munus, privilegia a Sanctâ Sede concessa, dispensationes apostolicas, actionumque moralium regulam pertinent, et aliae quae et gravissimorum scriptorum auctoritate et perpetuo catholicorum usu nituntur; et cum fieri non possit sine publico catholicae religionis detrimento ut praedictae censurae in commemoratis libris sine debitâ Ecclesiae animadversione et damnatione remaneant: nos, pro apostolico munere, quo licet immeriti fungimur, ut gravissimo scandalo, quod inde catholicis accidere posset, occurramus, habitis prius doctissimorum ac insignium in sacrâ theologiâ magistrorum ac professorum ac sacrarum Sedis Apostolicae congregationum qualificatorum, quos ad haec specialiter deputavimus, consultationibus, ut rei gravitas videbatur postulare, necnon auditis suffragiis venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium in totâ republicâ christianâ generalium inquisitorum, motu proprio, et ex certâ scientiâ nostrâ, deque apostolicae potestatis plenitudine, praedictas censuras, uti praesumptuosas, temerarias atque scandalosa, auctoritate apostolicâ damnamus et pro damnatis haberi volumus, easque nullius valoris et roboris fuisse, sed cassas et irritas esse declaramus.

Addit censuras contra inobedientes.

§ 1. Mandamus insuper ne quisquam ex christifidelibus, cuiuscumque gradus ac dignitatis existat, etiam episcopali, archiepiscopali, patriarchali, aut aliâ maiori dignitate, etiam speciali et specialissimâ notâ dignâ, suffulti, praedictas censuras approbet, sequatur atque defendat, neve in publicis aut privatis lectionibus, disputationibus, sessionibus, aut aliis actibus publicis illas sequatur, tueatur aut doceat, neve in libris, aut etiam scripturis publicis vel privatis, aut alio quocumque modo illas alleget, sub poenâ excommunicationis latae sententiae ipso facto incurrendae, cuius absolutionem nobis et Sedi Apostolicae reservamus.

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

Ad typographos et bibliopolas illas extendit ut in rubrica.

§ 2. Praeterea typographis ac bibliopolis expresse prohibemus, ne praedictos libros et censuras imprimere, ac typis mandare, minusque impressas vendere audeant ac praesumant, sub eâdem poenâ excommunicationis latae sententiae ipso facto incurrendâ.

Libros et scripturas quascumque circa hanc materiam prohibet.

§ 3. Insuper libros, scripturas et alia opera, in quibus praedictae censurae quomodolibet continentur, laudantur et defenduntur, apostolicâ autoritate prohibemus, ac pro vetitis haberi volumus, mandamusque ne amplius illos ac illa legere aut penes se retinere praesumat, sed locorum Ordinariis, aut haereticae pravitatis inquisitoribus in locis in quibus sanctissimae inquisitionis officium exercetur, consignent, sub poenâ excommunicationis, ut supra, ipso facto incurrendae; dictisque Ordinariis, ut etiam tanquam Apostolicae Sedis delegatis, necnon praedictis haereticae pravitatis inquisitoribus, districte praecipimus ut contra transgressores, inobedientes, ac rebelles diligenter inquirant ac procedant, et ad declarationem dictae excommunicationis, et ad alias poenas pro gravitate ipsorum inobedientiae et transgressionis pro eorum arbitrio procedant[1].

Ulterius iudicium sibi reservat.

§ 4. Ceterum ulterius de praedictis censuris iudicium, deque opinionibus in dictis libris Iacobi Vernat et Amadei Grimensis contentis, necnon de aliis in eisdem censuris expressis, sive in eis praememoratae opiniones notentur, sive non, nobis ac sanctae Sedi Apostolicae reservamus.

Decretum irritans.

§ 5. Decernentes insuper praesentes litteras semper et perpetuo validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, ubique iudicari et definiri debere, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, ac irritum et inane esse quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Transumptorum fides.

§ 6. Volumus autem ut praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem fides prorsus adhibeatur, quae ipsis originalibus litteris adhiberetur, si essent exhibitae vel ostensae.

§ 7. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc nostram constitutionem et ordinationem infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, anno Incarnationis Dominicae MDCLXV, VII kalendas iulii, pontificatus nostri anno XI.

Dat. die 25 iunii[1] 1665, pontif. anno XI.

DX.

Concedit facultatem congregationi Cassinensi Ordinis sancti Benedicti alienandi bona stabilia usque ad summam centum sexaginta duorum millium nongentorum novem scutorum, pro liberatione monasteriorum ab aere alieno.

Venerabili fratri nostro Francisco episcopo Portuensi S. R. E. cardinali Barberino nuncupato, Congregationis Cassinensis Ordinis sancti Benedicti apud nos et Sedem Apostolicam protectori,

Alexander Papa VII.

1 Edit. Main. legit *procedat* (R. T.).

1 Male ad marg. ed. Main. habet *iulii* (R. T.).

Venerabilis frater,
salutem et apostolicam benedictionem.

Expositio. Exponi nobis nuper fecit dilectus filius procurator generalis congregationis Cassinensis Ordinis sancti Benedicti, quod dicta congregatio, propter bellorum, pestis, inundationum et tempestatum, aliaque infortunia, quae eius monasteria cum extremâ fere eorum ruinâ respective passa sunt, a multis annis miserabilem in statum redacta reperitur, ac ex causâ tot malorum cum singula monasteria procurariae generali de taxis debitis iuxta repartitionem pro solvendis oneribus cameralibus satisfacere nequirent, congregatio ipsa aes alienum centum sexaginta duorum millium nongentorum novem scutorum et viginti trium baiocorum monetae in sorte principali diversorum annuorum perpetuorum et redimibilium censuum ad favorem diversarum personarum, ac etiam locorum piorum, respective impositorum, contrahere coacta fuerit, nempe, pro ratâ centum quinque millium quingentorum septuaginta octo scutorum, nomine monasteriorum particularium, pro quibus pecunias reperire eidem Congregationi facile fuit, ac, pro ratâ reliquorum quinquaginta septem millium trecentorum triginta unius scutorum et viginti trium baiocorum, nomine proprio ipsius Congregationis pro illis monasteriis, pro quibus eorum nomine tantae pecuniae reperiri nequiverunt, quaeque proinde in debito huius summae erga procurariam generalem peculiari ratione remanserunt, prout distinctius exprimitur in notis vulgari idiomate factis tenoris qui sequitur, videlicet:

§ 1. Nota de'censi, che in sorti principali si sono imposti dalla Congregazione Cassinense in nome proprio per causa dell'infrascritti monasterii, che non hanno corrisposto al pagamento delle tasse, che ciascuno di esse doveva per la sua rata, per li quali a nome loro il danaro non si è potuto trovare, e perciò ciascuno di quelli è restato debitore alla procureria generale nella somma, che gli si assegna, come segue: Monasterio di Gangi scudi 545, baiocchi 78; di Monte Scaglioso scudi 10250, baiocchi 48; di Castrovillari scudi 3596, baiocchi 78; di Gaeta scudi 1215, baiocchi 20; di Perugia scudi 1504, baiocchi 30; di Cesena scudi 1051, baiocchi 50; di Modena scudi 2837, baiocchi 77; di Bobbio scudi 2128, baiocchi 23; di Pavia scudi 2455, baiocchi 16; di San Simpliciano scudi 8740, baiocchi 80; di San Pietro Gessa scudi 1149, baiocchi 1; di Asti scudi 16935, baiocchi 32; di Ragusa scudi 2623, baiocchi 2 e ½; di Lerino scudi 2297, baiocchi 67 e ½. Nota dei capitali de'censi, che dalla Congregazione Cassinense sono stati imposti a nome particolare di ciascun dell'infrascritti monasterii, li quali ne restano debitori nella somma, che a ciascuno viene assegnata, secondo il ripartimento che segue, per non aver sodisfatto le tasse, che ognuno di loro doveva per la sua rata alla procureria generale, per pagare li pesi camerali: Monasterio di Monreale scudi 1000; Monte Scaglioso scudi 29267, baiocchi 50; Cava scudi 6000, baiocchi 100; Napoli scudi 800; Aversa scudi 500; Monte Cassino scudi 5769; Perugia scudi 34550; Cessana scudi 1548, baiocchi 50; Ravenna scudi 900; Mantova scudi 700; Modena scudi 3600; Reggio scudi 1000; Parma scudi 7550; Bobbio scudi 2392; Santo Spirito di Pavia scudi 1400; San Simpliciano scudi 3500; Fiorenza scudi 1000; Cassa Veneta scudi 4000.

§ 2. Quia vero aes alienum huiusmodi in dies augetur, nec possibile est illud ex redditibus monasteriorum prae- Motiva.

dictorum extenuare, nedum extinguere, quinimo ipsum aes alienum impedimento est quominus eadem monasteria oneribus cameralibus, quae quotidie maturantur, satisfacere valeant: idcirco, his omnibus in capitulo generali dictae congregationis, hoc anno Perusii celebrato, mature consideratis, cognitoque nullum aliud superesse remedium, quo eadem congregatio ab aere alieno huiusmodi, illiusque interusuriis liberetur, atque ita afflictus illius status aliquantum sublevetur, quam si ad alienationem tot bonorum stabilium ad monasteria suprascripta spectantium pro ratâ debiti unumquodque illorum respective iuxta notas praeinsertas contingentis deveniatur, dilecti pariter filii praesidens et definitores ipsius congregationis memorato procuratori generali commiserunt, ut a nobis et hac sanctâ Sede facultatem obtinere contenderet eidem congregationi eiusque monasteriis ex eorum bonis stabilibus alienandi usque ad summam dicti aeris alieni (pro ratâ tamen et quantitate bonorum singulis quibuscumque monasteriis per ipsum procuratorem generalem cum consensu et decreto tunc servandâ et distribuendâ iuxta respective debitum quod unumquodque ex monasteriis praefatis cum dictâ procuratiâ generali habet) ad effectum pecunias retrahendas ex bonis per singula monasteria alienandis persolvendi in manibus eiusdem procuratoris generalis in satisfactionem debiti cum dictâ procuratiâ singula monasteria tangentis, quas pecunias dictus procurator generalis teneatur uniço contextu deponere penes Montem pietatis de Urbe ad creditum congregationis, et sui liberam dispositionem, ad hoc ut erogentur non in alium usum quam in extinctionem tot censuum arbitrio suo specificandorum ex causâ praedicti debiti a monasteriis non satisfacti, respective, sicut praemittitur, impositorum cum pactis solitis et consuetis, ac in contractibus conveniendis, et aliàs prout in eorumdem praesidentis et definitorum decreto in capitulo generali huiusmodi die XI proxime praeteriti emanato uberius dicitur contineri.

Supplicatio.

§ 3. Quare dictus procurator generalis nobis humiliter supplicari fecit ut licentiam alienandi bona monasteriorum supra expressorum pro summâ et quantitate centum sexaginta duorum millium nongentorum novem scutorum et viginti trium baioccorum huiusmodi, ac pro ratâ debiti unumquodque ex eisdem monasteriis, sicut in notis praeinsertis expressum est, respective tangentis, concedere, et ut infra indulgere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Annuit Pontifex.

§ 4. Nos igitur, ipsum procuratorem generalem specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium Concilii Tridentini interpretum consilio, circumspectioni tuae per praesentes committimus et mandamus, ut, veris existentibus narratis, petitam facultatem singulis suprascriptis monasteriis pro ratâ bonorum in notis praeinsertis expressâ, auctoritate nostrâ apostolicâ, pro tuo arbitrio et conscientiâ, gratis concedas. Dummodo tamen ante tibi constiterit ipsam facultatem in evidentem eorumdem monasteriorum utilitatem esse cessuram, nec aliâ commodiori ratione

praenarratum aes alienum posse dissolvi, ipsumque aes alienum fuisse legitime contractum, et non aliàs, et dummodo bona ipsa vendenda nulli vinculo aut oneri, praesertim vero missarum, obnoxia sint; et in ipsâ licentiâ, ut supra concedendâ, singulorum bonorum vendendorum quantitas et speciales et individuae eorum qualitates singillatim explicentur ac describantur, exquisitis etiam atque habitis circa praedicta omnia, si ita tibi videbitur, informationibus Ordinarii locorum ubi monasteriorum bona vendenda existant: ita tamen ut pretium ex huiusmodi venditionibus retrahendum integre atque unico contextu in extinctionem dicti aeris alieni convertatur. Quod si huiusmodi conversio uno et eodem temporis articulo fieri non possit, pecunia apud sacram aedem integre deponatur, inde ad alium quemcumque effectum quam praenarrati aeris alieni dissolvendi gratiâ nullatenus amovenda; salvâ tamen semper in praemissis auctoritate congregationis praefatorum cardinalium.

Contrariis derogat. § 5. Non obstantibus felicis recordationis Pauli II et aliorum Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum de rebus Ecclesiae non alienandis, et aliis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon, congregationis, eiusque monasteriorum praefatorum, aliisve quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, approbatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXIII iulii MDCLXV, pontificatus nostri anno XI.

Dat. die 23 iulii 1665, pontif. anno XI.

DXI.

Confirmatio statuti perpetui a capitulo ecclesiae Paderbonensis conditi et iurati, ne ulli episcoporum Paderbonensium ex eorum mense applicatis, et in futurum applicandis redditibus, etc., quidquam per capitulum derogetur, aut alio destinetur, et si quid contra fiat, id pro nihilo habeatur.

Alexander Papa VII,
ad perpetuam rei memoriam.

Sollicitudo omnium ecclesiarum inscrutabili divinae providentiae arcano nobis commissa nos admonet, ut ea, quae pro tuendis atque conservandis ecclesiarum ipsarum iuribus provido sapientique statuta noscuntur esse consilio, quo perenni firmitate consistantur[1], apostolici muniminis praesidio roboremus. Proœmium.

§ 1. Exponi siquidem nobis nuper fecit venerabilis frater Ferdinandus episcopus et princeps Paderbonensis, quod dilecti filii capitulum ecclesiae Paderbonensis, ipsius Ferdinandi episcopi operâ et adhortatione, statutum perpetuis temporibus valiturum condiderunt, ne ulli episcoporum Paderbonensium ex eorum mensae episcopali nunc applicatis, aut in futurum applicandis, acquisitis aut acquirendis, redditibus, obventionibus, iuribus ac iurisdictionalibus quicquam per capitulum ipsius ecclesiae derogetur, vel detrahatur, aut alio destinetur, et si quid contra fiat, id pro omnino Expositio.

1 Videtur legendum *consistant* (R. T.).

inefficaci, nulle, irrito ac nihilo habeatur; ipsumque statutum iuramento firmarunt, et aliàs, prout uberius continetur in eorum litteris desuper emanatis tenoris qui sequitur, videlicet:

Statutum capituli Paderbonensis

« Nos Ioannes Wilhelmus baro de Sintringh, praepositus; Gasparus Philippus a Ketteler, decanus; Ioannes Achardus ab Imbsen, camerarius; Arnoldus a Vittinghoff, condictus; Schell, senior; Wilhelmus a Winhelhauren, thesaurarius; Wilhelmus Franciscus a Vittinghoff, condictus; Schell, cantor; Adolphus Henricus Droste, Hermannus Wermerus, baro Wolff Metternich, Matthias a Reck, scholasticus, Ioannes Henricus baro de Sintring, Ioannes Adolphus baro de Frens, Ioannes Wilhelmus baro Wolff Metternich, Franciscus baro de Frens, Wilhelmus Goscoinus a Ketteler, Wilhelmus baro de Furstenberg, Ioannes Wernerus baro de Leeradt, Ioannes Rutgerus Torch, Simon Mauritius de Lippia, Ioannes Georgius de Brugenei, condictus Hasenkhamp, Ioannes Rutgerus a Hetteler, canonici capitulares cathedralis ecclesiae Paderbonensis, per praesentes notum facimus pro nobis et successoribus nostris, qualiter nos, Wilhelmus a Winhelhausent, barones de Metternich et Fursteberg quidem absentes per constitutos procuratores, reliqui vero in personâ, in capitulo generali Corporis Christi capitulariter congregati, maturâ deliberatione perpenderimus, quod ex augmento fulgoris auctoritatis episcopalis non leve simul accedat respectu cathedralis capituli incrementum. Cum itaque episcopis Germaniae sacri Romani imperii principibus, pro congruo illi statui ac dignitati servando splendore, de amplioribus redditibus ac iuribus provisum esse deceat, quemadmodum pro tempore episcopo et principi Paderbonensi de eiusmodi redditibus et iuribus isti dignitati convenientibus provisum est: nos, de conservatione eorum, et ne in futurum exinde quicquam detrahatur, sed ut tam princeps statui ac dignitati suae congruenter vivere subditisque praeesse queat, quam ut nos eius gratiam et animi clementissimam propensionem in capitulum et capitulares suos pro ecclesiae ac patriae bono tanto certius conservare possimus, solliciti, unanimi voto capitulari hodiernâ congregatione consensimus, ac perpetuo valiturâ lege decrevimus, prout tenore praesentium sancimus, quod nullo unquam tempore, modo, statuto, decreto aut capitulari concluso, ulli episcoporum ex mensâ episcopali nunc applicatis, aut in futurum applicandis, acquisitis aut acquirendis redditibus, obventionibus, iuribus, ac iurisdictionalibus per nos aut successores nostros quicquam debeat derogari vel detrahi, aut alio deinceps destinari, et si quid contra fiat, id pro omnino inefficaci, nullo, irrito, ac nihilo haberi. Utque tanto certius nos et successores nostri ad huius statuti inviolabilem observantiam obligemur, volumus illud ipsum expresse sub iis et inter ea contineri, de quibus accuratissime servandis nos iureiurando astrinximus; et quilibet capitularis iuxta inveteratam consuetudinem huius ecclesiae iureiurando nudis pedibus ad altare praestito sese astringere tenetur, prout et nos virtute harum litterarum iurato astringimus et successores nostri similiter se astringere tenebuntur. In quorum fidem, et permanentem notitiam praesens statutum sigilli nostri maioris appensione duximus communiendum.

Datum et actum Paderbonae in loco nostro capitulari anno Domini MDCLXIII, die XXIX mensis maii.

Locus ✝ sigilli.

Confirmat Pontifex ut in rubricâ.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, memoratus Ferdinandus episcopus statutum huiusmodi, quo firmius subsistat, stabiliorique vigore perennet, apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri summopere desideret: nos, laudabile ipsius Ferdinandi episcopi in tuendis ecclesiae suae iuribus studium plurimum in Domino commendantes, eumque specialis favore gratiae prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, statutum praefatum, emanatasque desuper litteras praeinsertas, cum omnibus et singulis contentis in illis, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, perpetuo confirmamus et approbamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos iuris et facti ac solemnitatum quarumcumque in similibus forsan etiam de necessitate observandarum defectus, si qui in praemissis vel eorum aliquo principaliter vel accessorie aut aliàs quomodolibet intervenerint, seu intervenisse dici, censeri vel praetendi possent, supplemus et sanamus, ac penitus et omnia tollimus et abolemus.

Decretum irritans.

§ 3. Decernentes easdem praesentes ac praeinsertas litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab illis respective inviolabiliter observari, sicque et non aliter in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos et Apostolicae Sedis nuncios, sublatâ eis et eorum cuilibet, quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariis derogat.

§ 4. Non obstantibus apostolicis, ac in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, necnon, quatenus opus sit, dictae ecclesiae Paderbonensis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis eidem ecclesiae, eiusque capitulo, et personis quibuslibet, sub quibuscumque verborum tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis, in genere vel in specie, ac etiam consistorialiter, aut aliàs quomodolibet, in contrarium praemissorum concessis, approbatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, et formâ in aliis traditâ observatâ, exprimerentur et insererentur, praesentibus pro plene et

sufficienter expressis et insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXIV iulii MDCLXV, pontificatus nostri anno XI.

Dat. die 24 iulii 1665, pontif. anno XI.

DXII.

Confirmatio decreti congregationis episcoporum et regularium circa praecedentiam inter procuratores generales et commissarios curiae Ordinis Minorum sancti Francisci de Observantiâ[1].

Alexander Papa VII,
ad futuram rei memoriam.

Expositio. § 1. Aliàs pro parte dilecti filii Andreae de Arteaga, procuratoris generalis Ordinis fratrum Minorum sancti Francisci de Observantia nuncupatorum, congregationi venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositae exposito, quod in capitulo generali dicti Ordinis novissime in almâ Urbe nostrâ celebrato, dilectorum pariter filiorum Bartholomaei de Villalva et aliorum exprocuratorum generalium Ordinis huiusmodi interesse habentium nomine, porrectus fuerat venerabili fratri nostro Francisco episcopo Portuensi, eiusdem S. R. E. cardinali Barberino nuncupato, dicti Ordinis apud nos et Sedem Apostolicam protectori, supplex libellus pro obtinendâ cassatione cuiusdam decreti die II aprilis MDCLIX emanati circa praecedentiam inter procuratores generales et commissarios curiae Ordinis praefati, quod dilectus etiam filius Rochus de Villareio, tunc commissarius curiae huiusmodi, ab eodem Francisco cardinali protectore subreptitie extorserat; eoque libello per dictum Franciscum cardinalem protectorem ad dilectos filios modernos ministrum generalem et definitores generales eiusdem Ordinis remisso pro informatione et voto, ipse Franciscus cardinalis protector voto huiusmodi inhaerens, praefatum decretum revocaverat et penitus cassaverat per aliud suum speciale decretum die XXX augusti MDCLXIV expeditum, quod etiam die XVII novembris subsequentis a nobis per nostras in simili formâ brevis litteras cum opportunis clausulis confirmatum fuerat; quia vero non videbatur in hoc decreto totaliter expressa nec declarata haec particula *ceteris paribus*, contenta in statuto dicti Ordinis anno MDCLI edito, cuius inviolabilis observatio per decretum huiusmodi specialiter praecipiebatur, nonnulli sub frivolis praetextibus executionem tam statuti quam decreti et litterarum huiusmodi eludere procurabant, tametsi iam dictum decretum inniteretur informationi et voto memoratorum ministri generalis et definitorum generalium, qui expresse dixerunt et declararunt praecedentiam competere procuratoribus generalibus habitualibus super commissarios curiae, etiamsi hi ante illos electi fuerint, idque ratione dignitatis maioris et inaequalis, iuxta praefatum statutum anno MDCLI editum, cui tamquam ultimo decisivo stari debet; ac propterea per eumdem Andream procuratorem generalem memoratae cardinalium congregationis supplicato ut votum definitorii generalis huiusmodi approbaret et confirmaret, vel, ad tollendum omnem dubietatis scrupulum et litem, de novo declaret, praefatam particulam *ceteris paribus*, quae dubitandi

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

ansam praebuit, intelligi debere conformiter voto praefati definitorii generalis, quippe quae secundum ius commune relationem dicat ad gradus et dignitates superiores, itaut commissarii curiae, si aliquam aliam dignitatem vel gradum maiorem non habuerint, cuius[1] respectu eis competit[2] praecedentia super procuratores generales Ordinis praedicti, semper et utrobique iuxta praefatum statutum debeant, sive actuales sive habituales commissarii fuerint, cedere praecedentiam procuratoribus generalibus Ordinis huiusmodi tam habitualibus quam actualibus, non obstante prioritate vel posterioritate electionis, iniungendo pariter sub poenis et censuris tam dilectis filiis ministro provinciali et definitorio provinciae Castellae quam quibusvis aliis, ad quos spectat et spectare possit, cuiuscumque provinciae dicti Ordinis sint, ut decretum memorati Francisci cardinalis protectoris, nostrasque litteras huiusmodi, ac ipsius congregationis ordinationes prompte et exacte exequantur: emanavit ab eâdem congregatione decretum tenoris qui sequitur, videlicet:

Decretum sacrae congregationis episcoporum.

« Sacra congregatio eminentissimorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praeposita, partibus auditis, et eminentissimo Braccio referente, censuit et declaravit verba illa *ceteris paribus*, apposita in decreto capituli romani anni MDCLI circa praecedentiam servandam inter procuratorem generalem et commissarium Romanae curiae, prout in actis dicti capituli, esse intelligenda, quod, sicuti sine ullâ controversiâ procurator generalis actualis praecedet[3] commissarium curiae actualem, ita procurator generalis habitualis omnino debeat praecedere commissarium curiae habitualem, non attentâ etiam antiquitate electionis, aut alio simili praetextu, secus vero si commissarius curiae fuisset minister generalis, vel vicarius generalis, vel commissarius generalis familiae, aut obtinuisset aliquam aliam dignitatem altioris ordinis, per quam non censeretur esse paris conditionis, nam tunc praecederet procuratori, salvis in reliquis dispositis in dicto statuto. Mandat igitur sacra congregatio omnibus et singulis huiusmodi Ordinis superioribus, ad quos spectat, ut praefatum Breve sanctissimi domini nostri et praesentem declarationem exequi et observari faciant, quibuscumque non obstantibus.

Romae XII iunii MDCLXV.

M. cardinalis GINETTUS.

E. episcopus Camerinensis ».

Pontifex confirmat.

§ 2. Cum autem, sicut dictus Andreas procurator generalis nobis nuper exponi fecit, ipse decretum huiusmodi, pro firmiori illius subsistentiâ, apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri summopere desideret: nos, ipsum Andream procuratorem generalem specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, decretum praeinsertum, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus; salvâ tamen semper in praemissis auctoritate praefatae congregationis cardinalium.

1 Pessime ed. Main. legit *eius* pro *cuius* (R. T).
2 Aptius lege *competat* (R. T.).
3 Aptius lege *praecedit* (R. T.).

Decretum irritans.

§ 2. Decernentes easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, plenissime suffragari, et ab illis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogat constitutionibus.

§ 4. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon, quatenus opus sit, dicti Ordinis, et aliis quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXVIII iulii MDCLXV, pontificatus nostri anno XI.

Dat. die 28[1] iulii 1665, pontif. anno XI.

DXIII.

Ut in ditionibus et dominiis duci Sabaudiae subiectis de praecepto recitetur officium et missa Conceptionis B. M. V. Immaculatae, cum octava[2].

1 Ed. Main. ad marg. legit *18* (R. T.).
2 Ex Regest. in Secret. Brev.

Alexander Papa VII,
ad perpetuam rei memoriam.

Motiva.

Praeclara dilecti filii nobilis viri Caroli Emanuelis Sabaudiae ducis et Pedemontii principis erga gloriosissimam Virginem Dei Genitricem Mariam devotio facile nos adducit ut pia eius vota, quibus eiusdem augustissimae caeli reginae advocatae nostrae veneratio promovetur, apostolici favoris benignitate prosequamur.

Supplicatio.

§ 1. Supplicationibus itaque memorati Caroli Emanuelis ducis nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, ut in omnibus ditionibus et dominiis eidem Carolo Emanueli duci subiectis, tum a secularibus tum a regularibus utriusque sexus qui horas canonicas recitare tenentur, officium et missa Conceptionis Beatae Mariae Virginis Immaculatae, cum octavâ, in posterum de praecepto recitetur, cum lectionibus in octavario romano a congregatione venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium sacris ritibus praepositorum approbato contentis, et a die octavâ ad decimam quintam decembris rite dispositis, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, mandamus et decernimus; idemque officium ad usum cleri ditionum et dominiorum praefatorum seorsim ab octavario romano imprimi posse concedimus.

Annuit Pontifex.

Derogatio contrariorum.

§ 2. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis fides praestanda.

§ 3. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique locorum et gentium tam in iudicio quam extra illud adhibeatur, quae ipsismet praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XVII augusti MDCLXV, pontificatus nostri anno XI.

Dat. die 17 augusti 1665, pontif. anno XI.

DXIV.

Committit archiepiscopo Bisuntino, ac eius vicario in spiritualibus generali, usque ad sententiam exclusive, causam assertorum delictorum, quae inquisitori Bisuntino imputantur, eisque tam coniunctim quam divisim mandat, ut processum desuper conficiant, et ad Sanctam Sedem transmittant[1].

Venerabili fratri archiepiscopo Bisuntino, ac dilecto filio eius vicario in spiritualibus generali,

Alexander Papa VII.

Venerabilis frater ac dilecte fili, salutem et apostolicam benedictionem.

Motiva. Cum, sicut accepimus, nonnulla asserta delicta dilecto filio Dominico Verneirii, fratri expresse professo Ordinis Praedicatorum, inquisitori haereticae pravitatis in civitate Bisuntinâ auctoritate apostolicâ deputato, imputentur: nos, de illis informationem capi volentes, vobis tam coniunctim quam divisim causam seu causas delictorum huiusmodi contra praefatum Dominicum, cum illius seu illarum incidentibus, emergentibus, annexis et connexis, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, usque ad sententiam exclusive committimus.

Processum confici mandat. § 1. Mandantes vobis, tam coniunctim quam divisim, ut omni diligentiâ processum desuper dictâ auctoritate conficiatis; nos enim vobis et vestrum cuilibet quascumque necessarias et opportunas ad id facultates harum serie eâdem auctoritate tribuimus et impertimur; vobisque, ut nullam praemissorum occasione irregularitatem contrahatis, concedimus et indulgemus.

Et clausum ad Urbem mitti. § 2. Ceterum volumus, ut, si quid contra memoratum Dominicum resultaverit, vos informationes et processum seu processus, quos in exequutionem praesentium feceritis, seu alter vestrum fecerit, sub vestris sigillis seu alterius vestrum sigillo clausos, ad nos quamprimum transmittatis, ut quod desuper statuendum fuerit, maturâ deliberatione adhibitâ, decernamus.

Contrariorum derogatio. § 3. Non obstantibus felicis recordationis Bonifacii Papae VIII praedecessoris nostri de unâ, et concilii generalis de duabus dietis, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, etiam conciliaribus, necnon, quatenus opus sit, dicti Ordinis, et aliis quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die IV septembris MDCLXV, pontificatus nostri anno XI.

Dat. die 4 septembris 1665, pontif. anno XI.

DXV.

Declarat et concedit monialibus Carmelitanis Discalceatis Belgii indultum

1 Ex Regest. in Secret. Brevium.

fruendi privilegiis Carmelitarum Excalceatarum Franciae et Germaniae[1].

Alexander Papa VII,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium. Ex iniuncti nobis divinitus pastoralis officii debito, felici sacrarum virginum et devotarum mulierum, quae, oblitae populum suum et domum patris sui, divinis obsequiis et beneplacitis sese sub suavi religionis iugo devoverunt, statui et progressui, quantum cum Domino possumus, libenter providemus, easque favoribus et gratiis prosequimur opportunis.

Expositio. § 1. Exponi siquidem nobis nuper fecerunt dilectae in Christo filiae moniales Ordinis Beatae Mariae de Monte Carmelo Discalceatae nuncupatae, sub curâ, gubernio et iurisdictione episcoporum in Belgio existentes, quod ipsae primitivam regulam eiusdem Ordinis et constitutiones a primis institutricibus ex Hispania et Gallia in Belgium vocatis sibi exhibitas et optimâ fide a se acceptas hactenus sub strictâ clausurâ viventes religiose observarunt.

Indulget Pontifex ut in rubricâ. § 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, praefatae exponentes, ut deinceps pacatiori et abundantiori spiritu in sanctâ religione, quam professae sunt, caelesti earum sponso Iesu Christo domino nostro servire valeant, opportune sibi in praemissis a nobis provideri et ut infra indulgeri summopere desiderent: nos, specialem ipsis exponentibus gratiam facere volentes, et earum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et penis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus earum[1] nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, quod omnia et singula monasteria monialium Carmelitarum Discalceatarum, tam hactenus in civitate Antuerpiensi ac oppidis[2] Lovaniensi, Lyrano, Alorstano et Vilvordiensi, Mecliniensis et Antuerpiensis dioecesum, erecta, quae iurisdictioni et superioritati venerabilium fratrum archiepiscopi Mechliniensis et episcopi Antuerpiensis respective subsunt, quam deinceps perpetuis futuris temporibus in Belgio sub curâ, gubernio et iurisdictione et superioritate Ordinariorum locorum canonice erigenda, eorumque superiorissae, ac moniales et personae quaecumque, omnibus et singulis privilegiis, facultatibus, libertatibus, immunitatibus, exemptionibus (non tamen a iurisdictione et superioritate Ordinariorum locorum praefatorum), praerogativis, praeeminentiis, indulgentiis, indultis, favoribus, aliisque gratiis universis, tam spiritualibus quam temporalibus, quibus monasteria monialium Carmelitanarum Excalceatarum in regno Franciae, ac Coloniae, Monasterii, Neoburgi, Aquisgrani et alibi in Germania existentia, de iure, usu et consuetudine, seu ex quavis concessione apostolicâ, aut aliàs quomodolibet utuntur, fruuntur, potiuntur et gaudent, ac uti, frui, potiri et gaudere possunt et poterunt quovis modo in futurum, non solum ad eorum instar, sed etiam aeque principaliter, ac pariformiter, et absque ullâ prorsus differentiâ, uti, frui, potiri et gaudere, libere et licite possint et valeant, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, declaramus, eisque concedimus et indulgemus.

Aliaque praedictis monialibus concedit. § 3. Praeterea supradictorum monasteriorum in Belgio erectorum et erigen-

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

1 Ed. Main. legit *eorum* (R. T.).
2 Edit. Main. legit *oppidi* (R. T.).

dorum monialibus, ut ipsae nomen vicarii generalis et superioris Ordinis fratrum eiusdem Beatae Mariae de Monte Carmelo ex earum constitutionibus delere, illiusque loco nomen episcopi, seu archiepiscopi, Ordinarii loci, eiusque commissariorum, uti illis subiectae, reponere libere et licite valeant, auctoritate et tenore praedictis concedimus similiter et indulgemus; sublatâ ceteroquin cuivis easdem constitutiones alterandi, mutandi vel innovandi facultate.

Decretum irritans.

§ 4. Decernentes easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quas seu quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, plenissime suffragari, et ab illis respective inviolabiliter observari, sicque et non aliter in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac sanctae Romanae Ecclesiae cardinales, etiam de latere legatos et Apostolicae Sedis nuncios, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariis derogat.

§ 5. Non obstantibus, quatenus opus sit, nostrâ et cancellariae apostolicae regulâ de non concedendis indulgentiis ad instar, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon dicti Ordinis, et aliis quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis eidem Ordini eiusque superioribus fratribus et personis, aliisve quibuslibet, sub quibuscumque verborum tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis, in genere vel in specie, ac etiam consistorialiter, aut aliàs quomodolibet, etiam iteratis vicibus, in contrarium praemissorum concessis, approbatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro sufficienti illorum derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis expressio habenda aut quaecumque alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omissó, ac formâ in illis traditâ[1], exprimerentur et insererentur, praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides.

§ 6. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique locorum et gentium tam in iudicio quam extra illud adhibeatur, quae ipsismet praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die v septembris MDCLXV, pontificatus nostri anno XI.

Dat. die 5 septembris 1665, pontif. anno xi.

1 Adde, de more solito, *servatâ* (R. T.).

DXVI.

Mandatum, ut servetur Breve Urbani VIII circa subiectionem monialium monasterii Lugdunensis primae regulae sanctae Clarae iurisdictioni provincialis et fratrum provinciae S. Francisci in Gallia Ordinis Minorum recollectorum [1].

Alexander Papa VII, ad futuram rei memoriam.

Expositio. § 1. Exponi nobis nuper fecit dilectus filius Pacificus a S. Valerio, agens generalis fratrum Galliae Ordinis Minorum sancti Francisci de Observantiâ Recollectorum nuncupatorum, ac procurator specialis dilectorum filiorum ministri provincialis et fratrum recollectorum provinciae eiusdem S. Francisci in Gallià dicti Ordinis, necnon dilectarum in Christo filiarum abbatissae et monialium monasterii Lugdunensis primae regulae sanctae Clarae, quod, licet per varias Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum litteras apostolicas omnium primae regulae sanctae Clarae monialium intra monasterii claustra Deo iugiter famulantium, omniumque conversarum sive servitricum mulierum extra monasterii septa, pro sororum inclusarum servitio et quaestuationum exercitio, viventium, cura, directio et gubernium superioribus dicti Ordinis sancti Francisci commissa fuerint, et praesertim praefatum monasterium Lugdunense primae regulae sanctae Clarae, ac tam omnes illius moniales, intra quas omnes conversae seu servitrices mulieres extra monasterium huiusmodi respective degentes, per quasdam felicis recordationis Urbani PP. VIII praedecessoris nostri in simili formâ Brevis die VIII novembris MDCXXVI, ut asseritur, emanatas, superioritati, iurisdictioni, visitationi, correctioni, curae et gubernio in spiritualibus et temporalibus ministri provincialis et fratrum recollectorum praefatae provinciae concessum, subiectum et suppositum, seu concessae, subiectae et suppositae fuerint, et ab eo tempore dictum monasterium, eiusque moniales et conversae seu servitrices mulieres praedictae, magnâ cum secularium aedificatione, ipsarumque monialium et conversarum spirituali profectu et consolatione, memoratorum ministri provincialis et fratrum iurisdictioni, superioritati, correctioni, curae et gubernio in spiritualibus et temporalibus subiectum et subiectae extiterint; nihilominus quaedam ecclesiae et seculares personae, sine iure et auctoritate, ac contra praefatas litteras apostolicas, nec non congregationis venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositae decreta, super hoc et has quamdam iurisdictionis et superioritatis seu curae et gubernii formam, sive modum, usurpare praesumpserunt. Nobis propterea praefatus Pacificus, tam dictorum ministri provincialis et fratrum, quam memoratarum abbatissae et monialium nominibus, humiliter supplicari fecit, ut omnibus litibus et praetentionibus viam praecludere, utque praedictae moniales et aliae Altissimo iugiter famulantes nullis in futurum obicibus aut dissidiis a divinis obsequiis abstrahantur, sed sub huiusmodi superioritate, iurisdictione, correctione, curâ et gubernio ministri provincialis et fratrum Recollectorum dictae provinciae S. Francisci pacifice permaneant, opportune providere de benignitate apostolicâ dignaremur.

§ 2. Nos igitur, eosdem Pacificum, ac ministrum provincialem et fratres, necnon abbatissam et moniales, speciali- Confirmat Pontifex Constitutionem Urbani VIII ut in rubricâ.

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

bus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, de memoratorum cardinalium consilio, attentis narratis, ac audito per eosdem cardinales dilecto pariter filio procuratore generali Ordinis huiusmodi, memoratas Urbani praedecessoris in formâ Brevis litteras iuxta illarum tenorem inviolabiliter exequi et observari, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, mandamus.

Decretum irritans. § 3. Decernentes easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum. § 4. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon omnibus et singulis illis, quae in praefatis Urbani praedecessoris litteris concessa sunt non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XI septembris MDCLXV, pontificatus nostri anno XI.

Dat. die 11 septembris 1665, pontif. anno XI.

DXVII.

Confirmatio quorumdam decretorum circa professiones et electiones in capitulo provinciali factas provinciae S. Elzearii, seu Aquitaniae, congregationis Galliae tertii Ordinis sancti Francisci [1].

Alexander Papa VII, ad futuram rei memoriam

Exposito. § 1. Exponi nobis nuper fecit dilectus filius Stephanus a Moissaco, frater expresse professus ac in Romanâ curiâ procurator provinciae S. Elzearii seu Aquitaniae congregationis Galliae tertii Ordinis sancti Francisci, quod aliàs a congregatione venerabilium fratrum nostrorum sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositâ circa quasdam professiones a superioribus praefatae provinciae Aquitaniae potestatem legitimam non habentibus acceptatas, ac etiam circa electiones in capitulo provinciali provinciae huiusmodi anno proxime elapso in conventu Tolosano auctoritate apostolicâ celebrato, cui venerabilis frater episcopus Lumbariensis praesedit, factas, emanarunt duo decreta, quorum primo quidem sub die XIV decembris MDCLXIII decretum fuit, huiusmodi nulliter professos ad novam professionem debere admitti, eos, qui, iuxta late exposita in supplici libello tunc memoratae cardinalium congregationi porrecto, professi erant et profiteri intendebant, dummodo ante primam professionem annum probationis explevissent et omnibus requisitis praediti inventi fuissent, praeviâ tamen acceptatione capituli conventualis respective, et servatâ in reliquis formâ statutorum; cuius decreti virtute quidam ex illis nulliter

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

professis ad novam professionem admissi sunt, ceteri autem a religione voluntarie egressi vel dimissi fuerunt: altero vero die XII decembris proxime praeteriti emanato eadem congregatio cardinalium praefatas electiones in dicto capitulo factas approbavit et confirmavit, supplendo omnes defectus tam iuris quam facti, si qui forsan in eis intervenissent.

Confirmatio Pontificis et exequutoris deputatio.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, praefatus Stephanus praemissa, quo firmius subsistant, apostolicae confirmationis nostrae robore communiri et aliàs apportune desuper a nobis provideri summopere desideret: nos, ipsum Stephanum specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de praefatorum cardinalium consilio, attentis narratis, ac inhaerendo praefatis eiusdem congregationis cardinalium decretis, eadem iuxta illorum tenorem ac dispositionem, necnon quaecumque gesta in vim dictorum decretorum, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, approbamus et confirmamus, ac memorato episcopo Lumbariensi harum serie committimus, ut conformiter exequi et observari faciat; nos enim facultates necessarias et opportunas illi, earumdem tenore praesentium, dictâ auctoritate, tribuimus.

Decretum irritans.

§ 3. Decernentes easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab illis, ad quos spectat et spectabit in futurum, inviolabiliter observari, et illis respective plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 4. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon, quatenus opus sit, primodictae congregationis et provinciae huiusmodi, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XI septembris MDCLXV, pontificatus nostri annò XI.

Dat. die 11 septembris 1665, pontif. anno XI.

DXVIII.

Ut in ditionibus Ferdinando magno duci Hetruriae subiectis de praecepto recitetur officium et missa Conceptionis B. M. V. Immaculatae, cum octavâ, etc. [1].

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

Alexander Papa VII,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium. Egregia dilecti filii nobilis viri Ferdinandi Hetruriae sibi subiectae magni ducis erga gloriosissimam Virginem Dei Genitricem Mariam devotio facile nos adducit, ut pia eius vota ad augendam eiusdem augustissimae caeli reginae cultum tendentia apostolico favore benigne prosequamur.

Supplicationi annuit Pontifex § 1. Supplicationibus itaque ipsius Ferdinandi magni ducis nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, ut in omnibus ditionibus eidem Ferdinando magno duci subiectis, tum a secularibus tum a regularibus utriusque sexus qui horas canonicas recitare tenentur, officium et missa Conceptionis Beatae Mariae Virginis Immaculatae cum octavâ in posterum de praecepto recitetur cum lectionibus in octavario romano a congregatione venerabilium fratrum nostrorum sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium sacris ritibus praepositorum approbato contentis, et a die octavâ ad decimamquintam decembris rite dispositis, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, mandamus et decernimus; idemque officium ad usum cleri dictarum ditionum seorsim ab octavario romano imprimi posse concedimus.

Contraria tollit. § 2. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides transumptorum. § 3. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique locorum et gentium tam in iudicio quam extra illud adhibeatur, quae ipsismet praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XIV septembris MDCLXV, pontificatus nostri anno XI.

Dat. die 14 septembris 1665, pontif. anno XI.

DXIX.

Confirmat decretum dietae generalis fratrum Congregationis S. Hieronymi Iesuatorum nuncupatorum pro sustentatione procuratoris generalis pro tempore.

Alexander Papa VII,
ad futuram rei memoriam.

Expositio. § 1. Exponi nobis nuper fecit dilectus filius superior generalis congregationis fratrum S. Hieronymi Iesuatorum nuncupatorum, quod, cum aliàs (nobis pro parte ipsius superioris generalis inter alia exposito aequum esse ut procurator generalis dictae congregationis, qui pro universâ congregatione laborat, ab eâdem congregatione per debitam repartitionem manuteneretur) nos unionem officiorum procuratoris generalis congregationis huiusmodi et prioris conventus Ss. Ioannis et Pauli de Urbe eiusdem congregationis pridem factam et apostolicâ auctoritate confirmatam dissolverimus, ita ut eadem duo officia de cetero per duas distinctas personas, quemadmodum ante unionem huiusmodi fieri solebat, obtineri, geri et exerceri deberent, et aliàs prout in nostris desuper in simili formâ Brevis die XXX augusti MDLXIV expeditis litteris uberius continetur:

Taxa imposita. § 2. Dilecti pariter filii fratres memoratae congregationis in eorum dietâ proxime celebratâ congregati taxam ducentorum scutorum monetae super conventibus ipsius congregationis pro sustentatione et manutentione dicti procuratoris generalis imposuerunt in hunc

modum, videlicet: ut S. Eustachii Bononiensis viginti, de Mascarella itidem Bononiensis quatuor, S. Hieronymi Ferrariensis quindecim, S. Mariae Magdalenae Faventinus tria, SS. Trinitatis Urbinatensis tria, S. Mariae *della Palomba* Viterbiensis tria, S. Ioannis Florentinus quinque, S. Hieronymi Senensis quinque, S. Hieronymi Pistorensis septem, S. Hieronymi Lucanensis viginti, S. Hieronymi Pisanus sex, S. Mariae de Montenero super Liburnum quindecim, S. Mariae de Sambuca quinque, S. Mariae Gratiarum Aretinensis tria, S. Hieronymi Mediolanensis viginti, S. Antonii Papiensis quatuor, S. Petri Laudensis quatuor, S. Hieronymi Alexandrinus quatuor, S. Bartholomaei Placentinus quatuor, S. Benedicti Parmensis quatuor, S. Hilarii Cremonensis sex, S. Mariae in Portu Mantuanensis quatuor, S. Elisabethae Venetiarum decem, Corporis Domini Brixiensis quinque, S. Hieronymi Tarvisinensis septem, S. Spiritus Paduanus quatuor, S. Bartholomaei in Monte Veronensis quatuor, et S. Hieronymi Vicentinus, conventus praedictae congregationis, sex scuta monetae quotannis respective praestare teneantur; impositâ superioribus conventuum huiusmodi, qui ratas dictae taxae sese contingentes respective annis singulis per totum mensem maium ad memoratum conventum Ss. Ioannis et Pauli de Urbe non transmiserint, poenâ suspensionis ab officio ac a voce activâ et passivâ in dietis et capitulis generalibus dictae congregationis ipso facto incurrendâ.

Absolvit oratorem a censuris.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, praedictus superior generalis praemissa, pro firmiori illorum subsistentiâ, apostolicae confirmationis nostrae robore communiri summopere desideret: nos, ipsum superiorem generalem specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati,

Confirmat taxam prout in rubrica.

§ 3. Impositionem taxae praedictae super conventibus dictae congregationis pro sustentatione memorati procuratoris generalis ac poenae huiusmodi a praedictâ dietâ factam, ut praefertur, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos iuris et facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Decretum irritans.

§ 4. Decernentes easdem praesentes litteras firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, inviolabiliter observari, et illis respective plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariis derogat.

§ 5. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon, quatenus opus sit, dictae congregationis eiusque conventuum huiusmodi, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis

in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides. § 6. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra adhibeatur, quae praesentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XIV septembris MDCLXV, pontificatus nostri anno XI.

Dat. die 14 septembris 1665, pontif. an. XI.

DXX.

Damnat plurimas propositiones partim iam antiquatas, partim nôviter prodeuntes in animarum perniciem, prohibetque omnibus christifidelibus, sub excommunicationis pœnâ ipso facto incurrendâ, eas vel earum aliquam privatim vel publice defendere, vel edere, vel ad praxim reducere.

Feria V, die XXIV septembris MDCLXV.

Enarratio. In congregatione generali sanctae Romanae et universalis Inquisitionis habitâ in palatio apostolico Montis Quirinalis coram sanctissimo D. N. D. Alexandro divinâ providentiâ Papa VII, ac eminentissimis et reverendissimis dominis S. R. E. cardinalibus in totâ republicâ christianâ adversus haereticam pravitatem generalibus inquisitoribus a sanctâ Sede Apostolicâ specialiter deputatis,

§ 1. Sanctissimus dominus noster audivit, non sine magno animi sui moerore, complures opiniones christianae disciplinae relaxativas et animarum perniciem inferentes, partim antiquatas iterum suscitari, pariter noviter prodire; et summam illam luxuriantium ingeniorum licentiam in dies magis excrescere, per quam in rebus ad conscientiam pertinentibus modus opinandi irrepsit alienus omnino ab evangelicâ simplicitate, sanctorumque patrum doctrinâ; et quem si pro rectâ regulâ fideles in praxi sequerentur, ingens eruptura esset christianae vitae corruptela. Quare, ne ullo unquam tempore viam salutis, quam suprema veritas Deus, cuius verba in aeternum permanent, arctam esse definivit, in animarum perniciem dilatari seu verius perverti contingeret, idem SS. D. N. ut oves sibi creditas ab eiusmodi spatiosâ latâque, per quam itur ad perditionem, viâ, pro pastorali sollicitudine, in rectam semitam revocaret, earumdem opinionum examen pluribus in sacrâ theologiâ magistris, et deinde eminentissimis et reverendissimis dominis cardinalibus contra haereticam pravitatem generalibus inquisitoribus serio commisit: qui tantum negotium strenue aggressi, eique sedulo incumbentes, et mature discussis usque ad hanc diem infrascriptis propositionibus, super unâquaque ipsarum sua suffragia Sanctitati Suae singillatim exposuerunt.

Propositiones

Propositio I. Homo nullo unquam vitae suae tempore tenetur elicere actum fidei, spei et charitatis ex vi praeceptorum divinorum ad eas virtutes pertinentium.

II. Vir equestris ad duellum provocatus potest illud acceptare, ne timiditatis notam apud alios incurrat.

III. Sententia asserens Bullam *Coenae* solum prohibere absolutionem haeresis et aliorum criminum, quando publica sunt, et id non derogare facultati Tridentini in qua de occultis criminibus sermo est, anno MDCXXVI, XVIII iulii, in consistorio sacrae congregationis eminentissimorum cardinalium visa et tolerata est.

IV. Praelati regulares possunt in foro conscientiae absolvere quoscumque seculares ab haeresi occultâ et ab excommunicatione propter eam incursâ.

V. Quamvis evidenter tibi constet, Petrum esse haereticum, non teneris denunciare, si probare non possis.

VI. Confessarius, qui in sacramentali confessione tribuit poenitenti cartam postea legendam, in qua ad venerem incitat, non censetur sollicitasse in confessione, ac proinde non est denunciandus.

VII. Modus evadendi obligationem denunciandae sollicitationis est: si sollicitatus confiteatur cum sollicitante, hic potest ipsum absolvere absque onere denunciandi.

VIII. Duplicatum stipendium potest sacerdos pro eâdem missâ licite accipere, applicando petenti partem etiam specialissimam fructus ipsimet celebranti correspondentem, idque post decretum Urbani VIII.

IX. Post decretum Urbani potest sacerdos, cui missae celebrandae traduntur, per alium satisfacere, collato illi minori stipendio, aliâ parte stipendii sibi retentâ.

X. Non est contra iustitiam pro pluribus sacrificiis stipendium accipere, et sacrificium unum offerre; neque etiam est contra fidelitatem, etiamsi promittam, promissione etiam iuramento firmatâ, danti stipendium, quod pro nullo alio offeram.

XI. Peccata in confessione omissa seu oblita ob instans periculum vitae, aut ob aliam causam, non tenemur in sequenti confessione exprimere.

XII. Mendicantes possunt absolvere a casibus episcopis reservatis, non obtentâ ad id episcoporum facultate.

XIII. Satisfacit praecepto annuae confessionis, qui confitetur regulari, episcopo praesentato, sed ab eo iniuste reprobato.

XIV. Qui facit confessionem voluntarie nullam, satisfacit praecepto Ecclesiae.

XV. Poenitens propriâ auctoritate substituere sibi alium potest, qui loco ipsius poenitentiam adimpleat.

XVI. Qui beneficium curatum habent, possunt sibi eligere in confessarium simplicem sacerdotem non approbatum ab Ordinario.

XVII. Est licitum religioso vel clerico calumniatorem, gravia crimina de se vel de suâ religione spargere minantem, occidere, quando alius modus defendendi non suppetit, uti suppetere non videtur, si calumniator sit paratus vel ipsi religioso vel eius religioni publice et coram gravissimis viris praedicta impingere, nisi occidatur.

XVIII. Licet interficere falsum accusatorem, falsos testes, ac etiam iudicem, a quo iniqua certo imminet sententia, si aliâ viâ non potest innocens damnum evitare.

XIX. Non peccat maritus occidens propriâ auctoritate uxorem in adulterio deprehensam.

XX. Restitutio, a Pio V imposita beneficiatis non recitantibus, non debetur in conscientiâ ante sententiam declaratoriam iudicis, eo quod sit poena.

XXI. Habens cappellaniam collativam, aut quodvis aliud beneficium ecclesiasticum, si studio litterarum vacet, satisfacit suae obligationi, si officium per alium recitet.

XXII. Non est contra iustitiam beneficia ecclesiastica non conferre gratis, quia collator conferens illa beneficia ecclesiastica interveniente pecuniâ, non exigit illam pro collatione beneficii, sed veluti pro emolumento temporali, quod tibi conferre non tenebatur.

XXIII. Frangens ieiunium Ecclesiae, ad quod tenetur, non peccat mortaliter, nisi ex contemptu vel inobedientiâ hoc faciat, puta quia non vult se subiicere praecepto.

XXIV. Mollities, sodomia, et bestialitas sunt peccata eiusdem speciei infimae, ideoque sufficit dicere in confessione se procurasse pollutionem.

XXV. Qui habuit copulam cum solutâ satisfacit confessionis praecepto, dicens: commisi cum solutâ grave peccatum contra castitatem, non explicando copulam.

XXVI. Quando litigantes habent pro se opiniones aeque probabiles, potest iudex pecuniam accipere pro ferendâ sententiâ in favorem unius prae alio.

XXVII. Si liber sit alicuius iunioris et moderni, debet opinio censeri probabilis, dum non constet reiectam esse a Sede Apostolicâ tamquam improbabilem.

XXVIII. Populus non peccat, etiamsi absque ullâ causâ non recipiat legem a principe promulgatam.

Damnatio ipsarum propositionum.

§ 2. Quibus peractis, dum similium propositionum examini cura et studium impenditur, interea idem Sanctissimus, re mature consideratâ, statuit et decrevit praedictas propositiones, et unamquamque ipsarum, ut minimum tamquam scandalosas esse damnandas et prohibendas, sicut eas damnat, ac prohibet: ita ut quicumque illas aut coniunctim aut divisim docuerit, defenderit, ēdiderit, aut de eis, etiam disputative, publice aut privatim tractaverit, nisi forsan impugnando, ipso facto incidat in excommunicationem, a qua non possit (praeterquam in articulo mortis) ab alio, quacumque etiam dignitate fulgente, nisi a pro tempore existente Romano Pontifice absolvi.

Prohibitio illas ad praxim reducendi.

§ 3. Insuper in virtute sanctae obedientiae et sub interminatione divini iudicii prohibet omnibus christifidelibus cuiuscumque conditionis, dignitatis ac status, etiam speciali et specialissimâ notâ dignis, ne praedictas opiniones aut aliquam ipsarum ad praxim deducant.

IOANNES LUPUS sanctae Romanae et universae inquisitionis notarius, etc.

Loco † sigilli.

DXXI.

Renovatio facultatis admittendi in collegium S. Petri universitatis studii generalis Colimbriensis unum collegialem canonistam supranumerarium, qui sit unus ex oppositoribus ad cathedras facultatis sacrorum canonum prope diem vacaturas, et, datâ primâ vacatione alicuius ex quatuor locis ordinariis collegialium canonistarum, in locum sic vacantem subintrare debeat[1].

Alexander Papa VII, ad futuram rei memoriam.

Expositio.

§ 1. Aliàs (pro parte dilectorum filiorum rectoris et collegialium collegii S. Petri universitatis studii generalis Colimbriensis Sedi Apostolicae ut asserebatur immediate subiecti nobis exposito, quod, cum in dicto collegio quatuor loca ordinaria pro totidem collegialibus facultatis sacrorum canonum, ultra alia loca collegialium aliarum facultatum, reperirentur, ipsi exponentes, provide considerantes, propter tunc imminentem vacationem cathedrarum eiusdem facul-

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

tatis sacrorum canonum, expedire, ut alius collegialis canonista supra numerum quatuor ordinariorum collegialium canonistarum praefatorum in idem collegium admitteretur, unum collegialem canonistam supranumerarium in collegium huiusmodi admittendum fore, reservato tamen nostro et dictae Sedis beneplacito, decreverant, eâ lege, ut collegialis canonista supranumerarius sic admittendus, primâ datâ vacatione alicuius ex dictis quatuor locis ordinariis collegialium canonistarum, in locum huiusmodi subintrare deberet) nos, supplicationibus dictorum exponentium nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, eisdem rectori et collegialibus, ut ipsi unum collegialem canonistam supranumerariun, qui, datâ primâ vacatione alicuius ex supradictis quatuor locis ordinariis collegialium canonistarum, in locum huiusmodi sic vacantem subintrare deberet, in collegium praedictum recipere libere et licite possent, licentiam et facultatem auctoritate apostolicâ concessimus, et aliàs prout in nostris desuper in simili formâ Brevis, die XXX iulii MDCLXIV expeditis litteris, quarum tenorem praesentibus pro plene et sufficienter expresso et inserto haberi volumus, plenius continetur.

Postulatio. § 2. Cum autem, sicut praefati rector et collegiales nobis denuo nuper exponi fecerunt, litterae nostrae praefatae effectum non habuerint, eo quod tempore illarum adventus ad illas partes iam vacaverat unus ex dictis quatuor locis numerariis sive ordinariis collegialium canonistarum huiusmodi, cui tunc de collegiali provisum fuit; nunc vero dicti exponentes plurimum expedire arbitrentur eiusmodi gratiam sibi a nobis renovari, quo uni ex oppositoribus ad cathedras praefatae facultatis sacrorum canonum propediem vacaturas gratificari possint: nobis propterea humiliter supplicari fecerunt ut sibi in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Annuit Pontifex. § 3. Nos igitur, ipsos exponentes specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, memoratis rectori et collegialibus unum collegialem canonistam supranumerarium, qui sit unus ex oppositoribus ad cathedras ut praefertur vacaturas, et, primâ datâ vacatione alicuius ex dictis quatuor locis ordinariis collegialium canonistarum, in locum huiusmodi sic vacantem subintrare debeat, in collegium supradictum recipiendi et admittendi facultatem pariter et licentiam, dictâ auctoritate, tenore praesentium, concedimus et impertimur.

Contrariis derogat. § 4. Non obstantibus praemissis, necnon omnibus et singulis illis, quae in litteris praefatis concessimus non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum in Arce Gandulphi, Albanensis dioecesis, sub annulo Piscatoris, die XXII octobris MDCLXV, pontificatus nostri anno XI.

Dat. die XXII octobris 1665, pontif. anno XI.

DXXII.

Suppressio collegii Maronitarum in civitate Ravennae erectum, etc. [1].

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

Alexander Papa VII,
ad perpetuam rei memoriam.

Proœmium. Romanus Pontifex, ex iniuncti sibi caelitus pastoralis officii debito, ea, quae a praedecessoribus suis pio quidem salubrique consilio disposita fuerunt, si progressu temporis non eum qui ab initio sperabatur effectum inde consequi cognoscit, in melius commutat, aliterque disponit, sicut, omnibus maturae considerationis trutinâ perpensis, ad omnipotentem Dei gloriam fideique catholicae conservationem et propagationem salubriter expedire in Domino arbitratur[1].

Collegii pro Maronitis in civitate Ravennatensi fundatio. § 1. Dudum siquidem (per felicis recordationis Innocentium Papam X praedecessorem nostrum accepto, quod quondam Victorius Scialac Acorensis Maronita, pro catholicae fidei et erga nationem[2] zelo ductus, nonnulla certorum montium Romanae curiae non vacabilium loca, pro instituendo in civitate nostrâ, tunc Innocentii praedecessoris, Ravennatensi, uno Maronitarum collegio, reliquerat, aliaque bona postmodum per congregationem venerabilium fratrum nostrorum, tunc suorum, S. R. E. cardinalium negotio propagandae fidei praepositorum ad eumdem effectum adiuncta fuerant) idem Innocentius praedecessor, de praefatae congregationis consilio, ad Dei omnipotentis laudem, sanctaeque ipsius Ecclesiae incrementum, praecipuamque nationis Maronitarum salutem et commodum, in dictâ civitate Ravennatensi unum collegium pro adolescentibus nationis praefatae sub invocatione S. Ephrem Syri perpetuo erexit et instituit; illique sic erecto et instituto, pro congruâ eius dote, ac alumnorum ex praedictâ natione in illo pro tempore educandorum et illis inservientium personarum sustentatione, onerumque illis incumbentium supportatione, unam domum tunc recens fabricatam in platcâ metropolitanae ecclesiae Ravennatensis, ac unam circiter quadraginta novem in villâ de Gambellaria, et alteram, possessiones, circiter septuagintaseptem tornaturarum mensurae, illarum partium in villâ de Sancterna territorii Ravennatensis iuxta suos notos fines respective sitas, quarum possessionum una tunc in sex et altera in duo petia divisae erant, cum domibus et aliis illarum pertinentiis, necnon novem fabricae secundae, et duo primae erectionum, ac duo Usini[1] secundae erectionis, et quatuordecim novennalis, et quadraginta salis tertiae erectionis montium non vacabilium Romanae curiae loca etiam perpetuo attribuit, applicavit et appropriavit; ipsumque collegium, et illius pro tempore alumnos, collegiales et personas, omnimodae iurisdictioni, regimini et gubernio eiusdem congregationis, cum facultatibus eidem congregationi aliàs auctoritate apostolicâ concessis super collegiis Avenionensibus, itidem perpetuo subiecit, supposuit et submisit; et quoniam fundatio et dotatio collegii huiusmodi maiori ex parte a praefatâ congregatione provenerat, idcirco illud declaravit collegium pontificium, membrumque eiusdem congregationis, cum diversis privilegiis, indultis, concessionibus, declarationibus, gratiis, decretis et derogationibus, et aliàs prout in ipsius Innocentii praedecessoris litteris desuper in simili formâ Brevis die VI iulii MDCXLVIII expeditis, quarum tenorem praesentibus pro plene et sufficienter expresso ac de verbo ad verbum inserto haberi volumus, uberius continetur.

1 Male ed. Main. legit *arbitramur* (R. T.).

2 In loc. parall. tom. XV, pag. 576 *a* legitur *erga suam nationem charitatis*, etc. (R. T.).

1 In loc. parall. tom. XV, pag. 577 *a* legitur *Ursini*; quid sit nescio; forsan *usinae* de qua voce vide DUCANGE (R. T.).

Suppressio eiusdem collegii.

§ 2. Cum autem, sicut accepimus, congregatio praefata (multorum annorum experientiâ comperto quod ex memorato collegio in civitate Ravennatensi, ut praefertur, erecto[1], modicus seu nullus fructus provenerit) collegium ipsum, nobis annuentibus, supprimendum esse censuerit, ita scilicet ut ipsa congregatio illius defectum uberius atque utilius maiorique cum praefatae nationis Maronitarum commodo supplere, ac desuper providere, dictique Victorii intentioni fructuosius obsecundare debeat retractis Romae eiusdem collegii bonis et rebus, venditisque illius bonis stabilibus, et illorum pretio in res maioris fructus quam bona stabilia in illis partibus reddant (ubi domus valde modicâ pensione elocari, et redditus terrenorum vili pretio aestimari solent) converso et erogato, unde eadem congregatio maiorem numerum alumnorum dictae nationis in collegio Urbano de Propagandâ Fide, vel alibi, prout nobis et ipsi congregationi opportunius videbitur, sustentare poterit; et propterea dicta congregatio, post factas mediante venerabili fratre archiepiscopo Ravennatensi multas publicas privatasque diligentias pro eisdem bonis stabilibus quantâ maiori fieri posset utilitate vendendis, tandem commiserit dilecto filio nostro Caelio eiusdem S. R. E. presbytero cardinali Piccolomineo nuncupato, nostro et Apostolicae Sedis in provinciâ Romandiolae et exarchatu nostris Ravennae de latere legato, ut negotio huiusmodi extremam manum apponeret, concessâ ei facultate vendendi domum dicti collegii cum eius ecclesiâ seu cappellâ sub invocatione S. Ephrem, necnon duas possessiones supradictas, eâque super re instrumentum celebrandi ad favorem dilecti filii Pandulphi Fantutii maioris oblatoris, mediante summâ sex millium et ducentorum scutorum monetae romanae per eum ad almam Urbem nostram suâ impensâ transmittendâ, et cum aliis pactis ipsi Caelio cardinali benevisis; ipse vero Caelius cardinalis contractum huiusmodi concluserit, et domum cum ecclesiâ, ac duas possessiones praefatas, cum omnibus illarum respective membris, iuribus et pertinentiis, per dilectum filium locumtenentem suum in civilibus generalem eidem Pandulpho pretio sex millium et ducentorum scutorum monetae huiusmodi vendi curaverit, reservato tamen desuper, quatenus opus foret, nostro et dictae Sedis beneplacito, concessâque emptori facultate apprehendendi possessionem bonorum venditorum, ac impetrandi a nobis indultum retinendi ecclesiam seu cappellam praedictam ad usum oratorii privati, seu illam profanari faciendi, eâque profanatâ utendi, necnon reservatis ad favorem eiusdem congregationis nonnullis iuribus, regaliis et aliis rebus per praefatum Caelium cardinalem seu eius deputatos aestimandis, ex quibus aliquot centenaria scutorum parium dictae congregationi proventura sperantur, ac cum pacto expresso quod ipsa congregatio in actu receptionis dicti pretii venditionem huiusmodi ratificare deberet, et aliàs prout uberius in publico desuper celebrato instrumento tenoris qui sequitur, videlicet:

(*Heic sequitur tenor instrumenti venditionis huiusmodi rogati per Benedictum notarium publicum Ravennatensem die* VIII *aprilis* MDCLXV);

§ 3. Cumque memorata congregatio instrumentum praeinsertum, servato pariter nostro et Sedis praefatae beneplacito, ratificaverit, dictamque summam sex millium et ducentorum scutorum mo-

Confirmat Pontifex prout in rubricâ.

1 Male ed. Main. legit *erecta* (R. T.).

netae per bancum dilecti filii Thomae Baccelli receperit: hinc est quod nos, opportune in praemissis providere, illorumque validitati, robori et efficaciae, quantum cum Domino possumus, consulere, ac congregationem et Pandulphum praefatos specialis favore gratiae prosequi volentes, dictumque Pandulphum a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et penis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, necnon testamenti seu alterius etiam ultimae dispositionis praefati Victorii tenorem, et alia quaecumque etiam specificam et individuam mentionem et expressionem requirentia, praesentibus itidem pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes, motu proprio, ac ex certâ scientiâ et maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, praefatum collegium nationis Maronitarum sub invocatione S. Ephrem in civitate Ravennatensi a memorato Innocentio praedecessore erectum et institutum, ut praefertur, ac eius ecclesiam seu cappellam supradictam, omnemque in illius collegii et ecclesiae seu cappellae titulum, essentiam, naturam et denominationem, tenore praesentium, perpetuo supprimimus et extinguimus; necnon tam pretium dictorum bonorum venditorum, quam cetera omnia et singula eiusdem collegii sic suppressi et extincti bona, mobilia et immobilia, loca montium, actiones et iura quaecumque, memoratae cardinalium congregationi (ita ut liceat ipsi congregationi, per se, seu suos procuratores et ministros, illorum omnium et singulorum veram, realem et actualem possessionem priâ auctoritate apprehendere et apprehensam perpetuo retinere, illaque administrare, locare et arrendare, ac illorum fructus, redditus, proventus, obventiones et emolumenta quaecumque percipere, exigere, levare, ac in sustentationem alumnorum dictae nationis Maronitarum in supradicto collegio Urbano, seu alibi, prout nobis et dictae congretioni opportunius videbitur, manutenendorum, aliosque ipsius congregationis usus, necessitates et utilitatem convertere et erogare, cuiusvis licentiâ desuper minime requisitâ), itidemque perpetuo, applicamus, attribuimus et appropriamus.

§ 4. Praeterea venditionem domus et ecclesiae, seu cappellae, ac duarum possessionum supradictarum congregationis praefatae nomine dicto Pandulpho factam, et ab eâdem congregatione ratificatam, ut praeferur, ac confectum desuper instrumentum praeinsertum, cum omnibus et singulis pactis, conditionibus, conventionibus, declarationibus, reservationibus, obligationibus et aliis in eo contentis, necnon apprehensionem et adeptionem possessionis dictorum bonorum venditorum ab eodem Pandulpho forsan factam, ceteraque inde aliàs legitime sequuta et secutura, motu, scientiâ, deliberatione, potestatis plenitudine et tenore praedictis, confirmamus et approbamus ac convalidamus, illisque inviolabilis et irrefragabilis apostolicae firmitatis robur, vim et efficaciam adiicimus, ac omnes et singulos iuris et facti, necnon solemnitatum quarumcumque, tam ex iuris communis et constitutionum apostolicarum, quam ex congregationis et collegii praefatorum, aliorumve quorumlibet, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratorum, statutorum, decretorum, ordinationum et consuetudinum, etiam immemorabilium, praescripto, usu et sty-

lo in similibus etiam de necessitate observandarum, aliosve quoscumque quantumvis formales et substantiales ac inexcogitatos et inexcogitabiles defectus, si qui in praemissis principaliter vel accessorie aut aliàs quovis modo intervenerint, seu intervenisse dici, censeri, intelligi vel praetendi possent, plenissime supplemus et sanamus, ac penitus et omnino tollimus et abolemus.

Ecclesiam collegii suppressi profanari mandat.

§ 5. Volumus autem ut ecclesia seu cappella praefata, servatis aliàs servandis, profanetur, et ad profanos, non tamen sordidos usus memorati Pandulphi emptoris reducatur, qua super re quamcumque necessariam et opportunam facultatem praefato archiepiscopo Ravennatensi, auctoritate apostolicâ, harum serie, tribuimus et impertimur.

Decretum irritans.

§ 6. Decernentes easdem praesentes litteras et in eis contenta quaecumque, etiam ex eo quod quicumque in praemissis interesse habentes seu habere quomodolibet praetendentes illis non consenserint, nec ad ea vocati, citati et auditi, seu causae, propter quas ipsae praesentes emanarunt, adductae, verificatae et iustificatae fuerint, seu ex aliâ quacumque quantumvis iustâ, piâ, legitimâ et privilegiatâ causâ, colore, praetextu et capite, etiam in corpore iuris clauso, etiam enormis, enormissimae et totalis laesionis, nullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrae aut interesse habentium consensus aliove quolibet etiam formali et substantiali ac incogitato et inexcogitabili defectu notari, impugnari, infringi, invalidari, restringi, retractari, in controversiam revocari, aut ad terminos iuris reduci, seu adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque iuris, facti vel gratiae remedium intentari vel impetrari, aut impetrato, seu etiam motu scientiâ et potestatis plenitudine paribus concesso vel emanato, quempiam in iudicio vel extra illud uti seu se iuvare posse, neque ipsas praesentes litteras sub quibusvis similium vel dissimilium suppressionum et extinctionum, applicationum et appropriationum, ac confirmationum, aliarumque gratiarum revocationibus, limitationibus, derogationibus, aliisque contrariis dispositionibus, etiam per nos et quoscumque Romanos Pontifices successores nostros, Sedemque praefatam, etiam motu, scientiâ et potestatis plenitudine paribus, ac consistorialiter et aliàs quomodolibet pro tempore faciendis, unquam comprehendi aut comprehensas intelligi, sed semper ab illis exceptas, et quoties illae emanaverint, toties in pristinum et validissimum statum restitutas, repositas et plenarie reintegratas, ac etiam de novo sub quacumque posteriori datâ per eos, ad quos spectat et pro tempore spectabit, eligendâ concessas censeri, firmasque, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac congregationi et Pandulpho praedictis aliisque ad quos in futurum quandocumque spectabit in omnibus et per omnia plenissime suffragari, sicque et non aliter in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. camerarium seu procamerarium et alios cardinales, etiam de latere legatos, necnon camerae nostrae apostolicae praesidentes, clericos, ceterosque officiales et ministros, et alios quoslibet quavis auctoritate, praeeminentiâ et potestate fungentes et functuros, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam,

quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariis derogat.

§ 6. Non obstantibus praefatis Innocentii praedecessoris litteris, ac memorati Victorii etiam ultimâ voluntate, quam quoad praemissa sufficienter et expresse commutamus, aliisque praemissis, necnon recolendae memoriae Pauli II et aliorum Romanorum Pontificum praedecessorum pariter nostrorum de rebus Ecclesiae non alienandis, et piae memoriae Pii Papae IV etiam praedecessoris nostri de gratiis qualecumque interesse dictae camerae concernentibus in eâdem camerâ intra certum tunc expressum tempus praesentandis et registrandis, ita ut praesentes litteras ibidem praesentari, insinuari et registrari nunquam necesse sit, ac de non tollendo iure quaesito, et unionibus et applicationibus perpetuis committendis ad partes, vocatis quorum interest, exprimendoque in illis vero valore, ceterisque nostris et cancellariae apostolicae regulis, necnon Lateranensis concilii novissime celebrati uniones perpetuas, nisi in casibus a iure expressis, fieri prohibentis, aliisque apostolicis, ac in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, ac congregationis et collegii praefatorum, aliisve quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis etiam congregationi et collegio huiusmodi, aliisve quibuslibet, sub quibuscumque verborum tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis, in genere vel in specie, etiam motu, scientiâ et potestatis plenitudine similibus, ac consistorialiter et aliàs quomodolibet in contrarium praemissorum concessis, confirmatis, approbatis et pluries innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut quaevis alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, atque formâ in illis traditâ observatâ, exprimerentur et inserererentur, praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides.

§ 7. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo dictae congregationis seu alicuius personae in ecclesiasticâ dignitate contitutae munitis, eadem prorsus fides ubique locorum et gentium tam in iudicio quam extra illud adhibeatur, quae ipsismet praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum in Arce Gandulphi, Albanensis dioecesis, sub annulo Piscatoris, die XXII octobris MDCLXV, pontificatus nostri anno XI.

Dat. die 22 octobris 1665, pontif. anno XI.

DXXIII.

Ut in Statu Mediolanensi et marchionatu Finariensi recitetur officium et missa Conceptionis B. M. V. Immaculatae, cum octavâ[1].

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

Alexander Papa VII,
ad futuram rei memoriam

Exordium. Ex iniuncti nobis divinitus sacrosancti apostolatus officii debito piis catholicorum regum votis, quibus gloriosissimae Virginis Deiparae Mariae veneratio promovetur et augetur, apostolici favoris libentissime adiungimus.

Postulatio. § 1. Itaque enixis piisque precibus carissimi[1] in Christo filii nostri Caroli Hispaniarum regis catholici nomine nobis per dilectum filium nobilem virum Petrum de Aragonia, ipsius Caroli regis apud nos et Sedem Apostolicam oratorem, humiliter porrectis benigne inclinati, ut in toto Statu Mediolanensi et in marchionatu Finariensi, tum a secularibus tum a regularibus utriusque sexus, qui horas canonicas recitare tenentur, officium et missa Conceptionis Beatae Mariae Virginis Immaculatae cum octavâ in posterum de praecepto recitetur cum lectionibus in octavario romano a congregatione venerabilium fratrum nostrorum sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium sacris ritibus praepositorum approbato contentis, et a die VIII ad XV decembris rite dispositis, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, mandamus et decernimus; idemque officium ad usum cleri Status et marchionatus praefatorum seorsim ab octavario romano imprimi posse concedimus.

Annuit Pontifex.

Derogatio contrariorum. § 2. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides. § 3. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides tam in iudicio, quam extra illud ubique locorum adhibeatur, quae ipsismet praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum in Arce Gandulphi, Albanensis dioecesis, sub annulo Piscatoris, die XXIV octobris MDCLXV, pontificatus nostri anno XI.

Dat. die 24 octobris 1665, pontif. anno XI.

1 Edit. Main. legit *clarissimi* (R. T.).

DXXIV.

Ut in omnibus dominiis et ditionibus regnorum Siciliae et Sardiniae recitetur officium et missa Conceptionis B. M. Virginis Immaculatae, cum octavâ[1].

Alexander Papa VII,
ad perpetuam rei memoriam.

Proœmium. Sacrosancti apostolatus officii humilitati nostrae per ineffabilem divinae bonitatis abundantiam impositi ratio postulat, ut pia catholicorum regum vota, ad augendam latiusque propagandam augustissimae Virginis Dei Genitricis Mariae venerationem tendentia, apostolicae charitatis favore libentissime prosequamur.

Expositio. § 1. Itaque enixis piisque precibus carissimi in Christo filii nostri Caroli Hispaniarum regis catholici, qui etiam Siciliae et Sardiniae rex existit, nomine nobis per dilectum filium nobilem virum Petrum de Aragonia ipsius Caroli regis apud nos et Sedem Apostolicam oratorem humiliter porrectis benigne inclinati, ut in omnibus provinciis et ditionibus regnorum Siciliae et Sardiniae, tum a secularibus tum a regularibus utriusque sexus, qui horas canonicas recitare tenentur, officium et missa Conceptionis Beatae Mariae Virginis Immaculatae cum octavâ in posterum de praecepto recitetur, cum lectionibus in octavario ro-

Concedit Pontifex ut in rubricâ.

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

mano a congregatione venerabilium fratrum nostrorum sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium sacris ritibus praepositorum approbato contentis, et a die VIII ad XV decembris rite dispositis, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, mandamus et decernimus; idemque officium ad usum cleri dictorum regnorum Siciliae et Sardiniae seorsim ab octavario romano imprimi posse concedimus.

Derogatio contrariorum.

§ 2. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides.

§ 3. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique locorum tam in iudicio quam extra illud adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum in Arce Gandulphi, Albanensis dioecesis, sub annulo Piscatoris, die XXIV octobris MDCLXV, pontificatus nostri anno XI.

Dat. die 24 octobris 1665, pontif. anno XI.

DXXV.

Confirmatio determinationis domini cardinalis protectoris super restitutione custodiae SS. Trinitatis fratrum Minorum sancti Francisci Recollectorum nuncupatorum in Gallia in pristinum statum[1].

Alexander Papa VII, ad futuram rei memoriam.

Enarratio antea decretorum.

§ 1. Aliàs pro parte dilectorum filiorum Theophili Charier custodis, ac omnium fratrum tum superiorum quam inferiorum custodiae SS. Trinitatis fratrum Minorum Ordinis sancti Francisci Recollectorum nuncupatorum, et praesertim Ioannis Baptistae Baudin, eorum specialis hac in parte procuratoris, nobis exposito, quod, pro reformatione provinciae maioris Turoniae fratrum Minorum dicti Ordinis, vigore quarumdam felicis recordationis Urbani Papae VIII praedecessoris nostri in simili formâ Brevis litterarum die XXX augusti MDCXLII et die XXII ianuarii et die XX aprilis MDCXLIII nec non die XI martii MDCXLIV respective expeditarum, dicta custodia, iuxta quasdam recolendae memoriae Clementis Papae VIII praedecessoris pariter nostri litteras, in capitulo provinciali eiusdem provinciae die XXIX augusti MDCXLIII Rhedonis celebrato per venerabilem fratrem Henricum tunc episcopum Rhedonensem apostolicum hac in re commissarium erecta et confirmata fuerat, illique sex conventus, videlicet Rhedonensis, Venitensis, Corisopitensis, Vastinensis, Inycastrensis et Castri Reginaldensis assignati extiterant; verum nihilominus fratres dictae provinciae maioris Turoniae sic erectam et confirmatam auctoritate apostolicâ custodiam huiusmodi, imo et ab ipsis receptam, laudatam et approbatam sub propriis chirographis, propter quasdam difficultates tribus conventibus principalioribus privaverant, eique tres supradictos conventus, Rhedonensem scilicet, Venetensem et Corisopitensem dare noluerant; et in eâdem expositione subiuncto, quod tunc nulla supererat spes fratribus reformatis intentam ab ipsis reformationem in dictos tres conventus, imo in totam provinciam introducendi, propter rationes alibi allatas et tantas difficultates de die in diem magis crescentes, quinimo nec pacifice in tribus conventibus, qui eis su-

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

pererant, vivendi, nisi a dictâ provinciâ maioris Turoniae omnino separarentur, tum propter exiguitatem ipsorum, tum propter penuriam locorum et iniuriam temporum; ideoque nobis eorumdem exponentium nomine humiliter supplicato ut eis de medio opportuno regulam ad litteram observandi iuxta praescriptum praefatarum Clementis praedecessoris litterarum, quibus omnes et singuli subscripserunt, providere, et ad hunc finem (cum soli fratres recollecti in Gallia sub dictis Clementis praedecessoris litteris regulam servarent) ipsis ut, unâ cum praefatis suis tribus conventibus, viciniori aut commodiori provinciae fratrum recollectorum seu reformatorum in Gallia, nempe provinciae S. Mariae Magdalenae, quae, annuente tunc existente ministro generali dicti Ordinis, eos recipere parata erat, servato tamen iure uniuscuiusque, uniri et incorporari valerent permittere, ac ad hanc unionem et incorporationem perficiendam commissario per eumdem ministrum generalem deputando plenam potestatem concedere de benignitate apostolicâ dignaremur: nos, huiusmodi supplicationibus inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositorum consilio, attentis narratis, ac audito per eosdem cardinales, et consentiente praefato ministro generali Ordinis huiusmodi, ut memorati tres conventus, nimirum Vastinensis, Inycastrensis et Castrireginaldensis, uniri et incorporari possent provinciae viciniori aut commodiori reformatorum seu recollectorum, auctoritate apostolicâ concessimus et indulsimus, ac huius unionis et incorporationis faciendae facultatem commissario ab eodem ministro generali deputando eâdem auctoritate tribuimus, et aliàs prout in nostris desuper in simili formâ Brevis die XVII septembris MDCLXIII expeditis litteris, quarum tenorem praesentibus pro plene et sufficienter expresso et inserto haberi volumus, uberius continetur.

§ 2. Cum autem, sicut dilectus pariter filius Pacificus a S. Valerio, agens generalis omnium fratrum recollectorum Galliae dicti Ordinis et procurator specialis praefatae custodiae SS. Trinitatis, nobis nuper exponi fecit, unio quidem huiusmodi vigore praefatarum nostrarum litterarum facta fuerit, sed non omnem suum effectum habuerit, quia fratres non reformati executioni earumdem litterarum sese opposuerunt, variosque desuper recursus ad iudices laicos habuerunt; dicti tamen fratres non reformati fratribus reformatis seu recollectis dictae custodiae promiserint se benevolum reformationi favorem deinceps esse praestituros si eâdem custodia in eum, in quo ante dictam unionem erat, statum restitueretur, spesque proinde effulgeat maiorem hac viâ futuram reformationis extensionem iuxta protestationem eisdem fratribus reformatis a non reformatis factam; cumque, his et aliis congregationi praefatorum cardinalium expositis, ac petito (ut eorumdem fratrum reformatorum seu recollectorum custodia, huiusmodi necessitatis et progressus reformationis habitâ ratione, ordinaretur): 1° ut dicta custodia SS. Trinitatis in pristinum statum, in quo erat ante unionem, restitueretur, cum omnibus iuribus et privilegiis ipsi per litteras praefatorum Clementis et Urbani praedecessorum, quarum vigore fuit erecta et confirmata, concessis, iterumque approbaretur et confirmaretur, scilicet cum custode in capitulo generali suffragante et novitios ad ordinem recipiendi potestatem habente, ac aliis quibus usque ad tempus dictae unionis

Motiva mutationis.

potita[1] fuit dicta custodia; 2° quod (cum tempus celebrandi proximum capitulum custodiale urgeret, custodisque et superiorum custodiae officia propter hos processus et negotia ultra biennium duravissent, et propter dilecti filii moderni ministri generalis Ordinis praedicti absentiam et distantiam, ad quem recurrendum est ut commissarius visitator super dictam custodiam deputetur, ulterius duratura essent) dicti custodis, omniumque custodiae superiorum iurisdictio et auctoritas ad sex menses prorogaretur et confirmaretur, dicta congregatio, attentis narratis, venerabili fratri nostro Francisco episcopo Portuensi eiusdem S. R. E. cardinali Barberino nuncupato, dicti Ordinis apud nos et Sedem Apostolicam protectori, commiserit, ut, constito sibi de veritate expositorum, et quatenus expedire iudicaret, iuxta petita pro suo arbitrio et prudentiâ indulgeret et decerneret; ipse vero Franciscus cardinalis protector, accepto decreto congregationis huiusmodi super praemissis emanato, constitoque sibi de veritate expositorum, decretum seu determinationem fecerit tenoris qui sequitur, videlicet:

Congregatio episcoporum et regularium ad cardinalem protectorem exponentes remittit.

« Franciscus, miseratione divinâ episcopus Portuensis cardinalis Barberinus, S. R. E. vicecancellarius, ac totius Ordinis sancti Francisci protector, corrector et gubernator.

Cardinalis protector in pristinum statum custodiam praedire ponit.

Cum ex praeinserto decreto sacrae congregationis negotiis episcoporum et regularium praepositae et a sanctissimo domino nostro super hoc specialiter deputatae commissum nobis fuerit, ut, attentis narratis, circa praescripti memorialis tenorem pro nostro arbitrio et prudentiâ quidquid in Domino expediens iudicaverimus indulgere et decernere possimus et valeamus: nos, quibus de veritate expositorum constat, visoque super hoc approbatione procuratoris generalis Ordinis et assensu, praefatam SS. Trinitatis fratrum Minorum Recollectorum custodiam in pristinum statum quo erat ante Breve sanctissimi domini nostri Alexandri Papae VII, auctoritate apostolicâ et nostrâ, reintegramus et restituimus, et eadem iura et privilegia, quibus antea per Bullas suae erectionis et confirmationis potiebatur, concedimus et confirmamus, scilicet cum custode in capitulo generali suffragante, novitios ad Ordinem recipiendum potestatem habente, ceterisque, quibus usque ad tempus dictae unionis iuribus et privilegiis in communi et in speciali potita[1] fuit dicta custodia; attentoque quod tempus proximum capitulum custodiale celebrandi urgeat, custodisque et superiorum custodiae officia ultra triennium[2] propter processus et negotia duraverint, et ad obtinendum a reverendissimo patre generali Ordinis commissarium ulterius duratura sunt, custodis electi et omnium custodiae superiorum officia, iurisdictionem et auctoritatem ad sex menses prorogamus et auctoritate apostolicâ confirmamus.

Datum Romae, in cancellariâ apostolicâ, die III augusti MDCLXV.

P. card. BARBERINUS, protector.

Locus † sigilli.

AGAPITUS COLORTIUS, secretarius:

Supplicatio.

§ 3. Nobis propterea praefatus Pacificus humiliter supplicari fecit ut decretum seu determinationem huiusmodi apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communire de benignitate apostolicâ dignaremur.

1 Perperam ed. Main. legit *posita* pro *potita* (R. T.).

1 Perperam ed. Main. legit *petita* pro *potita* (R. T.).

2 Supra dictum fuit *biennium* (R. T.).

Sententiam cardinalis protectoris confirmat Pontifex.

§ 4. Nos igitur, ipsum Pacificum specialis favore gratiae prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, de memoratorum cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositorum consilio, attentis narratis, praeinsertam determinationem dicti Francisci cardinalis protectoris, in vim decreti congregationis eorumdem cardinalium emanatam, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, benigne approbamus et confirmamus, suumque effectum sortiri mandamus.

Decretum irritans.

§ 5. Decernentes easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, plenissime suffragari, et ab illis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 4. Non obstantibus praefatis nostris litteris, aliisque praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon, quatenus opus sit, Ordinis, provinciae, custodiae et conventuum praefatorum, aliisve quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitatis aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum in Arce Gandulphi, Albanensis dioecesis, sub annulo Piscatoris, die III novembris MDCLXV, pontificatus nostri anno XI.

Dat. die 3 novembris 1665, pontif. anno XI.

DXXVI.

Extensio et communicatio privilegiorum fratrum Discalceatorum in Hispania Ordinis sancti Francisci ad omnes provincias Discalceatorum Indiarum[1].

Alexander Papa VII,
ad futuram rei memoriam.

Expositio.

Exponi nobis nuper fecerunt dilecti filii fratres provinciarum in Hispaniâ et Indiis consistentium Ordinis fratrum Minorum sancti Francisci strictioris observantiae Reformatorum seu Discalceatorum nuncupatorum, quod dudum felicis recordationis Gregorius Papa XIII praedecessor noster diversa privilegia fratribus reformatis provinciarum S. Iosephi et S. Ioannis Baptistae in Hispaniâ consistentibus strictioris observantiae huiusmodi concessit, quae praesertim respectu fratrum de Observantiâ a recolendae memoriae Clemente VIII et Urbano VIII Romanis Pontificibus praedecessoribus pariter nostris confirmata fuerunt.

1 Vide ad Constit. DCCCXX Urbani VIII, *Cum sicut*, tom. XV, pag. 313.

Supplicatio. § 1. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, provinciae fratrum reformatorum strictioris observantiae huiusmodi ad numerum duodenarium cum divini cultus augmento crevisse de praesenti reperiantur, dicti vero exponentes privilegia praedicta omnibus provinciis reformatis supradictis suffragari debere a nobis declarari summopere desiderent: nobis propterea humiliter supplicari fecerunt ut sibi in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Confirmat prout in rubrica. § 2. Nos igitur, ipsos exponentes specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositorum, qui dilectum filium procuratorem generalem Ordinis huiusmodi audierunt et praecitata privilegia eorumque confirmationes viderunt, consilio, attentis narratis, privilegia, memoratis provinciis S. Iosephi et S. Ioannis Baptistae, ut praefertur, concessa et confirmata, reliquas omnes provincias fratrum Reformatorum seu Discalceatorum strictioris observantiae huiusmodi in Hispania et Indiis consistentes comprehendere, eisque in omnibus et per omnia suffragari debere, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, declaramus; salvâ tamen semper in praemissis auctoritate congregationis eorumdem cardinalium.

§ 3. Decernentes easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si quid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Decretum irritans.

§ 4. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon, quatenus opus sit, dicti Ordinis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque. Contrariis derogat.

§ 5. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur in iudicio et extra, quae praesentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae. Transumptis credi mandat.

Datum in Arce Gandulphi, Albanensis dioecesis, sub annulo Piscatoris, die v novembris MDCLXV, pontificatus nostri anno XI.

Dat. die 5 novembris 1665, pontif. anno XI.

DXXVII.

Confirmatio decreti in capitulo generali Ordinis fratrum Minorum de Observantia et Reformatorum sancti Francisci editi, quod provinciae Angliae Ordinis huiusmodi Recollectorum nuncupatorum competat locus praecedentiae iuxta tempus suae erectionis [1].

Alexander Papa VII, ad futuram rei memoriam.

Exordium. Pastoralis officii, quod auctore Deo gerimus, sollicitudo nos admonet, ut, paternam christifidelium, qui e fluctibus seculi in religiosae vitae portum confugerunt, curam gerentes, ea, quae ad eorum favorem provide decreta fuisse noscuntur, apostolici muniminis praesidio roboremus.

Expositio. § 1. Exponi siquidem nobis nuper fecit dilectus filius Nicolaus a S. Cruce, minister provincialis provinciae Angliae Ordinis fratrum Minorum sancti Francisci Recollectorum nuncupatorum, quod in capitulo generali fratrum Minorum de Observantiâ et Reformatorum dicti Ordinis novissime celebrato editum fuit ad favorem dictae provinciae decretum tenoris qui sequitur, videlicet:

§ 2. « Anglicana provincia expostulavit ut reponeretur inter alias iuxta tempus suae erectionis, et capitulum generale decrevit ipsi competere locum praecedentiae iuxta tempus suae erectionis prout in capitulo Interamnensi MD collocanda decernitur, salvis tamen iuribus, quae a provinciis produci possent ».

Supplicatio. § 3. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, firmiora et stabiliora sint, exactiusque serventur illa, quae apostolicae confirmationis patrocinio muniuntur; nobis propterea dictus Nicolaus minister provincialis, tam suo, quam dilectorum pariter filiorum ceterorum patrum provinciae praefatae nomine, humiliter supplicari fecit, ut, ad tollendas occasiones novitatum quas nonnulli religiosi suscitare conantur, opportune in praemissis providere et ut infra indulgere de benignitate apostolicâ dignaremur. Nos igitur, eosdem Nicolaum ministrum provincialem et ceteros patres provinciae huiusmodi specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, decretum praeinsertum, in ultimo capitulo generali dicti Ordinis editum ut praefertur, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos iuris et facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Annuit Pontifex ut in rubrica.

§ 4. Decernentes easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Decretum irritans.

§ 5. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac, qua-

Derogat contrariis.

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

tenus opus sit, dicti Ordinis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XVI novembris MDCLXV, pontificatus nostri anno XI.

Dat. die 16 novembris 1665, pontif. anno XI.

DXXVIII.

Transactio inter vicarium generalem Bergomensem et fratres Minimos sancti Francisci de Paula pro receptione conventus B. Mariae Omniumque Sanctorum de Galgario nuncupati [1].

Alexander episcopus, servus servorum Dei,

Dilecto filio vicario venerabilis fratris nostri episcopi Bergomensis in spiritualibus generali, salutem et apostolicam benedictionem.

Exordium. In supremo apostolicae dignitatis culmine, meritis licet imparibus, constituti, ad ea, per quae domorum regularium necnon religiosorum in eis degentium piis exercitiis vacantium spirituali consolationi opportune consulatur, libenter intendimus, et, ut illa, quae propterea provide facta fuisse dicuntur, firma et illibata persistant, libenter, cum a nobis petitur, apostolico munimine roborari et aliàs desuper disponi mandamus, prout conspicimus in Domino salubriter expedire.

Expositio. § 1. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte dilectorum filiorum Francisci Tassis, moderni praepositi praepositurae Ss. Simonis et Iudae Bergomensis, et fratrum Ordinis sancti Francisci de Paula Minimorum nuncupatorum Bergomensium, et pro eis correctoris provincialis provinciae Venetae Ordinis praedicti, petitio continebat, quod aliàs, seu nuper, dictus Franciscus, provide considerans fratres praedictos in civitate Bergomensi propriâ habitatione carere, cupiensque interim, ut per ea, quae ipsi fratres in praedictâ civitate iam a viginti circiter annis, quibus ibidem commorantur, feliciter iecerunt salutarium operum fundamenta, religionis zelus peramplius propagetur, cultusque divinus maiora in dies suscipiat incrementa, pro singulari ipsius in dictum Ordinem devotionis affectu, praefatis fratribus, et pro eis dicto correctori, usum ecclesiae et conventus B. Mariae Omniumque Sanctorum Galgario nuncupatae prope et extra muros civitatis Bergomensis, cum duabus terrae petiolis arativis dicto conventui contiguis versus dictam civitatem ad flumen Murla similiter nuncupatum iuxta sua notissima latera sitis, quae, cum sint intra septa dicti conventus, locari non possunt, unâ cum ponte et pinnaculo, vulgo *Logetta*, super dicto flumine respective positis, capacitatis quoad terrae petiolas huiusmodi ad mensuram romanam unius petii circiter, olim Ordinis fratrum Humiliatorum etiam nuncupatorum, nunc vero (secundodicto Ordine, omnique statu et essentiâ regularibus in eo apostolicâ auctoritate perpetuo suppressis et extinctis) praeposiurae praedictae, quam dictus Franci-

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

scus ad praesens obtinet, eâdem auctoritate etiam perpetuo unitis,

Conditiones. § 2. In reliquis tamen praepositurae praedictae iuribus in omnibus et per omnia (et praesertim quoad officinam, pulverariam, ac domos et pratellum illis adiacentia, quae praepositurae praedictae et praeposito pro tempore existenti libera sint et esse semper debeant) salvis et illaesis remanentibus, cum infrascriptis, videlicet, quod ipsi fratres praedicto Francisco et dicto praeposito pro tempore existenti quolibet anno in die festo Purificationis Beatae Mariae Virginis in recognitionem unam candelam cerae albae ponderis trium librarum cum ipsius et praepositi pro tempore existentium necnon eorumdem fratrum religionis armis seu insigniis dare, armaque seu[1] insignia eiusdem praepositi pro tempore existentis super portâ maiori dictae ecclesiae exponere, ac duas quotidie, quoad assistentiam tantum necnon, cum unâ cantatâ ac officio similiter cantato vigintiquatuor missas submissâ voce recitandas et pro suffragio animabus praepositorum praedefunctorum applicandas primâ die non impeditâ a die Commemorationis omnium fidelium defunctorum (praemonito tamen prius super his eodem praeposito sive eius deputato, cui nota in scriptis per singulos sacerdotes, qui praedictas missas celebraverint, ac per superiorem et sacristanum conventus dictae ecclesiae respective subscripta et subsignata tradi et consignari debeat) in eâdem ecclesiâ quolibet anno celebrare seu celebrari facere,

Sequuntur conditiones. § 3. Ac demum onera missarum et officii celebrationis huiusmodi in tabellâ obligationum, in sacristiâ asservari et teneri consuetâ, describere et annotare teneantur et obligati existant, reservato interea cuilibet praeposito pro tempore existenti iure proprietatis et directi dominii tam quoad dictam ecclesiam quam conventum et terrae petiola supradicta, retentisque sibi et de illius familiâ tantum futuris primodictae ecclesiae praepositis, pro suâ et illorum ac cuiuslibet illorum propriâ et liberâ habitatione, atrio minori inferius ad portam et prope portam dicti conventus, ac unâ eidem atrio contiguâ cum scalis necnon duabus aliis superius per eumdem praepositum seu illius sumptibus et expensis in dicto conventu fabricatis et extructis cameris, cum libero ingressu et regressu portae eiusdem conventus, necnon accessu et recessu superius et inferius ad hortum et dormitorium, ac aliàs cum aliis pactis et conditionibus licitis tamen et honestis, sub nostro et Sedis Apostolicae beneplacito, infra certum tunc expressum et iam forsan elapsum tempus impetrando, in perpetuum concessit, prout in publico instrumento aliisque desuper forsan confectis scripturis plenius dicitur contineri.

Supplicatio. § 4. Cum autem, sicut eadem petitio subiungebat, ea, quae a Sede praefatâ approbantur et confirmantur, firmius et validius subsistant, ac melius ab omnibus observentur; ideo pro parte Francisci et fratrum ac pro eis correctoris praedictorum nobis fuit humiliter supplicatum, quatenus concessionem huiusmodi pro perpetuâ et inviolabili observatione approbare et confirmare, aliàsque in praemissis opportune providere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Approbat Pontifex ut in rubrica. § 5. Nos igitur, qui divinum cultum et fidelium devotionem ubique augeri sinceris desideramus affectibus, Franciscum et correctorem praedictos, et eorum quemlibet, necnon domus et conventus huiusmodi singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensio-

1 Male edit. Main. legit *sua* pro *seu* (R. T.),

nis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutos fore censentes, necnon instrumenti, scripturarumque huiusmodi totos tenores, praemissis tamen minime contrarios, ac ecclesiae, conventus et terrae petiolarum huiusmodi situationes, confines, vocabula, denominationes, qualitates et quantitates praesentibus pro expressis habentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, discretioni tuae per apostolica scripta mandamus, quatenus concessionem praedictam, ac, prout eam concernunt, desuper confectas scripturas ac instrumentum praedicta, cum omnibus et singulis inde legitime sequutis et sequendis, perpetuo, sine alicuius praeiudicio, dictâ auctoritate, approbes ac confirmes, ac eis perpetuae et inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicias, eamque validam et efficacem perpetuo fore et esse, ac ab omnibus uti legitime factam obser-

Irritatque quidquid secus factum fuerit.

vari et adimpleri debere, sicque, et non aliàs, per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos, vicelegatos, et Sedis Apostolicae nuncios, et quosvis alios, iudicari et definiri debere, ac quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, dictâ auctoritate decernas.

Derogat contrariis.

§ 6. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac, quatenus opus sit, primodicti Ordinis iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, anno Incarnationis Dominicae MDCLXV, nonis decembris, pontificatus nostri anno XI.

Dat. die 5[1] decembris 1665, pontif. anno XI.

DXXIX.

Declaratio circa solutionem decimae octingentorum millium monetae Hispaniarum clarae memoriae Philippo IV concessae [2].

Venerabili fratri Vitaliano archiepiscopo Ephesino, nostro et Apostolicae Sedis in regnis Hispaniarum nuncio,

Alexander Papa VII.

Venerabilis frater,
salutem et apostolicam benedictionem.

Proœmium

Aliàs nos, in subventione clarae memoriae Philippi IV, dum vixit, Hispaniarum regis catholici, indiximus et imposuimus unam semel in duobus annis tunc proximis, illorum nempe singulo pro medietate persolvendam decimam, quae in totum ad summam octingentorum millium ducatorum monetae Hispaniae ascenderet, iuxta taxam a tunc existente nostro et Apostolicae Sedis in regnis Hispaniarum nuncio taxandam, omnium fructuum, reddituum, proventuum, iurium, obventionum, emolumentorum et distributionum quotidianarum omnium ecclesiarum archiepiscopalium, episcopalium, collegiatarum et parochialium, necnon monasteriorum et conventuum, ac etiam mensarum abbatialium, capitularium, tam cathedralium, etiam metropolitanarum, quam quarumcumque collegiatarum ecclesiarum et conventualium, prioratuum quoque, ac ceterorum beneficiorum ecclesiasticorum, cum curâ et sine curâ, secularium ac quorumvis Ordinum utriusque sexus, etiam Men-

1 Ed. Main. ad marginem notat *9* (R. T.).
2 Ex Regest. in Secret. Brev.

dicantium annuos redditus habentium, tam virorum quam mulierum, necnon congregationum, institutorum et societatum regularium, etiam Societatis Iesu, et praeterea hospitalium et militiarum quarumcumque (exceptis tamen S. R. E. cardinalibus, ac fratribus militibus hospitalis S. Ioannis Hierosolymitani, qui, pro sui tutelâ contra Turcas et alios infideles, alienis auxiliis quotidie indigent, et, quoad curata, iis, quorum centum, quo vero ad simplicia beneficia ecclesiastica, iis, quorum annui redditus summam vigintiquatuor ducatorum auri de camerâ non excedunt) in regnis Castellae et Legionis et Aragoniae et Valentiae, necnon principatu Cataloniae, atque insulis Balearibus et Sardinia, omnibusque provinciis et ditionibus in eisdem regnis et insulis comprehensis existentium, et similiter omnium pensionum super praemissis assignatarum et assignandarum, et aliàs sub certis modo et formâ tunc expressis; ac praefatum tunc et pro tempore existentem nostrum et dictae Sedis in praedictis Hispaniarum regnis nuncium decimae huiusmodi collectorem cum facultatibus opportunis constituimus et deputavimus, ipsique nuncio taxam et repartimentum huiusmodi pro dictâ summâ octingentorum millium ducatorum conficiendi amplam potestatem concessimus, prout in nostris desuper in simili formâ Brevis die XX octobris MDCLXII expeditis litteris, quarum tenorem praesentibus pro plene et sufficienter expresso haberi volumus, uberius continetur.

Supplicatio. § 1. Cum autem, sicut pro parte carissimi in Christo filii nostri Caroli, earumdem Hispaniarum regis catholici, nobis per dilectum filium nobilem virum Petrum de Aragonia, ipsius Caroli regis apud nos et Sedem praefatam oratorem, nuper expositum fuit, habitâ necessitatis ecclesiarum dictorum regnorum Castellae et Legionis ratione, portio decimae praefatae easdem ecclesias contingens ex regiae maiestatis benignitate ad minorem, nempe quingentorum viginti quinque millium ducatorum dictae monetae Hispaniae summam reducta fuerit, residuo ipsis ecclesiis et personis ecclesiasticis remisso et condonato, ac etiam biennium, solutioni eiusdem decimae per litteras nostras praefatas praefinitum, eisdem ecclesiis ac personis ecclesiasticis regnorum Castellae et Legionis ad quadriennium ex pari benignitate ampliatum extiterit; idcirco nos, ut summa quingentorum viginti quinque millium ducatorum monetae huiusmodi intra quadriennium praefatum facilius exigi, taxaque et repartimentum opportunum desuper expeditius confici valeant, providere, necnon difficultatibus, quae circa praemissa oriri possent, obviare, ac exemptionem seu exceptionem praefatam ut infra moderari volentes: motu proprio, ac ex certâ scientiâ et maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, quod ex[1] parochiales ecclesias, quarum centum, et beneficia simplicia praedicta, quorum redditus annui viginti quatuor ducatorum auri de camerâ summam respective non excedunt, obtinentibus, ad contributionem et solutionem portionis decimae huiusmodi, sicut praemittitur reductae, omnes et singuli ii teneantur et obligati sint, qui ad solutionem et contributionem subsidii et primae decimae *excusati* nuncupatae in illis regnis tenentur et illa solvunt, praesentium tenore decernimus et declaramus; tibique ad omnimodam litterarum nostrarum super praemissis emanatarum cum omnibus et singulis facultatibus et indultis ibi ex-

Annuit Pontifex prout in rubrica.

1 Praeposit. *ex* nos addimus (R. T.).

pressis exequutionem, iuxta tamen decreti et declarationis in praesentibus litteris expressorum tenorem, et servatâ aliàs, in iis quae praesentibus non contrariantur, priorum litterarum nostrarum formâ, procedendi, apostolicâ auctoritate, earumdemtenore praesentium, plenam, liberam et amplam facultatem et auctoritatem concedimus et impertimur.

Obstantia tollit. § 3. Non obstantibus litteris nostris praefatis, ac omnibus illis, quae in eisdem litteris voluimus non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die IX decembris MDCLXV, pontificatus nostri anno XI.

Dat. die 9 decembris 1665, pontif. anno XI.

DXXX.

Decernit fratres laicos provinciae Turoniae maioris in Gallia Ordinis fratrum Minorum sancti Francisci de Observantiâ professione antiquiores praecedere debere fratres clericos eiusdem provinciae nondum in sacris ordinibus constitutos.

Alexander Papa VII,
Ad futurum rei memoriam.

Supplicatio. § 1. Exponi nobis nuper fecerunt dilecti filii Franciscus Pringaulr et Petrus Gaudée, fratres laici provinciae Turoniae maioris in Galliâ Ordinis fratrum Minorum sancti Francisci de Observantiâ nuncupatorum expresse professi, tam suo quam aliorum fratrum laicorum eiusdem provinciae, quorum procurationes secum attulerunt, nomine, quod dilecti filii guardianus et fratres discreti conventus S. Francisci Rhedonensis, contra generalia Ordinis ac particularia provinciae huiusmodi statuta, necnon contra antiquam hactenusque inviolabiliter observatam consuetudinem provinciarum Galliae dicti Ordinis, ipsis exponentibus nec citatis nec auditis, adeoque in spretum iuris, nuper in eorum discretorio ordinarunt quod fratres clerici sacris ordinibus nondum initiati omnibus in locis fratres laicos etiam aetate graves et in religione ac professione antiquiores praecederent, cui ordinationi postmodum assensum praebuit definitorium provinciae praedictae, decreto etiam super hoc edito in conventu Blesensi die XXII septembris MDCLXIV; et, quod gravius est, ac contra ius antiquum dictae provinciae, dicti exponentes privati etiam fuerunt voce activâ et passivâ: unde ipsi a dictis gravaminibus ad Sedem Apostolicam debito tempore appellarunt, et, denegatis a superioribus suis apostolicis, ad hanc almam Urbem nostram pro suis appellationibus prosequendis personaliter accesserunt. Quare iidem exponentes nobis humiliter supplicari fererunt ut ipsos exponentes in suis iuribus circa praecedentiam, necnon vocem activam et passivam, votumque consultivum completo quinto suae professionis anno, iuxta statuta et consuetudinem huiusmodi, praeservare, et aliàs opportune sibi in praemissis providere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Concedit Pontifex. § 2. Nos igitur, ipsos exponentes specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium negotiis

et consultationibus episcoporum et regularium praepositorum consilio, attentis narratis, ac audito per eosdem cardinales dilecto filio procuratore generali Ordinis huiusmodi, reque mature consideratâ, fratres laicos provinciae huiusmodi professione antiquiores praecedere debere fratres clericos eiusdem provinciae nondum in sacris ordinibus constitutos iuxta constitutiones et antiquam consuetudinem dictae provinciae, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, decernimus et declaramus, eosdemque fratres laicos restituimus ad usum vocis activae et passivae, et ad alia, quibus hac de causâ privati extiterunt, et propter recursum ad congregationem praefatorum cardinalium et accessum ad Urbem nullatenus molèstari mandamus et praecipimus.

Decretum irritans. § 3. Decernentes pariter easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, plenissime suffragari, et ab illis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum. § 4. Non obstantibus in contrarium praetensis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XI decembris MDCLXV, pontificatus nostri anno XI.

Dat. die 11 decembris 1665, pontif. anno XI.

DXXXI.

Quod nulli ex fratribus reformatis sancti Francisci provinciae Romanae competit ius praecedendi, sive honoratioris loci, nisi superioribus actualibus et exgeneralibus.

Alexander Papa VII, ad perpetuam rei memoriam.

Exordium. Pastoralis officii, quod superni dispositione consilii gerimus, cura animum nostrum sollicitat, ut religiosorum virorum, qui abnegantes semetipsos Altissimi obsequiis in spiritu humilitatis sese devoverunt, quieti salubriter consulere, ipsosque in laudabili eorum proposito, quantum nobis ex alto conceditur, confovere studeamus.

Motiva. § 1. Cum itaque, sicut dilecti filii minister provincialis et definitorium ac exprovinciales et fratres graduati provinciae Romanae fratrum Ordinis Minorum sancti Francisci de Observantiâ Reformatorum nuncupatorum nobis nuper exponi fecerunt, licet reformatio in provinciam praedictam magno cum humilitatis et religiosae quietis vitaeque simplicitatis studio inducta multorum annorum spatio utiliter et laudabiliter ac cum bono erga seculares exemplo viguerit, nihilominus experientiâ compertum sit, post introductum in eamdem provinciam certum praecedendi modum, illa a pristinae humilitatis statu non parum recessisse; dicti vero exponentes, ut antiqua observantia in suâ puritate semper floreat, omnisque ambitionis et relaxationis occasio mature praecidatur, quasdam felicis recordationis Urbani Papae VIII praedecessoris nostri litteras die XXII decembris MDCXLII in formâ Brevis expeditas, incipientes *Aliàs pro congregatione generali, etc.*, in quibus circa praecedentiam inter fratres strictioris observantiae familiae cismontanae dicti

Ordinis nonnulla inter alia disponuntur, quoad praedictam provinciam Romanam ad terminos aliarum eiusdem Urbani praedecessoris litterarum die XXIII augusti MDCXXXIV in simili formâ Brevis emanatarum, quarum initium est *Inter gravissimas, etc.*, a nobis rèduci, et circa subrogationes, quae deficientibus in eâdem provinciâ ministro provinciali ac patribus Ordinis et definitoribus interdum fieri debent, opportune provideri, ita scilicet ut digniores iuxta dispositionem constitutionum generalium subrogentur, circa incorporationes autem, ut aliarum provinciarum fratres, qui memoratae provinciae Romanae, obtento desuper beneplacito definitorii, incorporati fuerunt, a die incorporationis huiusmodi tantum praecedere debeant, quemadmodum statuta reformationis disponunt, statui et ordinari summopere desiderent:

A censuris absolutio.

§ 2. Nos, piis eorumdem exponentium votis in praemissis favorabiliter annuere volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes,

Confirmat prout in rubrica.

§ 3. Supplicationibus eorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium, ac dilectorum filiorum Romanae Curiae praelatorum super negotiis visitationis apostolicae ecclesiarum et locorum piorum almae Urbis nostrae a nobis institutae deputatorum, qui praemissa mandato nostro accurate discusserunt et mature perpenderunt, consilio, primodictas Urbani praedecessoris litteras, die XXII decembris MDCXLII ad supplicationem tunc existentis commissarii generalis emanatas, quoad caput praecedentiae inter fratres strictioris observantiae sancti Francisci cismontanae familiae huiusmodi respectu fratrum dictae provinciae Romanae, ad terminos aliarum secundodictarum eiusdem Urbani praedecessoris litterarum, motu proprio, die XXIII augusti MDCXXXIV editarum, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, reducimus, ita ut in posterum, etiam vigore cuiusvis indulti, ex quavis causâ vel occasione a Sede Apostolicâ vel aliàs quomodolibet impetrati, in eâdem provinciâ Romanâ nulli fratrum ius praecedendi sive honorationis loci competat nisi ministro, commissario, vicario et procuratori generalibus, ministro, commissario et vicario provincialibus, custodi, commissario, visitatori, guardianis, praesidenti, seu commissario et vicariis localibus (qui tamen, expletis eorum officiis, ad locum et praecedentiam Ordinis redibunt, tam ii, qui iam habitum per fratres gestari solitum susceperunt, ac de cetero suscipient, quam ii qui se a fratribus de Observantiâ ad fratres Reformatos dictae provinciae canonice transtulerunt et transferent, exceptis tamen iis qui ministri generalis seu commissarii generalis cismontanae familiae officio functi sunt vel fungentur, qui post superiores actuales immediate locum habeant); quo vero ad praenarratas subrogationes digniorum et incorporationes religiosorum alienae provinciae, constitutiones Ordinis et statuta reformationis huiusmodi servari, auctoritate et tenore praedictis, mandamus ac statuimus et ordinamus.

Decretum irritans.

§ 4. Decernentes privilegia et indulta super paternitate et praecedentiâ, si quae per fratres antedictae provinciae Romanae a Sede Apostolicâ deinceps impetrari

contigerit, subreptitia censeri, nisi in litteris desuper expediendis de verbo ad verbum insertus fuerit totus tenor praesentium litterarum; ipsas vero praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia inviolabiliter et inconcusse observari; sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariis derogat

§ 5. Non obstantibus primodictis Urbani praedecessoris litteris, quas, quoad caput praecedentiae respectu fratrum memoratae provinciae Romanae, volumus non obstare, perinde ac si non emanassent, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon, quatenus opus sit, Ordinis et provinciae huiusmodi, ac aliis quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes, illis aliâs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXIII decembris MDCLXV, pontificatus nostri anno XI.

Dat. die 23 decembris 1665, pontif. anno XI.

Declaratio congregationis visitationis apostolicae supra praedictâ constitutione.

Ad evitandas controversias, quae oriri possent ex intelligentiâ constitutionis sanctissimi domini nostri nuper editae super praecedentiâ sive honoratiori loco superiorum in provinciâ Romanâ Ordinis fratrum Minorum strictioris observantiae sancti Francisci, et ad pacem charitatemque inter fratres conservandam, sacra congregatio visitationis apostolicae, Sanctitate Suâ approbante, censuit super huiusmodi praecedentiâ in memoratâ provinciâ deinceps servandum esse, prout servari mandavit, ordinem infrascriptum, videlicet:

« Minister et vicarius Ordinis, commissarius generalis, minister provincialis (quem tamen commissarius visitator, durante eius commissione, praecedet); qui fuerunt ministri vel vicarii Ordinis aut commissarii generales, unum tantum superiorem actualem supra se habebunt; guardianus conventus, procurator generalis curiae, definitores generales, custos, definitores provinciales, quos Sanctitas Sua declaravit in memoratâ constitutione comprehendi, vicarius conventus (qui tamen in refectorio sedebit immediate post guardianum, sed eo absente praecedet omnes supradictos), sacerdotes et postea clerici, et tandem laici iuxta antiquitatem habitus.

Datum die III martii MDCLXVI.

PROSPER FAGNANUS,
sacrae visitationis apostolicae secret.

Loco † sigilli ».

DXXXII.

Confirmatio congregationis et instituti monialium hospitalariarum monasterii, hospitii, seu Domus Dei nuncu-

patae oppidi de la Hêche, congregationis S. Iosephi, Andegavensis dioecesis[1].

Alexander Papa VII,
ad perpetuam rei memoriam.

Proœmium. Sacrosancti apostolatus officii humilitati nostrae divinitus commissi ratio postulat, ut, sacrarum virginum et devotarum mulierum congregationes, quae uberes pietatis et christianae charitatis operum fructus, adspirante superni favoris auxilio, proferre iugiter satagunt, paternâ benignitate prosequentes, felici illarum statui et progressui quantum cum Domino possumus providere studeamus.

Expositio. § 1. Exponi siquidem nobis nuper fecerunt dilectae in Christo filiae moniales hospitalariae monasterii, hospitii, seu Domus Dei nuncupatae, oppidi de la Hêche, congregationis S. Iosephi, Andegavensis dioecesis, quod aliàs, postquam dictum monasterium de expressâ licentiâ et approbatione tunc existentis Ordinarii Andegavensis iuxta dispositionem decretorum Concilii Tridentini erectum et fundatum fuerat, ipsae exponentes subinde de simili licentiâ alia monasteria earum instituti in civitate Nemausensi, ac locis de Bauge Andegavensis, de Laval Cenomanensis, de Moulins Eduensis respective dioecesum, et de Monréal in Novâ Franciâ fundarunt, in quibus habitum novitiis exhibuerunt, easque ad professionem regularem trium votorum substantialium, paupertatis, castitatis et obedientiae, cum quarto voto de hospitalitate erga pauperes infirmos exercendâ, admiserunt, ac a multis annis alias functiones verarum religiosarum obiverunt et de praesenti obeunt, clausuram et communitatem regulares sub regulâ sancti Augustini ac propriis constitutionibus ab Ordinario approbatis servando, cum maximâ episcoporum locorum approbatione, nec minori populorum aedificatione ipsarumque exponentium spirituali utilitate.

Absolutio a censuris. § 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, praefatae exponentes, ut spiritualibus earum incrementis consulatur, et quies, qua in praesenti statu fruuntur, firmius stabiliatur, plurimum cupiant opportune sibi in praemissis a nobis provideri et ut infra indulgeri: nos, ipsas exponentes specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus earum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositorum consilio, attentis narratis, reque per eosdem cardinales mature examinatâ, earumdem exponentium congregationem et institutum, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, ipsasque exponentes veras esse religiosas declaramus.

Congregationem praedictarum monialium approbat Pontifex.

Decretum irritans. § 3. Decernentes easdem praesentes litteras, semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac dictis exponentibus in omnibus et per omnia plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores,

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum. § 4. Non obstantibus apostolicis, ac in universalibus provincialibusque conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die VIII ianuarii MDCLXVI, pontificatus nostri anno XI.

Dat. die 8 ianuarii 1666, pontif. anno XI.

DXXXIII.

Confirmatio binarum litterarum patentium magistri generalis Ordinis Praedicatorum pro felici statu et progressu congregationis B. Iacobi Veneti in provinciâ Veneta dicti Ordinis a dicto magistro generali institutae, studiisque in eâ pro promovendis emanatarum, cum prohibitione ne de cetero fratres professi eiusdem congregationis ad conventus praefatae vel alterius cuiusvis provinciae dicti Ordinis transire possint absque expressâ licentiâ dicti magistri generalis pro tempore existentis[1].

Alexander Papa VII, ad perpetuam rei memoriam.

Exordium. In sublimi Sedis Apostolicae speculâ omnium christifidelium commodis et utilitatibus iugiter invigilantes, ea, quae pro felici congregationum virorum religiosorum vota sua Altissimo in sanctitate et iustitiâ reddere satagentium statu et progressu salubriter constituta atque disposita esse noscuntur, ut firma semper illibataque permaneant, apostolici muniminis patrocinio libenter constabilimus, et aliàs opportune desuper providemus, prout ad omnipotentis Dei gloriam ac religionis incrementum expedire in Domino arbitramur.

Expositio. § 1. Exponi siquidem nobis nuper fecerunt dilecti filii fratres congregationis B. Iacobi Veneti Ordinis Praedicatorum a dilecto filio magistro generali eiusdem Ordinis in provinciâ S. Dominici Venetiarum erectae et institutae, quod aliàs idem magister generalis, regularem observantiam in dictâ congregatione stabilire, eiusque felici progressui providere, et litterarum studia promovere cupiens, binas edidit patentes litteras tenorum qui sequuntur, videlicet:

« In Dei Filio sibi dilecto admodum reverendo patri fratri Petro Martyri Pegna provinciae nostrae S. Dominici Ordinis Praedicatorum, frater Ioannes Baptista de Marinis sacrae theologiae professor eiusdem Ordinis magister generalis et servus.

« Ingeniose observavit Gilbertus abbas, quod, tametsi Lucae, c. XI, unicus tantum commemoratur fortis armatus, qui custodiat atrium suum, omniaque illic in aliâ[1] pace contineat; attamen, *Cantic.*, III, circa regium Salomonis lectulum multiplicentur armati custodes, et quidem numerentur sexaginta viri, iique delecti ex fortissimis Israël, quibus illae committantur excubiae, nempe (inquit citatus Gilbertus) uberior hîc commemoratur custodia, quia uberior est gratia lectuli quam atrii, quasi dicat in atrio, ubi minor est a seculo quies, sufficit una simplex custodia, et interiori cubiculi Salomonis, ubi sine strepitu arctior contemplantium silet recessus, multiplicandi sunt custodes, ne quid facile turbari, aut secretioris observantiae quies pos-

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

1 Vel legendum *in altâ pace*; vel *omniaque alia illic in pace* (R. T.).

sit interrumpi. Inde est quod et nos quorumdam nostrorum in provinciâ S. Dominici conventuum arctioris observantiae tamquam superiori Salomonis interiori cubili suam quoque pervigilem custodiam duxerimus multiplicandam, videlicet, ultra communes sui provinciâ, alias excubias, peculiarem ipsis addendo custodem et vicarium ex fortissimis Israël, qui dictorum conventuum securiori quieti immineat, profectui semper invigilet, ne quid palam aut furtim irrepat, quod vel exactissimae illic disciplinae sacrarium contaminet, vel studiosioris contemplationis pacata exercitia relaxato aditu interrumpat. Quod quidem consilium eo fidentius lubentiusque amplectimur, quo instantius ac opportunius huiusmodi saluberrima provisio (nostro Ordini, tam intra quam extra Italiam, haud peregrina vel inusitata) tum ab ipsismet conventuum illorum sanctiorisque observantiae asseclis, tum ab aliis viris conspicuis atque gravissimis unanimi suffragio exoptatur. Quorum pio ac rationabili voto sic quidem annuere decrevimus, ut nihilominus supradictae provinciae sua perstet inviolata membrorum omnium integritas, subordinatio, ac primaeva compages, ita quod ex hac[1] paucorum conventuum sub uno vicario novâ coniunctione, nulla eorumdem fiat a communi provinciae corpore disiunctio, nec proprii vicarii seu novi custodis adiectio veteris provincialis custodiam statione dimoveat, sed adiuvet potius, fidoque sublevamine concorditer suffulciat. Itaque harum serie te admodum reverendum patrem magistrum fratrem Petrum Martyrem Pegna praefatum, absolventes prius absolutumque fore censentes ab omni vinculo excommunicationis et quovis alio ecclesiastico impedimento (si quo esses innodatus) ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, auctoritate nostri officii, et ad solum effectum regularis observantiae tuendae ac promovendae in nostris conventibus S. Secundi, Civitatensi, Farensi, Rosaciensi, ac Iustinopolitano, et si qui alii conventus huius provinciae successivo tempore eumdem strictioris observantiae rigorem fuerint amplexati, aut pro eâdem noviter fundati, instituimus, damus, praeficimus, institutumque[1], datum, ac praefectum declaramus vicarium generalem praememoratorum conventuum seu locorum, salvâ auctoritate patris provincialis pro tempore quoad annuam eorumdem personalem visitationem et priorum ibidem canonicam confirmationem, ita tamen quod ipse nullum inde religiosum amovere, aut alium illuc assignare, vel usum ullius[2] dispensationis introducere, aut aliquid eorum, quae ad accuratissimam et litteralem constitutionum observantiam illuc introducta sunt, vel a te, tuisque[3] successoribus introducentur, relaxare, moderari, revocare, aut quoquomodo mutare possit. Cetera[4] ad te, tuumque officium, integro semper biennio a die captae possessionis in posterum duraturum, pertinebit supradictis conventibus et locis, tum habitis, tum habendis, speciali curâ superintendere, inferiores officiales praemisso maturo patrum[5] consilio instituere ac destituere, fratres assignando vel depositando, ab uno ad alium conventum seu locum transferre, cultum divinum, novitiorum educationem, ac scholarum exercitia ordinare, in ambiguis patulum ad te refugium unicuique tum superiori tum subdito ad hunc vi-

1 Ed. Main. legit *ex hoc* (R. T.).

1 Edit. Main. legit *institumque* (R. T.).
2 Edit. Main. legit *illius* pro *ullius* (R. T.).
3 Edit. Main. legit *suisque* pro *tuisque* (R.T.).
4 Aptius lege *Ceterum* (R. T.).
5 Edit. Main. legit *patruum* (R. T.).

cariatum spectanti praebere, priorum sibi[1] subiectorum oeconomiae invigilare, eiusdemque sanctae observantiae non solum firmitatem sed et incrementa, atque ulteriorem sub divino auxili dilationem[2] ardentissime promovere. Porro, ut in huius excubitoriae custodiae ac vigiliarum labore meritorum tuorum opulenta stipendia ex obedientiae thesauris feliciter multiplicentur, praecipimus tibi, in virtute Spiritus Sancti, sanctae obedientiae, sub formali praecepto, quatenus hoc onus, novumque vicarii officium, ad effectum uti supra commemoravimus, incunctanter ac sine replicâ in te suscipias, atque, ex vi huius muneris tibi iniuncti, viis omnibus regularis observantiae incolumitatem, progressum, quietem, velut ad bella doctissimus, fideliter propugnes, ensemque hunc, quem eo fine tibi porrigimus, iugiter super femur tuum circumportes, ut te custode semper in tuto sit is, quem diximus, lectulus Salomonis. Sub eodem praecepto formali mandamus omnibus et singulis nostrae curae subiectis, ut te tanquam verum et legitimum vicarium supradictorum conventuum suscipiant et revereantur. In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. Amen. Quibuscumque in contrarium non obstantibus. In quorum, etc.

Datum Romae die IV augusti MDCLXII.

Frater IOANNES BAPTISTA de MARINIS, magister Ordinis.

Frater BERNARDINUS de Venetiis, magister et socius ».

« Frater Ioannes Baptista de Marinis sacrae theologiae professor, Ordinis praedicatorum humilis magister generalis et servus, ad perennem rei memoriam et firmitatem.

» Quam utiliter ac decore litterarum studia congruant statui religioso, et praesertim nostro, qui ad praedicandum et docendum, confundendasque haereses peculialiter institutus est, nemo expressit luculentius, deduxit clarius, confirmavit validius ipso Angelico doctore nostro, qui 2. 2. quaest. CLXXXVIII[1] huic veritati quintum articulum insumpsit integrum, nec de solâ utilitate, aut ornamento, sed plane de necessitate resolutoriam pronunciat sententiam, qua directe affirmat: *Necessarium est studium litterarum religiosis ad praedicandum institutis.* Ne igitur novella congregatio nostra B. Iacobi Veneti, intra provinciam nostram S. Dominici Venetiarum ad exactum regularis observantiae rigorem specialiter coalita, magno ac pernecessario isto litterariorum exercitiorum praesidio domi suae destituatur, iniecta est nobis salubris cogitatio (ipsis quoque primariis dictae congregationis patribus unâ cum suo capite concorditer idem sollicitantibus) concedendi eidem, iuxta Ordinis usum et universalem in provinciis praxim domesticam, aliquod propriarum scholarum athenaeum, non quidem sub formâ titulove studii generalis (ne veteri huius provinciae generali studio Patavino videamur aut derogare quidquam velle, aut certe minus favere), attamen sub nomine et iure collegii pro solis tum moderatoribus tum fratribus studiosis in dictâ congregatione arctioris observantiae tenorem sive amplexis sive in posterum amplexuris; ita tamen ut eiusmodi collegii functiones et exercitia neminem ab exactâ ibidem rigidioris disciplinae lege aut eximant aut impediant, sanctaeque in omnibus uniformitati nullum subnascatur ex scholasticâ occupatione detrimentum. Porro ad hunc effectum commodius pleniusque

1 Forsan *tibi* pro *sibi* legendum (R. T.).

2 Credo legendum *dilatationem* (R. T.).

1 Male ed. Main legit *quaest. 88* (R. T.).

consequendum, de opportuno prudentium consilio, delegimus conventum nostrum S. Secundi prope inclitam urbem Venetiarum; siquidem et insula minus exposita est occasionibus distractionum, et tanti emporii vicinitas facilius admittit virorum doctorum in publicis actibus litterariis necessaria commercia. Proinde, harum serie, nostrique officii auctoritate, in praenominato conventu nostro S. Secundi (salvâ semper tum unione provinciae tum uniformi observantiae rigore in congregatione) instituimus, damus, erigimus, institutumque, datum et erectum declaramus studium tam theologicae quam philosophicae facultatis, sub formâ, nomine, privilegiis et iuribus collegii scholastici, ad modum collegii nostri Montis Dei Neapoli in congregatione Observantiae S. Mariae Sanitatis, sic tamen, ut in hoc novo collegio nulli pateat aditus sive docendi sive discendi, nisi qui in praememoratam congregationem B. Iacobi Veneti rite prius fuerit admissus et incorporatus; idque sub nullitate omnimodâ, si aliter subintrarit. Denique admodum reverendo patri vicario generali eiusdem congregationis praecipimus, in virtute Spiritus Sancti, sanctae obedientiae, sub formali precepto, quatenus ad formandum populandumque supradictum novum collegium discipulos ex suis quamprimum assignet, professores ac moderatores, quos seorsim deputavimus, suis ibidem functionibus admoveat, nihilque omittat, quod ad illius collegii felix auspicium, incrementum et florem viderit pertinere. In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. Amen. Quibuscumque in contrarium non obstantibus. In quorum fidem his, officii nostri sigillo munitis, manu propriâ subscripsimus.

Datum Romae, in conventu nostro S. Mariae supra Minervam, die XXV aprilis, anno MDCLXV.

Frater IOANNES BAPTISTA de MARINIS, magister Ordinis.

Frater BERNARDINUS de Venetiis, magister et socius ».

Pontifex confirmat.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, praefati exponentes praemissa, quo firmius subsistant et serventur exactius, apostolicae confirmationis nostrae praesidio roborari, et aliàs opportune sibi ut infra a nobis indulgeri summopere desiderent: nos, specialem ipsis exponentibus gratiam facere volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, praeinsertas binas memorati magistri generalis patentes litteras, cum omnibus et singulis contentis in illis, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos iuris et facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Prohibitio ut in rubricâ.

§ 3. Praeterea, ne de cetero fratres professi congregationis praefatae ad conventus supradictae vel alterius cuiusvis provinciae dicti Ordinis absque expressâ magistri generalis eiusdem Ordinis pro tempore existentis licentiâ transire possint, auctoritate et tenore praedictis, prohibemus et interdicimus.

Decretum irritans.

§ 4. Decernentes easdem praesentes ac praeisertas patentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et

fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab eis inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogat contrariis. § 5. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon, quatenus opus sit, Ordinis ac provinciae et congregationis huiusmodi, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XVI ianuarii MDCLXVI, pontificatus nostri anno XI.

Dat. die 16 ianuarii 1666, pontif. an. XI.

DXXXIV.

Decernit servandum et executioni mandandum esse Breve Suae Sanctitatis anno MDCLXI *emanatum, quo statutum fuit in provinciâ S. Guillelmi Franciae Ordinis Eremitarum sancti Augustini perpetuo admittendos esse decem magistros cum privilegiis loci et vocis iuxta constitutiones, etc.*

Alexander Papa VII, ad futuram rei memoriam.

Sacrosancti apostolatus officii, quo Ecclesiae catholicae regimini divinâ dispositione praesidemus, ratio postulat, ut, paternam christifidelium Altissimi obsequiis sub suavi religionis iugo mancipatorum curam peculiari studio gerentes, controversias et contentiones inter eos subortas, ne fraternae charitatis religiosaeque tranquillitatis serenitatem diutius obnubilent et conturbent, resecare atque omnino e medio tollere connitamur, sicut aequitati et iustitiae consentaneum esse in Domino arbitramur. Proœmium.

§ 1. Aliàs siquidem emanarunt a nobis litterae in simili formâ Brevis tenoris qui sequitur, videlicet: *Alexander Papa VII, ad futuram rei memoriam.* In supremo iustitiae throno, etc., (*vide* tom. XVI, pag. 733). Breve prius editum recensetur.

§ 2. Cum autem, sicut praefatus procurator generalis dicti Ordinis Eremitarum sancti Augustini nobis nuper exponi fecit, licet causa privilegiorum et acceptationis decem magistrorum seu doctorum theologorum cum eisdem privilegiis in praefatâ provinciâ S. Guillelmi seu communitate Bituricensi eiusdem Ordinis iam multoties, auditis in contradictorio partibus, agitata inter praefatos magistros ex unâ et exprovinciales ipsisque adhaerentes sub nomine dictae provinciae ex alterâ partibus, atque definitores intervenientes in eâdem causâ cum quibusdam aliis eiusdem provinciae, per litteras nostras praeinsertas in favorem dictorum magistrorum terminata, ipsaeque litterae in capitulo provinciali dictae provinciae die IX maii MDCLXII publicatae fuerint, executores Motiva.

tamen in eisdem litteris deputati, propter oppositionem, contumaciam et rebellionem exprovincialium ipsisque adhaerentium contra litteras praeinsertas, interdictâ voce dictis exprovincialibus, qui illam cum suis adhaerentibus denegant magistris, partes ad nos et hanc Sanctam Sedem remiserint; et, quamvis illis iterum citatis et auditis litteras praeinsertas executioni omnino demandandas esse decretum fuerit, nihilominus partes dictis magistris adversae in suâ rebellione, inobedientiâ et contumaciâ permanentes porrecto supplici libello sub nomine provincialis, definitorum, priorum localium, discretorum conventuum, et aliorum dictae provinciae, easdem litteras oppugnare tentaverint: nobis propterea memoratus procurator generalis humiliter supplicari fecit ut causae et controversiis huiusmodi finem imponere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Pontifex confirmat auctoritate apostolicâ prout in rubricâ.

§ 3. Nos igitur, ipsum procuratorem generalem specialis favore gratiae prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, de praefatorum cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositorum consilio, inhaerentes praefatis litteris, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, decernimus servandas et executioni demandandas esse easdem litteras praeinsertas sub poenâ nullitatis futuri capituli provincialis dictae provinciae pro tempore, quatenus non obediendo praefatis litteris et non servatâ illarum formâ celebretur, et sub poenâ privationis vocis activae et passivae, ac, in subsidium, excommunicationis omnibus vocalibus, et praesertim eis, ad quos executio dictarum litterarum praecipue spectat et pertinet, aut spectare et pertinere poterit in futurum.

Et nonnulla decreta peculiaria revocat.

§ 4. Praeterea decernimus asserta rescripta seu decreta Fugentii Petrelli olim prioris generalis dicti Ordinis data XIV iunii et VI augusti MDCXLV, sicut et Salvatoris Severini olim vicarii apostolicis eiusdem Ordinis data XVII augusti et V octobris MDCXLVIII, unâ cum statuto capituli provincialis Castelloniensis dictae provinciae edito mense aprili MDCXLVI, et rescriptum sive decretum congregationis memoratorum cardinalium, datum, ut asseritur, XXIII iulii MDCXLIX, ceteraque alia contra praefatos magistros non citatos nec auditos acta, iam per praeinsertas nostras litteras emanatas, auditis partibus, fuisse revocata et annullata, prout iterum illa omnia et singula harum serie dictâ auctoritate expresse revocamus et annullamus. Ideoque, ubi et quoties contigerit a dictâ provinciâ non admitti magistros seu doctores theologos, vel ipsos impediri accedere ad capitulum provinciale, aut denegari ipsis privilegia vocis et praecedentiae, aliaque quibus gaudere praetendunt dicti exprovinciales, excludendo ab ipsis praefatos magistros, ipso facto eisdem privilegiis privamus et privatos declaramus exprovinciales eiusdem provinciae extra corpus definitorii existentes, cum ipsi sint per constitutiones dicti Ordinis magistris posteriores. Insuper, defectu nominationis magistrorum ad formam dictarum litterarum nostrarum faciendae a definitorio praefatae provinciae pro complendo eorumdem numero post sex menses expletos a die notificationis dictarum litterarum provinciali eiusdem provin-

Aliaque ad opportunitatem iniungit.

ciae faciendae, iniungimus et praecipimus priori generali dicti Ordinis pro tempore ut nominet et constituat futuros magistros, qui repleant dictum numerum denarium magistrorum seu doctorum theologorum in dictâ provincia, non solum tres modo requisitos et vacantes ad praefatum numerum denarium complendum, qui, pro hac primâ vice, non requisîtâ dictae provinciae acceptatione, gaudeant dictis privilegiis, verum etiam perpetuis futuris temporibus, quandocumque ultra sex menses a die vacationis alicuius ex praefatis magistris dicti numeri denarii distulerint seu omiserint nominationem ad formam earumdem litterarum praeinsertarum.

Explicat quaedam.

§ 5. Quod autem in dictis nostris litteris inter alia requisita disponitur circa eos qui per decennium concionati fuerint in principalioribus ecclesiis, declaramus et disponimus intelligi de principalioribus ecclesiis, non solum cathedralibus, verum etiam parochialibus, collegiatis et conventualibus, et conciones habitae sint per decennium, computando tam cursus quadragesimales quam adventus quolibet die iuxta morem Galliae et cursus dominicales per annum; ita ut quilibet ex dictis tribus cursibus computetur in numero decem annorum concionis explendae.

Iniunctio publicationis.

§ 6. Praeterea iniungimus et praecipimus praefato priori generali pro tempore Ordinis huiusmodi, ut in litteris praesidentiae capitulorum provincialium dictae provinciae pro tempore mittendis specificam et expressam mentionem faciat praefatarum nostrarum litterarum, easque servari iubeat et faciat sub poenis in eis contentis, quibus effective subiiciat contradictores rebelles et contumaces quoscumque.

Sic faciendum.

§ 7. Denique mandamus ut nulla alia commissio expediatur super huiusmodi negotio in praeiudicium earumdem litterarum praeinsertarum; ac proinde circa praemissa omnia et singula ita fieri et observari mandamus et praecipimus sub praedictis poenis.

Decretum irritans.

§ 8. Decernentes ipsas praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Executores deputat.

§ 9. Quia vero ex tribus praelatis executoribus litterarum nostrarum praeinsertarum in eis nominatis primus viam universae carnis ingressus est, secundus autem ob nimiam suae dioecesis distantiam vix adesse potest, et solus superest tertius, nempe venerabilis frater Harduinus nunc archiepiscopus Parisiensis; idcirco eidem Harduino archiepiscopo ac venerabilibus etiam fratribus Henrico Ebroicensi et Ioanni olim Condomiensi episcopis per praesentes committimus pariter et mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum, per se, vel alium, seu alios, easdem praesentes ac praeinsertas litteras et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, et quoties pro parte magistrorum praefatorum, aliorumque in praemissis interesse habentium, seu alicuius eorum, desuper fuerint requisiti, solemniter publicantes, illisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate nostrâ ipsas praesentes ac praeinsertas litteras et in eis contenta huiusmodi ab omnibus et singulis, ad quos spectat

et spectabit in futurum, inviolabiliter et inconcusse observari, dictosque magistros, aliosque interesse habentes, et eorum quemlibet, illorum omnium et singulorum commodo et effectu pacifice frui et gaudere; non permittentes eos desuper a quoquam, quavis auctoritate, quomodolibet indebite molestari, vexari vel perturbari; contradictores quoslibet et rebelles per praefatas et alias poenas et censuras ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postpositâ, similiter compescendo, legitimisque super his habendis servatis processibus, censuras et poenas ipsas etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis.

Derogat contrariis. § 10. Non obstantibus supradictis rescriptis seu decretis, aliisque praemissis, nec non omnibus et singulis illis, quae in praeinsertis litteris concessimus non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXVI ianuarii MDCLXVI, pontificatus nostri anno XI.

Dat. die 26 ianuarii 1666, pontif. anno XI.

DXXXV.

Decernit, quod deinceps capitulum generale Congregationis eremitarum Camaldulensium de biennio in biennium, et dieta anno post celebrationem capituli huiusmodi respective celebrari debeant.

Alexander Papa VII,
ad perpetuam rei memoriam.

Recenset alias litteras. § 1. Aliàs emanarunt a nobis, ad supplicationem tunc existentium definitorum dictae generalis Congregationis eremitarum Camaldulensium, litterae in simili formâ Brevis, tenoris qui sequitur, videlicet:

Alexander Papa VII, ad perpetuam rei memoriam. Debitum pastoralis officii, etc.[1].

Motiva revocationis praefatarum litterarum. § 2. Cum autem, sicut dilectus filius procurator generalis dicta congregationis eremitarum Camaldulensium nobis nuper exponi fecit, quae in praeinsertis litteris nobis exposita fuisse narrantur, veritati minime nitantur, quandoquidem celebrationi capituli generalis eiusdem congregationis non intersint nisi maior, visitatores, et procurator generalis, ac priores eremorum ipsius Congregationis, ex quibus maior et visitatores in loco capituli huiusmodi commorantur, qui vero eius rei causâ iter agere debent, pauci sunt, quorum aliqui senectute vel infirmitate praepediti ad capitulum non accedunt, et multi in locis ab eremo Camaldulensi, ubi capitulum habetur, parum distantibus degunt; quinimo observatum fuerit quod frequens priorum mutatio minorem adferat familiarum mutationem, quod quidem praeterito quadriennio usu venit, quo in aliquâ eremo, cum prior mutari non posset, bonam partem illius religiosorum mutari oportuit; nec eremus praedicta Camaldulensis onere considerabili ex causâ paucorum eremitarum, qui paucis diebus ibidem quolibet biennio morantur, gravetur, quippe quae duodecies mille, et aliquando pluribus personis illuc confluentibus annuatim alimenta praebeat; eremitae autem Poloniae non teneantur ex praescripto constitutionum Congregationis praedictae ad capitulum accedere, nisi singulis quadrienniis, eisque datus fuerit vicarius generalis, et concessa nominatio ad praelaturas, ut minorem habeant iter agendi occa-

1 Reliquum omittimus, quia habes in tom. XVI, pag. 749 (R. T.).

sionem; cumque frequentia capitulorum eidem Congregationi in spiritualibus et temporalibus notabiliter prosit, praelatis ibidem exactissimam actionum et administrationum suarum rationem reddentibus, quod et illis intra debiti officii limites continendis non mediocriter conducit, et peropportunum est conservandae regulari observantiae, quae, novis subinde decretis, sicuti deficere videtur, firmius stabilitur in capitulo generali, cui etiam reservata sunt multa magni momenti negotia, quorum resolutionem ad quadriennium differri quandoque non expedit; quin etiam ex quadriennali capitulorum huiusmodi celebratione hoc sequatur incommodi, quod visitatores, qui visitationes suas intra biennium absolvunt, altero biennio cessarent a visitando, nec eremi interea visitarentur, attento quod constitutiones dictae Congregationis non permittant visitationes ab eisdem iterari; unde si novae visitationis gratiâ post biennium officio renunciare deberent, prout re ipsâ factum est in quadriennio proxime praeterito, inde consequeretur, ut finito ufficio non possent capitulo generali cum voce intervenire, qui tamen interventus maxime necessarius est, ut ab ipsis capitulares de statu Congregationis doceantur; ac demum considerandum sit quod per constitutiones Congregationis huiusmodi cavetur expresse, ne quis ultra sexennium, in praelaturis continuari possit, atque ita si capitula de quadriennio in quadriennium celebrarentur, necesse foret in eorum quolibet omnes praelatos mutari, quippe qui usque ad aliud subsequens capitulum, scilicet per octennium, in praelaturis huiusmodi contra earumdem constitutionum dispositionem continuare non valerent:

Absolutio a censuris.

§ 3. Nobis propterea praedictus procurator generalis, tam suo quam dilectorum pariter filiorum maioris et definitorum dictae Congregationis nominibus, humiliter supplicari fecit ut in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolicâ dignaremur. Nos igitur, incommodis praedictis, quantum nobis ex alto conceditur, occurrere, ac eiusdem Congregationis salubri directioni et utilitati consulere cupientes, dictosque magistros et definitores ac procuratorem generalem specialis favore gratiae prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, ut deinceps perpetuis futuris temporibus capitulum generale de biennio in biennium, et dieta anno post celebrationem capituli huiusmodi respective haberi et celebrari debeant, nec praelaturae dictae Congregationis ultra biennium durent, quemadmodum per constitutiones eiusdem Congregationis cautum reperitur, et, antequam praeinsertae nostrae litterae emanarent, fieri solebat, auctoritate praedictâ, tenore praesentium, concedimus et indulgemus, ac statuimus et ordinamus.

Confirmat prout in rubrica.

Revocat litteras praeinsertas.

§ 4. Ac proinde easdem litteras nostras praeinsertas, omniaque et singula in eis contenta, auctoritate et tenore praedictis ex nunc revocamus, cassamus, irritamus et annullamus, viribusque et effectu penitus et omnino vacuamus, et ex nunc revocata, cassata, irrita et nulla, viribusque et effectu penitus, et omnino vacua esse; praesentes vero litteras semper firmas, validas et effi-

caces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, decernimus.

Obstantia tollit. § 5. Non obstantibus litteris praeinsertis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis danda fides. § 6. Ceterum volumus pariter, ut praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra adhibeatur, quae praesentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXVIII ianuarii MDCLXVI, pontificatus nostri anno XI.

Dat. die 28 ianuarii 1666, pontif. anno XI.

DXXXVI.

Quod fratres Trinitarii provinciae Castellae, Aragoniae et Baeticae, aliarumque provinciarum Redemptionis Captivorum, non possint uti cappâ nigrâ.

Alexander Papa VII,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium. Ex iniuncto nobis caelitus apostolicae servitutis officio controversias inter viros religiosos exortas, ne pacis fraternaeque charitatis serenitatem obnubilent, opportunis rationibus dirimere satagimus, quemadmodum, omnibus mature consideratis, arbitramur in Domino rationi esse consentaneum.

Expositio. § 1. Exponi siquidem nobis nuper fecit dilectus filius magister generalis Ordinis fratrum Praedicatorum, quod, licet dictus Ordo a sancto Dominico fundatus proprio et peculiari habitu decoretur, nempe tunicâ et scapulari albis cum caputio pariter albo, et cappâ nigrâ cum caputio item nigro, eumque habitum, sub praescriptis formâ, colore, modo et dispositione, publice et privatim fratres Praedicatores deferre consueverint, illoque ab aliis religionibus distinguantur, et ex speciali privilegio decem Romani Pontifices felicis recordationis praedecessores nostri severissime praeceperint, ne aliquis, sive sit in Ordine, sive extra Ordinem constitutus, deferat habitum fratrum Praedicatorum, aut ita consimilem, quod propter eum frater Praedicator credi possit, absque speciali Apostolicae Sedis mandato, addicto decreto irritanti, si quid in contrarium factum fuerit, et committendo dioecesanis locorum, ut per censuras ecclesiasticas, omni appellatione postpositâ, cum requisiti fuerint, compellant quemcumque ad eum deponendum, prout ex eorumdem praedecessorum nostrorum litteris apostolicis desuper expeditis constare dicitur;

Sequitur. § 2. Nihilominus provinciae Castellae, Aragoniae et Baeticae Ordinis fratrum SS. Trinitatis Redemptionis captivorum, contra tenorem tot constitutionum apostolicarum, imo et contra usum maioris partis provinciarum suae religionis, cum suo capite ministro generali mutavere habitum album primitivum suae religionis, et deferunt cappas et caputia nigri coloris, in nullo dissimilia ab illis, quibus utuntur fratres Praedicatores, praeterquam in signo crucis, quod minime

aut parum discernit eos a fratribus Praedicatoribus, nec facit quin habeantur pro fratribus Praedicatoribus; contendentes usum cappae et caputii nigri coloris sibi esse licitum per modificationem regulae factam a recolendae memoriae Clemente Papa IV praedecessore pariter nostro sub datum Viterbii VII idus decembris anni MCCLXVII, et per concessionem factam per litteras poenitentiariae apostolicae sub piae memoriae Pio Papa IV etiam praedecessore nostro, sub datum Romae, V nonas iulii, pontificatus eius anno I, in quibus (ut asserunt) conceditur color brunus in cappis. Et quoniam hoc est libere dictum, quia talis permissio non solum non reperitur in praedictâ modificatione, imo in eâdem praecipitur contrarium, quia in illâ solummodo leguntur haec verba: *vestimenta sint lanea et alba*, ut constat ex regesto originali in archivio apostolico Vaticano existente, et hoc aliàs a similis recordationis Innocentio Papa III in primitivâ regulâ dispositum erat per eius litteras, quarum initium *Operante divinae dispositionis clementiâ*, datas Laterani, VI kalendas ianuarii MCXCVIII, pontificatus sui anno I; et in praecitatis litteris poenitentiariae apostolicae permittitur provinciae tantum Castellae usus bruni coloris determinati, illius nimirum qui in illis partibus vulgo dicitur *buriel*; in vim cuius assertae permissionis, sive proprio arbitratu, sive aliàs, praedicti fratres Ordinis SS. Trinitatis addiderunt regulae et constitutionibus, in locis ubi tractatur de vestimentis fratrum, aliquas clausulas in grave dictorum fratrum Praedicatorum praeiudicium, et contra dispositionem tot summorum Pontificum, et signanter in regulâ num. VI, § *Vestimenta*, ad illa verba, *exceptâ cappâ*, et in eodem textu relato, cap. XIV, tit. *De vestitu et honestate habitus*, et in declaratione eiusdem textus, cap. cit., § 2, ad illa verba *sed in modificatione* usque ad finem §, et in cap. VI, tit. *De signis in habitu ponendis*, text. VIII, § 1, ad illa verba *sed neque cappa*:

Supplicatio.

§ 3. Nobis propterea memoratus magister generalis, tam suo, quam totius sui Ordinis Praedicatorum nomine, humiliter supplicari fecit ut in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolicâ dignaremur. Nos igitur, ipsum magistrum generalem specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositorum, qui rem de mandato nostro, pluries partibus auditis, mature discusserunt et examinarunt, consilio, visisque per eosdem cardinales Brevibus apostolicis, et signanter regesto originali litterarum praedicti Clementis IV praedecessoris, quarum initium *In Ordine vestro*, sub datum Viterbii, VII idus decembris MCCLXVII, pontificatus sui anno III, necnon privilegiis, scripturis et instrumentis hinc inde exhibitis, aliisque videndis, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, decernimus et declaramus non licere fratribus Trinitariis, tam dictarum, quam aliarum quarumcumque provinciarum, uti cappâ nisi albi coloris, exceptâ tamen provinciâ Castellae, in qua ad praescriptum litterarum poe-

Statuit ut in rubrica.

nitentiariae apostolicae memorati Pii IV praedecessoris, sub datum Romae, v nonas iulii, pontificatus eius anno I, licere uti cappâ coloris bruni eius nimirum qui in illis partibus vulgo dicitur *buriel*, non autem nigri coloris; et ad tenorem praesentium litterarum corrigendas esse regulam et constitutiones dicti Ordinis SS. Trinitatis respective in locis, textibus, capitulis et declarationibus, in quibus tractatur de vestimentis fratrum.

Exequutores deputat

§ 4. Ut autem earumdem litterarum executioni firmius consulatur, auctoritate praedictâ committimus et iniungimus Ordinariis locorum, ut, quoties pro parte dictae religionis Praedicatorum fuerint respective requisiti, seu quilibet eorum fuerit requisitus, fratres dicti Ordinis SS. Trinitatis, qui cappam nigri coloris, seu aliàs, contra praesentium litterarum formam deferre praesumpserint, ad ipsam deponendam per censuras ecclesiasticas, aliaque iuris et facti remedia, omni appellatione postpositâ (invocato etiam, quatenus opus sit, brachii secularis auxilio), per se, vel per alios, dictâ auctoritate cogant et compellant; salvâ tamen semper in praemissis auctoritate congregationis praedictorum cardinalium.

Decretum irritans.

§ 5. Decernentes ipsas praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, inviolabiliter observari, et dicto Ordini Praedicatorum in omnibus et per omnia plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 6. Non obstantibus in contrarium deductis, etiam speciali expressione dignis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon dicti Ordinis SS. Trinitatis, eiusque provinciarum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides.

§ 7. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra adhibeatur, quae praesentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die VIII februarii MDCLXVI, pontificatus nostri anno XI.

Dat. die 8 februarii 1666, pontif. anno XI.

CDXXXVII.

Confirmatio diversorum capitulorum inter fratres conventus S. Franciscae Romanae Ordinis SS. Trinitatis redemptionis captivorum et Augustinianos reformatos hospitii Ss. Ildefonsi et Guillelmi de Urbe super statu dicti hospitii, eiusque oratorii, ac nu-

mero fratrum Augustinianorum inibi commoraturorum, aliisque articulis[1].

Alexander Papa VII,
ad futuram rei memoriam.

Prooemium. Militantis Ecclesiae regimini superni dispositione consilii praesidentes, illis, quae inter christifideles quoscumque, et praesertim illos qui e fluctibus seculi in religiosae vitae portum confugerunt, pacis, atque amabilis concordiae studio provide conventa et concordata esse noscuntur, ut stabilia semper et illibata persistant, libenter, dum id a nobis petitur, apostolici muniminis adiungimus firmitatem.

Postulatio. § 2. Exponi siquidem nobis nuper fecerunt dilecti filii fratres conventus S. Franciscae Romanae in viâ *Felici* nuncupatâ de Urbe Ordinis SS. Trinitatis redemptionis captivorum, ac fratres reformati Ordinis sancti Augustini degentes in hospitio Ss. Ildephonsi et Guillelmi in eâdem viâ, quod, pro terminandis controversiis aliàs exortis circa statum praedicti hospitii, et pro bono pacis perpetuo conservandae, sicut religiosos viros decet, ipsi fratres tam conventus quam hospitii huiusmodi die VIII februarii proxime praeteriti ad sonum campanulae capitulariter congregati coram dilecto filio Michaëleangelo curiae capitolinae notario per viam concordiae et stipulationis omni meliori modo et formâ, tam suo quam futurorum conventus et hospitii huiusmodi religiosorum nomine, convenerunt, ut inter ipsos in perpetuum observentur infrascriptae conditiones et pacta, ac iuxta illas et illa licitum sit religiosis dicti hospitii ea facere, quae continentur in articulis seu capitulis tenoris qui sequitur, videlicet:

Tenor concordiae. I. Quod debeant et obligati sint patres dicti hospitii S. Ildephonsi demolire et admovere[1] campanile in praesentiarum existens supra tectum eiusdem hospitii, et ponere campanam intra angulum eiusdem hospitii sub tecto altitudinis cornicionis e conspectu mascheronis existentis in eodem cornicione, nec in posterum possint patres erigere campanile, nec retinere campanas supra dictos tectos, nec in maiori altitudine supradicti cornicionis, et possint pulsare eamdem campanam in posterum, uti usque in praesentem pulsata extitit, quia sic, etc.

II. Quod dicti patres eiusdem hospitii non possint ullo unquam tempore per Urbem mendicare ostiatim eleemosynam, ex pacto, quia sic, etc.

III. Quod domus in praesentiarum habitata a domino Alonso de Ibarra connexa oratorio eiusdem hospitii ex parte versus ecclesiam S. Franciscae, quae domus spectat ad dictos patres praedicti hospitii S. Ildephonsi, et quaelibet alia domus, quae ipsis patribus relicta fuerit, vel ab ipsis empta versus conventum S. Franciscae, non possint ullo unquam tempore incorporare, aut dilatare eorum hospitium, sed illas retinere solum pro usu affictus pro eorum substentatione, ex pacto, quia sic, etc.

IV. Quod in festivitatibus Ordinis SS. Trinitatis et tituli S. Franciscae, et in die festo S. Catherinae virginis et martyris et S. Agnetis secundo, et feriâ quartâ Cinerum non possint dicti patres praedicti hospitii administrare sacramenta ulli personae, neque solemnizare festivitatem aliquam, sub expressâ prohibitione, ex pacto, quia sic, etc.

V. Quod status dicti hospitii semper et perpetuo stare debeat in statu hospitii, ut in praesentiarum reperitur, nec ullo unquam tempore in illo possint habitare, nec debeant habitare plures per-

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

1 Videtur legendum *amovere* (B. T.).

sonae regulares, inter sacerdotes, laicos et tertiarios, quam decem religiosi, et semper dici debeat habitatio hospitii, ex pacto, quia sic, etc.

VI. Quod, respectu formae dicti hospitii, et status in praesentiarum existentis, nullo unquam futuro tempore mutari possit in formâ conventus, nec versus ecclesiam S. Franciscae, nec versus plateam Barberinam, sed semper remanere debeat in statu praesentaneo hospitii sub perpetuâ prohibitione non ampliandi, ex pacto, quia sic, etc.

VII. Quod oratorium dicti hospitii, sub invocatione in praesentiarum Ss. Ildephonsi et Guillelmi, semper dici debeat oratorium, nec ullo unquam tempore alia denominatio acquiri possit, praeterquam oratorii, sub modo infrascripto, idest, in toto anno in diebus festivis dominicarum, festivitatum ex praecepto et devotione, et ferialium dierum retinere dictum oratorium de mane cum ianuâ apertâ, et ibi in dicto oratorio missas privatas celebrare (non tamen missas cantatas solemnes, nec vesperas solemnes et processiones) et administrare in dicto oratorio omnibus christifidelibus utriusque sexus sanctissima sacramenta Poenitentiae et Eucharistiae usque ad sonum campanae, ut dicitur, *a mezzo giorno*, et post mediam diem claudere debeant ostium dicti oratorii usque ad aliud mane, nec unquam retinere ostium apertum de die, sub expressâ prohibitione, et ita perpetuo observare, ex pacto, quia sic, etc.

VIII. Quod in solemnitatibus Ordinis eremitarum sancti Augustini et tituli dicti Oratorii et solemnitatibus S. R. E. liceat et possint dicti patres solemnizare in dicto oratorio infrascriptas solemnitates, idest in festo S. Ildephonsi episcopi et confessoris, S. Guillelmi confessoris, S. Augustini, S. Monicae, S. Nicolai de Tolentino, S. Thomae de Villanova, et in omnibus festivitatibus solemnibus gloriosae Virginis Mariae, Nativitatis D. N. Iesu Christi, Circumcisionis, Epiphaniae, Paschatis Resurrectionis, Ascensionis, Pentecostes, cum duobus sequentibus diebus, in festivitate Corporis Christi, cum suâ octavâ, et in feriâ quintâ maioris hebdomadae usque ad sabbatum sanctum, in quibus festivitatibus supradictis solummodo, ut supra, possint patres dicti hospitii retinere portam oratorii de sero etiam apertam, et in aliis temporibus anni prohibitum sit, ex pacto, quia sic, etc.

IX. Quod dicti patres dicti hospitii nullo unquam tempore futuro possint iure[1] sepulturae habere, nec cadavera mortuorum cuiuscumque sexus sepelire, sed solum licitum sit posse sepelire personas seculares cuiuscumque sexus laicos et ecclesiasticos Hispanae nationis tantum, et familiares hospitii, idest actuarios famulos, barbitonsorem, chirurgum, medicum, fabrum caementarium, procuratorem, advocatum et notarium, sub prohibitione aliarum personarum, ex pacto, quia sic, etc.

X. Quod nullo unquam tempore patres dicti hospitii possint exercere processiones cuiusvis generis, nec privatas, nec publicas, nec functiones conventuales, sed semper retinere oratorium sub usu oratorii, nec ullo unquam tempore, respective licentiarum, ut supra, concessarum, possint acquirere ius ullum ullius status ecclesiae, sed semper dici debeat status oratorii, ex pacto, quia sic, etc.

XI. Quod possint dicti patres emere situm versus plateam Barberinam, seu Sfortiae, usque ad terminum primae domus Michaëlis de Marchis, ubi in praesentiarum inhabitant dominus Laurentius

1 Forsan *iura* (R. T.).

Mongiamoroti et Elisabeth Ioannis Baptistae Fontana, et in illo situ fabricare novum oratorium latitudinis palmorum murariorum *passetti* ad usum fabri caementarii in palmis quinquagintaquinque, et longitudinis palmorum murariorum *passetti* fabri caementarii in palmis octogintaquatuor, et huiusmodi magnitudo et longitudo inservire debeat pro constructione dictae fabricae totius dicti oratorii, idest pro muris, vano oratorii et cappellis ipsius et cappellà maiore, et non plus, nec aliàs, nec dictum oratorium de novo fabricandum in futuro tempore possint asportare versus ecclesiam S. Franciscae, nec aliam longitudinem nec latitudinem habere possint neque uti in ampliatione dicti patres et constructione dicti oratorii, ex pacto expresso, quia sic, etc.

XII. Quod ex causâ dictae ampliationis, dilatationis et translationis oratorii, patres conventus S. Franciscae praestant omnem assensum et consensum licere patribus dicti hospitii S. Ildephonsi retrahere situm versus plateam Barberinam connexum eorum hospitio usque ad domum Michaëlis de Marchis, ut supra, et omni alio meliori modo, quia sic, etc. ».

Postulatio. § 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, inter praefatos exponentes primario conventum fuerit quod super praemissis obtineri deberet assensus et beneplacitum congregationis venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositae, quae die XXV ianuarii MDCLVIII decrevisse reperitur non licere fratribus Augustinianis Discalceatis Hispaniarum in viâ Felici dilatare oratorium hospitii; ipsique exponentes conventionem huiusmodi, quo firmius subsistat et servetur exactius, apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri summopere desiderent: nos, specialem eisdem exponentibus gratiam facere volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de praefatorum cardinalium consilio, attentis narratis, conventionem et capitula praeinserta, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, approbamus et confirmamus, et exequutioni demandari decernimus; salvâ tamen semper in praemissis auctoritate praefatae congregationis cardinalium.

Absolutio a censuris.

Confirmat prout in rubrica.

§ 3. Decernentes pariter easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Decretum irritans.

§ 4. Non obstantibus memorato dictae congregationis decreto, ac, quatenus opus sit, felicis recordationis Pauli Papae II et aliorum Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum de rebus Ecclesiae non alienandis, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon praefatorum conventus et hospitii, ac Ordinum, aliisve quibusvis,

Contrariis derogat.

etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, approbatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XV martii MDCLXVI, pontificatus nostri anno XI.

Dat. die 15 martii 1666, pontif. anno XI.

DXXXVIII.

Damnantur iterum plurimae aliae propositiones tamquam scandalosae prout supra in constitutione DXX.

Feria quintâ, die XVIII martii MDCLXVI[1].

Enarratio. In congregatione generali sanctae Romanae et universalis Inquisitionis habitâ in palatio apostolico Montis Quirinalis coram sanctissimo D. N. D. Alexandro divinâ providentiâ Papa VII ac eminentissimis et reverendissimis dominis S. R. E. cardinalibus in tota republicâ christianâ adversus haereticam pravitatem generalibus inquisitoribus a sanctâ Sede Apostolicâ specialiter deputatis,

§ 1. Sanctissimus dominus noster, post latum decretum die XXIV septembris proxime elapsi[2], quo vigintiocto propositiones damnatae fuerunt, examinatis sedulo et accurate usque ad hanc diem infrascriptis aliis, quadragesimumquintum numerum implentibus, per plures in sacrâ theologiâ magistros ac per eminentissimos et reverendissimos dominos cardinales adversus haereticam pravitatem generales inquisitores, eorum suffragia singillatim super unaquaque ipsarum audivit.

Prop. XXIX. In die ieiunii, qui saepius modicum quid comedit, etsi notabilem quantitatem in fine comederit, non frangit ieiunium.

XXX. Omnes officiales, qui in republicâ corporaliter laborant, sunt excusati ab obligatione ieiunii, nec debent se certificare an labor sit compatibilis cum ieiunio.

XXXI. Excusantur absolute a praecepto ieiunii omnes illi qui iter agunt equitando, utcumque iter agant, etiamsi iter necessarium non sit, et etiamsi iter unius diei conficiant.

XXXII. Non est evidens quod consuetudo non comedendi ova et lacticinia in quadragesimâ obliget.

XXXIII. Restitutio fructuum ob omissionem horarum suppleri potest per quascumque eleemosynas, quas antea beneficiarius de fructibus sui beneficii fecerit.

XXXIV. In die Palmarum recitans officium paschale satisfacit praecepto.

XXXV. Unico officio potest quis satisfacere duplici praecepto pro die praesenti et crastino.

XXXVI. Regulares possunt in foro conscientiae uti privilegiis suis quae sunt expresse revocata per Concilium Tridentinum.

XXXVII. Indulgentiae concessae regularibus et revocatae a Paulo V hodie sunt revalidatae.

XXXVIII. Mandatum Tridentini factum sacerdoti sacrificanti ex necessitate cum peccato mortali confitendi quamprimum, est consilium, non praeceptum.

1 Edit. Main. habet 1665 (R. T.).

2 Vide supra pag. 387 (R. T.).

XXXIX. Illa particula *quamprimum* intelligitur cum sacerdos suo tempore confitebitur.

XL. Est probabilis opinio quae dicit esse tantum veniale osculum habitum ob delectationem carnalem et sensibilem, quae ex osculo oritur, secluso periculo consensus ulterioris et pollutionis.

XLI. Non est obligandus concubinarius ad eiiciendam concubinam si haec nimis utilis esset ad oblectamentum concubinarii, vulgo *regalo*, dum, deficiente illo, nimis aegre ageret vitam, et aliae[1] epulae taedio magno concubinarium afficerent, et alia famula nimis difficile inveniretur.

XLII. Licitum est mutuanti aliquid ultra exigere, si se obliget ad non repetendam sortem usque ad certum tempus.

XLIII. Annuum legatum, pro animâ relictum, non durat plus quam per decem annos.

XLIV. Quoad forum conscientiae, reo correcto, eiusque contumaciâ cessante, cessant censurae.

XLV. Libri prohibiti, donec expurgentur, possunt retineri, usquedum adhibitâ diligentiâ corrigantur.

Damnat ut in rubricâ. § 2. Quibus mature pensatis, idem Sanctissimus statuit ac decrevit praedictas propositiones, et unamquamque ipsarum, ut minimum, tamquam scandalosas esse damnandas et prohibendas, sicut eas damnat ac prohibet; ita ut quicumque illas, aut coniunctim aut divisim, docuerit, defenderit, ediderit, aut de eis etiam disputative, publice aut privatim, tractaverit, nisi forsan impugnando, ipso facto incidat in excommunicationem, a qua non possit (praeterquam in articulo mortis) ab alio, quacumque etiam dignitate fulgente, nisi a pro tempore existente Romano Pontifice absolvi.

1 Edit. Main. legit *aleae* pro *aliae* (R. T.).

§ 3. Insuper districte in virtute sanctae obedientiae, et sub interminatione divini iudicii, prohibet omnibus christifidelibus, cuiuscumque conditionis, dignitatis, ac status, etiam speciali et specialissimâ notâ dignis, ne praedictas opiniones, aut aliquam ipsarum, ad praxim deducant.

IOANNES LUPUS, sanctae Romanae et universalis Inquisitionis notarius, etc.

Loco † sigilli.

DXXXIX.

Ut nuncius Sabaudiae audiat recursus subditorum principatus Masserani et marchionatus Crevacorii[1].

Venerabili fratri Petro archiepiscopo Thebarum, nostro et Apostolicae Sedis apud dilectum filium nobilem virum Carolum Emanuelem Sabaudiae ducem nuncio,

Alexander Papa VII.

Venerabilis frater,
salutem et apostolicam benedictionem.

Motiva. § 1. Cum dilecti filii consules, consiliarii et homines principatus Masserani et marchionatus Crevacorii aliorumque locorum annexorum, ob magnam eorum ab Urbe distantiam, non facile, nec sine notabili incommodo et impensâ, valeant accedere ad Apostolicam Sedem, eique suos recursus et quaerelarum causas proponere, si quando a dominis, quibus ab eâdem Sede commissi sunt, vel eorum iudicibus, sentiant se in aliquo praegravari; indeque saepius contigerit illos, praesto neminem habentes qui eos audiat et praesidio sit, animis concitatis prosiluisse in varios excessus, maximo etiam cum detrimento praedictorum dominorum loca ipsa obtinentium in feudum: nos, ex munere nobis iniuncto volentes omnium tranquillitati ac etiam

Deputat nuncium apostolicum ut in rubricâ.

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

commoditati et indemnitati prospicere, motu proprio, ac ex certâ nostrâ scientiâ, deque apostolicae potestatis plenitudine, te, de cuius probitate, prudentiâ, ac in rebus agendis dexteritate et experientiâ plurimum in Domino confidimus, constituimus et deputamus, ut recursus, si quos a quibusvis gravaminibus per dilectum filium nobilem virum principem Masserani et marchionem Crevacorii sive eius iudices praedictis consulibus, consiliariis et hominibus, tam uti universis, quam uti singulis, illatis seu inferendis, per eosdem consules, consiliarios et homines ad nos et Sedem praedictam haberi contigerit, auctoritate nostra, ac uti a nobis deputatus, audias, et quid circa illos et illa sit agendum, eidem principi, eiusque iudicibus rescribendo praescribas, et quomodo ab illis procedendum sit dirigas; in arduis vero negotiis, quae bonum regimen et statum dictorum locorum concernunt, informationes suscipias et ad nos transmittas, ut quid magis expedire censuerimus, decernere et mandare valeamus; plenamque tibi in praemissis et ceteris, quae circa illa et eorum occasione duxeris necessaria et opportuna, providendi atque statuendi et ordinandi auctoritatem concedimus et delegamus.

Mandatque ut omnes praedicto nuncio assistant et pareant.

§ 2. Mandantes propterea moderno et pro tempore existenti principi Masserani et marchioni Crevacorii, necnon universis et singulis aliis, sub nostrae indignationis aliisque nostro arbitrio poenis, ut tibi in praemissis pareant, et quidquid mandaveris exequantur, nec sub quovis praetextu aut quaesito colore vel causâ te in praedictis audeant vel praesumant directe vel indirecte impedire seu molestare, sed imo tibi in omnibus assistant, suoque adiuvent auxilio.

Decretum irritans.

§ 3. Decernentes irritum et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariis derogat.

§ 4. Non obstantibus praemissis, ac felicis recordationis Bonifacii Papae VIII praedecessoris nostri de unâ, et concilii generalis de duabus dietis, ac quibusvis aliis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon, quatenus opus sit, principatus, marchionatus et locorum praedictorum et aliis quibuslibet, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, sub quibuscumque verborum tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis, ac irritantibus et aliis decretis, in genere vel in specie, aut aliàs in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso et formâ in illis traditâ observatâ inserti forent, praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die v aprilis MDCLXVI, pontificatus nostri anno XI.

Dat. die 5 aprilis 1666, pontif anno XI.

DXL.

Declaratio super reservatione beneficiorum.

Alexander episcopus,
servus servorum Dei,
ad perpetuam rei memoriam.

Dubia exorta. § 1. Cum noviter, in quadam lite et causâ pendente in tribunali auditoris camerae super executione litterarum apostolicarum in formâ Brevis expeditarum, inter provisum apostolicum de quibusdam beneficiis dioecesis Bononiensis actorem ex unâ, et provisum a cardinali indultario reum conventum partibus ex alterâ, in controversiam positum fuerit, an constitutio felicis recordationis Benedicti Papae XII, quae incipit *Ad regimen*, edita III idus ianuarii anni MCCCXXXV, per Summos Pontifices praedecessores nostros innovari solita, et per nos quoque innovata in regulâ primâ cancellariae, induxerit reservationem beneficiorum a notariis Sedis Apostolicae, protonotariis nuncupatis, et a scriptoribus litterarum apostolicarum et ab aliis officialibus dictae Sedis ibidem expressis obtentorum ratione solius familiaritatis pontificiae eisdem officialibus concessae a piae memoriae Paulo Papa III in eius constitutione quae incipit *Sanctissimus* lectâ et publicatâ in cancellariâ apostolicâ die XXII decembris, pontificatus anno I, aut forsan etiam ab aliis Pontificibus antecessoribus aut successoribus, vel potius ratione officii; item an ad effectum reservationis requiratur obitus eorumdem officialium in Romanâ Curiâ, vel intra duas dietas, vel potius reservatio intret ubicumque eos mori contigerit; et insuper an protonotariatus adeptus ex militiâ militum piorum, et scriptoratus litterarum apostolicarum separatim acquisitus, constituant duas reservationes personales exclusivas indultorum cardinalium ad praescriptum constitutionis editae a recolendae memoriae Urbano Papa VIII incipientis *Quamvis*, sub datum die XV iulii, pontificatus anno XIX, vel potius constituant unam tantumomodo localem ex ficto obitu officialium in curiâ:

Discussio eorumdem. § 2. Ut materia haec adeo exemplaris maturius discuteretur, mandavimus in causâ et causis praedictis per dictum auditorem camerae procedi de voto rotae nostrae, et sub die XXIV ianuarii MDCLXI coram dilecto filio magistro Priolo eiusdem rotae auditore, proposito dubio super executione Brevis praedicti, fuit negative resolutum; et subinde iterum atque iterum repropositâ causâ sub diebus primâ iunii anni MDCLXIII et XXVIII aprilis anni MDCLXIV, eâque ex speciali nostro mandato discussâ per omnes eiusdem rotae auditores, resolutio capi non potuit propter discrepantia auditorum suffragia

Nulla lata sententia. § 3. Interim vero emanatis aliis provisionibus apostolicis de aliis diversis beneficiis, ad retardandam earumdem provisionum executionem allegata fuit decisio praedicta, quamvis per dictam iteratam repropositionem sine ullius resolutionis conclusione in suspenso remanserit.

Novum examen. § 4. Unde causarum et litium celeri expeditioni pro posse, sicut debemus, providere volentes, cognitionem, discussionem et resolutionem dubiorum praedictorum demandavimus quinque Romanae curiae praelatorum congregationi, a qua, collitigantibus praedictis plene informantibus, eorumque ac datariae nostrae iuribus iterum atque iterum sub diebus XXI et XXVIII martii labentis anni MDCLXVI accurate discussis, declaratum ac resolutum fuit beneficia protonotariorum, scriptorum et aliorum officialium enumeratorum in dictâ constitu-

tione *Ad regimen* esse reservata ubicumque decedant etiam extra Romanam curiam et extra duas dietas: itemque reservationem beneficiorum obtentorum per dictos officiales intrare etiam ratione solius officii; et insuper protonotariatum ex dictâ militiâ piâ, sive militum piorum, et scriptoratum separatim acquisitum constituere duas reservationes personales coaequales exclusivas indulti.

Decisio. § 5. Ne autem materia haec plene discussa et resoluta amplius in dubium revocetur in praedictâ vel aliis causis, inhaerentes vestigiis diversorum praedecessorum nostrorum, qui, ut litium anfractus praescinderent, dubia iuris, tam pro causis pendentibus, quam etiam pro futuris, proprio oraculo declararunt, sicut in materiâ reservationis beneficiorum inter ceteros fecerunt similis memoriae Paulus Papa II in constitutione quae incipit *Ad Romani*, et dictus Urbanus in constitutione suâ praefatâ, motu nostro proprio, non ad alicuius nobis super hoc oblatae petitionis instantiam, sed ex certâ scientiâ, et de apostolicae potestatis plenitudine, singularum constitutionum et declarationum hactenus per dictos praedecessores nostros respective factarum et ordinatarum tenores, etiam veriores, ac datas praesentibus pro expressis habentes, omnes et singulas resolutiones et declarationes praedictas emanatas a dictâ congregatione quinque praelatorum confirmamus, approbamus, et eis inviolabile firmitatis apostolicae robur adiicimus, sicque iterum et pariformiter nos quoque auctoritate apostolicâ declaramus, talemque esse mentem et intentionem nostras denunciamus, et ita pro lege declaratoriâ ubique inviolabiliter observari volumus et mandamus, tam in praedictâ, quam etiam in omnibus aliis litibus et causis pendentibus, atque in aliis omnibus de cetero movendis; et praemissa ut supra declarata in controversiam deinceps revocari non posse, neque licere, praecipimus et iubemus; sicque et non aliter per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, et S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos et Apostolicae Sedis nuncios, et quoscumque alios, etiam speciali expressione indigentes, iudicari et definiri et interpretari debere, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, ac irritum et inane decernimus si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Sanctio poenalis. § 6. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae confirmationis, approbationis, adiectionis, declarationis, denunciationis, voluntatis, mandati praecepti, iussionis et decreti infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, anno Incarnationis Domini MDCLXVI, VI idus aprilis, pontificatus nostri anno XI[1].

Dat. die 8 aprilis 1666, pontif. anno XI.

DXLI.

Bulla seu litterae decretales canonizationis sancti Francisci de Sales episcopi Genevensis[2].

1 Ab electione XII (R. T.).

2 Vide Const. CCXIV (al. 213) huius Pontificis, in qua habetur canonizatio S. Thomae de Villanova archiepiscopi Valentini, tom. XVI, pag. 396.

Alexander episcopus,
servus servorum Dei,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium. Ecclesia catholica, etsi, cumpluribus munita praesidiis, firmata propugnaculis et armata militibus, inferorum insultantium portas non reformidat, eo tamen post Christi merita potissimum sustentatur auxilio, quod servorum Dei sanctitas assiduo subministrat; nam, cum hoc veluti ingenitum mortalibus sit ut exempla magis quam documenta sequantur, mirum est quantum alterum ex his in Ecclesiâ Domini proficiat. Idcirco Christus Iesus, verus Dei verusque hominis filius, unum atque alterum pro duplicis suae naturae hypostasi ineffabiliter adimplevit. Hinc illius verba, si quando doctrinam loqueretur: « Doctrina mea non est mea, sed eius, qui misit me Patris »; et haec alia, si quando agenda proponeret: « Exemplum dedi vobis, ut quemadmodum feci vobis, ita et vos faciatis ».

Sancti habentur veluti lumen mundi. § 1. Quae cum ita se habeant, antecessores nostri Spiritu Sancto instructi laudabilem in Ecclesiâ morem induxere, nempe in excelso loco Sanctitatem constituendi; ut, veluti lumen illius lucis vicarium, quae de se dixit: « Ego sum lux mundi, et qui sequitur me non ambulat in tenebris », non sub modio absconditum, sed in candelabro elatum luceat coram hominibus, eosdemque a veneratione ad imitationem, viâ stratâ ad caelestis et triumphantis Hierosolymae nunquam interituras delicias dirigat, inferatque. Et sane viros, de christianâ republicâ morum sanctimoniâ et fidei praedicatione benemeritos, debitis, hoc est divinis honoribus non prosequi, quidquid sibi velit impietas, indecorum ac iustitiae absonum haberetur.

Franciscus de Sales inter Sanctos referendus. § 2. Nos igitur his de causis, veterem Romanorum Pontificum consuetudinem secuti, post fusas ad Deum preces, auditasque venerabilium fratrum nostrorum sententias, inter nomina catholicae Ecclesiae veneranda Franciscum de Sales episcopum Genevensem, doctrinâ celebrem, sanctitate admirabilem, aetatique huic nostrae contra haereses medicamen praesidiumque, referre, Numine inspirante, decrevimus.

Huius infantia describitur. § 3. Natus est Franciscus XII kalendas septembris anno reparatae salutis sexagesimo septimo supra millesimum ac quingentesimum, ablutusque sacro baptismatis fonte in oppido Salesiano ducatus Sabaudiae Genevensis dioecesis. Suae domus haereditariâ ab ipsis incunabulis nobilitate conspicuam pietatem hausit, infantiamque non more solito inter crepundia, sed agente pietatis spiritu inter altariola, quae sibi ipse adornaverat, suae praeludens sanctitati angelicae, exegit; tantumque charitatis erga pauperes concepit, ut, nisi aliquid illis erogaret, in lacrimas se effunderet. Ab infantiâ ad pueritiam per pietatis simul ac sapientiae gradus evasit; orationi vâcabat inter studia litterarum; non fora, sed templa solitus invisere; et, effugiens commercia improbitatis, nonnisi semina probitatis vel excipiebat vel serebat. Inde, sacro chrismate roboratus, ad altiora tum virtutis tum doctrinae ornamenta complectenda se contulit, ut opportunius atque utilius divinae gratiae instrumentum fieret. Sortitus enim animam bonam, eamdem optimam reddidit accuratiore studio tum litterarum tum morum. Humanioribus litteris in collegio Annesiensi perceptis, philosophiae, theologiaeque arcana in academiâ Parisiensi didicit, non sine ingenti virtutum ac sanctimoniae profectu; nam simul frequentabat sodalitatem Deiparae addictam in gymnasio Societatis Iesu, ibique non solum octavo quoque die sacrâ mensâ animam reficiebat, sed omnia

Pueritia insignis.

pietatis exercitamenta exhibebat, praesertim ea, quae ad cultum eiusdem Deiparae pertinebant, adeo ut, ante eius simulacrum, quod in aede S. Mariae Graecorum colitur, supplex, votum perenne virginitatis nuncupaverit. Hoc voto veluti pharmaco salutari roboratus, ad iurisprudentiam capessendam accessit Patavium, ubi non unam sensit voti opem elusis artibus nonnullorum condiscipulorum, qui per impudentiam illi obtulerant impudicarum mulierum illecebras, quas, et salivâ in illarum faciem coniectâ, et mente constanter repugnante deiecit. Absoluto studiorum curriculo, Romam se contulit, ut antiquae ibi vigentis pietatis vestigia recognosceret, atque novis moribus exprimeret, et nactus par suae religioni ac fidei theatrum, traxit e caelo incredibilem spiritum ad perficiendam omni ex parte molem sanctitatis ab infantiâ inchoatam, et in iuventutis aestu non modo conservatam, sed auctam.

Votum virginitatis emisit.

§ 4. Igitur sui et mundi victor in patriam remigravit, ut fructus legeret litterarii laboris: nec spem fefellit, aut suam, aut civium: certe Granerius, id temporis episcopus Genevensis, eo conspecto, illic[1] praesensit messem quam eius adventus afferebat; exclamavitque divinans, non sine gaudio, habere se iam successorem suum. Statim ei patuit liber campus, amplissimusque ad animas excolendas, quo sponte ferebatur. Quamvis, enim ut parenti obsequeretur, advocatorum supremorum partes susceperat, mox ubi sensit se ad nuptias per votum abdicatas vocari, abiecit senatoriam togam, et sacerdotio per omnes sacri ordinis gradus initiatus, maioris ecclesiae praepositus Annesii renunciatus est. Illud semper in ore et mente repetens, « Quicquid pro aeternitate non est, vanitas est », omne studium convertit ad aeternitatem ubique ferendam, institutâ societate Sanctissimae Crucis de poenitentibus, adductis ad Ecclesiae catholicae gremium magni nominis haereticis, et praeterea sumpto divini verbi gladio, quo armatus ac potens, episcopo iubente, adorsus est haeresim Calvinianam in Caballicensibus aliisque finitimis populis grassantem. Incredibile dictu est, quo animi ardore, qua pectoris constantiâ, qua mentis alacritate, quam firmâ in Deum fiduciâ, quam robustâ in proximum charitate pugnaverit ac vicerit. Ferunt eum ex vertice arcis Allingianae aliquando conspexisse enormem catholicae religionis stragem, quam subiectis circum terris haeresis ediderat, ac tanto fuisse pietatis studio agitatum, ut, emisso cordis altissimo suspirio, non potuerit sibi temperare quin mox Tononum, eius provinciae caput, se contulerit; ibique, erecto veritatis vexillo, per patientiam et doctrinam omnibus omnia factus iacentem religionem sustinuit, et dominantem impietatem fregit ac deiecit, quasi alter David. Sed illud in primis egregie gessit, quod nusquam nec unquam negotium fidei desperaverit, sed maior laboribus, impedimenta omnia, si non poterat tollere, vel effiugiebat vel eludebat. Prohibitus Tononi sacrum conficere, in arcem Allingianam memoratam quatuor milliaribus distantem quotidie ibat, ut ibi sacrificaret, atque eâdem de causâ flumen Druentiae traiiciebat singulis diebus per trabem glacie concretam manibus ac pedibus repens. Vexatus calumniis, et ubique tamquam publicae quietis perturbator, seductor populorum, et plane veneficus conclamatus, nullo infamiae metu, nullo insidiarum strepitu, nullo vitae discrimine adduci potuit ut tentatam fidei catholicae restitutionem aliquâ ratione

Sacerdotio insignitur.

Contra haereticos adorsus.

1 Forsan *illico* pro *illic* legendum (R. T.).

omitteret, neque usquam adhibuit in consilium eam, quam prudentiam humanam, seu nominis aestimationem vocant; sed, evangelici dicti memor, cum haud liceret palam, aperteque vivere, ac fidem contestari, in obvias ubique latebras sese abdebat, ut post modicum silentium insurgeret adversus haeresim vehementius, nunc in furnis, nunc in maceriis, nunc in horroribus sylvarum, nunc in profundo altissimoque gelu continebat impetum zeli, absconditus velut in Domini tabernaculo, quo insidiantibus haereticis incompertus validius insultaret.

§ 5. Inde, animo excelso sublimique manifesta mortis sibi intentatae argumenta irridens, abnuebat praesidia et custodiam militum, adeo ut rogatus a barone Ernanciano, arcis Allingianae praefecto, ut nonnisi militari manu stipatus ex arce prodiret, responderit, non alio militum satellitio esse opus, quam eo, quod divina providentia destinaverat. Immo, cum idem assereret haereticos vi coërcendos, ostentaretque tormenta bellica et militare subsidium quo posset Franciscus uti ad eosdem haereticos vel comprimendos vel ad meliorem frugem revocandos, ingenue professus fuit quam alte de divini verbi potentiâ sentiret, affirmans, opus non esse machinis; ubi Deus eius verbum audiri permitteret. Neque Deus tantam eius fiduciam fraudavit: nam cum sicarii complures immissi ad eum de medio tollendum, tandem Franciscum nacti strictis gladiis caedem facturi in eum irruissent, eius praesentiâ et lenitate permoti, deiecti, ac exarmati fuere: nunquam enim Deus eos sinit cadere, qui spe divinae providentiae fidem sustinent. Propterea de caelesti patrocinio iam ob innumera experimenta certus, maluit agere Dei causam, quam exequi imperium parentis, a quo iubebatur vitae tot insidiis appetitae consulere, suamque domum repetere, ubi per quietem ac securitatem fas erat Deo superisque liberius vacare.

Sicarii immissi ad eum occidendum eius comitate permoti exarmati fuere.

§ 6. Quin studiosius, accuratiusque in Ecclesiae defensionem incumbit, et cum voce prohiberetur adiuvare populorum fidem, coepit ex scripto, pluribus confectis libellis, evulgatisque thesibus, intime haeresim percellere, tantumque effecit, ut Tononi parochiam erexerit, et paulo post, cum insigni religionis catholicae incremento, plures ad veritatis lumen viros doctrinâ celebres, quorum praecipue auctoritate mendacium nitebatur, adduxerit. In hoc tamen fidei[1] augmento prudentiae modum retinuit, ne liberius agens aucta perderet. Itaque curionis partes agens, et Eucharistiae sacramentum ad catholicos in vitae discrimine positos deferens, ne quid iniuriae sacrosanctae Eucharistiae sectarii inferrent, eam gestabat argenteâ thecâ inclusam e collo pendulam: ipse interim pileo tectus, pallio circumvolutus, gravi passu, neminem de viâ salutans, venerandus[2] incedebat.

Parochiam Tononi erexit.

Eucharistiam infirmis in theca inclusam deferebat.

Hisce artibus praestans, iussus fuit a Clemente VIII felicis recordationis praedecessore nostro adire Theodorum Bezam Calvinianae haeresis acerrimum ministrum ac propugnatorem, et cum solo solus agere, ut, eâ ove ad Christi ovile reductâ, complures alias revocaret: quod sane eximie Franciscus praestitit, Genevae non sine vitae periculo cum Beza congressus, qui tamen, ut ex merito confutatus veritatem fassus est, ita ex scelere, arcano Dei iudicio, indignus fuit qui ad Ecclesiam rediret.

Haereticum Bezam confutavit.

§ 7. Interea Tononum et circumiectam regionem dira lues invasit cum

Lue correptis succurrit.

1 Ed. Main. legit *fide* (R. T.).

2 Forsan *venerabundus* (R. T.).

enormi civium clade, in qua Franciscus tam amanter, tam constanter, tam industrie corpora animosque tum subsidiis tum documentis procuravit, ut omnibus et stupori et amori fuerit, praesertim cum omnia pecuniae adiumenta, praecipue ab episcopo Granerio impartita, recusasset. Quapropter episcopus, his certissimis sanctimoniae indiciis compulsus, eum sibi coadiutorem episcopalis curae destinavit, rogavitque memoratum praedecessorem nostrum Clementem, ut Franciscum, quem Romam ob catholicae fidei negotia mittebat, huiusmodi dignitate ornaret; quod idem Clemens libentissime praestitit, cognitâque eius doctrinâ per examen de more interrogatâ, eumdem ad pedes devolutum amplexans his verbis dimisit: « Vade, fili, et bibe aquam de cisternâ tuâ, et fluenta putei tui, deriventur fontes tui foras, et in plateis aquas tuas divide ».

Episcopus ordinatur.

Contra Calvinistas decertavit.

§ 8. Igitur hoc ornamento tamquam novo et potentissimo praesidio instructus, in omne studium amplificandae religionis catholicae et haeresis imminuendae sese effudit. Annesium regressus, omnia solus obire loco episcopi absentis, instituere seminarium, ac sanctam domum Tononi erigere, artium officinam et mercium emporium, ut cives et finitimos a Genevensium commercio averteret, gnarus populos maxime corrumpi per commercia cum ipsis habita. Neque illi nova exercendae constantiae argumenta defuere. Inimicus zizaniarum sator excitaverat inter Gallos et Sabaudos bellum, cuius occasione usi Genevenses haeretici, specie auxilii, quod Gallis afferebant, Chablasio et Torniaco occupatis, inde curiones catholicos expellunt; ac praeterea, missis in pagos et finitima oppida Calvinianae haeresis praedicantibus, venenata semina ubique iaciunt, et catholica sata exscindunt. Quod ubi Franciscus advertit, non immemor illius divinae sententiae: « Si consistant adversum me castra, non timebit cor meum; si [1] insurgat adversum me praelium, in hoc ego sperabo », fortiter ac religiose irrupit in castra, ductusque a militibus more bellico ad Vitriacum regiarum excubiarum praefectum, ab eo exceptus perquamhonorifice fuit, ac dimissus cum regiis litteris, quibus praecipiebatur, ne quicquam in religionis negotio innovaretur; quidquid vero novi inductum foret, in pristinum revocaretur.

Plurimos haereticos Ecclesiae subiecit.

§ 9. Neque contentus hac victoriâ, per quam amissa revocaverat, aliam retulit, per quam damna intulit haeresi, religioni vero incrementum attulit. Cum enim ager Gexensis sub Gallorum dominio esset, ad regem Lutetiam se contulit, ab eoque litteras obtinuit, quibus liceret ipsi in agro habere de catholicâ veritate conciones, quarum gratiâ et efficacitate plurimos Ecclesiae subiecit. Valebat enim summâ et efficacissimâ dicendi potentiâ, quam illi e caelo conciliaverat summa cordis innocentissimi sanctitas, adeo ut christianissimus rex neminem ad Iacobi regis Angliae animum conciliandum atque ad veritatem flectendum aptiorem Francisco existimaverit; et Paulus V, praedecessor noster felicis recordationis, aliquot post annos eumdem delegaverit ad componendas discordias, quae subortae fuerant inter Albertum et Claram Eugeniam archiduces et clerum comitatus Burgundiae.

Defuncto episcopo Granerio, integras episcopi partes suscepit.

§ 10. Quamvis autem ardentissimum fuerit eius in procurandâ re catholicâ studium, dum coadiutor fuit, laxavit nihilominus universas habenas charitati, cum, auditâ hinc parentis, hinc episcopi Granerii morte, quorum primi potestas

1 Particulam *si* nos addimus (R. T.).

quotidie ad domestica revocabat, et alterius reverentia, ne quid nimium sibi arrogare videretur, cohibebat, concessam sibi tandem quocumque pietas impelleret eundi facultatem cognovit. Sic plenâ potitus[1] auctoritate, integras episcopi partes suscepit; cavere ne grex ac dioecesis improborum haereticorumque, more luporum insidiantium, incursibus pateret, ordinare clerum, statuere familiam religiosis moribus compositam, sanctorum patrum, veterumque episcoporum exempla sibi proponere, cuncta episcopalis vitae momenta suis virtutibus functionibusque animare, synodum cogere, ecclesiasticae disciplinae leges vel restituere vel sancire, ac potissimum catholicae religionis sinceritati consulere, qua mores catholicorum informando, qua sectariorum dogmata evertendo, qua deceptas oves ad ovile reducendo; quod adeo offendit calvinianos pseudoministros, ut, cum duos nobiles viros Gexenses ad Ecclesiae gremium evocasset, illi rabie ac furore acti venenum ei propinaverint, quod tamen irritum fuit, imploratâ per votum Deiparae ope; et tantum abfuit ut propterea ab incoepto desisteret, ut constantius desudaverit in concionibus habendis, quarum vi Divione, Gratianopoli, Parisiis et alibi plures insignes viros fidei catholicae restituit, ac praecipue Claudium Buccardum Lausannae publicum theologiae professorem, Franciscum ducem Diguerianum, Delphinatus proregem, Barberium et Iacobum Philippum celebres calvinianae sectae pseudoministros. In his autem concionibus, ut constaret a se nonnisi animarum salutem quaeri, pecuniam, quae esset vel loco alimenti, vel excellentiae testimonio, recusavit omnem, nullo principum offerentium habito respectu, et tam generose, ut ducissae de Longavilla, peram aureis plenam impertienti, palam cum respueret, dixerit gratis dandum, quod gratis accipitur, nec ullam expetendam pro fidei praeconio mercedem, praeter pretiosam illam, quam cultoribus vineae promisit Dominus.

Insignes viros fidei catholicae restituit.

§ 11. Notum est enim, cum magni eleemosynarii munere apud Christinam Sabaudiae ducissam fungeretur, nihil praeter huius nominis dignitatem voluisse, et non solum quidquid honorariae mercedis solitum erat dari modestissime recusasse, verum etiam pretiosissimum adamantem valoris quingentorum nummorum ab eâdem Christina ducissâ dono acceptum pauperibus destinasse, iis verbis usus: « hoc pro pauperibus nostris Annesiensibus bonum erit ».

Eleemosynarius pauperum fuit.

§ 12. Sed eius constantia debuit gravioribus experimentis muniri, ut fides probaretur. Duo enim sunt, quae maxime fidem concutiunt, damnum et lucrum; utrumque illi propositum roboravit, fidem non infregit.

Damnum et lucrum contemnit.

§ 13. Iussus a Gallorum rege Gexium ire, et cum barone Luxensi, regio in ducatu Burgundiae locumtenente, de religionis catholicae usu exercitioque in eam regionem inducendo agere, cum Rhodanus, qui traiiciendus erat ut Gexium peteret, imbribus exundans certum afferret vitae discrimen, Geneva intrepide pertransiit, nec habitu episcopi deposito, nec episcopi dioecesis nomine dissimulato, unicâ tantum orationis armaturâ munitus; atque inde post horam discedens, Gexium appulit. Impii homines, ut hoc religionis negotium turbarent, statim apud ducem Sabaudiae accusant episcopum, quod de transferendis in regem Gallorum civitatis Genevensis iuribus pertractaret; quae calumnia primo locum non habuit, postea

Amissio bonorum eius fidem non infregit.

1 Ed. Main. legit *potius* pro *potitus* (R. T.).

admissa senatui suasit ut vel ad poenam vel ad terrorem decreto edito bona episcopi publicata in aerarium principis referret; nihil tamen edicto commotus ipse hoc unum respondit, non eam sibi, ut credebatur, iniuriam irrogari, sed ita a Deo admoneri, quod vellet undique spiritualem, quem temporalibus destitui permitteret. Quibus verbis senatus concussus veniam petiit, eique omnia restituit. Haec enim Dei lex est, ut fides, dum damna patitur, per damna nobilitetur. Neque minus lucri fulgorem, quamvis specie boni splendidum, contempsit, dum coadiutoris Parisiensis munus eâ de causâ illi oblatum, quod pinguiori redditu abundaret ad paupertatem sustentandam, respuit, illud oraculum opponens: « Dominus regit me, et nihil mihi dederit, in loco pascuae ibi collocavit ».

Pauperum erat eximius amator.

§ 14. Cum tale ac tantum fidei fundamentum iecisset, mirum non fuit si perfectissimam et omnibus virtutibus absolutam sanctitatis molem ad supremum usque apicem extulit, et si Ecclesia, communi consensu, Sanctorum insignia et praerogativas tanto viro attribuere non dubitet. Pauperum erat eximius amator, eorumque iudicem secum deferebat, semper ad eos praesertim sublevandos maxime intentus, quos pudor ac rubor deterrebant. Abstinentiam vero ac frugalitatem tam in victu quam in vestitu severe retinuit, ut et sibi modum statueret ac largius aliorum inopiae subveniret; namque hoc verae charitatis ingenium est, sibi detrahere, aliis addere; sic mensae imposita fercula ad pauperes ablegabat; subligacula, interulas, similesque pannos sibi demptos ad aliorum operimentum traducebat; immo supellectilem argenteam, candelabra, urceolos, annulum ipsum pastoralem oppignoravit, ne pauperes dolerent; dotem puellis quam poterat amplam erogabat, ne ipsarum pudicitia periclitaretur. Peregrinos ac religiosos viros tamquam fratres domi excipiebat; omnes demum egestate pressos non contractâ manu solabatur, et tam copiose, ut, cum regionem late fames ac alimentorum inopia invasisset, neminem stipe frustratum praetermiserit, singulis egenis familiis certâ tritici copiâ attributâ; et eo excrevit haec iuvandi cupiditas, ut, cum nactus esset hominem mutum ac surdum omni ope destitutum, non modo eum recreaverit iis subsidiis, quibus vita sustentatur, sed domi suae educatum, qua nutibus, qua gestibus (ingeniosa enim pietas est), informarit ad aeternam salutem. Sicque cetera virtutum genera exercuit, charitatis aestu succensus, ut septuaginta haereticorum millia Ecclesiae catholicae subiecisse sit famâ vulgatum.

Septuaginta haereticorum millia ecclesiae catholicae subiecit.

§ 15. Ex huius charitatis officinâ volumina prodierunt, quorum documentis irrigata populorum ac nobilium virorum pectora affluentem evangelicae vitae messem peperere. Ex huius etiam charitatis altissimâ disciplinâ emanarunt leges tot sodalitatum ab ipso institutarum, Augustissimi Sacramenti, Beatissimae Virginis de Puritate, Eremitarum in monte Vaironensi, praesertimque Ordinis sanctimonialium Visitationis Beatae Mariae sub regulâ sancti Augustini, cuius splendor tantum illuxit, ut intra modicum temporis intervallum ad centum supra triginta monasteria sit propagatus. Huius demum charitatis stimulis plane perennibus agebatur ad suae dioecesis commoda diu noctuque omni sollicitudine procuranda, in qua lustrandâ dum laborat, atque Annesium regreditur, Lugduni, sacro celebrato, vehementi apoplexiâ correptus, atque Ecclesiae sacramentis per summam pie-

Varia sodalitia praecipue monialium instituit.

tem humilitatemque refectus, fidei professione emissâ, repetitis non semel iis verbis : « Servus inutilis sum, voluntas Domini, non mea fiat; Deus meus, et omnia », proximo die Ss. Innocentibus sacro, dum in litaniis ipsi Ss. Innocentes invocabantur, innocens ad regna caelestia translatus est anno aetatis quinquagesimoquinto, et reparatae salutis vigesimosecundo supra sexcentesimum et millesimum.

Obiit Lugduni.

Secuntur miracula.

§ 16. Placuit autem Altissimo, qui mirabilis est in Sanctis suis, tantae sanctitatis virum non modo per veneration nem cultumque populorum nobilitare, sed etiam compluribus signis ac miraculis illustrare, ut vivens ac mortuus humano generi prodesset. Itaque constat per acta publica, auctoritate nostrâ et sacrae rituum congregationis confecta et diligenter expensa, Hieronymum Gemin in aquâ obrutum, cum iam eius cadaver foetens sindone involutum eferebatur, revixisse, sustulisse brachia, et loqui coepisse, magnificando Salesium, qui sibi tunc, in ipso redeuntis vitae momento, episcopali habitu indutus benigno ac splendido vultu adesse visus est, non sine aliis ingentibus miraculi additamentis;

Mortuum suscitavit.

Caecum natum illuminavit.

Claudium Marmon, caecum natum, septennem, cuius oculi facultate videndi prorsus destituebantur, cum, novendiali prece absolutâ, ad eiusdem sepulchrum procumberet, usum luminis accepisse;

Paralyticum sanavit.

Ioannam Petronillam Eurax, quinquennem, paralysi laborantem, quamvis coxis cruribusque aridis ad motum plane inepta crederetur, eâmet horâ, qua pater ad Francisci tumulum opem implorabat, ad matrem incolumi corpore et festino gradu prorepisse;

Iorum.

Claudium Iuliar, paralysi pariter afflictum, sed innatâ et decennali, usuque utriusque coxendicis ac cruris destitutum, tertiâ vice a matre delatum ad Francisci sepulchrum deosculandum, momento temporis, membris, quae inhabilia erant, roboratis, surrexisse, stetisse et ambulasse;

Franciscam de la Pesse, demersam flumine, vitae restituisse, livore, tumore, deformitatisque notis mirabiliter detersis;

Iacobum Giudi, nervis contractum et plane ab ipso ortu impotentem, subito sanatum;

Carolum Moteron, etiam ab ipsâ nativitate impeditum membris, ac toto corpore deformem, subito exemptum, ac perfectâ humani corporis formâ acceptâ, gressum movisse.

Postulatio canonizationis.

§ 17. Quapropter eius vitae sanctissimae meritis postulantibus, ac rogantibus carissimis in Christo filiis nostris Ludovico Galliae rege christianissimo, et Anna eius matre viduâ ac Enriquetta Maria Angliae reginis, et dilectis filiis nobilibus viris Carolo Emanuele Sabaudiae duce et Pedemontium principe, ac Christina eius matre ducissâ Sabaudiae viduâ, ac Francisco Maria ac Adelaida duce et ducissâ Bavariae, necnon clero, principibus et magnatibus regni Galliarum, ac universo Ordine monialium Visitationis Beatae Mariae Virginis, post eiusdem Francisci de Sales beatificationem die XXVIII decembris anni MDCLXI publice in sacrosanctâ basilicâ Principis Apostolorum missae sacro peracto celebratam, annuimus ut eiusdem canonizatio haberetur. Et, cum iam nihil deesset eorum quae huic sacrosanctae functioni necessaria sunt, ex sanctorum patrum auctoritate, sacrorum canonum decretis, S. R. E. antiquâ consuetudine, ac novorum decretorum praescripto, tandem, iustum et debitum esse censentes, ut quos Deus honorat in caelis, nos veneration nis officio laudemus et glorificemus in

terris, hodie in sacrosanctâ Vaticanâ basilicâ, in qua solemni ritu cum eiusdem S. R. E. cardinalibus, patriarchis, archiepiscopis et episcopis, ac dilectis filiis Romanae curiae praelatis officialibus et familiaribus nostris, clero seculari et regulari, ac maximâ populi frequentiâ mane convenimus, post trinas pro canonizationis decreto nobis per dilectum filium nobilem virum Carolum ducem de Crequy, apud nos regis christianissimi oratorem pro parte eiusdem regis porrectas petitiones, post sacros hymnos, litanias, aliasque preces, Spiritus Sancti gratiâ rite imploratâ,

Sanctorum catalogo adscribitur.

§ 18. Ad honorem sanctissimae et individuae Trinitatis, ad exaltationem Fidei catholicae et christianae religionis augumentum, auctoritate Domini nostri Iesu Christi, beatorum apostolorum Petri et Pauli, ac nostrâ, maturâ deliberatione praehabitâ, et divinâ ope saepius imploratâ, ac de venerabilium fratrum nostrorum eiusdem S. R. E. cardinalium, patriarcharum, archiepiscoporum et episcoporum in Urbe existentium consilio, beatum Franciscum de Sales episcopum Genevensem Sanctum esse decrevimus et definivimus, ac Sanctorum catalogo adscripsimus, prout praesentium tenore decernimus, definimus et adscribimus. Statuentes ab Ecclesia universali quolibet anno die XXIX ianuarii memoriam eius inter sanctos Confessores Pontifices piâ devotione recoli debere. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Amen.

Indulgentia.

§ 19. Parique auctoritate omnibus utriusque sexus christifidelibus vere poenitentibus et confessis, qui annis singulis dictâ die XXIX ianuarii sepulchrum, in quo eius corpus asservatur, visitaverint, septem annos et totidem quadragenas de iniunctis eis, aut aliàs quomodolibet debitis, poenitentiis misericorditer in Domino relaxavimus in formâ Ecclesiae consuetâ.

Gratiarum actio.

§ 20. Quibus peractis, gratias laudesque Deo optimo maximo reddituri, quod sancto Francisco de Sales episcopo Genevensi cultum, praeconia et honores ab Ecclesiâ sanctis Pontificibus et Confessoribus praestari solitâ a nobis decerni voluerit, hymno *Te Deum laudamus* decantato, orationeque a nobis recitatâ, ad altare S. Petri missam de more solemniter celebravimus die dominicâ secundâ post Pascha, additis secundâ oratione propriâ de sancto Francisco et secretâ ac postcommunione de comuni Sacerdotis Pontificis, omnibusque christifidelibus ibidem praesentibus plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem concessimus.

Transumptorum fides.

Deum itaque, qui mirabilis est in Sanctis suis, benedicimus, quia suscepimus misericordiam in medio templi eius, dum novum nobis in Ecclesiâ apud divinam suam maiestatem patronum et intercessorem concessit ad eiusdem Ecclesiae tranquillitatem, fidei catholicae incrementum, haereticorumque a viâ salutis errantium lumen et conversionem.

Ceterum, quia difficile foret praesentes nostras litteras ad singula loca ubi opus esset deferri, volumus ut earum exemplis, manu tamen publici notarii subscriptis, et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem ubique fides adhibeatur, quae eisdem praesentibus adhiberetur, si essent exhibitae vel ostensae.

Sanctio poenalis.

§ 21. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostri decreti, definitionis, adscriptionis, mandati, statuti, concessionis, elargitionis, relaxationis et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et

Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae, apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicae MDCLXVI, XIII kalendas maii, pontificatus nostri anno XI[1].

Dat. die 19 aprilis 1666, pontif. anno XI.

✠ EGO ALEXANDER
CATHOLICAE ECCLESIAE EPISCOPUS.

†

† Ego Franciscus episcopus Portuensis, cardinalis Barberinus, S. R. E. vicecancellarius.

† Ego Martius episcopus Sabinensis cardinalis Ginettus.

† Ego A. Barberinus episcopus Praenestinus cardinalis Antonius, S. R. E. camerarius.

†

† Ego Ioannes Baptista episcopus Albanensis cardinalis Pallottus.

†

†

†

† Ego F. Maria tituli S. Laurentii in Lucina cardinalis Brancatius.

† Ego Uldericus tituli S. Mariae Transtyberim cardinalis Carpineus.

†

† Ego Stephanus tituli S. Laurentii in Pane et Perna cardinalis Duratius.

†

† Ego F. Vincentius Maculanus Ordinis Praedicatorum tituli S. Clementis de Florentiola cardinalis S. Clementis.

†

†

†

†

† Ego Nicolaus tituli S. Mariae Angelorum cardinalis Ludovisius, magister poenitentiarius.

†

† Ego Federicus tituli S. Petri ad Vincula cardinalis Sfortia.

† Ego Benedictus tituli S. Honuphrii cardinalis Odescalcus.

† Ego Laurentius tituli Ss. Quirici et Iulittae cardinalis Raggius.

† Ego Ioannes Franciscus Paulus Gondus tituli S. Mariae super Minervam cardinalis de Retz.

† Ego Aloysius tituli S. Alexii cardinalis Homodeus.

† Ego P. tituli S. Marci cardinalis Ottobonus.

†

† Ego Laurentius tituli S. Chrysogoni cardinalis Imperialis.

† Ego Gibertus tituli Ss. Ioannis et Pauli cardinalis Borromaeus.

†

†

† Ego Ioannes Baptista Spada tituli S. Marcelli cardinalis S. Susannae.

† Ego Franciscus tituli S. Mariae in Viâ cardinalis Albitius.

† Ego Octavius tituli S. Caeciliae cardinalis de Acquaviva et Aragonia.

† Ego Flavius tituli S. Mariae de Populo cardinalis Chisius.

† Ego Scipio tituli S. Sabinae cardinalis Delcius.

† Ego Hieronymus tituli S. Agnetis cardinalis Farnesius.

† Ego Iulius tituli S. Sixti cardinalis Rospigliosus.

†

†

† Ego Sfortia e Societate Iesu tituli S. Salvatoris de Lauro cardinalis Pallavicinus.

† Ego Volumnius tituli S. Martini in Montibus cardinalis Bandinellus.

† Ego Petrus tituli S. Callisti cardinalis Vidonus.

†

1 Ab electione XII (R. T.).

† Ego Carolus tituli S. Anastasiae cardinalis Bonellus.

† Ego Virginius S. Mariae in Viâ Latâ diaconus cardinalis Ursinus.

† Ego Franciscus S. Mariae in Porticu diaconus cardinalis Maidalchinus.
† Ego Fridericus S. Caesarii diaconus cardinalis de Hassia.
† Ego Carolus S. Angeli in Foro Piscium diaconus cardinalis Barberinus.
† Ego Carolus S. Eustachii diaconus cardinalis Pius.

† Ego Decius S. Adriani diaconus cardinalis Azzolinus.
† Ego Odoardus Ss. Cosmae et Damiani cardinalis Vecchiarellius.

† Ego Franciscus Maria Ss. Viti et Modesti diaconus cardinalis Mancinus.
† Ego Angelus S. Georgii diaconus cardinalis Celsus.
† Ego Paulus S. Mariae de Scala diaconus cardinalis Sabellus.

DXLII.

Constitutio pro instauratione ac reformatione Ordinis Cisterciensis.

Alexander Papa VII, ad futuram rei memoriam.

In supremâ Sedis Apostolicae speculâ dispositione divinâ constituti, dominicum gregem caelitus nobis commissum circumspicientes, mentis nostrae aciem convertimus in sacrum Ordinem Cisterciensem, cuius odor, sicut agri pleni suavitas cui Dominus benedixit, totam replevit Ecclesiam, et veluti fons hortorum irriguus ceteras irrigavit religiones et Ordines. Verum volventibus annis non sine magno animi nostri moerore cognovimus Ordinem memoratum a primaevae institutionis tramite ob temporum iniuriam et calamitatem non modicum deflexisse, et plurima passum esse in spiritualibus et temporalibus detrimenta. Quare nos, ex debito pastoralis officii singulari zelantes affectu, ad tanti Ordinis instaurationem ac reformationem, divino freti auxilio, nostrae sollicitudinis partes duximus impendendas: *Ut monastica disciplina, ubi collapsa fuerit, restituatur, et constantius, ubi conservata est, perseveret, unitas servetur in Ordine, et praecisis dissensionibus ac dissidiis, quae in regno Galliae inter communis et strictae observantiae monachos iamdudum exorta sunt, sincera pax et mutua charitatis officia benedicente Domino redintegrentur.* Prooemium.

§ 1. Aliàs siquidem per nostras litteras in formâ Brevis expeditas, die XVI ianuarii MDCLXII, pontificatus nostri anno VII, de voto particularis congregationis a nobis desuper deputatae, quae scripturas hinc inde datas vidit et examinavit, causam ipsius reformationis in statu et terminis, in quibus tunc temporis reperiebatur, a quocumque tribunali ad nos evocavimus, ac dilecto filio Claudio Vaussin, abbati Cistercii totius Ordinis generali, dedimus in mandatis, ut advocaret seu moneret viros idoneos Recenset alias litteras.

Ordinis sui, tam ex Gallia, quam aliunde, ad exhibendum infra tres menses dictae congregationi particulari deputatae articulos concernentes dictam reformationem a nobis institutam, et aliàs, ut in memoratis litteris plenius continetur. *Cumque praedictus Claudius, nostris parendo mandatis, reformationis articulos ad nos transmiserit, idemque praestiterint dilecti filii abbates strictae observantiae in Gallia multis ab hinc annis introductae:* nos, huiusmodi articulos utrimque exhibitos congregationi nonnullorum venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium ac dilectorum filiorum Romanae curiae praelatorum a nobis desuper institutae sedulo ac mature examinandos et expendendos commisimus. Quorum quidem articulorum ad generalem reformationem Ordinis Cisterciensis conveniens restrictio et ad capita S. Benedicti regulae reductio talis est, videlicet:

Tenor articulorum.

Circa caput II regulae *Qualis debeat esse abbas.*

I. Iuxta sacri Concilii Tridentini decreta summâ curâ satagant dicti Ordinis abbates et superiores ut a suis utriusque sexus subditis essentialia vota, quae sunt bases et fundamenta totius regularis disciplinae, inviolabiliter observentur. Ipsi vero abbates et superiores, forma gregis facti ex animo, exemplum praebeant in omnibus magistram sequentes regulam.

II. Habeant abbates et conventus propria sigilla, et teneantur novi abbates praestare iuramentum de non alienandis et impignorandis bonis monasterii, ac de pecuniis et redditibus illius inutiliter non expendendis: et omnes officiales idem iuramentum praestabunt de suis muniis fideliter exercendis, ac de mutuis non contrahendis, nisi servatis constitutionibus apostolicis.

III. Cum ad monasticam disciplinam restaurandam et restitutam conservandam maxime visitationes regulares conducant, capitulum generale, abbas Cistercii Ordinis generalis, et quatuor primi abbates de Firmitate, de Pontigniaco, de Claravalle et de Morimundo provideant diligenter ut singulis annis sollicite, charitative, prudenter et cum pietate fiant ad animarum salutem, cultum divinum, votorum essentialium observantiam, et alia, quae ad mores, correctionem et personarum regularium aedificationem, necnon administrationem et statum temporalem pertinent. Caveant vero maxime visitatores ab omni donorum receptione, et etiam ne nimium numeroso comitatu aut familiâ gravioribus quam expediat expensis monasteria onerent, et manducent tempore visitationis in refectorio cum fratribus, propter disciplinam servandam.

IV. Abbates regulares etiam perpetui subiaceant visitationi et correctioni visitatorum etiam non abbatum, et ab ipsis ad sufficientem numerum monachorum debite et religiose enutriendum, aedificiorum reparationes, annuas Ordinis contributiones solvendas, communia Ordinis et provinciarum onera sustinenda, iurisdictionis suspensione aliisque ecclesiasticis poenis et censuris, servato iuris ordine, cogantur.

V. Ad residentiam in suis propriis monasteriis, prout de iure, teneantur; nec in castellis, nec in grangiis, aut alibi, extra septa monasteriorum suorum commorentur: neque quarumcumque monialium alterius Ordinis regimen et visitationem absque expressâ Summi Pontificis licentiâ, sub poenâ privationis vocis activae et passivae ipso facto incurrendâ, suscipere audeant.

VI. Inter abbates regulares et conventus aut officiales monasteriorum nulla

fiat partitio bonorum, fructuum, reddituum et proventuum eorum; sed communibus ipsorum usibus deputentur iuxta statutum Benedicti Papae XII; nisi pro meliori regimine et utilitate quorumdam monasteriorum, ad impediendas dilapidationes, a capitulo generali vel a comitiis intermediis aliter iudicaretur.

VII. Procurent tamen superiores et visitatores Ordinis, ut in monasteriis commendatis, quantum fieri poterit, pensiones religiosorum et famulantium in bonis stabilibus assignentur.

Circa caput III. *De adhibendis in consilium fratribus.*

VIII. Capitula generalia quolibet triennio apud Cistercium celebrentur, eisque omnes abbates, nisi legitime impediti aut ob iustas causas excusati, simul et abbates a congregationibus deputati, procuratores generales, visitatores et syndici provinciarum, collegiorum provisores seu rectores adesse teneantur, de sibi commissis muneribus actis et per se gestis rationem reddituri, et de agendis aut reformandis in posterum in timore Dei iuxta regularia Ordinis instituta et constitutiones apostolicas tractaturi.

IX. Licet autem soli definitores vocem decisivam in definitionibus condendis habeant, tamen omnes abbates, et aliae personae idoneae et de Ordine benemeritae, iudicio abbatis generalis et quatuor primorum abbatum designandae et post electionem definitorum nominandae, vocem consultivam habebunt.

X. Serventur quoque constitutiones circa numerum eorum quos abbates dicti Ordinis venientes ad capitulum secum ducere olim poterant; nullusque qui non habet ius interveniendi, vel non fuerit vocatus, absque licentiâ petitâ et obtentâ ab abbate generali, ad dicta capitula accedere audeat.

XI. Et quia in dies multa emergunt negotia, quae maturâ deliberatione indigent, quolibet tempore intermedio inter duo capitula, die et loco per abbatem Cisterciensem designandis, ipse Cisterciensis et quatuor primi abbates conveniant cum aliis ex visitatoribus provincialibus monasteriorum utriusque observantiae, praesidibus congregationum, procuratoribus generalibus et syndicis provinciarum, qui negotia magni momenti agenda habebunt; et ut celebratio dicti conventus sit omnibus nota, ipse generalis abbas eam more solito ante sex menses praesidibus congregationum, visitatoribus provinciarum, procuratoribus generalibus et syndicis indicere tenebitur, ut ad dictam congregationem accedant vel mittant, certioresque faciant dictum abbatem generalem et quatuor primos de statu congregationum suarum: praeter quem conventum nullus alius in toto Galliae regno fiat, sub quocumque praetextu, nisi a capitulo generali fieri concedatur.

XII. Visitatores provinciarum monasteriorum communis observantiae a capitulo generali, aut, ipso cessante, ab abbate Cisterciensi, de consilio et consensu quatuor primorum abbatum, sicut alii publici officiales, instituantur, non solum ex numero religiosorum probatorum communis observantiae, sed etiam, si ita expediens iudicaverint, ex numero religiosorum strictae observantiae, seu abstinentiae; quorum consilio et operâ uti poterunt ad praesentem reformationem instituendam.

XIII. Item provisor collegii Parisiensis, procurator, doctores, regentes et alii officiales secundum Benedicti Papae XII constitutionem per capitulum generale Ordinis, aut, eo cessante, sicut consuetum est, ab abbate Cisterciensi, auctoritate capituli generalis fungente, institu-

antur et destituantur usque ad capitulum generale vel intermedium, sive sint ex communi observantiâ, sive ex strictiori.

XIV. Similiter, consultis provinciarum visitatoribus super merita vel demerita religiosorum, instituantur et destituantur a dicto abbate generali et quatuor primariis abbatibus et aliis filiationem habentibus respective priores claustrales et confessores in monasteriis monialium ad nutum amovibiles, observato moderamine ut in monasteriis commendatis strictioris observantiae virorum ac monialium nullum instituere possint qui non profiteatur abstinentiam: et licet omnes Ordinis officiales et monasteriorum priores sint ad nutum amovibiles, attamen quolibet triennio suorum officiorum et priorataum voluntariam dimissionem in scriptis faciant capitulo generali, abbati Cistercii, quatuor primis abbatibus, et aliis superioribus, a quibus respective fuerint instituti, cum facultate tamen eos continuandi in officiis et prioratibus quamdiu ipsos repererint et iudicaverint idoneos.

Circa caput VI *De taciturnitate.*

XV. Laudabilem morem servandi silentium a completorio usque ad tempus capituli diei sequentis in omni loco et semper in locis regularibus, puta in claustro regulari, in ecclesiâ, in dormitorio, in refectorio et in calefactorio, omnes teneant, cum facultate tamen petendi necessaria submissâ voce absque conscientiae scrupulo.

Circa caput VIII usque ad XX inclusive *De formâ divini officii et modo psallendi.*

XVI. Forma ista exactissime observetur, et materia ab Ecclesiae Romanae usu ad Dei gloriam et proximi aedificationem sumatur, prout hactenus consuevit ecclesia Cisterciensis, *cum tamquam matri omnes aliae ecclesiae dicti Ordinis, ex chartâ charitatis, Eugenii III et Pii V definitionibus et praeceptis, conformari tenentur.* Ut autem haec uniformitas in divino officio persolvendo teneatur in omnibus Ordinis monasteriis, iisdem ritibus et cantu et libris omnibus ad diurnas et nocturnas horas et missas necessariis, secundum praedictam formam Cisterciensis monasterii, omnes utantur.

XVII. Horis canonicis, officio Beatae Virginis et defunctorum iuxta usus et consuetudines laudabiles huius Ordinis in choro recitandis et decantandis omnes et singuli cum cucullis intersint, et horas canonicas cum cantu Gregoriano iuxta regulam persolvant.

XVIII. Diebus festivis solemnioribus surgent horâ secundâ post mediam noctem, aliis vero diebus temperatius, prout a capitulo generali determinabitur. Horis matutinis post officium B. Mariae Virginis, et post completorium, aut aliis horis competentibus, vacent per mediam oram qualibet vice meditationi, et per decem dies exercitiis spiritualibus semel in anno.

Circa caput XXII *Quomodo dormiant monachi.*

XIX. Omnes, tam abbates, quam monachi, tam abbatissae, quam moniales, in capituli dormitorio recumbant, illis exceptis, quos aut quas ratione officiorum suorum, aut negotiorum, aut ob alias iustas causas, ab eo excusari oporteat iuxta abbatis aut aliorum officialium iudicium. Quamvis autem regula iubeat, et etiam Benedicti Papae XII constitutio praecipiat, ut omnes in uno loco dormiant sine cellis separatis; tamen, ob maiorem modestiam, et vitae honestatem, sicut longâ experientiâ comprobatum est, et ad consulendum cuiuslibet infirmitatibus, dictarum cellarum usus venit tolerandus, dummodo, iuxta Clementis Papae VIII decreta, habeat superior clavem, ut, cum sibi videbitur, cellas omnes reserare possit. Nul-

lusque cellam etiam noctu ita claudat, quin a superiore possit aperiri. Sit etiam in ostio foramen pendulâ vel ductili tabulâ coopertum. Vestiti dormiant omnes cum parvo caputio albo. Lectisternia secundum regulam in eis disponantur, et suppellex talis sit, ut statui paupertatis, quam professi sunt monachi, conveniat: nihil superflui in eâ sit, nihil etiam in eâ necessarii desit.

Circa caput XXVIII *De his qui saepius correcti non emendantur.*

XX. Observentur sacrae congregationis concilii decreta de regularibus apostatis et eiectis, et iuxta illa dumtaxat incorrigibiles e monasteriis et Ordine eiiciantur.

Circa caput XXXI *De cellerario.*

XXI. Administratio bonorum temporalium, secundum Concilii Tridentini decretum, fiat per officiales, prout scilicet eis iniunxerit abbas, ad nutum amovibiles, sic ut de omnibus receptis et expensis coram abbate seu superiore et senioribus domus fidelem teneantur reddere rationem: pecuniae vero omnes ab uno bursario per abbatem aut superiorem de consilio seniorum stabiliendo serventur in arcâ sub tribus clavibus, quarum una apud abbatem aut superiorem maneat, aliam custodiat senior domus, tertiam vero ipse bursarius. Nullus ex superioribus locorum administrationem bonorum, aut aliarum rerum, dispensationemque pecuniarum et reddituum sui conventus, etiam nomine conventus, per seipsum habere seu exercere possit, sed universum id onus tribus fratribus eiusdem conventus a generali ita demandetur, ut unus rerum et bonorum, reddituumque colligendorum, ac exigendorum curam habeat, alter tamquam depositarius pecunias ac cetera ab illo collecta et exacta fideliter asservet, alius, de pecuniis ac rebus a depositario acceptis, superiori et fratribus ac conventui universo de necessariis, mandante tamen ipso superiore, non secundum proprium affectum, sed iuxta charitatis regulam, veluti bonus dispensator provideat; officiorum huiusmodi confusione penitus interdictâ.

Circa caput XXXIII *Si quid debeant monachi proprium habere.*

XXII. Observetur ubique vita communis iuxta Concilii Tridentini, Benedicti Papae XII et Clementis VIII decreta: nec cuiquam regularium tam virorum quam mulierum dicti Ordinis liceat aliqua bona tamquam propria, aut etiam nomine conventus, possidere vel tenere, nec fas sit superioribus alicui regulari concedere bona stabilia, aut certi bladi, panis, vini vel pecuniae pensiones dare, etiam praetextu contractuum initorum vel ineundorum inter monachos communis et strictioris observantiae, quos sanctissimus dominus noster Alexander VII declaravit per suas in formâ Brevis litteras de die octavâ mensis martii anni MDCLX nullos, irritos, illicitos, et paupertati religiosae contrarios; sed omnia omnibus sint communia, et dentur unicuique secundum cuiusque monasterii facultates, regionum qualitates, omnia necessaria tum ad victum tum ad vestitum, sive sano, sive aegro, sive seni, sive iuveni, sine ullâ personaram acceptione, et habitâ tantum ratione necessitatis.

Circa caput XXXIX *De mensurâ ciborum.*

XXIII. Qui abstinentiam a carnibus amplexi sunt, aut in posterum amplectentur, illam exacte retineant, et nemini illorum liceat ad communem ipsius Ordinis observantiam transire, nisi petitâ et obtentâ facultate a summo Pontifice pro tempore existente, aut saltem a capitulo generali, vel, eo cessante, ab abbate Cisterciensi. Nulli etiam communis

observantiae professori, propter pacis et charitatis custodiam, liceat ad dictam perpetuam abstinentiam transire, non petitâ licentiâ saltem a suo patre immediate; ad quam abstinentiam amplectendam superiores nullum, qui non fuerit in eâ educatus, possint cogere: nec ullus licentiâ utendi carnibus, auctoritate apostolicâ omnibus personis regularibus Ordinis etiam sanis et bene se habentibus datâ, et ab eâdem approbatâ, et denuo concessâ, frui possit nisi tribus diebus tantum in hebdomadâ extra tempus adventus, septuagesimae et quinquagesimae, et aliud ab Ecclesiâ prohibitum.

Circa caput XLI *Quibus horis oportet reficere fratres.*

XXIV. Ieiunia non solum ecclesiastica, sed etiam a regulâ et a constitutionibus praescripta serventur ecclesiasticâ moderatione. Circa tempus refectionis, senum, iuniorum et infirmorum habeatur ratio. Insuper de ieiuniis regulae aliquando possint dispensare superiores, pro personarum, locorum, regionum et anni tempestatum consideratione, ut aliqui fructus et alia id genus alimenta in collatione seu refectiunculâ concedi ieiunantibus possint.

Circa caput LI *De fratribus qui non longe satis proficiscuntur.*

XXV. Laudabilis consuetudo introducta servetur.

Circa caput LIII *De hospitibus suscipiendis.*

XXVI. Ad hospitalitatem tantopere commendatam sint ferventiores monasteriorum superiores, sed in hospitibus suscipiendis frugalitas appareat, nullusque excessus permittatur: nec religiosis cum consanguineis et aliis supervenientibus in dormitorio, in cameris privatis, nec extra loca a superioribus designata manducare concedatur, sicut nec monialibus ad crates et in locutorio cum quibuscumque tam secularibus quam regularibus. Circa vero lotionem pedum hospitum standum consuetudini.

Circa caput LIV *Quod non debeat monachus litteras accipere*

XXVII. Litterae directae non sine superioris licentiâ aperiantur, nec dirigendae mittantur; sitque unicum sigillum in monasterio, quod penes priorem maneat, eoque omnes litterae sigillentur.

Circa caput LV *De vestimentis et calceamentis fratrum.*

XXVIII. Quia humilitas personas religiosas maxime decet, et modestia omnium virtutum splendor et ornamentum existit, abbates omnes et monachi eiusdem Ordinis habitu uniformi, modesto, atque decenti utantur, qui eiusdem virtutes simul et paupertatem redoleat. Abbates intra claustra monasteriorum suorum pileos non ferant, sed religioso more tegantur; monachi vero, tam intra quam extra monasteriorum septa nunquam sine caputiis incedant; omnes etiam, tam abbates, quam monachi, pannis nigri et albi dumtaxat coloris simplicibus, honestis tamen et mundis, vestiantur, sic ut nihil appareat in eis quod novitates secularium sapiat, et quod possit offendere intuentes. Ab indusiis et collaribus lineis abstineant, solisque laneis, tam intra quam extra monasterium, utantur, sicut et femoralibus. Nullus abbas vel monachus audeat barbam et capillos nutrire, vel prominentes in superiori labro pilos alere, aut aliter quam uniformiter et aequali pectine capillos vel barbam circumquaque tondere, relicto in capite eo circulo, quem monasticam coronam vocant, ut religiosi monasterii Cistercii deferre solent.

Circa caput LVII *De artificibus monasterii.*

XXIX. Procurent superiores ut iuvenes, quos ad studia non satis propensos esse

iudicabunt, honestam aliquam artem ediscant, cuius exercitio otiositatem et solitudinis taedium evitare possint.

Caput LVIII *De disciplinâ suscipiendorum fratrum.*

XXX. Circa novitiatus et professoria designanda servabitur quod statuitur in litteris sanctissimi domini nostri. Et circa receptionem et educationem serventur regula et constitutiones apostolicae, maxime decreta sanctae memoriae Clementis VIII, et recipiantur novitii sufficientis litteraturae, hoc est, grammaticalibus, et, si fieri possit, philosophicis instructi, post aliqualem in habitu seculari probationem in propriis domibus factam, cum sufficienti pensione a visitatoribus aut aliis superioribus pro ratione locorum determinandâ, et a monasteriis pro quibus suscipiuntur solvendâ vel compensandâ.

XXXI. Recipiantur autem a visitatore provinciae et a novitiorum magistro, et ab ipsis examinati et idonei inventi vestiantur et probentur, atque in hac communi observantiâ ita educentur, ut, exceptâ solâ a carnibus abstinentiâ, ad omnia sanctae segulae capita, prout hîc sunt denotata, sese toto vitae decursu teneri intelligant.

XXXII. Seminaria seu professoria simili ratione ad pietatis et religionis excolendae opus erigantur, in quibus noviter professi cum pensione sufficienti aut compensatione maneant, et ad perfectionem sanctae regulae et dicti Ordinis Cisterciensis praxim acquirendam ita erudiantur, ut nullus ex illis ad studia, vel ad ordines, vel ad gradus assumatur, qui probatae vitae et sufficientiae testimonia non dederit.

XXXIII. Quia aliqui dicti Ordinis monachi, sub praetextu stabilitatis promissae dum solemnem votorum professionem emiserunt in aliquo certo et determinato monasterio, praetendunt se etiam, pro maiori monasteriorum ipsorum commodo, bono et utilitate Ordinis, aut qualibet aliâ iustâ et legitimâ ratione, si ipsi renuant, in alia monasteria transferri non posse, nisi ob grave aliquod crimen quod in eodem loco facile emendari non possit, unde experientiâ ita comprobante multae saepe oriuntur dissensiones, inobedientiae, rebelliones, lites et incommoda innumera: renovatur constitutio Pii II de anno MCDLXI, qua facultas datur visitatoribus et superioribus Ordinis pro tempore existentibus, ut, si eis ita expediens videatur, personas ipsas ad alia eiusdem Ordinis monasteria transferant, et alias idoneas in earum locum usque ad sufficientem numerum substituant, in beneficium novitiatuum et seminariorum communium, et faciliorem praesentis constitutionis et reformationis executionem, ita ut, qui in locis novitiatuum et seminariorum communium et in aliis reformandis monasteriis noluerint in omnibus praesenti reformationi sese submittere, cogantur sub poenâ carceris sese transferre ad alia monasteria per visitatorem provincialem eis designanda, ibique commorari; quae monasteria tenebuntur illos recipere, et eos tamquam filios et professos habere, solo excepto iure electionis abbatum, sub poenâ interdicti, aliisque censuris contra renuentes et huic ordinationi sese opponentes.

Circa caput LXI *De monachis peregrinis qualiter suscipiantur.*

XXXIV. Quilibet visitator seu praeses provinciarum habeat sigillum provinciae eius visitationi commissae, nec praeter ipsum possit quisquam dare licentiam conveniendi superiores maiores, nec extra quatuor dietas ex monasterio proficiscendi; quae licentia in scriptis detur et provinciae sigillo muniatur.

Circa caput LXIV *De ordinando abbate.*

XXXV. Nullus in posterum in abbatem generalem Ordinis Cisterciensis, qui eumdem Ordinem non sit expresse professus, eligatur, et electio aliter facta sit ipso iure nulla; et sic eligentes poenam privationis vocis activae et passivae in perpetuum eo ipso absque aliâ declaratione incurrant; praeterea eligendus iis dotibus et virtutibus sit instructus, qua sanctus Benedictus in hoc capite et secundo huius regulae in abbate requirit; vitentur autem in electionibus eiusmodi omnes inordinati ambitus et processus; et secundum canones fiant per scrutinium, in quibus omnes dicti Ordinis utriusque observantiae monachi voce passivâ respective gaudeant, nisi aliunde intercedat impedimentum.

Circa caput LXVII *De fratribus in viâ directis.*

XXXVI. Meminerint superiores se et religiosos suos obligari ad solitudinem, nec ex illâ debere et posse exire, nisi propter gravem et necessariam causam, idque cum maximo tremore, ne conceptus devotionis fructus dissipetur. Unde sanctus legislator a solitudinibus exeuntes ad orationem, propter tantum periculum, recurrendum esse iubet. Non ergo permittantur ire religiosi ad oppida vel pagos viciniores, nisi contingeret gravis aliqua necessitas, et semper cum socio a superiore designato.

Circa caput LXX *Ut non praesumat quisquam alium cedere* [1].

XXXVII. Causae mere regulares inter personas dicti Ordinis emergentes intra Ordinem terminentur iuxta antiquas illius constitutiones, nec liceat alicui extra Ordinem appellare sub poenis in ipsis contentis.

XXXVIII. Omnia supradicta respective ad moniales pertinere volumus, praecipiendo abbati generali et quatuor primis, et aliis patribus abbatibus, ut omnes sibi subditas ad clausuram a Bonifacio VIII et a Concilio Tridentino ordinatam utique reducant et cogant.

XXXIX. Ut autem imposterum unâ regulâ, unâ charitate, similibusque moribus ubique vivatur, et omnes utriusque sexus Ordinis personae sciant in quo strictior observantia, exceptâ solâ a carnibus abstinentiâ, consistat, fiat brevis et dilucida compilatio et reductio omnium constitutionum apostolicarum et statutorum, quae aut per usum contrarium, aut per aliquam aliam rationem non sunt abrogata, et per selectos ab abbate generali et quatuor primis abbatibus viros, in disciplinâ regulari, iuribus et privilegiis dicti Ordinis exercitatos, distribuantur in certa capita a capitulo generali approbanda et promulganda, et demum typis mandanda, et in vernaculam linguam pro monialibus vertenda, atque ad calcem regulae beati Benedicti apponenda, ut in capitulis singulorum monasteriorum post lectionem regulae aliqua eorum capita successive legantur ».

Suprascriptos articulos confirmat Pontifex.

§ 2. Cum vero in congregatione cardinalium et praelatorum, ut supra instituta, praeinserti reformationis articuli diligenter discussi et examinati, et qua parte opus fuit emendati et aptati fuerint: *Nos, de omnibus plene instructi et informati comperimus illos pro felici monachorum dicti Ordinis statu et salubri directione provide compilatos, ac perstrictos fuisse*, et cum beati Benedicti regulâ, quam primi Cistercienses in primaevo instituto Charta charitatis nuncupato, a multis Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris approbato, tenendam et intelligendam posteris reliquerunt, in omnibus esse congruentes, praeterquam in aliquibus quae vel ex ratio-

1 Forsan *petere*, nempe *alium iudicem* (R.T.).

nabili inveteratâ consuetudine abrogata, vel ex legitimâ Sedis Apostolicae dispensatione pro temporum varietate lenita ac temperata fuere. Quocirca, motu proprio et ex certâ scientiâ, ac maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, tenore praesentium, eosdem suprascriptos articulos reformationis in omnibus et per omnia approbamus et confirmamus, illisque perpetuae et inviolabilis firmitatis robur adiicimus, atque in universo Ordine Cisterciensi, tam in regno Galliae quam in aliis regnis et provinciis, ab omnibus tam communis quam strictae observantiae religiosis firmiter et inviolate servari precipimus et mandamus, sub poenis in regulâ contentis.

Exemtio ordinatur. § 3. Cupientes autem ut nostra haec reformatio non sit verbotenus, sed divino auxilio realis et cum effectu, eidem Claudio districte iniungimus ut primo quoque tempore convocet generale capitulum apud monasterium Cistercii celebrandum in mense maio sequentis annis MDCLXVII, ad quod vocentur et convenire teneantur omnes et singuli abbates et priores conventuales monasteriorum totius Ordinis praepeditionem canonicam non habentes, et in eo abbas Cistercii et quatuor primarii abbates eligant de more generales definitores, ita tamen ut unusquisque illorum eligere debeat saltem duos ex abbatibus strictae observantiae; adeo ut in universum in definitorio vocem decisivam habeant abbates viginti quinque, videlicet abbas Cistercii et quatuor primarii abbates, item definitores decem ex communi, et totidem ex strictâ observantia: in capitulo autem seu definitorio, ut praemittitur, congregato, diligens habeatur tractatus de reformatione Ordinis et observantiâ regulari, deque aptiori modo exequendi et ad praxim deducendi praeinsertos reformationis articulos, et, quod deliberatum ac statutum fuerit, inviolate observetur.

Addita quaedam a Pontifice. § 4. Ordinentur etiam in eodem capitulo, seu definitorio, religiosae ac circumspectae personae, quae singula monasteria cuiusque provinciae secundum formam eis praefixam visitare studeant, corrigentes et reformantes quae correctionis et reformationis officio viderint indigere.

Praeterea fiat divisio seu partitio monasteriorum strictae observantiae in regno Galliae existentium in duas saltem provincias, et ab ipso abbate Cistercii et quatuor primariis abbatibus et decem definitoribus eiusdem strictae observantiae per secreta schedularum suffragia eligantur ex eâdem observantiâ duo provinciales visitatores nuncupandi, usque ad sequens generale capitulum duraturi, quorum quilibet iurisdictionem ordinariam habeat in monasteriis provinciae suae.

Item in singulis provinciis universi Ordinis etiam extra Galliam designentur duo monasteria monachorum communis Observantiae, unum scilicet pro novitiatu et alterum pro professorio, seu secundo novitiatu, unâ cum magistris pro educandis novitiis et noviter professis et cum familiâ selectâ; quae quidem designationes unâ cum actis capituli in scripturam redactae, atque ab eodem abbate Cistercii et quatuor primariis abbatibus subscriptae et consueto sigillo obsignatae, transmittantur ad procuratorem Ordinis in Urbe nostrâ existentem, qui statim illas nobis exhibeat, ut recognoscantur et approbentur.

Prohibitio pro interim. § 5. Interea vero motu, scientiâ et potestate similibus prohibemus et interdicimus, tam praedicto abbati Cistercii et quatuor primariis abbatibus, quam ceteris abbatibus et superioribus monasteriorum communis observantiae, sive

in Gallia, sive in aliis regnis et provinciis existentium, ne quemquam ad habitum suae religionis recipiant, aut in posterum contra huiusmodi prohibitionem forsan recipiendos ad professionem admittant, donec antedictae designationes pro novitatibus et professoriis, ut supra, factae et ad procuratorem Ordinis transmissae nobis realiter et cum effectu exhibitae fuerint, atque, ut praefertur, approbatae; alioquin sic recipientes vel admittentes, sententiam excommunicationis incurrant, a qua non per alium, quam per nos et Romanum Pontificem pro tempore existentem, nisi in mortis articulo constituti, absolvi possint.

Litterae apostolicae iam editae confirmantur.

§ 6. Ad haec, de voto eiusdem congregationis cardinalium et praelatorum, qui iussu nostro rationes et motiva, voce scriptoque proposita tam a procuratore Ordinis quam a duobus abbatibus strictae observantiae pro reformationis negotio ex Gallia ad Urbem ablegatis, iterum ac tertio accurate matureque considerarunt et discusserunt, nobisque plenam de omnibus relationem fecerunt, auctoritate apostolicâ, praesentium tenore, declaramus litteras in formâ Brevis datas diebus x novembris MDCLVII, et VIII martii MDCLX, necnon II iulii MDCLXI respective, nullo obreptionis, subreptionis, intentionis nostrae defectu, vel alio nullitatis vitio laborasse nec laborare, ac proinde omnino esse servandas et executioni mandandas, prout servari et executioni mandari iubemus, perpetuum desuper silentium imponentes sub poenis contentis in primodictis nostris litteris editis die XVI ianuarii MDCLXII.

Favor strictae observantiae.

§ 7. Ceterum ex hac nostrâ declaratione, quoad ea quae memoratis litteris nostris et his proesentibus non adversantur, monasteriis monachorum reformatorum in regno Galliae, eorumque strictae observantiae, aliquod praeiudicium generare non intendimus, sed illam in suâ firmitate ac robore volumus permanere, perinde ac si eadem litterae non emanassent. Quinimmo nostrae intentionis est eamdem strictam observantiam in suâ laudabili vivendi ratione confovere, ac pro illius conservatione et incremento pastoralis nostri officii partes gratiose ac favorabiliter impendere, unde abbatem Cistercii et primarios quatuor abbates serio in Domino monemus atque adhortamur, eisque in virtute sanctae obedientiae districte praecipimus et mandamus, ut ipsam strictam observantiam non modo protegere, ac zelo charitatis complecti, verum etiam diffundere et propagare pro viribus studeant, ut in dies benedicente Domino in Ecclesiâ militante fructus ferat uberiores.

Ipsius professiones validantur.

§ 8. Similiter declaramus validas fuisse et esse professiones a monachis strictae observantiae in hanc usque diem emissas, nec non absolutiones cum actis hucusque gestis, quae suum plenarium sortitae sunt effectum, itaut praedictarum ac praesentium nostrarum litterarum vigore nullitatis vitio minime subiacuisse aut subiacere censeantur, nec propterea a quoquam impugnari, infringi aut in controversiam adduci ullatenus possint; sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos, et Apostolicae Sedis nuncios, et alios quoslibet, quacumque praeeminentiâ et potestate fungentes et functuros, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, decernimus; non obstan-

tibus praemissis. ac nostrâ et cancellariae apostolicae regulâ de non tollendo iure quaesito, aliisque apostolicis, ac in universalibus provincialibusque conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, necnon dicti Ordinis, eiusque congregationum, provinciarum, monasteriorum et locorum quorumcumque, aliisve quibuslibet, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, etiam eidem Ordini, eiusque congregationibus, provinciis, monasteriis et locis, ac illorum superioribus, abbatibus, monachis et personis quibuslibet, sub quibuscumque verborum tenoribus ac formis, et cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficaciobribus, efficacissimis et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis, in genere vel in specie, etiam motu, scientiâ et potestate plenitudine paribus, ac consistorialiter, et aliàs quomodolibet in contrarium praemissorum concessis, confirmatis et quantiscumque vicibus innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium et singulorum tenores, formas et occasiones praesentibus pro plene et sufficienter expressis servatis et insertis respective habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides. § 9. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur ubique, quae praesentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XIX aprilis MDCLXVI, pontificatus nostri anno XII.

Dat. die 19 aprlis 1666, pontif. anno XII.

DXLIII.

Prohibitio ingressus mulierum in eremis Montis Anconae et Fanensi Congregationis eremitarum Camaldulensium[1].

Alexander Papa VII,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium. Sollicitudo pastoralis officii, quo Ecclesiae catholicae regimini divinâ dispositione praesidemus, nos admonet, ut religiosae christifidelium, qui abnegantes semetipsos Altissimi obsequiis sese sub suavi vitae monasticae iuga devoverunt, tranquillitati, quantum nobis ex alto conceditur, prospicere studeamus.

Postulatio. § 1. Cum itaque, sicut dilectus filius procurator generalis congregationis eremitarum Camaldulensium nobis nuper exponi fecit, ad evitanda inconvenientia, quae in eremis Montis Anconae et Fanensi dictae congregationis propter accessum et ingressum mulierum aliquibus anni diebus secuta fuerant, dilecti pariter filii superiores ipsius congregationis, in eorum capitulo generali, quod in eremo Tusculano celebratum fuit, congregati, die XII maii MDCLXV per eorum decretum prohibuerint mulieribus, ne

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

primodictas duas eremos unquam ingrediantur; ut autem decretum huiusmodi irrefragabiliter in posterum servetur, dictus procurator generalis opportune in praemissis a nobis provideri et ut infra indulgeri summopere desideret:

Prohibet ut in rubricâ.

§ 2. Nos, ipsum procuratorem generalem specialis favore gratiae prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, ac decretum praefatum harum serie approbantes et confirmantes, ne de cetero ullae mulieres, cuiusvis status et conditionis existant, praefatas eremos Montis Anconae et Fanensem, seu earum alteram, ullo anni die vel tempore ingredi audeant quovis modo vel praesumant, sub excommunicationis latae sententiae poenâ per contrafacientes eo ipso absque aliâ declaratione incurrendâ, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, perpetuo prohibemus et interdicimus.

Imo sub poenâ excommunicationis latae sententiae.

Contrariis derogat.

§ 3. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac, quatenus opus sit, congregationis et eremorum huiusmodi, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, approbatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Publicatio.

§ 4. Volumus autem ut praesentis prohibitionis exemplum in aliquo conspicuo primodictarum duarum eremorum respective loco, unde ab omnibus cerni possit, continue affixum remaneat.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die v maii MDCLXVI, pontificatus nostri anno XII.

Dat. die 5 maii 1666, pontif. anno XII.

DXLIV.

Confirmatio concordiae inter capitulum ac canonicos ecclesiae cathedralis Lucanae et Rempublicam initae, per quam capitulum iurisdictionem tam civilem quam criminalem, sibi in quibusdam locis competentem, cessit ipsi Reipublicae[1].

Alexander Papa VII, ad futuram rei memoriam.

Proœmium.

Redemptoris nostri Domini Iesu Chisti, qui charitas est et Deus pacis, vices licet immeriti gerentes in terris, illa, quae inter fideles quoscumque pacis atque amabilis concordiae studio provide conventa et concordata esse noscuntur, libenter, cum a nobis petitur, apostolici muniminis praesidio roboramus.

Expositio.

§ 1. Exponi siquidem nobis nuper fecerunt dilecti filii capitulum et canonici ecclesiae Lucanae, quod, cum inter ipsos ex unâ et dilectos etiam filios Rempublicam Lucanam ex alterâ partibus nonnullae controversiae super iurisdictione in quibusdam locis, sitibus, terris, sylvis et marinis exortae essent, ipsi exponentes per eorum procuratores ad concordiam seu transactionem super eisdem controversiis unâ cum memoratâ Repu-

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

blicâ, et pro illâ cum procuratoribus a consilio generali ipsius Reipublicae per decretum seu mandatum procurationis infra inserendum deputatis, reservato tamen desuper nostro et huius sanctae Sedis beneplacito, devenerunt, per quam dicti exponentes iurisdictionem tam civilem quam criminalem et mixtam, omniaque et singula iura, seu rationes iurisdictionis, ac meri et mixti imperii, tam utilia quam directa, sibi in praedictis locis, sitibus, terris, sylvis et marinis competentia, Reipublicae praefatae cesserunt, mediante summâ duorum millium scutorum monetae illarum partium ipsis exponentibus per eamdem Rempublicam solvendâ, ac cum diversis pactis et conditionibus, prout uberius continetur in publico desuper confecto instrumento tenoris qui sequitur, videlicet:

« In nomine Domini Amen. Anno nativitatis eiusdem MDCLXVI, indictione IV, die vero XXIII mensis martii, pontificatus autem sanctissimi in Christo patris et domini nostri domini Alexandri divinâ providentiâ Pontificis VII anno eius XI secundum stylum notarilis illustrissimae ac eccellentissimae Reipublicae Lucensis.

Conciosiachè sia nata e insorta controversia e differenza, da alcuni anni in qua, tra la Republica eccellentissima di Lucca e il molto illustre e reverendissimo capitolo e i signori canonici della cattedrale sopra la giurisdizione di alcuni luoghi, siti, terre, boschi e marine, posti e esistenti nell'infrascritti confini, cioè:

Una tenuta, etc.

Et prout latius, etc.

In quorum fidem, etc. *(Sequitur legalitas in formâ)*[1] ».

Confirmat Pontifex ut in rubricâ.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, tam capitulum et canonici praefati quam Respublica supradicta praemissa apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri summopere desiderent: nos, specialem eis gratiam facere volentes, et ipsorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, transactionem seu concordiam inter partes praefatas initam, ut praefertur, ac confectum desuper instrumentum praeinsertum, cum omnibus et singulis pactis et conditionibus, cessionibus, obligationibus, renunciationibus, reservationibus, declarationibus, clausulis et aliis in eo contentis, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos iuris et facti defectus, si qui quomodolibet in eis intervenerint, supplemus.

Decretum irritans.

§ 3. Decernentes easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 4. Non obstantibus felicis recordationis Pauli II ac Urbani VIII, et alio-

1 Reliquum deest in edit. Rom. (R. T.).

rum Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum, de rebus et bonis Ecclesiarum praesertim iurisdictionalibus non alienandis, et aliis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac, quatenus opus sit, praefatae ecclesiae Lucanae, et aliis quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Conditio apposita. § 5. Volumus autem ut praefata scuta duo millia, statim atque exacta fuerint, deponantur penes aedem sacram, vel personam fide et facultatibus idoneam, inde non amovenda nisi ad effectum investiendi ad favorem mensae capitularis dictae ecclesiae Lucanae in bonis stabilibus dimidiam illorum partem, et aliam dimidiam erogandi in extinctionem aeris alieni, quo eadem mensa capitularis gravata reperitur, et pro quo maiora solvuntur interusuria.

Datum in Arce Gandulphi, Albanensis dioecesis, sub annulo Piscatoris, die XXI maii MDCLXVI, pontificatus nostri anno XII.

Dat. die 21 maii 1666, pontif. anno XII.

DXLV.

Pro fratribus Ordinis Praedicatorum Teutoniae, ne videlicet in illâ provinciâ fiat ulla secessio, divisio aut separatio, sub poenâ excommunicationis, etc.

Alexander Papa VII, ad futuram rei memoriam.

Prooemium. In supremo militantis Ecclesiae solio divinâ dispositione constituti, illa, quae ab Ordinum regularium superioribus ad conservandam unitatem avertendasque scissuras prudenti salubrique disposita esse noscuntur consilio, ut firmiora semper atque stabiliora persistant, libenter, cum id a nobis petitur, apostolici muniminis praesidio roboramus.

Praeceptum magistri generalis. § 1. Exponi siquidem nobis nuper fecit dilectus filius prior provincialis provinciae Teutoniae Ordinis Praedicatorum, quod aliàs, videlicet die VII maii MDCLXI, pro conservandâ unitate et indivisione dictae provinciae, emanavit a dilecto etiam filio magistro generali dicti Ordinis praeceptum, quo omnibus sibi subiectis, ubivis locorum, intra vel extra eamdem provinciam morantibus aut moraturis, cuiuscumque sint gradus, dignitatis aut conditionis, prohibet ne quisquam, per se, vel per alium, seu alios, sive religiosos, sive seculares, directe vel indirecte, clam vel palam, apud religiosos Ordinis praedicti vel extraneos quacumque dignitate, fastigio, officio aut honore fulgentes, sub ullo colore, praetextu, titulo aut motivo, tractet vel tractari faciat, suadeat, procuret, aut quoquo modo sollicitet vel cooperetur ad hoc ut in praedictâ provinciâ fiat ulla secessio, divisio aut separatio, sive inter veteres provinciae partes, sive inter eamdem et partes quae novissime per incorporationem anno MDCLIII die X martii factam accesserunt, sicque omne divisionis tentamentum excludit ac vetat sub poenâ excommunicationis latae sententiae, privatione[1] utriusque

1 Potius lege *privationis* (R. T.).

vocis, graduum et officiorum, ac perpetuae inhabilitatis ad illa, aliisque poenis arbitrariis ipso facto incurrendis, et aliàs prout uberius continetur in ipsius magistri generalis litteris patentibus desuper expeditis tenoris qui sequitur, videlicet:

Tenor litterarum magistri generalis.

§ 2. « Frater Ioannes Baptista de Marinis, sacrae theologiae professor, Ordinis Praedicatorum humilis magister generalis et servus. Quod apud Esaiam ipsemet Deus haec sibimet appropriet epitheta: « Ego Dominus faciens pacem et creans malum » nonnullis quidem captu sat arduum videtur, siquidem a Deo non creatur malum, nec nisi bonum esse potest quidquid a Creatore tam bono producitur. At ex ipso creandi vocabulo nodum solvit Basilius Magnus, innuens malum creari quando ex ipso, utpote nihilo, eligitur bonum. Tametsi igitur causae Deo inferiores creare ne quidem ut instrumenta possint; sicuti tamen conantur ex malo bonum elicere, optimum censentur imitari Creatorem. Hoc porro et nos satagimus advigilantes ut in grege nobis commisso, si qua erumpant mala, ea ipsa transeant in bonam novi boni occasionem, ac suo modo creentur, dum ex confusione ordo, ex remissione disciplina, ex turbatione tranquillitas formatur ac reformatur. Nimirum haec divini artificis quantulacumque nos decet imitatio faciens pacem et creans malum. Sane ingenti commodo suo id superioribus annis experta est provincia nostra Teutoniae, cuius hodierna quies, pax, unitas in tanti corporis vastâ amplitudine non utique gauderet hac firmitate, nexu, munimento, nisi ex ipsismet eius intestinis quibusdam motibus[1], rimis ac nutu in rupturam propendulo tempestive invigilassemus ad faciendam pacem et creandum malum, ex ipso dissidiorum hiatu educentes illud amicabile gluten, quo in germanam concordiam denuo compaginata saluberrimam, qua et conservatur, conservat unionis suae integritatem. Verum, ut fluxae sunt humanarum rerum vices, obstructo illic periculo alia (sed alibi et ab aliis) erupit novae scissurae tentatio, dum nuper nonnulli ex nostris in Styria eiusque conterminis dictae provinciae recentius ac legitime incorporati, rursus ab illâ separari, imo, et si fieri posset, notabiles eius partes secum abstrahere quaesierunt. Quorum praetensionem postquam maturrime per complures menses examinavimus, liquido demum comperimus eam communi religionis bono neutiquam cohaerere, nisi quatenus occasionem nobis praebet ex eâ commotione novam eliciendi pacem, qua et pristinum illud indivisae Teutoniae gluten securius corroboretur, et provinciae illius integritas etiam adversus huius extremi membri detruncationem, vel potius ipsummet hoc membrum a proprio interitu fortissime praemuniatur: quod ubi praestiterimus, divino illo creandi artificio nos probe perfunctos nemo prudens negabit.

§ 3. Proinde harum serie, nostrique officii auctoritate, omnibus et singulis nostrae curae subiectis, ubicumque locorum morentur aut imposterum moraturi sint, intra vel extra dictam provinciam, ad eam pertinentibus, sive ab eâ extraneis, cuiuscumque gradus, dignitatis aut conditionis existant, in virtute Spiritus Sancti, sanctae obedientiae, sub formali praecepto, item sub poenâ excommunicationis latae sententiae, necnon privationis utriusque vocis, graduum, officiorum, perpetuâque inhabilitate[1] ad ullam in Ordine promotionem

1 Male edit. Main. legit *moribus* pro *motibus* (R. T.).

1 Potius lege *perpetuaeque inhabilitatis* (R. T.).

aut functionem honorificam obtinendam vel obeundam, aliisque arbitrio nostro taxandis poenis insimul cum omnibus iam taxatis ipso facto incurrendis, prohibemus, ne quisquam, per se, vel alium, aut alios, seu religiosos seu seculares, directe vel indirecte, clam vel palam, apud nostros vel extraneos quacumque dignitate, fastigio, officio aut honore fulgentes, sub ullo colore, praetextu, titulo aut motivo, tractet vel tractari faciat, suadeat, procuret, aut quoquo imaginabili modo laboret, cooperetur vel sollicitet, quod in praenominatâ nostrâ Teutoniae provinciâ ulla fiat secessio, divisio aut separatio, sive inter veteres provinciae partes, sive inter illam et partes quae recenter ipsi per incorporationem anno MDCLIII, die X martii, ex nostrâ commissione factam accesserunt; eumque in finem, praesentium tenore, verbatim ac de integro renovamus, et cum omnibus suis clausulis confirmamus, patentes nostras eodem anno, die XII aprilis, desuper expeditas, quibus et provinciae Teutoniae indivisionem, et quinque conventuum Styriae cum eâ incorporationem stabilivimus et approbavimus, non secus ac si dictae patentes syllabatim repetitae hîc insererentur. Et ne horum ignorantia cuiquam suffragetur, mandamus universis per totam dictam provinciam prioribus et praesidenbus conventuum, sub eodem formali praecepto ac poenâ absolutionis ab officio, quatenus harum integrum tenorem intra biduum a receptione coram suâ religiosâ communitate publice legi faciant, ac inviolabiliter observari. Confidimus bonos omnes huic nostrae enixae voluntati ingenuè prompteque parituros, ex quo continuâ tot annorum serie iam experti sumus quantâ cum modestiâ susceperint, quam religiosâ fide ac tranquillitate hactenus observarint ambae antiquiores illius provinciae portiones nostrum reparatae unionis et concordiae salutiferum praeceptum, adeo quod toto isthoc octennio nullus omnino ex iis partibus apud nos delatus fuerit, qui vel leviter gluten illud dissolvere, aut saltem verbulo arrodere attentarit, quod in illâ constanti natione amare atque laudare non desinimus. Idem novissime incorporatis studium esto, quorum in hoc praecipue spectamus utilitatem et incrementum. In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. Amen. Quibuscumque in contrarium non obstantibus. In quorum omnium fidem, ac robur his sigillo nostro munitis propriâ manu subscripsimus.

Romae in conventu nostro Sanctae Mariae super Minervam die VII maii MDCLXI ».

Confirmat praeinsertum praeceptum Pontifex.

§ 4. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, praeceptum praedictum ubique in dictâ provinciâ rite notificatum, et communi eiusdem bono salubre, imo pernecessarium agnoscatur: nobis propterea dictus prior provincialis humiliter supplicari fecit ut in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolicâ dignaremur. Nos igitur, ipsum priorem provincialem specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium tantum consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositorum consilio, attentis narratis, ac visis

per eosdem cardinales litteris patentibus magistri generalis Ordinis huiusmodi in authenticâ formâ exhibitis tenoris praeinserti, easdem litteras, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium benigne approbamus et confirmamus, et omnimodae exequutioni demandari iubemus, sub poenis in ipsis litteris contentis; ac perpetuum super praemissis silentium imponimus; salvâ tamen semper in eisdem praemissis auctoritate congregationis memoratorum cardinalium.

Decretum irritans.

§ 5. Decernentes easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab illis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogat contrariis.

§ 6. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac, quatenus opus sit, dictorum Ordinis et provinciae, huiusque conventuum quorumlibet, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Derogatio contrariorum.

§ 7. Volumus autem ut praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae praesentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die IX iunii MDCLXVI, pontificatus nostri anno XII.

Dat. die 9 iunii 1666, pontif. anno XII.

DXLVI.

Deputatio visitatoris apostolici insularum maris Ægaei et Zacynthi et Cephaloniae, ac aliorum locorum adiacentium, cum amplissimis facultatibus[1].

Venerabili fratri Iosepho a S. Maria, episcopo Hieropolitano, Alexander Papa VII.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

Motiva.

§ 1. Cupientes, ad animarum salutem, divinumque cultum promovendum, insulas maris Ægaei, Zacynthi et Cephaloniae, ac alia loca adiacentia auctoritate nostrâ apostolicâ visitari, ac de tuâ fide, prudentiâ, doctrinâ, pietate, charitate, et catholicae religionis zelo plurimum in Domino confisi, teque a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existis, ad effectum praesentium dum-

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

taxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis propagandae fidei praepositorum consilio, te, qui in minoribus constitutus habitum per fratres Ordinis Beatae Mariae de Monte Carmelo gestari solitum suscepisti et professionem per eosdem emitti consuetam expresse emisisti regulares, nostrum et Apostolicae Sedis visitatorem in praefatis insulis maris Ægaei, Zacynthi et Cephaloniae, aliisque locis adiacentibus, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, constituimus et deputamus, cum facultate quascumque cathedrales, etiam metropolitanas, collegiatas, parochiales et alias ecclesias, ac quorumvis Ordinum, congregationum et institutorum regularium, etiam Societatis Iesu, monasteria, tam virorum, quam mulierum, conventus, domos, hospitia, collegia, residentias, aliaque loca regularia, hospitalia quoque, confraternitates, et alia pia et religiosa loca quaecumque, etiam de iurepatronatus laicorum, in insulis aliisque locis adiacentibus praefatis existentia, eorumque praelatos, capitula, conventus, superiores et personas, tam laicas quam ecclesiasticas, seculares et regulares, cuiusvis status, gradus, ordinis, praeeminentiae et dignitatis existant, tam in capite quam in membris, semel tantum, auctoritate nostrâ visitandi, ac in illorum statum, vitam, mores, ritus et disciplinam diligenter inquirendi, necnon, evangelicae et apostolicae doctrinae, sacrorumque canonum et generalium conciliorum decretis, et sanctorum patrum traditionibus, regularibusque eorum institutis respective inhaerendo, quaecumque mutatione, correctione, emendatione, revocatione et renovatione indigere cognoveris, reformandi, mutandi, corrigendi, revocandi, renovandi, ac etiam de novo condendi; condita, sacris canonibus et Concilii Tridentini decretis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, regularibusque institutis praedictis non repugnantia, confirmandi; abusus quoscumque tollendi; regulas, institutiones, ac ecclesiasticam regularemque disciplinam, ubicumque corruerint, modis congruis restituendi et reintegrandi; dicti Concilii Tridentini decreta custodiri praecipiendi; dictasque personas ad debitum et honestum vitae modum revocandi; et quidquid statueris et ordinaveris observari faciendi; inobedientes per censuras et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia compescendi, aliaque omnia et singula in praemissis, et circa ea, ac pro huiusmodi munere rite et recte explendo necessaria et quomodolibet opportuna faciendi, dicendi, gerendi, mandandi et exequendi; praeterea conferendi Ordines extra tempora, et non servatis interstitiis, usque ad presbyteratum inclusive, si sacerdotum necessitas ibi fuerit; dispensandi in quibuscumque irregularitatibus, exceptis illis, quae vel ex bigamiâ verâ, vel ex homicidio voluntario proveniunt; dispensandi super defectu aetatis unius anni, ob operariorum penuriam, ut[1] promoveri possint ad sacerdotium, si aliàs idonei fuerint; dispensandi et commutandi vota simplicia, etiam castitatis, ex rationabili causâ, in alia pia opera (non tamen religionis); dispensandi in quacumque simoniâ, et in reali, dimissis beneficiis, et super fructibus male perceptis, iniunctâ poenitentiâ salutari, eleemosynâ arbitrio dispensantis; dispensandi in tertio et quarto consanguinitatis simplici et mixto, et in secundo, tertio et quarto mixtis, non tamen in secundo solo, quoad futura matrimonia, quo vero ad praeterita etiam

Facultates aliquas concedit.

1 Ed. Main. habet *et* pro *ut* (R. T.).

in secundo solo, dummodo nullo modo attingat primum gradum, cum his qui ab haeresi vel infidelitate convertuntur ad fidem catholicam, et in praedictis casibus prolem susceptam declarandi legitimam; dispensandi super impedimento publicae honestatis iustitiae ex sponsalibus proveniente; dispensandi super impedimento criminis, neutro tamen coniugum machinante, ac restituendi ius petendi debitum amissum; dispensandi in impedimento cognationis spiritualis, praeterquam inter levantem et levatum; hae vero dispensationes matrimoniales, videlicet sexta, septima, octava et nona, non concedantur nisi cum clausulâ *dummodo mulier rapta non fuerit, vel si rapta fuerit, in potestate raptoris non existat*, et in dispensatione tenor huiusmodi facultatum inseratur cum expressione temporis ad quod fuerunt concessae; dispensandi cum gentilibus et infidelibus plures uxores habentibus, ut, post conversionem et baptismum, quam ex illis maluerint, si etiam ipsa fidelis fiat, retinere possint, nisi prima voluerit converti; consecrandi olea cum sacerdotibus qui poterunt haberi, dummodo ad minus sint quinque, non tamen extra diem Coenae Domini; delegandi simplicibus sacerdotibus potestatem benedicendi paramenta et alia utensilia ad sacrificium missae necessaria, ubi non intervenit sacra unctio, et reconciliandi ecclesias pollutas aquâ ab episcopo benedictâ, et in casu necessitatis etiam aquâ non benedictâ ab episcopo; largiendi ter in anno indulgentiam plenariam contritis et confessis ac sacrâ communione refectis; absolvendi ab haeresi, et apostasiâ a fide, et a schismate quoscumque etiam ecclesiasticos, tam seculares quam regulares, non tamen eos qui ex locis fuerint ubi S. Officium exercetur, nisi in locis missionum, in quibus impune grassantur haereses, deliquerint, nec illos qui iudicialiter abiuraverint, nisi isti nati sint ubi impune grassantur haereses, et post iudicialem abiurationem illuc reversi in haeresim fuerint relapsi, et hos in foro conscientiae tantum; absolvendi ab omnibus casibus Sedi Apostolicae reservatis, etiam in Bullâ Coenae Domini contentis; concedendi indulgentiam plenariam primo conversis ad haeresi, atque etiam infidelibus quibuscumque, in articulo mortis, saltem contritis, si confiteri non poterunt; concedendi indulgentiam plenariam in oratione quadraginta horarum ter in anno indicendâ, diebus tibi benevisis, contritis et confessis, ac sacrâ communione refectis, si tamen ex concursu populi et expositione SS. Sacramenti nulla probabilis suspicio sit sacrilegii ab haereticis et infidelibus, aut magistratum offensum iri; lucrandi tibi easdem indulgentias; singulis secundis feriis, non impeditis officio novem lectionum, vel, eis impeditis, die immediate sequenti celebrando missam *de requiem* in quocumque altari, etiam portatili, liberandi animam secundum tuam intentionem a purgatorii poenis per modum suffragii; tenendi et legendi, non tamen aliis concedendi, libros haereticorum vel infidelium de eorum religione tractantium, ad effectum eos impugnandi, et alios quomodolibet prohibitos, praeter opera Caroli Molinaei, Nicolai Machiavelli, ac libros de astrologiâ iudiciariâ principaliter aut incidenter, vel aliàs quomodolibet de eâ tractantes, ita tamen ut libri ex illis provinciis non efferantur; praeficiendi parochiis regulares, eisque suos deputandi vicarios in defectum secularium, de consensu tamen suorum superiorum; celebrandi bis in die, si necessitas urgeat, ita tamen ut in prima missâ non sumpseris ablutio-

nem, per unam horam ante auroram, et aliam post meridiem, sine ministro, sub die[1] et sub terrâ, in loco tamen decenti, etiamsi altare sit fractum, vel sine reliquiis sanctorum, et praesentibus haereticis, schismaticis, infidelibus et excommunicatis, si aliter celebrari non possit (caveas vero ne praedictâ facultate seu dispensatione celebrandi bis in die aliter quam ex gravissimis causis et rarissime utaris, in quo graviter tuam conscientiam oneramus; quod si hanc eamdem facultatem alteri sacerdoti iuxta potestatem inferius apponendam communicare, aut causas eâ utendi alicui, qui ab hac sanctâ Sede hanc facultatem obtinuerit, approbare visum fuerit, serio tuae conscientiae iniungimus, ut paucis dumtaxat, iisque maturioris prudentiae ac zeli, et qui absolute necessarii sunt, nec pro quolibet loco, sed ubi gravis necessitas tulerit, et ad breve tempus eamdem communices, aut respective causas approbes); deferendi SS. Sacramentum occulte ad infirmos sine lumine, illudque sine eodem retinendi pro eisdem infirmis in loco tamen decenti, si ab haereticis aut infidelibus sit periculum sacrilegii; induendi vestibus secularibus, si aliter vel transire ad loca tuae curae commissa, vel in eis permanere non poteris; recitandi rosarium, vel alias praeces, si breviarium tecum deferre non poteris, vel divinum officium ob aliquod legitimum impedimentum recitare non valeas; dispensandi, quando expedire videbitur, super usu carnium, ovorum et lacticiniorum tempore ieiuniorum et praesertim quadragesimae; ac praedictas facultates communicandi (non tamen illas, quae actum iniunctae tibi visitationis concernunt, quaeve requirunt ordinem episcopalem, vel non sine sacrorum oleorum usu exercentur) sacerdotibus idoneis, qui in insulis et locis praefatis ac in praedictâ visitatione laborabunt, et praesertim tempore tui obitus, ut tunc sit qui possit supplere, donec Sedes Apostolica certior facta (quod quamprimum fieri debebit per delegatos vel unum ex eis) alio modo provideat, quibus delegatis auctoritate apostolicâ facultatem concedimus post obitum tuum in casu necessitatis consecrandi calices, patenas et altaria portatilia sacris oleis ab episcopo tamen benedictis.

Facultates gratis adhibendae

§ 2. Ceterum volumus ut praedictae facultates gratis et absque ullâ mercede exerceantur, et durante tempore visitationis concessae intelligantur, nec illis ullo modo uti possis extra fines tuae visitationis; salvâ tamen semper in praemissis auctoritate congregationis memoratorum cardinalium.

Ab omnibus uti visitatorem apostolicum recognosci mandat.

§ 3. Mandantes propterea omnibus et singulis archiepiscopis, episcopis, praelatis, capitulis, aliisque personis ecclesiasticis tam secularibus quam cuiusvis Ordinis, congregationis et instituti, etiam praefatae Societatis Iesu, regularibus, ceterisque, ad quos spectat, et qui in supradictis insulis et locis resident, ut te uti visitatorem apostolicum a nobis, ut praefertur, deputatum recipiant et recognoscant, ac tibi in omnibus ad visitationem praefatam spectantibus omnino pareant et obsequantur, tuaque salubria monita et mandata humiliter suscipiant, et efficaciter adimplere procurent, alioquin sententiam sive poenam, quam rite tuleris seu statueris in rebelles, ratam habebimus, et faciemus auctore Domino usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari.

Eoque de occurrentibus dat

§ 4. Volumus autem ut, si quae[1] graviora in huiusmodi visitatione repereris,

1 Potius lege *dio* (R. T.).

1 Potius lege *qua* (R. T.).

modum certiorandi S. Sedem.

ea, necnon informationes omnes in huiusmodi visitatione sumendas, sub tuo sigillo clausas, ad nos, seu memoratam cardinalium congregationem, quamprimum diligenter transmittas, ut, quod desuper statuendum fuerit, maturâ consultatione adhibitâ decernamus.

Contrariis derogat.

§ 5. Non obstantibus apostolicis, ac in universalibus provincialibus et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, necnon ecclesiarum, monasteriorum, hospitalium, conventuum, collegiorum, Ordinum, congregationum et institutorum regularium, etiam Societatis praefatae, et locorum piorum quorumcumque, aliisve quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, libertatibus, immunitatibus et litteris apostolicis, illis eorumque praesulibus, praelatis, superioribus et personis secularibus et regularibus quibusvis, sub quibuscumque verborum tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis, in genere vel in specie, ac aliàs quomodolibet, in contrarium praemissorum concessis, confirmatis et pluries innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, et formâ in illis traditâ observatâ, inserti forent, praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die II iulii MDCLXVI, pontificatus nostri anno XII.

Dat. die 2 iulii 1666, pontif. anno XII.

DXLVII.

Praeceptum superioribus et personis Societatis Iesu, in insulis maris Ægaei, Zacynthi et Cephaloniae, aliorumque locorum adiacentium residentibus, ut visitationem ab apostolico visitatore Iosepho Maria in eorum collegiis, domibus, hospitiis, residentiis, aliisve locis quibuscumque vigore alterius Brevis sanctissimi instituendam, omni morâ et dilatione postpositis, recipiant et admittant[1].

Venerabili fratri Iosepho a S. Maria episcopo Hieropolitano,
Alexander Papa VII.

Venerabilis frater,
salutem et apostolicam benedictionem.

Motiva huius Constitutionis.

Cum nos te per alias nostras in simili formâ Brevis litteras, quarum tenorem praesentibus haberi volumus pro expresso, nostrum et Apostolicae Sedis visitatorem in insulis maris Ægaei, Zacynthi et Cephaloniae, aliisque locis adiacentibus, cum diversis facultatibus auctoritate apostolicâ deputaverimus; idcirco, ut iniunctum tibi munus ad omnipotentis Dei gloriam et animarum salutem facilius atque expeditius obire et exequi valeas, providere cupientes, teque a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasti-

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

cis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existis, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, omnibus et singulis Societatis Iesu superioribus, ac clericis, seu presbyteris regularibus et personis quibuscumque, etiam specificâ et individuâ mentione et expressione dignis, qui in praefatis insulis et locis resident, in virtute sanctae obedientiae, et sub indignationis nostrae aliisque arbitrii nostri poenis, districte praecipiendo mandamus, ut visitationem, a te in eorum collegiis, domibus, hospitiis, residentiis, aliisque locis quibuscumque praefatarum nostrarum litterarum vigore instituendam, omni morâ, dilatione et tergiversatione postpositis, recipiant et admittant, teque tamquam visitatorem apostolicum ut praefertur a nobis deputatum recognoscant, ac debitis honore et reverentiâ prosequantur, necnon tibi in omnibus visitationem huiusmodi concernentibus prompte pareant et obediant, tuaque salubria monita et mandata humiliter suscipiant et efficaciter adimplere procurent, alioquin sententiam sive poenam, quam rite tuleris seu statueris in rebelles, ratam habebimus, et faciemus auctore Domino usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari.

Praecipit superioribus Societatis Iesu ut visitationem in suis domibus excipiant prout in rubricâ.

Contraria tollit. § 2. Non obstantibus omnibus et singulis, quae in litteris praefatis voluimus non obstare, et praesertim dictae Societatis, eiusque provinciarum, collegiorum, domorum, hospitiorum, residentiarum et locorum quorumcumque, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, indultis, libertatibus, immunitatibus, exemptionibus et litteris apostolicis eidem Societati, eiusque praeposito generali, aliisque superioribus, ac clericis, seu presbyteris regularibus, et personis quibuslibet, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, ac irritantibus et aliis decretis, in genere vel in specie, ac aliàs quomodolibet in contrarium praemissorum concessis, confirmatis, et quantiscumque vicibus innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio aut alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, et formâ in illis traditâ observatâ etc., habentes[1], illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die II iulii MDCLXVI, pontificatus nostri anno XII.

Dat. die 2 iulii 1666, pontif. an. XII.

DXLVIII.

Circa novam formam assumendi electores rotae civitatis Perusinae[2].

Alexander Papa VII,
ad futuram rei memoriam.

Exordium. Paterna, quam de nostris et Sedis Apostolicae subditis gerimus, cura nos

1 Male edit. Main. legit *pro servatâ habentes*; ceterum quae desunt supple ex pag. 361 *a* (R. T.).

2 Ex Regest. in Secret. Brev.

inducit, ut eorum commodis atque utilitatibus consulere iugiter studeamus.

Supplicatio. § 1. Exponi siquidem nobis nuper fecerunt dilecti filii priores seu decemviri civitatis nostrae Perusinae, quod, cum antehac singulis vicenniis in eâdem civitate fieri solitus fuerit sacculus eorum, qui interea singulis quadrienniis novos auditores rotae eiusdem civitatis eligere deberent, et aliàs prout in capitulis impressis super institutione auditorii rotae huiusmodi cap. II *De electionibus et formâ electionis* uberius dicitur contineri; experientiâ vero compertum sit hunc modum seu formam electionis huiusmodi multis incommodis causam praebere, eo quod omnibus notum esse quinam electionem facere deberent[1], hi vero auctoritate et gratiâ potentium ad eligendos ab illis dependentes semper adigerentur, unde magis apti et idonei, eiusmodi favoribus et dependentiis carentes, exclusi remanebant, admissis parum habilibus, et propter penuriam concurrentium pluries necesse fuerat admittere quosdam qui qualitatibus ad eiusmodi munus requisiti praediti non erant: ipsi exponentes, ut huic in posterum occurrerent absurdo, et tam commendatione suffulti, quam eâ carentes, voti exitum sperare pro merito valeant, cum praesentiâ et consensu vicesgerentis dilecti filii gubernatoris dictae civitatis, et reservato quatenus opus esset dictae Sedis beneplacito, praefatae rotae electores sequenti formâ, abrogatâ veteri, in futurum singulo quadriennio constituerunt eligendos, videlicet, ut, postquam seniores collegii utriusque iuris doctorum die XXVIII decembris ex toto candidatorum numero octo de more elegerint, die II ianuarii immediate sequentis, seu aliâ commodiori, coram vicelegato seu gubernatore dictae civitatis, vel eiusdem gubernatoris locumtenente seu vicesgerente, et decemviris pro tempore existentibus, de mane congregatis, ex omnibus officiis decemviratus, consulatus collegii nobilium mercantiae, et auditoratus collegii nobilium cambii e currenti sacculo iam extractis, suosque munere defunctis, et, si unum vel duos ex his tantummodo tunc reperiri contingat, ex omnibus praefatis officiis etiam praecedentis sacculi, factâ prius a praesentibus decemviris in mortuorum et absentium locum subrogatione, unum ex quolibet genere dictorum officiorum sorte extrahatur, quae tria officia sic extracta, eâdem die coram eisdem ut supra legitime de sero convocata, illico eligant quinquaginta viros prudentes, probos ac Deum timentes, cives Perusinos, aetate ac rerum experientiâ graves, et nemini ipsorum eligentium in primo vel secundo gradu attinentes, decem scilicet pro unâquaque portâ, quorum nominibus statim in urnam pro singulis portis singillatim coniectis, viginti sorte extrahantur, quatuor videlicet pro qualibet portâ, et hi, ex dictis octo doctoribus ab utriusque iuris collegio electis, quatuor more solito infra decennium eligant, declarantes, quod per electores hac novâ formâ eligendos facienda sit prior futura praefatae rotae electio de anno MDCLXX, quibuscumque non obstantibus, et quamvis in sacculo aliqui secundum veterem modum electi adhuc existerent. Quare dicti exponentes nobis humiliter supplicari fecerunt ut novam formam huiusmodi apostolicae confirmationis nostrae robore communire de benignitate apostolicâ dignaremur.

Confirmat novam formam eligendi auditores rotae Perusinae.

§ 2. Nos igitur, ipsos exponentes specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensio-

1 Pericopem istam intelligat vel emendet qui potest (R. T.).

nis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, ut nova forma supra expressa pro primo quadriennio tantum a dicto anno MDCLXX computando[1] servari libere et licite possit et debeat, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, concedimus et indulgemus.

Decretum irritans.

§ 3. Decernentes easdem praesentes litteras firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contraria tollit.

§ 4. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon dictae civitatis, et aliis quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliâs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

1 Edit. Main. legit *computanda* (R. T.).

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die VI iulii MDCLXVI, pontificatus nostri anno XII.

Dat. die 6 iulii 1666, anno XII.

DXLIX.

Confirmatio decreti congregationis rituum, quod sint servanda decreta dictae congregationis sub die XXI *ianuarii* MDCLXII *super celebratione festi S. Georgii de praecepto, et sub die* XXIV *maii* MDCLXIV *super concessione officii eiusdem ad favorem principatus Cataloniae et cleri edita*[1].

Alexander Papa VII, ad futuram rei memoriam.

Recensetur decreta edita.

§ 1. Emanavit nuper a congregatione venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium sacris ritibus praepositorum decretum tenoris qui sequitur, videlicet:

« Sacra rituum congregatio censuit servanda esse decreta ipsius sacrae congregationis sub die XXI ianuarii MDCLXII, super celebratione festi S. Georgii de praecepto, et sub die XXIV maii MDCLXIV super concessione officii eiusdem ad favorem principatus Cataloniae et cleri edita, necnon esse demandandas exequutioni litteras apostolicas in formâ Brevis pro observantiâ dictorum decretorum die I septembris expeditas, non obstantibus oppositionibus archiepiscopi et concilii Tarraconensis super dictarum litterarum subreptione et obreptione, aliisque contrariis quibuscumque. Hac die XXVI iunii MDCLXVI.

M. episc. Sabinensis card. GINETTUS.
BERNARDINUS CASALIUS
sacr. rituum congregationis secret. »

Eadem a Pontifice confirmantur.

§ 2. Cum autem, sicut pro parte dilectorum filiorum cleri et populi dicti principatus Cataloniae nobis subinde

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

expositum fuit, ipsi decretum huiusmodi, pro firmiori illius subsistentiâ, apostolicae confirmationis nostrae robore communiri summopere desiderent: nos, specialem eisdem clero et populo gratiam facere volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, allisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, decretum praeinsertum, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, approbamus et confirmamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus; salvâ tamen semper in praemissis auctoritate praefatae congregationis cardinalium.

Decretum irritans. § 3. Decernentes easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contraria tollit. § 4. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XVII iulii MDCLXVI, pontificatus nostri anno XII.

Dat. die 17 iulii 1666, anno XII.

DL.

Confirmatio decreti in capitulo generali congregationis Ss. Vitonis et Hidulphi Ordinis sancti Benedicti editi, quod, licet fratres laici seu commissi nulla emittant vota sed tantum elapso biennio ad stabilitatem recipiantur, nihilominus vota simplicia castitatis, paupertatis et obedientiae emittere debeant, servanda quamdiu permanserint in eâdem congregatione, ex qua a superioribus expelli possunt, non autem propriâ voluntate discedere [1].

Alexander Papa VII, ad perpetuam rei memoriam.

Exordium. Commissae nobis caelitus dispensationis ratio exigit, ut, paternam christifidelium Altissimi obsequiis sub suavi monasticae vitae iugo mancipatorum curam gerentes, quae ab ipsis prudenti salubrique decreta noscuntur esse consilio, quo firma semper atque inviolabilia persistant, apostolici muniminis praesidio roboremus.

Expositio. § 1. Exponi siquidem nobis nuper fecerunt dilecti filii praesidens et definitores capituli generalis congregationis Ss. Vitoni et Hidulphi Ordinis sancti Benedicti, quod circâ receptionem fratrum laicorum seu commissorum olim in capitulo generali dictae congregationis editum fuit decretum tenoris qui sequitur, videlicet:

« Quod, quamvis in congregatione Cassinensi, ad cuius instar dicta Ss. Vitoni et Hidulphi congregatio erecta est, fratres commissi seu laici nulla emittant vota, sed tantum elapso biennio ad stabilitatem recipiantur a superioribus et senioribus, teneanturque quamdiu manent in congregatione servare castitatem, paupertatem et obedientiam ex praecepto regulae seu declarationis; ad maiorem tamen fratrum nostrorum lai-

corum consolationem concedimus, ut deinceps, quando recipientur ad stabilitatem ipsam, possint et debeant votis simplicibus firmantur[1] sub hac formâ:

In nomine Domini nostri Iesu Christi. Amen. Anno, etc., die etc. Ego N., dioececis N., promitto servare castitatem, paupertatem et obedientiam, et conversionem mandatorum[2] meorum secundum regulam sancti Benedicti et constitutiones congregationis Ss. Vitoni et Hidulphi coram Deo et hominibus, Sanctis, quorum reliquiae in monasterio N. requiescunt, et in praesentiâ reverendissimi patris N. abbatis seu prioris, quamdiu in dictâ congregatione perseverabo, non intendens tamen quod mihi proprio vitio seu voluntate liceat ab illâ discedere, sed quod si contingeret ut dictae congregationis superiores malis meis moribus seu vitiis coacti ab illâ me expellerent, in illo tantum casu liber et absolutus ab omni votorum et religionis obligatione remanerem. In quorum fidem subscripsi, etc. ».

Pontifex confirmat ut in rubrica.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, praefati exponentes decretum huiusmodi, longâ experientiâ comprobatum, pro firmiori illius subsistentiâ, apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri summopere desiderent: nos, specialem ipsis exponentibus gratiam facere volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, et absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositorum consiio, attentis narratis, ac viso et mature per eosdem cardinales considerato decreto capituli generalis praeinserti tenoris, ipsum decretum, auctoritate apostolica, tenore presentium, benigne approbamus et confirmamus, suumque effectum sortiri mandamus.

Decretum irritans.

§ 3. Decernentes easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contingerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 4. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon, quatenus opus sit dictae congregationis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, approbatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliâs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXX iulii MDCLXVI, pontificatus nostri anno XII.

Dat. die 30 iulii 1666, anno XII.

1 Videtur legendum *firmari* (R. T.).

2 Videtur legendum *morum* (R. T.).

DLI.

Indultum deferendi habitum praelatitium pro abbate generali congregationis canonicorum regularium S. Salvatoris Ordinis sancti Augustini.

Alexander Episcopus,
servus servorum Dei
ad perpetuam rei memoriam.

Proœmium. Decet Romanum Pontificem, quem Altissimus universalis Ecclesiae curae praeposuit divinâ dispositione, ad ea, per quae personarum ecclesiasticarum quarumlibet, praesertim insignium congregationum canonicorum regularium regimini et administrationi ac ornamento, divinique cultus celebritati et decori consulitur, libenter intendere, ac in illis pastoralis officii sui partes favorabiliter interponere, prout, locorum et personarum huiusmodi circumstantiis debite pensatis, ad devotionis christifidelium augmentum et propagationem, necnon Altissimi laudem prospicit in Domino salubriter expedire.

Supplicatio. § 1. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte dilecti filii Ioannis Mariae Lancii, canonici congregationis canonicorum regularium S. Salvatoris Ordinis sancti Augustini dictaeque congregationis moderni abbatis generalis, petitio continebat, quod, cum inter congregationes canonicorum regularium Italiae congregatio canonicorum regularium S. Salvatoris Ordinis sancti Augustini celebris ac a Sede Apostolicâ pluribus favoribus et gratiis decorata existat, illiusque abbas generalis mitrâ, baculo et annulo pastoralibus, ceterisque pontificalibus insigniis utatur, potiatur et gaudeat, plurimum tamen decori et dignitati abbatis generalis dictae congregtionis videretur convenire ipsum et successores suos pro tempore existentes abbates generales a nobis et Sede praedictâ aliquâ digniori praerogativâ decorari et illustrari. Quare pro parte dicti Ioannis Mariae, moderni eiusdem congregationis abbatis generalis, fuit nobis humiliter supplicatum, quatenus ipsum specialis gratiae favore prosequi, aliàsque in praemissis opportune providere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Absolutio a censuris. § 2. Nos igitur, qui ecclesiarum quarumlibet et insignium congregationum decorem, divinique cultus augmentum nostris potissimum temporibus ubique augeri sinceris desideramus affectibus, eumdem Ioannem Mariam modernum abbatem generalem et successores suos pro tempore existentes abbates generales praedictos, ac eorum quemlibet, a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutos fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, eidem Ioanni Mariae, moderno eiusdem congregationis abbati generali, eiusque successoribus abbatibus generalibus pro tempore existentibus dictae congregationis S. Salvatoris praedictis, ut de cetero perpetuis futuris temporibus, tam in Romanâ curiâ quam extra eam, ac ubique locorum, ubi dictum Ioannem Mariam et pro tempore existentes abbates generales praedictos pro tempore residere et morari contigerit, ac in quibusvis visitationibus, capitulis, sessionibus, ac quibusvis actibus et processionibus, etiam coram nobis et successoribus nostris Romanis Pontificibus, etiam in cappellis pontificiis, mozzettam et mantellettam coloris habitus ipsius congregationis, unâ cum pileo et bireto praelatitiis, induere, gestare et deferre,

Concedit ut in rubricâ.

illisque uti, frui et gaudere libere et licite possint et valeant, apostolicâ autoritate, tenore praesentium, de speciali gratiâ perpetuo concedimus et indulgemus, plenamque et liberam facultatem et auctoritatem desuper impertimur.

Decretum irritans.

§ 3. Decernentes ipsum Ioannem Mariam et successores suos pro tempore existentes abbates generales praedictos super delatione, gestatione et usu mozzettae et mantellettae, pilei et bireti praedictorum, a quoquam, sub quovis praetextu vel causâ aut occasione, nullatenus impediri posse, praesentes quoque nostras litteras semper et perpetuo validas et efficaces esse et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere debere, nec[1] sub quibusvis similium gratiarum revocationibus, suspensionibus aut aliis contrariis dispositionibus comprehendi, sed semper ab illis excipi, et quoties illae emanabunt, toties praesentes in pristinum et validissimum statum restitutas, repositas et plenarie reintegratas, ac de novo sub quacumque posteriori datâ per Ioannem Mariam et successores praedictos abbates generales pro tempore existentes quandocumque eligendâ concessas esse et fore, sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, ac causarum palatii apostolici auditores, et S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos, vicelegatos et Sedis praedictae nuncios, iudicari et definiri debere, irritumque et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, dictâ auctoritate decernimus.

Contraria tollit.

§ 4. Non obstantibus quibusvis, etiam in synodalibus et provincialibus ac generalibus conciliis editis vel edendis, specialibus vel generalibus, constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac Ordinis et congregationis huiusmodi, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, contrariis quibuscumque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae absolutionis, concessionis, indulti, impartitionis et decreti infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, anno Incarnationis dominicae MDCLXVI, VIII idus augusti, pontificatus nostri anno XII.

Dat. die 6 augusti 1666, pontif. anno XII.

DLII.

Confirmatio decreti congregationis rituum, non licere mediis, ut aiunt, canonicis neque terzenariis ecclesiae Colymbriensis in regno Portugalliae uti in choro et aliis functionibus ecclesiasticis aequali habitu cum canonicis et dignitatibus, hoc est mozzetta cum cappuccio, sine indulto apostolico[1].

Alexander Papa VII,
ad futuram rei memoriam.

Recenset decretum congregationis rituum.

§ 1. Aliàs emanavit a congregatione venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium sacris ritibus praepositorum ad petitionem dilectorum filiorum canonicorum et obtinentium dignitates ecclesiae Colymbriensis decretum tenoris qui sequitur, videlicet:

« Canonici et dignitates ecclesiae Colymbriensis in regno Portugalliae exposuerunt sacrae rituum congregationi

1 Ed. Main. legit *nec non* (B. T.).

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

se ab anno MDCXV uti cappuccio seu mozzettâ, iuxta consuetudinem aliarum ecclesiarum cathedralium dicti regni, et quod canonici medii et terzenarii obtinuerunt eodem tempore a capitulo usum mozzettae absque cappuccio, ut distinguerentur in vestibus a canonicis et dignitatibus iuxta praescriptum caeremonialis romani; sed, cum postea de anno MDCXVI, non acquiescentibus mediis canonicis et terzenariis, obtinuerint a capitulo aequalem habitum cum aliis canonicis et dignitatibus, denuo iidem canonici et dignitates insteterunt a sacrâ congregatione declarari:

I. An mediis canonicis et terzenariis liceat uti in choro et aliis functionibus ecclesiasticis aequali habitu cum eisdem canonicis et dignitatibus?

II. An capitulum potuerit indulgere praedictis mediis canonicis et terzenariis ut aequali habitu cum canonicis et dignitatibus incedant?

Et sacra eadem congregatio quoad primum respondit: non licere mediis, ut aiunt, canonicis neque terzenariis uti in choro et aliis functionibus ecclesiasticis aequali habitu cum canonicis et dignitatibus, hoc est mozzetta cum cappuccio, sine indulto apostolico; quoad secundum: non licuisse nec licere canonicis et capitulo Colymbriensi indulgere praefatis canonicis neque terzenariis ut possint mozzettâ cum cappuccio vel aequali habitu cum canonicis et dignitatibus in functionibus ecclesiasticis incedere.

Hac die X aprilis MDCLXVI.

M. episc. Sabinensis card. GINETTUS.

BERNARDINUS CASALIUS,

sacrae rituum congregationis secret. ».

Confirmat Pontifex.

§ 2. Cum autem, sicut pro parte canonicorum et dignitates obtinentium praefatorum nobis nuper expositum fuit, ipsi decretum huiusmodi, quo firmius subsistat, apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri summopere desiderent: nos, specialem ipsis exponentibus gratiam facere volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, decretum praeinsertum, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, approbamus et confirmamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus; salvâ tamen semper in praemissis auctoritate praefatae congregationis cardinalium.

Decretum firmitas.

§ 3. Decernentes easdem praesentes litteras, semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XVIII augusti MDCLXVI, pontificatus nostri anno XII.

Dat. die 18 augusti 1666, pontif. anno XII.

DLIII.

Diversae ordinationes pro metropolitanis ecclesiis B. Mariae de Pilari et S. Salvatoris civitatis Caesaraugustanae[1].

Alexander Papa VII,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium. Sacrosancti apostolatus ministerium, quod inscrutabilis divinae providentiae altitudo humilitati nostrae, nullo licet meritorum nostrorum suffragio, imponere dignata est, ad omnium ecclesiarum sollicitudini nostrae ab Æterno Pastore commissarum commodum, quantum nobis ex alto conceditur, salubriter exercere iugi vigilantiâ satagantes, exorta inter fideles quoscumque, et praesertim eos, qui, in sortem Domini vocati sacrisque monasteriis addicti, in pace et charitate fraternâ assiduum Altissimo famulatum praestare debent, animorum dissidia, secundum aequitatis atque iustitiae regulas, dirimere, illisque, ne rursus quandocumque excitari valeant, ansam mature praecidere studemus, sicut, prudenti deliberatione praeviâ, ad omnipotentis Dei gloriam, ecclesiarum ipsarum honorem et quietem, ac spiritualem dominici gregis aedificationem expedire in Domino arbitramur.

Causam ad se avocat. § 1. Itaque causae cathedralitatis, in ter dilectos filios priorem, capitulum et canonicos metropolitanae ecclesiae B. Mariae de Columna, seu, ut vulgo dicitur, de Pilari, civitatis Caesaraugustanae, ex unâ, ac dilectos pariter filios decanum, capitulum et canonicos metropolitanae ecclesiae S. Salvatoris eiusdem civitatis ex alterâ partibus vertenti, finem imponere cupientes, de nonnullorum venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium et dilectorum filiorum Romanae curiae praelatorum super causâ huiusmodi a nobis specialiter deputatorum, qui negotium mature perpenderunt accurateque discusserunt, unanimi consilio, motu proprio, ac ex certâ scientiâ et maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, eamdem causam ac lites et controversias quascumque inter partes antedictas quomodolibet et in quacumque instantiâ, tam in sacri palatii apostolici causarum auditorio, quam in alio quovis tribunali, etiam nunciaturae Hispaniarum, et coram quocumque iudice pendentes (quarum omnium et singularum statum et merita, nominaque et cognomina, ac qualitates iudicum et collitigantium, et alia quaecumque, etiam specialem et individuam mentionem et expressionem requirentia, pro plene et sufficienter expressis ac exactissime specificatis haberi volumus), in statu et terminis in quibus de praesenti reperiuntur, a praefatis et aliis quibusvis tribunalibus et iudicibus ad nos harum serie avocamus, illasque omnes et singulas penitus et omnino perpetuo supprimimus, perimimus, extinguimus et abolemus, ac perpetuum desuper utrique parti silentium imponimus, osque occludimus.

Alternativam circa praecedentiam inter haec duo capitula in functionibus mandat servari prout in rubricâ.

§ 2. Praeterea ad evitandas rixas et crebra scandala, quae oriri solent quando in publicis functionibus simul conveniunt capitula et canonici utriusque ecclesiae huiusmodi, motu, scientiâ, deliberatione et potestatis plenitudine paribus, earumdem tenore praesentium, statuimus, ut inter has duas ecclesias earumque capitula et personas deinceps perpetuis futuris temporibus servetur ordo alternativae in singulis functionibus cathedralitati competentibus, inchoando ab ecclesiâ B. Mariae de Pilari, quae prior sive antiquior et actualis cathedralis civitatis Caesaraugustanae existit:

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

ita ut provinciale concilium in praesenti triennio celebretur in ecclesiâ B. Mariae absque interventu capituli ecclesiae S. Salvatoris, et cum praesentiâ solius procuratoris eiusdem capituli, qui sedebit supra omnes procuratores capitulorum aliarum cathedralium suffraganearum; et in sequenti triennio celebretur in ecclesiâ S. Salvatoris sine interventu capituli ecclesiae B. Mariae, et cum praesentiâ solius procuratoris eiusdem capituli, qui pariter sedebit supra omnes procuratores capitulorum aliarum cathedralium suffraganearum; et sic servetur alternatim in futuris provincialibus conciliis in perpetuum: similiter dioecesana synodus proxima celebretur in ecclesiâ B. Mariae, cum interventu solius procuratoris ecclesiae S. Salvatoris, qui sedebit post capitulum ecclesiae B. Mariae; secunda vero celebretur [1] in ecclesiâ S. Salvatoris, cum interventu solius procuratoris ecclesiae B. Mariae, qui itidem sedebit post capitulum ecclesiae S. Salvatoris; et sic deinceps alternis vicibus. Item in primâ vacatione sedis archiepiscopalis Caesaraugustanae vicarius generalis, officialis maior, ac officialis ad pias causas eligantur ex gremio capituli ecclesiae B. Mariae a capitulo ecclesiae S. Salvatoris, et in secundâ vacatione eiusdem sedis, vicarius et officiales praedicti eligantur in gremio capituli ecclesiae S. Salvatoris a capitulo ecclesiae B. Mariae, et sic deinceps alternatim.

Primo autem futuro archiepiscopo, si pontificali more ac ritu civitatem ingredi voluerit, occurratur ad portam civitatis a capitulo et clero ecclesiae B. Mariae; idemque fiat a capitulo et clero ecclesiae S. Salvatoris cum secundo futuro archiepiscopo civitatem solemniter ingredi volente; et sic alternatim. Et idipsum servetur in receptione principum.

Similiter primus novus archiepiscopus possessionis solemnia inchoët in ecclesiâ B. Mariae, ubi litteras suae provisionis praesentet, et actus possessionis expleat; mox se conferat ad ecclesiam S. Salvatoris, ibique sedens in cathedrâ archiepiscopali capitulum et clerum ad oris et manus osculum respective excipiat, cum solutione dimidiae partis emolumentorum in utilitatem ecclesiae B. Mariae, et alterius dimidiae in utilitatem ecclesiae S. Salvatoris.

Secundus vero archiepiscopus futurus eadem possessionis solemnia inchoët in ecclesiâ S. Salvatoris, ubi similiter litteras praesentet suae provisionis et actus possessionis expleat; deinde se conferat ad ecclesiam B. Mariae, ibique sedens in cathedrâ archiepiscopali, capitulum et clerum ad oris et manus osculum respective excipiat, cum solutione emolumentorum, ut supra, et ita alternatim.

Pariter processio generalis sanctissimi Corporis Christi hoc primo anno in ipso die festo inchoëtur ab ecclesiâ B. Mariae et ad eam terminetur absque interventu capituli ecclesiae S. Salvatoris; et in die octavâ fiet processio privata infra ambitum ecclesiae S. Salvatoris a capitulo et clero ipsius ecclesiae: et in sequenti anno in ipso die festo processio generalis inchoëtur ab ecclesiâ S. Salvatoris, et ad eam terminetur, absque interventu capituli ecclesiae B. Mariae; et in die octavae fiat processio privata infra ambitum ecclesiae B. Mariae a capitulo et clero ipsius ecclesiae: et ita singulis annis in perpetuum alternis vicibus.

In supplicationibus quoque, quae fiunt in litaniis maioribus et minoribus, nempe

1 Ed. Main. legit *celebret* (R. T.).

S. Marci et Rogationum, et aliis quibuscumque processionibus generalibus, tum ordinariis, tum extraordinariis, quas praesertim fieri contigerit ad instantiam regis, vel ob aliam publicam causam, prima processio fiat ab ecclesiâ B. Mariae, secunda ab ecclesiâ S. Salvatoris, et sic deinceps alternatim, et semper cùm interventu capituli solius ecclesiae a qua fit processio.

Servetur itidem hic ordo alternativae in dedicatione metropolitanae ecclesiae Caesaraugustanae, quae cadit die XVII iulii, ita ut hoc anno celebretur solemniter et pontificali ritu in ecclesiâ B. Mariae, et in sequenti anno in ecclesiâ S. Salvatoris, nec non in festis Nativitatis, Epiphaniae, Resurrectionis et Ascensionis Domini, Pentecostes, Nativitatis S. Ioannis Baptistae, Ss. Apostolorum Petri et Pauli, S. Iacobi apostoli, Omnium Sanctorum, et aliis per annum solemniter celebrari solitis, ita ut in earum singulis intersit archiepiscopus alternatim in alterutrâ ecclesiâ, inchoando ab ecclesiâ B. Mariae. Verumtamen festa Nativitatis, Assumptionis et Conceptionis beatissimae Virginis Immaculatae ac S. Braulii, in ecclesiâ B. Mariae; festa vero S. Valerii ac Ss. Iustae et Secundae, in ecclesiâ S. Salvatoris, ut moris est, solemniter quotannis, nullo servato ordine alternativae, ab archiepiscopo celebrari debeant, ita tamen ut festa huiusmodi minime varient nec aliquo modo interrumpant alternativam in aliis festivitatibus.

Ad haec cappellani aliarum ecclesiarum, qui singulis sabbatis tenentur accedere ad metropolitanam ecclesiam ad recipiendum ordinem recitandi officium in hebdomadâ sequenti, servent similiter praescriptum ordinem alternativae, ita scilicet ut uno sabbato recipiant huiusmodi ordinem ab unâ ecclesiâ metropolitanâ, et in sequenti sabbato ab alterâ metropolitanâ, initium sumendo a metropolitanâ B. Mariae. Solemnes quoque ordinationes, administratio chrismatis, et solemnis benedictio candelarum in die Purificationis, necnon concio fieri consueta in ecclesiâ metropolitanâ per concionatorem hospitalis feriâ quartâ Cinerum, pro primâ vice fiant in ecclesiâ B. Mariae sine assistentiâ capituli S. Salvatoris, et pro secundâ vice fiant in ecclesiâ S. Salvatoris sine assistentiâ capituli ecclesiae B. Mariae, et ita in posterum alternatim; idemque servetur in solemni benedictione palmarum, in consecratione oleorum, et in ceteris functionibus maioris hebdomadae, quae hoc primo anno ab archiepiscopo fiant omnes in ecclesiâ B. Mariae, et in sequenti anno in ecclesiâ S. Salvatoris, cum interventu capituli solius ecclesiae in qua functiones praedictae peraguntur.

Necnon in administratione subsidii et excusati, quae in primo futuro quinquennio spectet ad capitulum ecclesiae B. Mariae, in secundo ad capitulum ecclesiae S. Salvatoris, et sic alternatim de quinquennio in quinquennium.

Et generaliter suprascriptum ordinem alternativae perpetuo servet venerabilis frater modernus archiepiscopus Caesaraugustanus et illius successores, atque alii ad quos pertinet et pro tempore pertinebit, tam in praemissis quam aliis quibuscumque actibus et functionibus publicis, cathedralitati competentibus; archiepiscopus quidem sub poenâ interdicti ab ingressu ecclesiae, alii vero sub poenâ suspensionis a divinis ipso facto incurrendâ si contra fecerint.

Porro in comitiis regni in quibus suffragandi ius habent prior et unus canonicus ecclesiae B. Mariae, necnon decanus et unus canonicus ecclesiae S. Salvatoris, servetur ordo alternativae

quoad praecedentiam, ita videlicet, ut in primis futuris comitiis prior et canonicus B. Mariae praecedant decano et canonico S. Salvatoris; contra vero in secundis comitiis decanus et canonicus S. Salvatoris praecedant priori et canonico B. Mariae. In aliis vero functionibus, quae fieri possunt et solent a canonicis cuiusque ecclesiae sine archiepiscopi ministerio vel praesentiâ, quales sunt celebratio horarum canonicarum, missa conventualis, officium defunctorum, anniversaria, funeralia, celebratio capituli, privatae processiones ecclesiae, et aliae huiusmodi, nulla servetur alternativa; sed canonici ecclesiae B. Mariae has et consimiles functiones faciant in suâ ecclesiâ seorsim a canonicis ecclesiae S. Salvatoris; et e contra canonici ecclesiae S. Salvatoris illas faciant in propriâ ecclesiâ seorsim a canonicis ecclesiae B. Mariae, ita ut nec in secundis feriis et aliis festivitatibus capitulum ecclesiae B. Mariae amplius accedat ad ecclesiam S. Salvatoris, nec viceversâ capitulum ecclesiae S. Salvatoris accedat ad ecclesiam B. Mariae.

Insuper in actibus, in quibus de iure vel consuetudine requiritur consensus capituli metropolitanae ecclesiae Caesaraugustanae, non alternatim, sed simul ad validitatem actus concurrere debeant tam capitulum ecclesiae B. Mariae quam capitulum ecclesiae S. Salvatoris, ita tamen ut capitula simul non congregentur, sed unumquodque seorsim huiusmodi consensum praestet.

In futuris autem acquisitionibus inter memoratas ecclesias earumque capitula et personas, hoc pro regulâ servari debeat, ut fidelium largitiones, tam inter vivos quam in ultimâ voluntate, quae fient expresso nomine ecclesiae B. Mariae de Pilari, ipsi ecclesiae tantum integre acquirantur; et quae fient expresso nomine ecclesiae S. Salvatoris, similiter ipsi ecclesiae tantum acquirantur absque diminutione: quae vero fient sub nomine ecclesiae Caesaraugustanae pro dimidiâ spectent ad ecclesiam B. Mariae, et pro aliâ dimidiâ ad ecclesiam S. Salvatoris, nisi secus in praemissis a testatoribus seu benefactoribus cautum fuerit.

Ceterum in acquisitionibus hucusque factis utraque ecclesia manuteneatur et conservetur in eâ possessione, in qua nunc reperitur.

In extrahendis vero cadaveribus ex alienis parochiis[1] attendatur verba decedentium: nam qui elegerint sepulturam in ecclesiâ B. Mariae, a solis canonicis illius ecclesiae erunt extrahenda; et e converso, qui illam elegerint in ecclesiâ S. Salvatoris, debebunt extrahi a canonicis ipsius ecclesiae: quo vero ad illos, qui sepulturam elegerint in ecclesiâ Caesaraugustanâ servetur ordo alternativae, nisi ex coniecturâ voluntatis eligentium aliud appareat.

Archiepiscopo autem in extremis laboranti administratio sacramenti Viatici et Extremae Unctionis primâ vice spectet ad capitulum ecclesiae B. Mariae, et secundâ vice ad capitulum ecclesiae S. Salvatoris, eoque decedente, non electâ sepulturâ, illius cadaver hac primâ vice sepeliatur in ecclesiâ B. Mariae, et secundâ vice in ecclesiâ S. Salvatoris, et sic de cetero alternatim.

Decretum irritans.

§ 3. Decernentes easdem praesentes litteras et in eis contenta quaecumque, etiam ex eo quod archiepiscopus ac capitula et canonici praefati, aliive quilibet, cuiuscumque status, gradus, ordinis, conditionis et dignitatis, seu aliàs speciali et individuâ mentione et expressione digni, in praemissis seu eorum aliquo

1 Ed. Main. legit *parochis* pro *parochiis* (R.T.).

ius vel interesse habentes seu habere quomodolibet praetendentes, illis non consenserint, nec ad ea vocati, citati et auditi, neque causae, propter quas ipsae praesentes emanarunt, adductae, iustificatae et verificatae fuerint, seu ex aliâ quacumque quantumvis iustâ, legitimâ, piâ et privilegiatâ causâ, colore, praetextu et capite, etiam in corpore iuris clauso, etiam enormis, enormissimae et totalis laesionis, nullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrae aut interesse habentium seu habere praetendentium consensus, aliove quocumque quantumvis magno, formali et incogitato et inexcogitabili, specificamque expressionem requirente defectu notari, impugnari, limitari, modificari, infringi, redargui, ad viam seu terminos iuris reduci, seu in controversiam vocari, aut adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque iuris, facti vel gratiae remedium intentari seu impetrari, aut impetrato vel etiam motu, scientiâ et potestatis plenitudine similibus concesso vel emanato quempiam in iudicio vel extra illud uti seu se iuvare posse, sed illa omnia et singula semper et perpetuo firma, valida et efficacia existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab omnibus et singulis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia, inviolabiliter et inconcusse observari, et illis respective plenissime suffragari, sicque et non aliter in praemissis omnibus et singulis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac eiusdem S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos, et Apostolicae Sedis nuncios, aliosve quoslibet quacumque auctoritate, praeeminentiâ et potestate fungentes et quandocumque functuros, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Exequutorem deputat.

§ 4. Quocirca venerabili fratri Vitaliano archiepiscopo Ephesino, moderno et pro tempore existenti nostro et dictae Sedis in regnis Hispaniarum nuncio, per praesentes motu pari committimus et mandamus, ut per se, vel alium, seu alios, easdem praesentes litteras et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit et quoties ab iis, quorum interest, fuerit requisitus, praeviâ illarum publicatione tam in ecclesiâ B. Mariae de Pilari quam in ecclesiâ S. Salvatoris, faciat auctoritate nostrâ ab omnibus, ad quos spectat et pro tempore spectabit, firmiter et inviolabiliter observari; contradictores quoslibet et rebelles, in praemissis non parentes, per censuras et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia compescendo, invocato etiam ad hoc si opus fuerit brachii secularis auxilio: nos enim eidem Vitaliano archiepiscopo, moderno et pro tempore existenti nuncio, cognoscendi, declarandi ac decidendi summarie et de plano, solâ veritate inspectâ, ac sine strepitu et figurâ iudicii, omnes et quascumque controversias, quaestiones ac dubia, quae super praemissis et illorum occasione emergere, aut quoquo modo oriri contigerit, eaque fine debito terminandi, omni et quacumque appellatione remotâ, plenissimam, amplissimam et omnimodam facultatem, harum serie, motu, scientiâ, deliberatione et potestatis plenitudine similibus, tribuimus et impertimur.

Derogatio contrariorum.

§ 5. Non obstantibus omnibus et singulis praemissis, ac, quatenus opus sit, de

non tollendo iure quaesito, aliisque nostris et cancellariae apostolicae regulis, necnon felicis recordationis Bonifacii Papae VIII praedecessoris nostris de unâ, et concilii generalis de duabus dietis, aliisque apostolicis, ac in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, ac praefatarum ecclesiarum, et aliis quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, eisdem ecclesiis, earumque praesulibus, capitulis, dignitatibus et personis quibuslibet, sub quibuscumque verborum tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis et decretis, etiam irritantibus, etiam motu, scientiâ et potestatis plenitudine paribus, ac consistorialiter, et aliàs quomodolibet in contrarium praemissorum concessis, confirmatis et pluries iteratis, ac quantiscumque vicibus innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium et singulorum tenores, causas, formas et occasiones praesentibus pro plene et sufficienter expressis, servatis, insertis et specificatis respective habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, specialiter et expresse, ac plenissime et amplissime derogamus et derogatum esse volumus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum in Arce Gandulphi, Albanensis dioecesis, sub annulo Piscatoris, die XXI octobris MDCLXVI, pontificatus nostri anno XII.

Dat. die 21 octobris 1666, pontif. anno XII.

DLIV.

Commissio nuncio Hispaniarum ut absolvat a censuris capitulum et canonicos metropolitanae ecclesiae S. Salvatoris civitatis Caesaraugustanae, in quas declarati fuerunt incidisse eo quod litteris executorialibus rotae et mandatis eiusdem nuncii non paruerint[1].

Venerabili fratri Vitaliano archiepiscopo Ephesino, nostro et Apostolicae Sedis nuncio in regnis Hispaniarum commoranti,

Alexander Papa VII.

Venerabilis frater,
salutem et apostolicam benedictionem.

Supplicatio.

§ 1. Exponi nobis nuper fecit dilectus filius Ioannes Veguer, canonicus doctoralis et procurator capituli et canonicorum metropolitanae ecclesiae S. Salvatoris civitatis Caesaraugustanae, quod, cum decretum a particulari congregatione nonnullorum venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium ac dilectorum filiorum Romanae curiae praelatorum, quibus causam cathedralitatis inter capitulum et canonicos praefatos ex unâ nec non dilectos filios capitulum et canonicos metropolitanae ecclesiae B. Mariae Virginis de Columna, seu ut vulgo dicitur de Pilari, eiusdem civitatis, ex alterâ partibus vertentem commiseramus, die V februarii proximi praeteriti in eadem causâ emanatum, die XXIII martii subsequentis Caesaraugustam pervenisset, memorati capitulum et canonici

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

ecclesiae S. Salvatoris capitulariter congregati, non expectato ut decretum huiusmodi sibi notificaretur, die sequenti XXIV eiusdem mensis martii per instrumentum publicum declararunt se debere in futurum a divinis officiis abstinere, ac tractari tamquam innodatos censuris ecclesiasticis, usque ad totalem eiusdem decreti exequutionem, et successive eâdem die XXIV officia divina, tam ante quam post meridiem, per solos portionarios eiusdem ecclesiae celebrata fuerunt, absque interventu ullius capitularis, atque ita subinde continuatum est, et de praesenti continuatur, non sine magno totius populi moerore. Praeterea die V aprilis itidem proxime praeteriti, in adimplementum dicti decreti, iidem capitulum et canonici ecclesiae S. Salvatoris, ultra medietatem sacrorum supellectilium, quae in ultimâ vacatione sedis archiepiscopalis Caesaraugustanae receperant, solverunt in pecuniâ numeratâ praefatis capitulo et canonicis ecclesiae S. Mariae de Pilari scuta septem centum nonaginta quinque et solidos quinque, partim quidem pro medietate emolumentorum a die secutae vacationis sedis huiusmodi usque ad intimationem sequestri a dilecto filio nostro Carolo eiusdem S. R. E. cardinali Bonello nuncupato, tunc temporis nostro et Apostolicae Sedis nuncio in regnis Hispaniarum commorante appositi perceptorum, reliquum vero pro medietate funeralium archiepiscopi defuncti, prout ex instrumento quietationis desuper celebrato constat, idque tametsi, iuxta decretum supradictum, emolumenta huiusmodi inter canonicos utriusque ecclesiae in capita dividi deberent; unde canonici dictae ecclesiae S. Mariae de Pilari, quippe numero longe inferiores, medietatem huiusmodi praetendere non poterant; verum iidem capitulum et canonici ecclesiae S. Salvatoris hoc praeiudicium non gravate acceperunt, quo magis conspicua fieret eorum promptitudo et obedientia erga Sedem Apostolicam, omnisque quaerimoniae occasio parti diversae[1] praecideretur. Pari exacte parenti[2] studio usi sunt iidem capitulum et canonici ecclesiae S. Salvatoris circa renunciationes factas quibusvis processibus, formis et inhibitionibus per iudices tam ecclesiasticos quam seculares expeditis; quandoquidem die primâ eiusdem mensis aprilis procurator ipsorum capituli et canonicorum vigore mandati specialis renunciavit processui curiae ecclesiasticae Caesaraugustanae in lite ibidem pendente super iure faciendi imprimi libellos de modo recitandi officium divinum in dioecesi Caesaraugustanâ; similes quoque renunciationes factae fuerunt eâdem die diversis processibus, formis et inhibitionibus infrascriptarum curiarum secularium, nempe tribus processibus regiae audientiae gubernationis civitatis praefatae, aliis tribus processibus curiae iustitiae Aragoniae pendentibus in officio seu scribaniâ de Anies, aliis formis et inhibitionibus eiusdem curiae diversis temporibus in diversis processibus per scribaniam Petri Guiral expeditis, alii quoque inhibitioni dictae curiae occasione sequestri per memoratum nuncium in ultimâ vacatione dictae sedis archiepiscopalis appositi, necnon processui circa ius *de la falda* vulgariter nuncupatum in scribaniâ fiscali pendenti, ac demum processui curiae Salmedinae iudicis ordinarii eiusdem civitatis. Interea vero Caesaraugustam pervenit instrumentum paritionis dicto decreto ac nostris in simili formâ Brevis super illius confirmatione expeditis litteris per praefatum Ioannem in almâ Urbe nostrâ

1 Forsan *adversae* legendum (R. T.).
2 Aptius *parendi* (R. T.).

factae; unde iidem capitulum et canonici ecclesiae S. Salvatoris, nullo habito respectu ad praeiudicia quae eis resultare poterant, die XXVIII dicti mensis aprilis novum instrumentum acceptationis decreti et litterarum nostrarum huiusmodi fecerunt, approbantes et notificantes, absque ullà praeservatione vel limitatione, obligationes, promissiones, recognitiones, renunciationes, aliaque omnia in Urbe ab eodem Ioanne facta, nobisque supplicantes ut eis absolutionem a censuris concedere dignaremur, constitutis ad eum effectum pluribus procuratoribus cum facultate acceptandi quamcumque poenitentiam, quae eis imponeretur, prout in ultimodicto instrumento latius continetur.

§ 2. Et quia circa depositum emolumentorum post sequestrum occasione ultimae vacationis sedis archiepiscopalis praefatae perceptorum iuxta dispositionem decreti supradicti in manibus tuis faciendum praecedere debebat debita liquidatio, memorati capitulum et canonici ecclesiae S. Salvatoris obtinuerunt a te hac super re deputari Caesaraugustae dilectum filium advocatum fiscalem camerae nostrae apostolicae, qui processum desuper formare voluit, et secundum contenta in illo retulit, quod dicta emolumenta ab eodem capitulo percepta ascenderent ad summam quinque millium quadrigentorum viginti trium scutorum et nonaginta baioccorum, praeter nonnulla credita modicae considerationis nondum exacta; ipsique capitulum et canonici eamdem summam, ne deductis quidem expensis et salariis ministrorum, integre deponi curarunt de mandato tuo penes dilectum pariter filium depositarium eiusdem camerae Madriti residentem, ubi sic deposita de praesenti reperitur, ad hoc ut in opera pia iuxta mentem nostram erogetur, ac etiam tibi seu tuo fiscali tradiderunt cedulas dictorum creditorum inexactorum, prout ex tuis testimonialibus litteris, ac ex actis tui tribunalis apparet.

A censuris absolutio.

§ 3. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, praefati capitulum et canonici ecclesiae S. Salvatoris decreto et litteris nostris illius confirmatoriis supradictis integre paruerint, ac etiam expensas in sacro Rotae Romanae auditorio liquidatas iuxta tenorem dicti decreti solverint; nobis propterea dictus Ioannes humiliter supplicari fecit ut eisdem capitulo et canonicis in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolicâ dignaremur. Nos igitur, Ioannem ac capitulum et canonicos praefatos specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis praeterquam praemissorum occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, de consilio supradictae congregationis cardinalium et praelatorum, cui ex documentis supra enunciatis et exhibitis in formâ authenticâ plene constitit praefatos capitulum et canonicos metropolitanae ecclesiae S. Salvatoris adimplevisse omnia et singula contenta in memorato decreto eiusdem congregationis a nobis motu proprio per litteras nostras praescriptas confirmato, fraternitati tuae per praesentes committimus et mandamus ut eosdem capitulum et canonicos ecclesiae S. Salvatoris, si hoc a te humiliter petierint, impositâ eis arbitrio tuo aliquâ poenitentiâ salutari, ab ex-

communicationis, suspensionis et interdicti, aliisque sententiis et censuris ecclesiasticis, in quas[1] declarati fuerunt incidisse, propterea quod litteris executorialibus memorati rotae auditoris et mandati nuncii Hispaniarum non paruerint, auctoritate nostrâ apostolicâ in utroque foro absolvas et totaliter liberes; ac cum ipsis capitulo et canonicis, et eorum singulis, super irregularitate, si quam contraxerunt ex eo quod censuris huiusmodi propter praemissa innodati missas et alia divina officia (non tamen in contemptum clavium) celebraverunt, seu aliàs in suis respective ordinibus ministrarunt, ita ut illâ et eisdem praemissis non obstantibus, dummodo nullum aliud canonicum eis obstet impedimentum, clericali charactere, quo aliàs rite insigniti fuerunt, illiusque privilegiis, necnon susceptis per eos pariter rite quatuor minoribus, ac sacris subdiaconatus, diaconatus et presbyteratus ordinibus uti, et, quatenus illos nondum susceperint, ad illos, si ad id idonei reperiantur, servatis aliàs servandis, promoveri, et promoti in illis etiam in altaris ministerio ministrare libere et licite possint et valeant, respective, eàdem auctoritate, dispenses.

Derogat contrariis. § 4. Non obstantibus apostolicis, ac in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum in Arce Gandulphi, Albanensis dioecesis, sub annulo Piscatoris, die III novembris MDCLXVI, pontificatus nostri anno XII.

Dat. die 3 novembris 1666, pontif. anno XII.

1 Edit. Main. legit *quos* pro *quas* (R. T.).

DLV.

De non celebrandis missis de requiem *in duplicibus, exceptis anniversariis ex dispositione testatorum relictis.*

Alexander Papa VII, ad perpetuam rei memoriam.

Exordium. Creditae nobis caelitus dispensationis officium salubriter exequi adiuvante Domino iugiter satagentes, quamplurima dubia in diversis mundi partibus orta, et in congregatione venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium sacris ritibus praepositorum deducta, occasione decreti eiusdem congregationis, die V augusti MDCLXII editi, ac a nobis approbati, de non celebrandis missis *de requiem* in duplicibus, tollere atque dirimere cupientes:

Excipiuntur anniversaria. § 1. De memoratorum cardinalium consilio, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, approbamus in primis aliud decretum praedictae congregationis editum in unâ Novariensi, die XXII novembris MDCLXIV, quo declaratum fuit anniversaria et missas cantatas *de requiem* relictas ex dispositione testatorum quotannis in die ipsorum obitus, etiam in duplici maiori contingentis[1], non comprehendi in dicto decreto.

Altaria privilegiata non excipiuntur. § 2. Ulterius, quoad altaria perpetuo privilegiata, et in quibus proinde quotidie etiam in duplicibus celebrandae sint missae *de requiem* ex obligatione, auctoritate et tenore praedictis declaramus per celebrationem missarum de festo currenti satisfieri dictis obbligationibus et suffragari cum eisdem indulgentiis, perinde ac si essent celebratae missae *de requiem* ad formam privilegiorum; salvâ tamen semper in praemissis auctoritate supradictae congregationis.

1 Potius lege *contingenti* (R. T.).

Decretum irritans.

§ 3. Decernentes easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et spectabit in futurum, plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 4. Non obstantibus, quatenus opus sit, nostrâ et cancellariae apostolicae regulâ de non concedendis indulgentiis ad instar, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides transumptorum.

§ 5. Volumus autem ut ipsarum praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra adhibeatur, quae praesentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XII ianuarii MDCLXVII, pontificatus nostri anno XII.

Dat. die 12 ianuarii 1667, pontif. an. XII.

DLVI.

Confirmatio decreti, quo indulgetur, ut in posterum, in provinciâ Portugalliae Ordinis SS. Trinitatis redemptionis captivorum, procurator captivorum, necnon secretarius provinciae et vicarius commissarii Ulyssiponensis dictae provinciae pro tempore existentes gaudeant voto perpetuo in capitulis provincialibus ipsius provinciae[1].

Alexander Papa VII, ad futuram rei memoriam.

Expositio.

§ 1. Nuper pro parte dilectorum filiorum ministri provincialis et definitorum provinciae Portugalliae Ordinis fratrum SS. Trinitatis redemptionis captivorum congregationi venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositae exposito, quod in dictâ provinciâ pauca proposita essent religiosis servientibus, ac magis conspicua magisque laboriosa eiusdem provinciae ministeria exercentibus, quales sunt procurator captivorum, qui redemptioni assidue incumbit unâ cum ministris regni (nunc praesertim cum publicata sit redemptio captivorum, ad hoc ut fratres dicti Ordinis in Africam proficiscantur, ibique suum institutum exerceant), ac secretarius provinciae praefatae, qui etiam continuos labores sustinet, necnon vicarius conventus Ulyssiponensis capituli celebrationi destinati, qui omnibus congressibus, et praesertim matutinis mediâ nocte celebrari solitis, semper assistit; et in eâdem expositione subiuncto quod, cum congrua laborantibus praemia rependi oporteret, dicti exponentes fratribus munera praefata exercentibus vocem in capitulo provinciali dictae provinciae concedi cupiebant, ad hoc ut deinceps promovendo Dei servitio, ac eiusdem provinciae incremento ferventius incumbatur: emanavit a praefatâ congregatione decretum tenoris qui sequitur, videlicet:

Decretum congregationis episcoporum.

«Sacra congregatio eminentissimorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

praeposita, attentis narratis, benigne indulsit, ut in posterum in praefatâ provinciâ procurator captivorum, nec non secretarius provinciae, et vicarius communitatis Ulyssiponensis eiusdem provinciae pro tempore existentes gaudeant voto perpetuo in capitulis provincialibus ipsius provinciae, ita ut a nullo desuper quovis modo impediri aut perturbari possint aut debeant, contrariis quibuscumque non obstantibus. Romae, XVII decembris MDCLXVI.

M. cardinalis GINETTUS.

E. episcopus Cameriensis, secret.»

Supplicatio. § 2. Cum autem, sicut minister provincialis et definitores praedicti nobis subinde exponi fecerunt, ipsi decretum huiusmodi, quo firmius subsistat, apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communire summopere desiderent: nos, specialem ipsis exponentibus gratiam facere volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, decretum praeinsertum, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, approbamus et confirmamus, illique apostolicae firmitatis robur adiicimus; salvâ tamen semper in praemissis auctoritate eiusdem congregationis cardinalium.

Decretum Pontifex confirmat.

Decretum irritans. § 3. Decernentes ipsas praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illi, ad quos spectat et pro tempore spectabit, plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum. §. 4. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon, quatenus opus sit, Ordinis et provinciae huiusmodi, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumqae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XVIII ianuarii MDCXLVII, pontificatus nostri anno XII.

Dat. die 18 ianuarii 1667, pontif. anno XII.

DLVII.

Decernit conventum sancti Francisci civitatis Targovisti provinciae Valachiae spectare ad fratres custodiae Valachiae Ordinis Minorum sancti Francisci de Observantiâ nuncupatorum, nec ullum ius in eo habere fratres Minores Conventuales congregationis de Propagandâ Fide in dictâ provinciâ missionarios [1].

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

Alexander Papa VII.
ad futuram rei memoriam.

Motiva huius Constitutionis.

§ 1. Controversiam, inter dilectos filios fratres Ordinis Minorum sancti Francisci Conventualium nuncupatorum, missionarios congregationis venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositorum in provinciâ Valachiae, et fratres custodiae Bulgariae Ordinis Minorum eiusdem sancti Francisci de Observantiâ nuncupatorum, super manutentione in possessione conventus S. Francisci civitatis Targovisti supradictae provinciae ortam, ex commisso nobis caelitus sacrosancti apostolatus officio dirimere cupientes, de memoratorum cardinalium, qui maturam desuper deliberationem habuerunt, ac litteras dilecti filii nostri et Apostolicae Sedis apud carissimum in Christum filium nostrum Ioannem Casimirum Poloniae et Sveciae regem illustrem nuncii viderunt et perpenderunt, consilio, inhaerendo decreto dictae congregationis die x aprilis MDCLXIII edito, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, decernimus praefatum conventum S. Francisci spectare et pertinere ad fratres Minores de Observantia dictae custodiae Bulgariae, illosque in eiusdem pacificâ possessione manutenendos esse, ac propterea nullum ius in eo habere seu praetendere posse fratres Minores Conventuales; quibus, dictâ auctoritate, harum serie mandamus ne in posterum ullam molestiam afferant dictis fratribus Minoribus de Observantiâ, perpetuumque super huiusmodi negotio silentium imponimus, ac ita servari mandamus; salvâ tamen semper in praemissis auctoritate praefatae congregationis cardinalium.

Statuit conventum Targovisti spectare ad fratres custodiae Bulgariae.

Decretum irritans.

§ 2. Decernentes pariter easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter ve ignoranter, contigerit attentari.

Contrariis derogat.

§ 3. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac, quatenus opus sit, Ordinum et conventus huiusmodi, aliisve quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, approbatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXV ianuarii MDCLXVII, pontificatus nostri anno XII.

Dat. die 25 ianuarii 1667, pontif. anno XII.

DLVIII.

Subsidium centum millium scutorum auri super fructibus ecclesiasticis Reipublicae Venetorum pro ipsâ Republicâ erogandum contra Turcas[1].

Alexander Papa VII,
ad futuram rei memoriam.

Etsi[2] nobis pro curâ pastoralis officii, Exordium.

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

2 Similem vide huius pontificis in tom. XVI, pag. 258 (R. T.).

divinâ disponente providentiâ, nobis meritis licet imparibus commissi, nihil magis cordi sit quam personas ecclesiasticas ab extraordinariis oneribus immunes semper conservare, idque, nisi summa necessitas cogat, re ipsâ animo statuerimus; nihilominus, sicut iam omnibus notum esse debet, cum Turcarum tyrannus nefarium bellum, quod a viginti et amplius annis dilectis filiis nobilibus viris duci et dominio Venetorum intulit, etiam num ingenti apparatu, maximisque viribus prosequatur, et propterea ipsi dux et dominium maiores quam unquam antea tam maritimas quam terrestres copias, ut se suaque tueantur, parare et instruere, ac proinde ingentes expensas facere modo compellantur: nos, considerantes non minus clericorum quam laicorum interesse, ut ea, quae ad defensionem huiusmodi necessaria sunt, studio comparentur, quo christiani nominis hostes infensissimi a christifidelium cervicibus, adiuvante Domino, repellantur, cogimur de universi cleri dominii Veneti facultatibus in hoc gravissimo periculosissimoque casu fiduciam sumere, sperantes quod ipsi hoc onus urgentissimâ necessitate et iustissimâ de causâ a nobis sibi impositum aequo animo ferre non recusabunt. Motu itaque proprio, ac ex certâ scientiâ ac maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, unum subsidium centum millium scutorum auri super omnibus et singulis fructibus, redditibus et proventibus, secundum verum annuum valorem praesentis anni, quarumcumque cathedralium, etiam metropolitanarum et patriarchalium, atque aliarum ecclesiarum ac monasteriorum, prioratuum et beneficiorum ecclesiasticorum secularium quorumcumque, ac hospitalium, et quorumvis Ordinum, etiam militiarum (non tamen hospitalis S. Ioannis Hierosolymitani, cuius fratres, pro muniendâ et defendendâ adversus improbos eorumdem Turcarum conatus insulâ Melitanâ, gravissimos sumptus subire et magnum aes alienum contrahere oportuit), regularium, cum curâ et sine curâ, in dicto dominio existentium, a venerabilibus fratribus patriarchis, archiepiscopis, episcopis et dilectis filiis electis, administratoribus, commendatariis, abbatibus, prioribus, praepositis, praelatis, capitulis, conventibus, ceterisque personis ecclesiasticis secularibus et regularibus quibuscumque, tam non exemptis quam quomodolibet exemptis, et quantumvis privilegiatis, etiam S. R. E. cardinalibus, necnon S. Benedicti, S. Augustini, Cisterciensis, Cluniacensis, Praemonstratensis, Carthusiensis, Camaldulensis, Montis Oliveti, Vallis Umbrosae, monachorum eremitarum S. Hieronymi, et quorumcumque aliorum Ordinum, necnon Cassinensis, aliàs S. Iustinae, S. Salvatoris et Lateranensis, aliarumque congregationum, tam virorum quam mulierum, etiam Societatis Iesu, et aliorum mendicantium, ex privilegio vel aliàs bona immobilia seu certos redditus quoquo modo ecclesiasticos habentium, in dominio praedicto ecclesias, monasteria et alia beneficia ecclesiastica obtinentibus et fructus ecclesiarum, monasteriorum et beneficiorum huiusmodi, necnon pensiones annuas quantumcumque exemptas et sub quibusvis obligationibus, etiam in formâ camerae apostolicae et iuramento, etiam cum susceptione censurarum et de non contraveniendo, ac etiam fortasse de non impetrando gratias nostras contra eos et concessis non utendo vallatis, et forsan aliis etiam efficacioribus cautelis et decretis ac clausulis, super iisdem fructibus et pensionibus, etiam medio cedularum banchi, seu in formâ depositi habentibus, et intra praesentem

Unum subsidium centum millium scutorum auri pro bello contra Turcas imponit.

annum habituris, cuiuscumque praeeminentiae, status, gradus, ordinis et conditionis, etiam religionis, vel militiae existant, quibus, aut quorum aliquibus, ulla privilegia, exemptiones, aut indulta sub quacumque verborum formâ et expressione concessa, quoad hoc nullatenus, suffragari posse volumus (fratribus et personis dicti hospitalis S. Ioannis Hierosolymitani in totum et omnino, ceteris vero hospitalibus, hospitalitatem actu servantibus, pro eâ quantitate tantum, quam in servandâ ipsâ hospitalitate exponunt, dumtaxat exceptis), dummodo a personis Ordinum Mendicantium, etiam dictae Societatis Iesu, nonnisi medietas eius partis, quae ratione subsidii huiusmodi ab eis solvenda esset, solum exigatur, proportionabiliter et aequaliter iuxta verum valorem praedictum inter praedictas personas ecclesiasticas secundum aequalem et discretam partitionem, quam ad nos quamprimum mitti mandamus, per venerabiles fratres Stephanum archiepiscopum Adrianopolitanum nuncium nostrum et patriarcham Venetiarum distribuendum, ac in locis et terminis modisque et formis per ipsos Stephanum archiepiscopum, nuncium, et patriarcham, quos collectores generales subsidii huiusmodi harum serie constituimus et deputamus, statuendis; ordinandi et declarandis omninò de praesenti anno persolvendum, ac per eos et eorum subcollectores, qui sint personae ecclesiasticae, ad hoc ab ipsis deputandos, percipiendum, exigendum et levandum, ac duci et dominio praedictis cum effectu consignandum, ut illud in expensas necessarias contra dictos Turcas et non in alios usus convertere valeant, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, imponimus, impositumque fore et esse decernimus et declaramus; necnon eisdem collectoribus generalibus, et ab ab eis deputandis subcollectoribus huiusmodi, a patriarchis, archiepiscopis, episcopis, administratoribus, electis, abbatibus, commendatariis, prioribus, praeceptoribus, praepositis, praelatis, capitulis, conventibus et aliis personis ecclesiasticis praedictis, praeterquam ut supra expressis, ratam dicti subsidii, eos et eorum quemlibet, ut praemittitur, tangentem, petendi, exigendi et colligendi; eisque et eorum singulis, ut illam modo praemisso solvant, per poenas, quoad patriarchas, archiepiscopos et episcopos, interdicti et suspensionis ingressus ecclesiae, quoad alios vero, privationis beneficiorum ecclesiasticorum per eos quomodolibet obtentorum, et alias, de quibus illis videbitur, etiam pecuniarias, ac demum per sententiam excommunicationis, aliasque censuras ecclesiasticas, ceteraque opportuna iuris et facti remedia, mandandi et praecipiendi; contradictores quoslibet, rebelles, et suam ipsius subsidii partem solvere recusantes seu differentes, et ne illa solvatur persuadentes directe vel indirecte, per poenas, censuras et remedia huiusmodi, appellatione postpositâ, compescendi; brachii quoque secularis auxilium, si opus fuerit, ad hoc invocandi; solventes de solutis quietandi et liberandi, a censuris et poenis, quas praemissorum occasione quomodolibet incurrerint, absolvendi[1], et generaliter omnia et singula alia in praemissis et circa ea necessaria seu quomodolibet opportuna, etiamsi mandatum exigerent magis speciale quam praesentibus sit expressum, faciendi, gerendi, ordinandi, mandandi et exequendi, plenam et liberam, auctoritate et tenore praedictis, facultatem concedimus et potestatem.

Exequutores deputat.

§ 3. Volentes tamen quod personae ecclesiasticae ratione subsidii huiusmodi

Statuit quoad ecclesiasticos ut in rubricâ.

1 Ed. Main. legit *absolvendo* (R. T.).

eam tantum quantitatem solvere teneantur, quam ratione similium subsidiorum, a felicis recordationis Innocentio Papa X praedecessore nostro et a nobis respective concessorum, solverunt, et nihil amplius; quodque expensae, quae circa exactionem subsidii huiusmodi forsan faciendae fuerint, in centum millibus scutis praedictis minime computari debeant, sed dictae personae ecclesiasticae expensas ipsas, ultra ratam partem quam ratione eiusdem subsidii solvere debebunt, etiam persolvere teneantur.

Contrariis derogat.

§ 4. Non obstantibus quibusvis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, etiam in conciliis universalibus editis, necnon ecclesiarum, monasteriorum, prioratum, Ordinum, congregationum et militiarum huiusmodi, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis, et consuetudinibus, stabilimentis, usibus et naturis, privilegiis quoque, indultis, exemptionibus et immunitatibus, etiam in corpore iuris clausis, ac litteris apostolicis, ecclesiis, monasteriis, prioratibus, praeceptoriis, praelatis, capitulis, conventibus, Ordinibus, congregationibus et militiis, aliisque praedictis, in genere vel in specie, sub quacumque formâ et verborum expressione, a nobis et Sede Apostolicâ, etiam consistorialiter, et motu simili, ac aliàs quovis modo emanatis, concessis, et etiam iteratis vicibus confirmatis, approbatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro sufficienti eorum derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, et in eis caveatur expresse quod per huiusmodi clausulas generales eis nullatenus derogetur, nec derogatum esse censeatur, nisi sub certis modo et formâ in eis expressis, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum insererentur, praesentibus pro sufficienter expressis et insertis, ac[1] modum et formam ad id servandos pro individue servatis habentes, ad praemissorum effectum dumtaxat, illis aliàs in suo robore permansuris, derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque;

§ 5. Aut si patriarchis, archiepiscopis, episcopis, electis, administratoribus, abbatibus, commendatariis, ceterisque praedictis, et quibusvis aliis, communiter vel divisim, ab eâdem sit Sede indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Calices ne capiantur.

§ 6. Volumus autem quod, iuxta ordinationem in concilio Viennensi super hoc editam, calices, libri et alia ornamenta ecclesiarum, monasteriorum, prioratuum et aliorum beneficiorum et piorum locorum sub praesentibus comprehensorum divino cultui dedicata, causâ pignoris, vel aliàs, occasione solutionis subsidii huiusmodi, nullatenus capiantur, distrahantur vel occupentur; quodque earumdem praesentium litterarum transumptis, manu notarii publici subscriptis, et sigillo alicuius ex dictis collectoribus vel alterius praelati ecclesiastici munitis, eadem prorsus fides ubique adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die III februarii MDCLXVII, pontificatus nostri anno XII.

Dat. die 3 februaii 1667, pontif. anno XII.

1 Ed. Main. legit *ad* pro *ac* (R. T.).

DLIX.

Facultas regi catholico dispensandi de omnibus locis atque officiis Ordinis aurei velleris, del Toson *vulgariter nuncupati, tam nunc vacantibus quam imposterum vacaturis, etiam extra capitulum generale dicti Ordinis*[1].

Carissimo in Christo filio nostro Carolo Hispaniarum regi calholico, Alexander Papa VII.

Carissime in Christo fili noster, salutem et apostolicam benedictionem.

Supplicatio. § 1. Cum, sicut maiestatis tuae nomine nobis nuper expositum fuit, pro dispositione locorum seu officiorum Ordinis sive societatis aurei velleris, *del Toson* vulgo nuncupati, capitulum ipsius Ordinis seu societatis, prout illius statuta et stabilimenta disponunt, convocare oporteat; tu vero de locis seu officiis huiusmodi extra capitulum praedictum disponere posse summopere desideres: nos, maiestati tuae specialem gratiam facere volentes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, tibi de omnibus locis atque officiis dicti Ordinis seu societatis, tam nunc vacantibus, quam imposterum vacaturis, ad tuum beneplacitum, etiam extra capitulum generale praescriptum, disponere et providere libere et licite valeas, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, licentiam et facultatem concedimus et impartimur.

Concedit Pontifex ut in rubricâ.

Contrariis derogat. § 2. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac dicti Ordinis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, stabilimentis, usibus et naturis, etiamsi in illis caveatur expresse quod illa loca seu officia extra dictum capitulum generale conferri non possint et aliter factae collationes et provisiones nullae sint, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et approbatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die I martii MDCLXVII, pontificatus nostri anno XII.

Dat. die 1 martii 1667, pontif. anno XII.

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

DLX.

Confirmatio unionis congregationum Doctrinae Christianae Neapolitanae et Urbis factae per instrumentum publicum, et a domino cardinali protectore confirmatae[1].

Alexander Papa VII, ad futuram rei memoriam.

Sollicitudo pastoralis officii, quo Ecclesiae catholicae regimini divinâ dispositione praesidemus, nos admonet, ut illis, per quae felici congregationum virorum piorum uberes bonorum operum fructus adiuvante Domino proferre iugiter satagentium statui, progressui atque incremento opportune consulitur, apostolici favoris patrocinium libenter adiungamus. Exordium.

§ 1. Exponi siquidem nobis nuper fecerunt dilecti filii presbyteri Congregationis Doctrinae Christianae in ecclesiâ S. Nicolai ad divum Petrum nuncupati civitatis Neapolitanae canonice (ut asseritur) erectae, quod ipsi aliàs, ac dilecti Expositio.

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

pariter filii praepositus, definitores Congregationis etiam Doctrinae Christianae de Urbe, praefatas duas congregationes inter se univerunt, publicumque desuper instrumentum die VII decembris MDCLIX per acta dilecti filii Ioannis Baptistae Asinarii notarii publici celebrarunt, tenoris qui sequitur, videlicet:

« Die II mensis iulii MDCLXVI, Neapoli, et proprie in infrascriptâ ecclesiâ, etc., in nostri praesentiâ constituti [1] infrascripti reverendi patres et fratres venerabilis Congregationis Doctrinae Christianae erectae in ecclesiâ S. Nicolai a divo Petro de regione Capuanâ, videlicet admodum reverendus dominus Augustinus Braneovid, superior et rector generalis totius Congregationis praedictae, tam in dictâ ecclesiâ S. Nicolai Neapolis, quam in ecclesiâ S. Mariae Virginis Assumptae de Monte Carmelo terrae Laureti dioecesis Caputaquensis, S. Michaëlis Archangeli terrae Lauriani eiusdem dioecesis [2], prout nobis constare fecit per fidem factam per notarium Antonium Crispo de Neapoli in posse nostro sistentem, et admodum reverendus dominus Nicolaus Personè, vicerector ad presens in ecclesiâ praescriptâ S. Nicolai Neapolis, frater Ioannes Vignapiano, frater Angelus Raiano, frater Casimirus de Polonia, et pater Sanctus Falvo capitulariter congregati et coadunati ad sonum campanellae in quadam camerâ magnâ dictae ecclesiae loco eorum capitulari, ubi se congregari solent pro eorum N. dictae Congregationis faciendis, facientes et repraesentantes maiorem et saniorem partem reverendorum patrum et fratrum dictae Congregationis, imo totam dictam Congregationem, ut dixerunt, etc., consentientes prius in nos, etc., agentes et inservientes ad infrascripta omnia, etc., pro se ipsis et quolibet ipsorum et aliorum patrum et fratrum praesentium et successive futurorum in eâdem Congregatione, in primis et signanter nomine [1] fratris Ioannis Baptistae Passarelli, reverendi patris domini Francisci Perillo, fratris Dominici Germano, fratris Antonii Stoppiello eiusdem Congregationis, pro quibus, etc., promiserunt de rato, etc., qui sponte asserunt coram nobis qualiter in anno MDCLIX die VII decembris pontificatus sanctissimi domini nostri domini Alexandri Papae VII fuisse factam unionem et incorporationem supradictae Congregationis Doctrinae Christianae, tam dictae ecclesiae S. Nicolai Neapolis, quam praedictarum ecclesiarum S. Mariae Assumptae, S. Michaëlis Archangeli et SS. Salvatoris, cum venerabili Congregatione Doctrinae Christianae et illius presbyteris degentibus tam in ecclesiâ S. Agathae Urbis Romae in regione Transtyberim, quam in aliis ecclesiis aliorum locorum provinciae Romanae, cum nonnullis capitulis insertis in infrascripto instrumento inito inter admodum reverendum praepositum generalem Congregationis Doctrinae Christianae in ecclesiâ S. Agathae de Urbe et nonnullos alios reverendos patres ex unâ parte, et admodum reverendum dominum Antonium Montaquila de Svessa in regno Neapolis sacerdotem et canonicum Neapolitanum, procuratorem specialiter constitutum per reverendum dominum Leonardum Sacco rectorem generalem patrum Congregationis Doctrinae Christianae in ecclesiis praedictis de regno Neapolis, ex alterâ parte, mediante instrumento rogato dicto die VII decembris MDCLIX, manu domini Ioannis Baptistae Asinarii, Romani, publici apostolicâ auctoritate notarii in archivio Ro-

1 Praeposit. *in* delemus (R. T.).

2 Intra legitur dioecesis *Nolanae* (R. T.).

1 Edit. Main. legit *nomina* (R. T.).

manae Curiae descripti, cum expressâ reservatione de obtinendo consensu et beneplacito sanctissimi domini nostri domini Papae et sanctae Sedis Apostolicae ac eminentissimi et reverendissimi domini cardinalis vicarii dictae Congregationis S. Agathae protectoris, sumptibus reverendorum patrum Doctrinae Christianae regni Neapolis, ut in dicto instrumento legitur tenoris sequentis, videlicet:

« In nomine Domini, Amen. Praesenti publico instrumento cunctis pateat et sit notum, quod anno ab eiusdem Domini nativitate MDCLIX, indictione XII, die vero VII mensis decembris, pontificatus SS. D. N. D. Alexandri Papae VII anno V, in mei notarii publici testiumque infrascriptorum praesentiâ personaliter existentes admodum reverendus pater Iacobus Novellius Romanus, praepositus generalis Congregationis Doctrinae Christianae in ecclesiâ S. Agathae de Urbe, admodum reverendus pater Marcus Antonius Scaramuccia, Romanus, vice praepositus et primus definitor necnon procurator generalis eiusdem Congregationis, admodum reverendus pater Baptista Oliverius Romanus, definitor, et admodum reverendus pater Ioannes Antonius Capponius, definitor, agentes infrascripta omnia vice et nomine totius dictae Congregationis Doctrinae Christianae, et in executionem decreti in congregatione generali desuper facti sub die X novembris MDCLVII (cuius fidem mihi, etc., consignaverunt ad effectum inserendi in praesenti instrumento tenoris sequentis, videlicet: « Addì 10 novembre 1657, in Roma, congregati, ecc., fu proposto di nuovo il negotio dell'unione con la Congregazione della Dottrina Cristiana di Napoli, stantechè non si trova nota del decreto altre volte fatto nella congregazione delli vocali della famiglia di Roma, e ratificato l'anno passato 1656 nella congregazione generale, nella quale furono anco accettati li capitoli, e datà facoltà alla medesima congregazione delli vocali di Roma di aggiustarli e moderarli, e reservato in primo il beneplacito dell'eminentissimo e reverendissimo signor cardinal Ginetti, vicario di Nostro Signore, e protettore della nostra Congregazione, con voti tutti favorevoli fu accettato: supradictum decretum extractum fuit ex libro actorum congregationum generalium Doctrinae Christianae de Urbe; ideoque in fidem, etc. Hac die VI decembris MDCLIX. Ita est: Marcus Antonius Scaramuccia a secretis, manu propriâ, etc., loco sigilli impressi dictae Congregationis Doctrinae Christianae »), ex unâ, ac illustrissimus et admodum reverendus dominus Antonius Montaquila de Suessa in regno Neapolitano sacerdos et canonicus ecclesiae cathedralis dictae civitatis, procurator ad infrascripta specialiter constitutus a R. P. D. Leonardo Sacco, rectore generali patrum Congregationis Doctrinae Christianae in ecclesiis S. Nicolai civitatis Neapolis, S. Salvatoris civitatis Barensis, S. Mariae Virginis Assumptae de Monte Carmelo terrae Laureti dioecesis[1], et S. Michaëlisarchangeli terrae Lauriani dioecesis Nolanae, et ab aliis reverendis presbyteris Congregationis degentibus in dictâ ecclesiâ S. Nicolai Neapolis (et[2] docuit per instrumentum publicum mandati procurae sumptum et publicatum per dominum Lutium Romanellum notarium publicum Neapolis, quod pariter mihi, etc., consignavit praesentibus inserendum, tenoris, prout in eâ, etc., pro quibus, etc., reverendis patribus ac rectoribus cuiuslibet dicta-

1 Supra dictum fuit *dioecesis Caputaquensis* (R. T.).

2 Forsan *uti* vel *at* pro *et* legendum (R. T.).

rum ecclesiarum de rato, etc., promisit, et de faciendo ratificari praesens instrumentum a quolibet rectore et ab omnibus prioribus cuiuslibet domus Congregationis, et eum infra duos menses ab hodie proximos, et deinde ad omne beneplacitum et simplicem requisitionem dictorum patrum Doctrinae Christianae S. Agathae, ita quod, etc.) ex alterâ partibus, sponte, etc., reservato in primis et ante omnia consensu et beneplacito sanctissimi domini nostri Papae et sanctae Sedis Apostolicae ac reverendissimi et eminentissimi cardinalis vicarii ac dictae Congregationis in ecclesiâ sanctae Agathae protectoris, sumptibus dicti domini Antonii ac dictorum patrum regni Neapolis impetrando et obtinendo, cum declaratione, quod si[1] praesens supradictum beneplacitum non obtineatur vel non obtineri posset, praesens instrumentum habeatur pro non facto et nullius sit roboris vel momenti, et non aliàs, etc., de quo, etc.; et aliàs omni meliori modo, etc., supradictas ecclesias S. Nicolai Neapolis, S. Salvatoris Bari, B. Mariae Virginis Assumptae Laureti, ac S. Michaëlisarchangeli Lauriani, ac Congregationem[2] Doctrinae Christianae illiusque patres in dictis ecclesiis degentes univerunt, ac titulo perpetuo duraturo unionis incorporarunt cum praedictâ Congregatione Doctrinae Christianae ac illius patribus degentibus tam in dictâ ecclesiâ S. Agathae Urbis Romae in regione Transtyberim quam in aliis ecclesiis aliorum locorum provinciae Romanae; et stante dictâ unione dicti reverendi patres, praepositus, vicepraepositus et definitores, constitutiones, decreta atque omnia et singula privilegia, gratias, exemptiones, immunitates, et alia quaecumque dictis patribus Congregationis Doctrinae Christianae provinciae Romanae, tam de iure quam de antiquâ consuetudine et gratiâ Romanorum Pontificum, ac aliorum principum, seu particularium personarum competentia, tam praesentia quam futura, tam concessa quam concedenda, dictis reverendis patribus eiusdem Congregationis regni Neapolis, ac supradictis eorum ecclesiis (dicto reverendo domino Antonio pro illis unâ mecum notario praesentibus et acceptantibus) communicarunt, etc. et cum aliis pactibus, capitulis, conventionibus et conditionibus contentis in folio supradicto per dictos reverendos patres praepositum, vice praepositum, definitores, ac reverendum dominum Antonium praedictum, nominibus quibus supra, quod mihi, etc., consignaverunt ad effectum inserendi in praesenti instrumento tenoris sequentis, videlicet:

Capitoli per l'unione della Congregazione della Dottrina Cristiana del regno di Napoli con la Congregazione della Dottrina Cristiana di Roma.

I. Che la congregazione di Napoli riconosca e obbedisca li superiori generali della congregazione di Roma, pigliando il modo di vivere, regole, constituzioni e decreti di questa.

II. Che la congregazione di Napoli, con tutti li luoghi, che di presente ha, e in futuro haverà nel detto regno, constituisca provincia separata da governarsi dal suo provinciale, che si eleggerà ogni tre anni da tutti li rettori delli luoghi del regno, con un compagno per ciascuno da eleggersi da ciascuna famiglia, con l'assistenza d'un superiore almeno generale della congregazione di Roma, e di un compagno della medesima, quali anco voteranno, conforme le constituzioni.

III. Che nella detta congregazione provinciale godano la voce attiva e passiva

1 Particulam *si* nos addimus (R. T.).

2 Male ed. Main. legit *Congregationes* (R. T.).

tutti li sacerdoti della detta provincia, conforme la godono i sacerdoti della congregazione di Roma per gli officî generali, secondo però le constituzioni e decreti.

IV. Che detto provinciale, con un compagno da eleggersi nel capitolo provinciale, debba intervenire alla congregazione generale di Roma ogni volta che si dovrà fare l'elezione del preposito e definitori, e in essa voteranno come gli altri.

V. Che li sacerdoti e fratelli di detta provincia di Napoli debbano vivere e esercitare l'instituto e missioni nel regno solamente, e non fuori de'suoi confini, senza poter pretendere e convivere nelli luoghi fuori di detta provincia, se non fosse a breve tempo per onesta e legittima causa, e mai senza licenza scritta del preposito generale.

VI. Che in caso di ricorso dal provinciale al preposito generale prima di partire si scriva la causa con verità, e aspetti la risposta con la licenza, purchè non ci fosse un manifesto pericolo di grave ingiustizia non tollerabile, che si dovrà fare constare, altrimenti soggiacerà alle pene de'difetti gravissimi, conforme le constituzioni ad arbitrio del preposito e definitori.

VII. Che il preposito generale nel suo triennio debba una volta almeno visitare la detta provincia, o farla visitare, conforme le constituzioni.

VIII. Che ogni viaggio e ritorno, che si dovrà fare dai superiori di Roma per occasioni di congregazioni provinciali o di visite, e dal provinciale per intervenire alla congregazione generale di Roma, si debba fare a spese di detta provincia del regno, li cui luoghi tutti dovranno *pro ratâ* contribuire.

IX. Che li negozî che si dovranno trattare in Roma per li luoghi di detta provincia di Napoli, sia tenuto il procuratore generale della congregazione di Roma trattarli come proprî, dovendo però la provincia somministrare le spese necessarie di decreti, sentenze, informazioni, scritture, copie e brevi che occorressero spedire.

X. Che il P. D. Leonardo Sacco, al presente superiore de' luoghi di Napoli nella chiesa di S. Nicolò, sino che vivrà, faccia l'officio di provinciale di detta provincia, con tutte le facoltà e autorità necessarie e opportune.

XI. Che, durante la vita di detto padre D. Leonardo, il preposito generale e definitori di Roma mandino un sacerdote della loro congregazione con nome di visitatore, il quale risieda in detta provincia per introdurvi l'uniformità del vivere, e dopo la morte del detto padre D. Leonardo debbano per il primo triennio solamente eleggere il primo provinciale, il quale possa anco essere per questa prima volta sola un sacerdote di Roma, dopo l'officio del quale si dovrà fare l'elezione, come sopra nel capitolo II.

XII. Che nascendo alcun dubbio sopra l'intelligenza di detti capitoli, il dichiararli o interpretarli tocchi a chi spetta per le constituzioni di detta Congregazione.

Io Giacomo Novelli, preposito generale della Congregazione della Dottrina Cristiana di Roma in sant'Agata in Trastevere, mano propria;

Io Marc'Antonio Scaramuccia, vicepreposito e procuratore generale della Dottrina Cristiana, mano propria;

Io Battista Oliviero, definitore, mano propria;

Io Giovanni Antonio Cappone, definitore, mano propria;

Io D. Antonio Montaquila, procuratore delli reverendi padri della Dottrina

Christiana del regno di Napoli, confermo, come sopra, mano propria, etc.

Quae pacta et capitula, omniaque in dicto folio contenta et expressa, nihilo penitus escluso, dicti reverendi patres praepositus, vicepraepositus, definitores et reverendus dominus Antonius, quibus supra respective nominibus, promiserunt semper attendere et inviolabiliter observare, modo et formâ, prout in eis continetur, et contra non facere, dicere, opponere vel venire, quovis praetextu, etc., aliàs, etc., de quibus, etc., pro quibus, etc., dicti admodum reverendi patres Congregationis in ecclesiâ S. Agathae se ipsos et bona dictae Congregationis; dictus vero reverendus dominus Antonius procurator dictum admodum reverendum patrem Leonardum Sacco et alios patres Congregationis Doctrinae Christianae Neapolis, Bari et aliorum locorum praedictorum, principales suos, et dictarum ecclesiarum bona in ampliori formâ reverendae camerae apostolicae cum clausulis, etc., unâ, etc., obligarunt, etc., renunciantes, etc., cuicumque appellationi, etc., consentientes, etc., in mandatum executivum unicâ exactione praecedente relaxandum, et tactis pectoribus, etc., iuraverunt, etc.; super quibus omnibus et singulis petitum fuit a me notario publico infrascripto unum vel plura confici instrumenta, prout opus fuerit et requisitus ero.

Actum Romae in regione Transtyberim in stantiis inferioribus dictae ecclesiae S. Agathae, praesentibus ibidem, etc., perillustri et admodum reverendo domino Octavio de Ricca de Svessa utriusque iuris doctore, protonotario apostolico et vicario generali dictae civitatis, et illustrissimo et admodum reverendo domino Francisco Salerno, canonico cathedralis ecclesiae Svessae, testibus ad praedicta omnia et singula vocatis, habitis, atque rogatis.

Ego Ioannes Baptista Asinarius, Romanus, publicus apostolicâ auctoritate notarius in archivio Romanae curiae descriptus, de supradicto instrumento rogatus subscripsi et publicavi requisitus.

In fidem.

Loco † signi.

Nos, Odoardus Vecchiarellus, protonotarius apostolicus utriusque iuris doctor, sanctissimi D. N. Papae referendarius, necnon curiae causarum camerae apostolicae generalis auditor, etc., universis, etc., notum facimus et attestamur retroscriptum D. Ioannem Baptistam Asinarium, de praemissis rogatum, esse publicum, legalem et authenticum notarium, eiusque scripturis tam publicis quam privatis in iudicio et extra, semper adhibitam fuisse et de praesenti plenam adhiberi fidem, etc.

In quorum fidem, etc.

Datum Romae, ex aedibus nostris hac die XXIX decembris MDCLX a Nativitate.

FRANCISCUS SERIUS, etc.

Locus † sigilli ».

« Ad praesens praefati reverendus rector generalis, patres et fratres Doctrinae Christianae regni Neapolis, volentes se conformare et unire et incorporare se suasque ecclesias praedictas cum dictâ Congregatione Romanâ et aliis locis provinciae Romanae, sponte hodie, praedicto die, coram nobis, non vi, dolo, etc., et omni meliori viâ, etc., ratificaverunt et acceptaverunt (cum infrascriptâ tamen reservatione et potestate ut infra) ac ratificant, emologant et acceptant supradictum insertum instrumentum unionis, et omnia in eo contenta, conventa, apposita, declarata et reservata, iuxta sui formam, tenorem, continentiam et tenorem, excepto tamen capitulo X, ubi legitur: « Che durante la vita di

detto D. Leonardo Sacco faccia l'officio di provinciale della provincia di Napoli, e questo, stante la morte di detto D. Leonardo », reservato prius et ante omnia assensu et beneplacito sanctissimi domini nostri Papae ac sanctae Sedis Apostolicae vel eminentissimi et reverendissimi domini cardinalis vicarii, dictae Congregationis in ecclesiâ S. Agatae protectoris, ac eminentissimi et reverendissimi domini archiepiscopi Neapolitani, sive eius reverendissimi domini vicarii generalis, aliorumque Ordinariorum locorum, ubi dicta Congregatio habet sua collegia, quatenus opus est et non aliter, etc., sumptibus et expensis dictae Congregationis Doctrinae Christianae regni Neapolis, cum infrascriptis tamen reservationibus et protestationibus, videlicet: « Che durante la vita di quelli padri e fratelli, che oggidì si trovano in detta Congregazione del regno di Napoli, loro vita durante *tantum,* non volendosi sottommettere al voto della perpetuità *seu* perseveranza in detta Congregazione, loro sia lecito vivere in uno di quelli luoghi che si eleggeranno di perseverarci, mentre loro parerà e piacerà, con dare solamente il voto d'obbedienza e fedeltà, e non altrimenti, ecc. »; pro quibus omnibus observandis, etc., praefati reverendi patres et fratres sponte, etc., obligaverunt se, etc., dictasque ecclesias, etc., et earum bona omnia, etc., mobilia, stabilia, praesentia et futura, etc., salvo semper assensu apostolico, etc., dictae Congregationi Doctrinae Christianae Romae absenti, etc., et mihi praesenti, etc., sub poenâ dupli, mediante, etc., cum protestatione capiendi, etc., constitutione precarii, etc., renunciarunt, etc., et iurarunt, etc., tacto pectore, etc., unde, etc., praesentibus opportunis, etc. (*Sequitur legalitas in formâ,* etc.) ».

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, tam dicti exponentes quam praepositus et definitores secundodictae Congregationis Urbis praemissa, quo firmius subsistant, apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri summopere desiderent, iamque iidem praepositus et definitores unionem huiusmodi a dilecto filio nostro in eâdem Urbe vicario in spiritualibus generali eorum Congregatione protectore approbari obtinuerint: nos, specialem tam exponentibus quam praeposito et definitoribus praedictis gratiam facere volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositorum consilio, attentis narratis, et audito per eosdem cardinales dilecto filio procuratore generali Ordinis huiusmodi, visoque ab illis enunciato instrumento unionis, eamdem unionem et instrumentum, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, benigne approbamus et confirmamus, suumque effectum sortiri concedimus; salvâ tamen semper in praemissis auctoritate congregationis eorumdem cardinalium.

Confirmatio apostolica expetitur.

Annuit Pontifex.

§ 5. Decernentes easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et

Decretum irritans.

per omnia plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 6. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac, quatenus opus sit, utriusque Congregationis huiusmodi, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, approbatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides.

§ 7. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides tam in iudicio quam extra illud ubique locorum et gentium adhibeatur, quae ipsismet praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die x martii MDCLXVII, pontificatus nostri anno XII.

Dat. die 10 martii 1667, pontif. anno XII.

CDLXI.

Quibusdam locis Congregationis Somaschae facta concessio sepeliendi alumnorum cadavera sine interventu parochorum.

Alexander Papa VII,
ad perpetuam rei memoriam.

Motiva.

Dudum pro parte tunc existentis praepositi generalis Congregationis clericorum regularium Somaschae, aliàs S. Maioli Papiensis, felicis recordationis Paulo Papa V praedecessori nostro exposito, quod inter rectores collegiorum ac seminariorum et academiarum curae et administrationi dictorum clericorum commissorum ex unâ ac parochos ex alterâ partibus nonnullae lites seu controversiae super iure sepeliendi in ecclesiis collegiorum ac seminariorum et academiarum huiusmodi cadavera scholarium, clericorum et convictorum, qui pro tempore in seminariis, collegiis et academiis huiusmodi decedebant, saepius oriebantur; ad quas quidem lites seu controversias de cetero evitandas dictus praepositus generalis plurimum desiderabat rectoribus et clericis praedictis opportune provideri:

Breve Pauli V recensetur.

§ 1. Idem Paulus praedecessor, supplicationibus illorum nomine sibi super hoc humiliter porrectis inclinatus, Amerinensis et Gallii nuncupati, Comensis et Burgii Lugani Comensis dioecesis, necnon oppidi Trivultii Mediolanensis dioecesis collegiorum, ac Ravennatensis et patriarchalis Venetiarum seminariorum, necnon terrae Salodii Brixiensis dioecesis, ac S. Spiritus prope et extra portam Cumanam Mediolanensis, et S. Maioli Papiensis academiarum rectoribus respective, ut in S. Angeli, S. Mariae de Rondineto nuncupatae, S. Antonii et S. Crucis, necnon S. Catharinae et SS. Trinitatis, ac S. Benedicti, S. Spiritus et S. Maioli, eorum ecclesiis respective, absque parochorum interventu, scholarium, clericorum et convictorum prae-

dictorum in collegiis, seminariis et academiis huiusmodi pro tempore decedentium cadavera, sine tamen quorumcumque iurium parochialium praeiudicio, ecclesiasticae sepulturae tradere libere et licite valerent, ita tamen ut, antequam sepulturae traderentur, rectores praedicti parochos certiores facere tenerentur, apostolicâ auctoritate concessit et indulsit, et aliàs, prout in ipsius Pauli praedecessoris litteris desuper in simili forma Brevis die XXVII octobris MDCXIV expeditis, quarum tenorem praesentibus pro plene et sufficienter expresso et inserto haberi volumus, uberius continetur[1].

Petitio novae concessionis.

§ 2. Cum autem, sicut dilectus filius modernus praepositus generalis Congregationis praedictae nobis nuper exponi fecit, eadem Congregatio subinde seminarium ducale S. Antonii Venetiarum, ac S. Mariae Scholarum Veronensis, S. Bartholomaei Brixiensis, S. Leonardi Bergomensis, S. Mariae Laudensis, S. Angeli Custodis Taurinensis, et S. Mariae Angelorum Fossanensis civitatum, necnon S. Georgii oppidi Novarum Derthonensis, et S. Bartholomaei oppidi Merati Mediolanensis dioecesum collegia acquisiverit, seu illa curae et administrationi clericorum regularium dictae Congregationis commissa fuerint; dictus vero praepositus generalis litibus et controversiis, quae inter rectores et clericos seminarii et collegiorum huiusmodi ac parochos super iure sepeliendi cadavera scholarium, clericorum et convictorum in eisdem collegiis et seminario pro tempore decedentium pariter oriri possent, mature occurri, illarumque materiam recidi plurimum desideret: nobis propterea humiliter supplicari fecit ut iamdictis rectoribus et clericis opportune in praemissis providere et ut infra indulgere de benignitate apostolicâ dignaremur.

§ 3. Nos igitur, pacem et quietem inter regulares et ecclesiasticas personas conservari cupientes, dictosque modernum praepositum generalem ac rectores et clericos specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, seminarii ducalis S. Antonii Venetiarum, ac S. Mariae Scholarum Veronensis, S. Bartholomaei Brixiensis, S. Leonardi Bergomensis, S. Mariae Laudensis, S. Angeli Custodis Taurinensis, et S. Mariae Angelorum Fossanensis civitatum, necnon S. Georgii oppidi Novarum Derthonensis et S. Bartholomaei oppidi Merati Mediolanensis dioecesum huiusmodi collegiorum rectoribus respective, ut in eorumdem seminarii et collegiorum ecclesiis, absque parochorum interventu, scholarium, clericorum et convictorum in seminario et collegiis huiusmodi non electâ sepulturâ pro tempore decedentium cadavera, sine praeiudicio tamen quorumcumque iurium parochialium, ecclesiasticae sepulturae tradere libere pariter et licite valeant respective; ita tamen ut, antequam sepulturae tradantur, iidem rectores parochos certiores facere teneantur, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, concedimus similiter et indulgemus.

Confirmat ut in rubrica.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Contraria tollit.

Datum Romae, apud S. Mariam Maio-

1 Huiusmodi Breve Pauli V non legitur in *Bullario* (R. T.).

rem, sub annulo Piscatoris, die XII martii MDCLXVII, pontificatus nostri anno XII.

Dat. die 12 martii 1667, pontif. anno XII.

DLXII.

Confirmatio statuti civitatis Avenionensis ac constitutionis Leonis X, quibus cavetur, ut causas mercatorum, eorum artem concernentes, iudex remittat duorum relatoribus electis a vicelegato ex quatuor mercatoribus, quos consilium eiusdem civitatis quotannis deputare solet, et subinde secundum eorum relationem iudicet, utque in eisdem causis de bonô et aequo procedatur, atque etiam in tribunalibus pariformiter procedi et iudicari debeat [1].

Alexander Papa VII, ad futuram rei memoriam.

Postulatio. § 1. Exponi nobis nuper fecerunt dilecti filii communitas et homines civitatis nostrae Avenionensis, quod per statuta dictae civitatis, rubricâ XII, et quamdam felicis recordationis Leonis Papae X praedecessoris nostri constitutionem cavetur expresse ut causas mercatorum, eorum artem concernentes, iudex remittat duobus relatoribus electis a vicelegato ex quatuor mercatoribus, quos consilium eiusdem civitatis quotannis deputari solet, et subinde secundum eorum relationem iudicet, utque in eisdem causis de bono et aequo procedatur, atque etiam in tribunalibus ecclesiasticis pariformiter procedi et iudicari debeat, remotâ omni appellatione et recursu.

Confirmat Pontifex ut in rubricâ. § 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, dicti exponentes statutum et constitutionem huiusmodi, quo firmius subsistat et servetur exactius, apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri summopere desiderent: nos, specialem ipsis exponentibus gratiam facere volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, supra expressam dispositionem statutorum dictae civitatis et constitutionis Leonis praedecessoris, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos iuris et facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Decretum irritans. § 3. Decernentes easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum. § 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac, quatenus opus sit, aliis quibusvis civitatis praefatae, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et

1 Ex Regest. in Secret. Brevium.

innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXI martii MDCLXVII, pontificatus nostri anno XII.

Dat. die 21 martii 1667, pontif. anno XII.

DLXIII.

Confirmatio venditionis feudi Montafiae, eiusque investiturae Carolo Emmanueli Philiberto Hyacintho de Simiana, marchioni Planitiarum, Taurinensis seu alterius civitatis vel dioecesis, concessae [1].

Alexander Papa VII, ad perpetuam rei memoriam.

Expositio. § 1. Exponi nobis nuper fecit dilectus filius Carolus Emmanuel Philibertus Hyacinthus de Simiana, marchio Planitiarum, Taurinensis seu alterius civitatis vel dioecesis, quod, cum aliàs (per nos accepto dilectos filios Philippum Sfondratum, fratrem militem magnae crucis hospitalis S. Ioannis Hierosolymitani, possessorem feudi Montafiae Taurinensis dioecesis, ac Herculem et Franciscum Sfondratos eius fratres, ad successionem feudi huiusmodi post illum vocatos, desiderare feudum huiusmodi, quod ad directum dominium archiepiscopi Taurinensis pro tempore existentis eiusque mensae archiepiscopalis spectare et pertinere noscitur, cum assensu et beneplacito venerabilis fratris Michaëlis moderni archiepiscopi Taurinensis, vendere dilecto filio comiti Ioanni Baptistae Begiami pro se vel personâ ab eo nominandâ seu causam ab eo habiturâ, pretio quatuor millium duplarum italicarum reinvestiendo in tot bonis stabilibus, quae starent et perpetuo stare deberent subrogata in locum eiusdem feudi ad favorem vocatorum ad ipsum feudum et primogenituram Sfondratorum praefatorum a felicis recordationis Gregorio Papa XIV praedecessore nostro per quasdam suas in formâ Brevis die XXII maii MDXCI seu alio veriori tempore emanatas litteras, ut asserebatur, confirmatam, ac cum aliis pactis et conditionibus inter partes stabiliendis; verum hac in re dicto quidem Michaëli archiepiscopo constitutionem recolendae memoriae Urbani Papae VIII praedecessoris pariter nostri anno MDCXXV editam, per quam alienationes bonorum feudalium ad ecclesias inferiores spectantium sine assensu Sedis Apostolicae fieri prohibetur; praefatis vero de Sfondratis investituram et primogenituram huiusmodi respective obstare) nos per chirographum die VI februarii MDCLXVI emanatum, et manu nostrâ subscriptum, cuius tenor infra inseretur, memorato Michaëli archiepiscopo facultatem concesserimus tribuendi licentiam praefatis quidem Philippo ac Herculi et Francisco de Sfondratis vendendi et alienandi supradictum feudum Montafiae, dicto vero comiti Ioanni Baptistae illud emendi et acquirendi cum omnibus suis membris, iuribus et pertinentiis pro se seu personâ per eum nominandâ vel causam ab eo habiturâ, pretio praefato seu alio stabiliendo, ac cum pactis, capitulis et conditionibus inter eos stabilitis seu stabiliendis, si tamen secundum ipsius Michaëlis archiepiscopi conscientiam, quam super hoc oneravimus, contractus huiusmodi in

1 Ex Regest. in Secr. Brev.

evidentem ecclesiae Taurinensis utilitatem cederet; et, quia dictum feudum memoratae primogeniturae ac pactis et conditionibus in eâ appositis subiectum esse asserebatur, nos eidem Michaëli archiepiscopo facultatem pariter tribuerimus curandi investiri supradictum pretium, de consensu et beneplacito praefatorum de Sfondratis et vocatorum in dictâ primogenitură ac memorati comitis Ioannis Baptistae Begiami seu personae ab eo nominandae, in iis bonis stabilibus, quae tuta et secura esse existimaret, quae bona in perpetuum subrogaret, prout nos subrogavimus, in locum feudi supradicti, et in ea transferret, prout nos transtulimus, omnia onera, substitutiones et vincula, aliaque omnia expressa in eâdem primogenitură, et quibus dictum feudum suppositum esset, ita ut, post factum investimentum huiusmodi, vocati ad dictam primogenituram deberent succedere in ipsum investimentum uti subrogatum in locum feudi praefati, non autem in ipsum feudum quod liberum remanere deberet, prout illud liberavimus, ab eâdem primogenitură, attentâ subrogatione sicut praemittitur faciendâ, et aliàs prout in dicto chirographo uberius continetur: praefatus Michaël archiepiscopus, vigore chirographi huiusmodi, memorato Philippo licentiam deveniendi ad alienationem dicti feudi de consensu supradictorum Herculis et Francisci iuxta tenorem eiusdem chirographi ad favorem dicti comitis Ioannis Baptistae, seu personae ab eo nominandae, vel causam ab eo habentis, concessit. Unde idem Philippus feudum huiusmodi, dicto pretio quatuor millium duplarum ut praemittitur investiendo, vendidit praefato comiti Ioanni Baptistae, qui, cum declarasset dicto Michaëli archiepiscopo se emptionem et acquisitionem eiusdem feudi ex pecuniis praefati Caroli Emmanuelis Philiberti Hyacinthi marchionis ac eius nomine et ad ipsius favorem fecisse, nec eâ in re nisi nudum nomen habere, idem Michaël archiepiscopus investituram feudi et castri Montafiae huiusmodi, cum omnibus suis membris, iuribus et pertinentiis universis, memorato Carolo Emmanueli Philiberto Hyacintho marchioni in feudum nobile antiquum, avitum, paternum et masculinum pro primogenitis in infinitum, servatâ in omnibus formâ antiquarum concessionum et investiturarum, et nihil penitus innovato nec alterato, concessit, prout uberius continetur in publico desuper confecto instrumento, cui praefatum chirographum insertum existit, tenoris qui sequitur, videlicet:

Instrumenti tenor.

« In Christi nomine. Amen. Anno a Nativitate Domini MDCLXVI, indictione IV, die vero ultimâ mensis decembris, pontificatus autem sanctissimi in Christo patris et D. N. D. Alexandri divinâ providentiâ Papae VII, anno eius XII.

Actum in civitate Taurini et palatio solitae residentiae infrascripti illustrissimi domini archiepiscopi Taurini, et camerâ eius cubiculari, praesentibus ibidem admodum reverendo Bartholomaeo Pochetino, iuris utriusque doctore, et admodum reverendo Iosepho Pastoris, ambobus residentibus in hac civitate, testium[1] praesentis publici instrumenti. Cunctis ubique pateat et fiat manifestum, quod in praenominatorum testium, ad haec specialiter vocatorum et rogatorum, meique notarii et secretarii publici subsignati praesentiâ personaliter constitutus perillustris dominus advocatus Vittorius Bonetus, Nisciensis procurator, et nomine illustrissimi et excellentissimi domini Caroli Emmanuelis Philiberti Hyacinthi de Si-

1 Legendum *testibus* (R. T).

miana, marchionis Planitiarum, Liburni, Castrinovi, Rovati et Mareti, equitis sacri et supremi ordinis SS. Annunciationis Sabaudiae, generalis magistri[1] peditum, et magni chiamberlani sacrae regiae celsitudinis (prout fidem facit de mandato in eum facto sub herino die rogito notarii et secretarii subsignato infrascripto, pede praesentis instrumenti tenorizato), exponens, procuratorio nomine praedicto, eidem illustrissimo et reverendissimo domino archiepiscopo dictum excellentissimum dominum marchionem acquisivisse ab illustrissimo et excellentissimo domino marchione domino Philippo Sfondrato marchionatum et feudum Montafiae, quod removet a directo dominio ecclesiae Taurinensis et huius mensae archiepiscopalis, praecedente debito assensu, ut in litteris obtentis, ab eodem illustrissimo et reverendissimo domino archiepiscopo sub die xx februarii proxime elapsi praestito ad mentem chirographi sanctissimi domini nostri Alexandri Papae VII sub VI eiusdem mensis februarii, quarum litterarum et chirographi tenor in pede praesentis instrumenti reperitur de verbo ad verbum insertus, et dictum marchionatum acquisivisse cum castro, loco, villâ et iurisdictione, cum mero et mixto imperio, et omnimodâ iurisdictione et gladii potestate, cum furnis, pedagiis, viis, andamentis et fossatis ipsius castri, villâ, molendinis, venationibus, possessionibus, terris et pratis, vineis, gerbidis, piscariis, fictibus cum curiis feudorum et allodiorum in hominibus, vassallis, fidelitatibus, poderiis, bannis, successionibus, guartis et scaraguartis, ac iure patronatus, debitis et debituris, directis et districtis, albergariis et cavalcatis, succursibus, advocatis, exercitibus in pace et guerrâ, poenis et mulctis titulo signoriae, et iure levandi, imponendi et exigendi praedicta et quodlibet praedictorum, ac omnibus aliis quibuscumque iuribus et pertinentiis suis, tam de iure quam de consuetudine ac naturâ, dicto feudo competentibus, aliisque regaliis et praeeminentiis suis, quae omnino, ut supra, semoventur de dicto feudo et directo dominio et superioritate dictae mensae archiepiscopalis et ecclesiae Taurinensis sub canone annuo perpetuo ducatorum decem auri in auro solvendorum singulis annis in festo S. Martini, prout pro talibus ea omnia consignat et recognoscit, instans propterea dictum excellentissimum dominum marchionem Planitiarum in feudatarium et vassallum archiepiscopatus et ecclesiae Taurinensis et eius mensae recipi et admitti ac retineri, et per praedictum illustrissimum et reverendissimum dominum archiepiscopum venditionem et emptionem collaudari et approbari, eumque excellentissimum dominum marchionem pro se suisque haeredibus et successoribus masculis legitimis ac de legitimo matrimonio descendentibus ex lineâ masculinâ in perpetuum de dicto castro, loco, villâ et iurisdictione ac iuribus ad ipsum feudum quomodolibet spectantibus et pertinentibus infeudari, et in feudum perpetuum, rectum, nobile et gentile antiquum, avitum et paternum ac masculinum et cum iure primogeniturae, ita ut de primogenito in primogenitum semper ipso iure transeat usque in infinitum, investiri, offerens separatum debitum laudemium et canonem praedictum solvere, solitum fidelitatis iuramentum praestare, et alia facere, ad quae de iure tenetur, et ex formâ investitutarum per bonae memoriae illustrissimos et reverendissimos archiepiscopos Taurinenses antecessoribus dicti excellentissimi domini marchionis Philippi Sfondrati de dicto feudo

1 Ed. Main. legit *magister* (R. T.).

Montafia et omnibus praemissis factarum tenetur. Qui quidem illustrissimus et reverendissimus dominus archiepiscopus Taurinensis, praemissis visis et auditis, attentis meritis dicti illustrissimi et excellentissimi domini marchionis, petitioni praedictae tamquam iuri consonae annuere deliberavit; et ideo suo et nomine suae ecclesiae archiepiscopalis Taurinensis et illius mensae et successorum suorum in ipsâ ecclesiâ, et aliàs omni meliori modo, praedictae venditioni per dictum excellentissimum dominum marchionem Philippum Sfondratum, et emptioni per dictum excellentissimum dominum marchionem Planitiarum respective factis de dictis feudo et iuribus eiusdem supra et infra expressis consensit et consentit, suumque liberum consensum et assensum in eis praestitit et praestat, et praedictam recognitionem per ipsum perillustrem dominum advocatum Bonetum procuratorem et nomine praemisso acceptavit et acceptat, confitendo habuisse et realiter recepisse a praedicto domino procuratore ante rogitum huius intrumenti de propriâ pecuniâ dicti excellentissimi domini marchionis Planitiarum laudemium debitum in duplis trecentis auri in auro, iuxta quantitatem adiudicatam vigore sententiae arbitramentalis probatae ab illustrissimo et reverendissimo domino Petro Bargellino Thebarum archiepiscopo et nuntio apostolico Taurini commoranti apud regiam celsitudinem Sabaudiae, sub nonâ octobris proxime elapsi, quae fuit proferta sine praeiudicio iurium partium; pro quo laudemio et summâ quitavit et quitat dictum excellentissimum dominum marchionem Planitiarum licet absentem, dicto domino procuratore unâ mecum notario et secretario, ut personâ publicâ officio publico fungente, pro eodem excellentissimo domino stipulantibus et acceptantibus, renunciando cum infrascripto iuramento exceptioni non numeratae pecuniae, cum pacto valido et firmo de nihil amplius occasione dicti laudemii ab eodem excellentissimo domino marchione petendo, reinvestiendo eumdem perillustrem dominum advocatum Bonetum procuratorem praedictum, ibidem ut supra nomine dicti excellentissimi domini marchionis Planitiarum petentem, praesentem, acceptantem, stipulantem et recipientem eius et nomine filiorum et successorum suorum masculorum legitimorum primogenitorum ex lineâ masculinâ de legitimo matrimonio descendentium usque in perpetuum, de praedicto recto, nobili, gentili, antiquo avito et paterno feudo masculino cum iure primogeniturae, ita quod de primogenito in primogenitum ipsius domini excellentissimi marchionis Planitiarum, suorumque praedictorum ex lineâ suâ masculinâ et legitimâ usque in perpetuum descendentium, ut in infinitum transeat ipso iure et facto, praedictum locum, villam et castrum Montafiae, cum infeudari solitis, et semoventibus de feudo, directo dominio et superioritate praedictae mensae archiepiscopalis Taurinensis, cum denominatione marchionis Montafiae, quemadmodum dictus excellentissimus dominus Philippus marchio Sfondratus vocabatur, cum mero et mixto imperio et omnimodâ iurisdictione et gladii potestate, ac furnis, pedagiis, viis et andamentis, fossatis ipsius castri et villae, molendinis, venationibus et piscationibus, terris et pratis, vineis, gerbidis, piscariis, fictibus cum suis curiis feudorum et allodiorum in hominibus vassallis, fidelitatibus, poderiis, bannis, successionibus, acconciamentis, guartis et scaraguartis, ac iurepatronatus, debitis ac debituris, directis ac districtibus, albergariis, cavalcatis, succursibus, advo-

catis, exercitibus in pace et in guerrâ, poenis, mulctis, titulo signoriae, et iure levandi et imponendi ac exigendi praedicta et quodlibet relictorum, et generaliter in et de omnibus aliis quibuscumque bonis, iuribus et pertinentiis suis in dicto feudo comprehendi solitis, sive comprehensis, tàm de iure quam de consuetudine ac naturâ, et per dictum excellentissimum dominum Philippum Sfondratum suosque in ipso feudo antècessores teneri et possideri solitis iure feudi praedicti, aliisque regaliis et praeeminentiis suis, et prout et quemadmodum ipsius excellentissimi domini marchionis domini Philippi Sfondrati praedecessores investiti fuerunt, ita quod idem excellentissimus dominus marchio Planitiarum illiusque filii et successores masculi primogeniti ex lineâ masculinâ et legitimâ legitimi semper descendentes dictum locum, castrum, bonaque, res et iura ut supra in feudum concessum et concessa habeant, teneant et gaudeant ac possideant, et eis utantur ac fruantur usque[1] in perpetuum, unâ cum omnibus et singulis, quae dictum castrum, locum, villam et bona ac iura feudalia ut supra concessa habeant supra sè, infra se, et iuxta se, omnique iure et actione, usu seu requisitione sibi ex eis vel pro eis in ipsis castro, villâ, loco, bonis et iuribus modo aliquo pertinentibus et spectantibus, cum onere tamen solvendi et praestandi quolibet anno in festo S. Martini in perpetuum praedictae mensae archiepiscopali praedictum canonem aliàs ut supra impositum ducatorum decem auri in auro de camerâ; et cessit et cedit idem illustrissimus et reverendissimus dominus archiepiscopus dicto nomine praedicto excellentissimo domino marchioni Planitiarum, licet absenti, dicto domino advocato Boneto procuratore praedicto praesenti unâ mecum notario et secretario praedicto uti personâ publicâ recipientibus ut supra nomine dicti excellentissimi domini marchionis Planitiarum, omnia et quaecumque iura, omnesque et quascumque actiones sibi et dictae suae ecclesiae Taurinensi, et illius mensae in castro, loco, villâ, bonisque et pertinentiis praedictis respèctive illorum[1] utilis dominii et naturalis possessionis tantum competentibus et non aliter, etiam pro recuperandis quibuscumque bonis et iuribus ad dictum feudum spectantibus, et in eo comprehendi[2], et per dictum dominum excellentissimum dominum marchionem Philippum Sfondratum, vel quoscumque in ipsis castro, loco, villâ et bonis, illorumque feudo per antecessores, seu quosvis[3] ipsorum, iure ipsius feudi teneri et provideri solitis; et licentiam dedit et dat praedicto excellentissimo domino marchioni Planitiarum ut supra investito[4] intrandi, apprehendendi et manutenendi veram realemque et actualem possessionem castri, loci, villae, bonorum suorum et pertinentiarum antedictarum, absque aliâ desuper ab ipso illustrissimo et reverendissimo domino archiepiscopo impetrandâ licentiâ, et, absque aliâ iuris ammonitione seu poenae incursione, constituendi praedictum illustrissimum et excellentissimum dominum marchionem Planitiarum licet absentem, dicto domino advocato Boneto procuratore pro eo praesente et acceptante, procuratorem suum in praedictis tamquam in rem suam propriam, ita quod sic possit agere, petere et excìpere et experiri, seque tueri, et

1 Pessime edit. Main. legit *ad te* pro *usque* (R. T.).

1 Videtur deesse vox *titulo* (R. T.).
2 Videtur legendum *comprehensis* (R. T.).
3 Edit. Main. legit *quovis* (R. T.).
4 Edit. Main. legit *investiti* (R. T.).

omnia alia et singula facere, dicere, gerere et exercere, quae prout et quemadmodum ipse illustrissimus et reverendissimus dominus archiepiscopus, ante huiusmodi investituram et etiam praedictam emptionem, de praedictis facere poterat aut possit, ac etiam ita ut dictus excellentissimus dominus marchio Planitiarum succedit[1] in omnem locum et in omne ius et statum ipsius illustrissimi et reverendissimi domini archiepiscopi, dictaeque suae ecclesiae et illius mensae, ratione et iure feudi et utilis dominii, castri et aliorum praedictorum, et eius vires[2] in omnibus et per omnia obtineat; et insuper idem illustrissimus et reverendissimus dominus archiepiscopus dicto nomine, ut supra, eumdem perillustrem advocatum Bonetum procuratorem et nomine dicti illustrissimi et excellentissimi domini marchionis Planitiarum ibidem praesentem, genuflexum, stipulantem et acceptantem, ut supra, in possessionem dicti feudi, castri, loci et villae Montafiae, bonorumque et iurium, ac pertinentiarum praedictarum per traditionem uniùs gladii evaginati, ac benigno pacis osculo interveniente, induxit et posuit, ac inducit et ponit (quae tamen omnia et singula praedicta fecit et facit idem illustrissimus et reverendissimus archiepiscopus eâ sub lege et conditione quod ius superioritatis et directum dominium dictorum castri, loci, villae et aliorum in huiusmodi investiturâ feudali comprehensorum ipso[3] illustrissimo et reverendissimo domino archiepiscopo, dictae suae ecclesiae Taurinensi et illius mensae, et successoribus suis in eâ pro tempore existentibus, remaneant et reservata sint in perpetuum), promittens insuper, prout promisit, idem illustrissimus et reverendissimus dominus archiepiscopus suo et dicto nomine consensum suum ut in hanc investituram feudalem huiusmodi, ac omnia alia et singula praedicta in hoc toto praesenti interveniente[4] contenta, ipsum et dictam suam ecclesiam et mensam tangentia, rata, grata et valida, ac firma semper habere, tenere, attendere et observare, et illis in aliquo non contrafacere, dicere vel venire, seu se illis opponere, de iure vel de facto, per se ipsum neque per alium vel aljos, sub hypothecâ et obligatione omnium bonorum praedicti sui archiepiscopi[2] Taurinensis et illius mensae bonorum mobilium et immobilium ac fructuum praesentium et futurorum, ac medio eius iuramento per eum positâ suâ manu dexterâ ad eius pectus more praelatorum praestito, cuius virtute renunciavit et renunciat exceptioni omnium et singulorum praemissorum non sic ut supra gestorum dictorumque et factorum, dolique mali, vis, metus, actionis, conditionis indebitae, sine vel iniustâ causâ, ac, omnibusque aliis, iuris et legum auxiliis, quo seu quibus contra praemissorum aliquid dicere, facere, venire, vel aliàs quomodolibet se dicit[3] possit. Quibus attentis idem perillustris dominus advocatus Bonetus, procurator praedictus, nomine dicti excellentissimi domini marchionis Planitiarum, vigore dicti mandati, ea omnia et singula praedicta acceptans, bonâ fide et sine dolo per se et suos filios et successores masculos legitimos primogenitos per lineam masculinam legitime descendentes promisit, et, praedicto illustrissimo et reverendissimo domino archiepiscopo praesente,

1 Videtur legendum *succedat* (R. T.).
2 Videtur legendum *vices* (R. T.).
3 Potius lege *ipsi* (R. T.).

1 Ni sit legendum *instrumento* (R. T.).
2 Forsan *archiepiscopatus* (R. T.).
3 Verba *se dicit* prorsus praeter rem sunt; forsan *se opponere* (R. T.).

et ad sancta Dei Evangelia genuflexo[1], in illius recipientis manibus, tactis ob id per eum corporaliter sacrosanctis Scripturis, iuravit, quod dictus excellentissimus dominus marchio Planitiarum et eius filii successores masculi et primogeniti per lineam suam masculinam et legitimam descendentes erunt eidem illustrissimo et reverendissimo domino archiepiscopo suaeque ecclesiae Taurinensi et successoribus eam canonice intrantibus[2] boni, veri et fideles vassalli, quodque ipsum illustrissimum et reverendissimum dominum archiepiscopum, eiusque successores, ecclesiamque praedictam, ac illorum personas, bona, res et iura salvabunt pro posse, defendent a quibuscumque malis et oppressionibus, tacenda secreta tenebunt, et pro eodem, suâque ecclesiâ, et successoribus suis in eâ, contra omnes pugnabunt, consilium et auxilium, quod praestare poterunt, in rebus honorem eorumdem concernentibus praestabunt, et si sciverint vel intellexerint aliquod in damnum, praeiudicium, dedecus, sive vilipendium eorumdem, eidem illustrissimo et reverendissimo domino archiepiscopo et successoribus praedictis personaliter verbo aut in scriptis per nuncium expressum notificabunt, et resistent, ac pro posse defendent, dictumque castrum et locum Montafiae, bonaque, res et iura praedicta, in dictâ investiturâ feudali ut supra factâ incomprehensa[3] tamquam de feudo praedictae mensae archiepiscopalis tenere et possidere quandocumque requisiti fuerunt[4] sub iure praedictae primogeniturae per se et suos ipsos recognoscant[5], et canonem praedictum ducatorum decem singulo anno in festo S. Martini in antea et in futurum in perpetuum solvant[1], ceteraque omnia alia et singula facient, observabunt et adimplebunt, quae in novâ et veteri fidelitatis formâ continentur, et quae quilibet verus vassallus erga dominum et superiorem suum facere teneretur[2] et debet dominus[3]. Et super quibus omnibus et singulis praedictis rogatum fuit per me notarium et secretarium subsignatum ut unum seu plura instrumenta eiusdem tenoris et substantiae, etiam sapientis dictamine, si fuerit opportunum, conficere; cuius minutae dictus dominus illustrissimus et reverendissimus archiepiscopus, procurator et testes sese subscripserunt.

Segue il tenore della procura. L'anno del Signore mille seicento sessantasei e alli trenta del mese di dicembre, circa l'ore quattro di notte, sendovi però quattro candele accese, in Torino, e nella camera cubicolare dell'infrascritto illustrissimo ed eccellentissimo signore marchese di Pianezza, alla presenza di me, notaro sottoscritto e delli signori avvocati Boneti e Giovanni Battista Ruco, ambi testimonî astanti e richiesti, e al piede della minuta sottoscritti, personalmente costituito l'illustrissimo ed eccellentissimo signore Carlo Emanuele Filiberto Giacinto di Simiana, marchese di Pianezza, Livorno, Castelnuovo, Rovato e Maneto, cavâliere dell'Ordine della SS. Annunciata, generale dell'infanteria di S. A. R., e gran ciamberlano della medesima, il quale, dovendo prender la investitura del marchesato e feudo di Montafia, acquistato dall'illustrissimo signor marchese D. Filippo Sfondrato in conformità del beneplacito ottenuto da

1 Videtur legendum *genuflexus* (R. T.).
2 Ed. Main. legit *canonicae instantibus* (R. T.).
3 Potius lege *comprehensa* (R. T.).
4 Potius lege *fuerint* (R. T.).
5 Potius *recognoscent* (R. T.).

1 Potius *solvent* (R. T.).
2 Potius *tenetur* (R. T.).
3 Potius *domino* (R. T.).

Sua Santità li sei febraro prossimo passato e patenti ottenute dall'illustrissimo e reverendissimo monsignore arcivescovo della presente città Michel Begiami li venti di detto mese di febraro, perciò ha costituito, deputato, costituisce e deputa in suo procuratore speciale il molto illustre signore Vittorio Boneti, avvocato di Nizza, qua presente, per e a nome di S. E., prendere[1] dal detto illustrissimo e reverendissimo monsignor arcivescovo l'investitura di detto marchesato di Montafia, ragioni e pertinenze, pretensioni feudali a quella appartenenti, nella forma che era investito il detto signor marchese Sfondrato e suoi autori, prestare in anima di S. E. il devoto giuramento di fedeltà a favore di detto monsignore, suoi successori e della sua mensa archiepiscopale, stipular la quietanza del pagamento del laudemio già fatto, promettere[2] il pagamento delli ducati dieci, pagabili alla festa di S. Martino di cadaun anno, e generalmente obligar li beni di detta S. E. con la clausula del constituto per l'osservanza di tutto ciò che di ragione sarà tenuto a favor di detto illustrissimo monsignore, servato sempre il tenore e forma delle dette investiture concesse alli detti signori Sfondrati, e quanto resta contenuto nella nova e vecchia forma del giuramento di fedeltà. Dandoli per ciò fare ogni autorità opportuna, e promette di aver rato, grato, valido e fermo quanto per esso signor avvocato Boneti, procuratore sopra costituito, circa la detta investitura e dependenti verrà fatto e promesso, e di rilevarlo indenne dal carico del presente mandato; le quali cose, e quanto nel presente instrumento si contiene, ha S. E. promesso e promette osservare, e non contravenir, sotto espressa ipoteca e constituto di tutti suoi beni presenti e futuri, con suo giuramento, toccatosi l'Ordine della SS. Annunziata alla forma dei signori cavalieri. Intervenendo in ciò tutte le altre debite obbligazioni, sottommissioni, clausule e cautele necessarie. In fede ha richiesto me, ecc., a ricevere pubblico instrumento.

Seguono le sottoscrizioni: Carlo Emanuele Francesco Giacinto di Simiana; Vittorio Boneti, procuratore; Bartolomeo Pochetino, testimonio; G. B. Rivo, testimonio, ecc. Ed io Antonio Braya, pubblico ducal notario, richiesto, ho ricevuto il suddetto instromento, e levato dal suo originale protocollo, qual con esso collazionato concorda, e per fede manualmente sottoscritto Braya.

Segue il tenore del chirografo:

Monsignor Michele Begiami, arcivescovo di Torino. Desiderando fra Filippo Sfondrati, cavaliere e gran croce della Religione Gerosolimitana, possessore del feudo di Montafia, diocesi di Torino, e Ercole e Francesco, fratelli Sfondrati, dopo di lui in detto feudo successori, di vendere, col vostro assenso e beneplacito, al conte Giovanni Battista Begiami, per se o persona da nominarsi o che avrà causa da lui, il suddetto feudo di Montafia, posto in detta diocesi di Torino, per il prezzo di quattro mila doppie d'Italia, da investirsi in tanti beni stabili, quali stiano e debbano stare perpetuamente surrogati in luogo del detto feudo a favore delli chiamati nel suddetto feudo e primogenitura di detti Sfondrati, confermata, come si suppone, dalla felice memoria di Gregorio XIV con suo Breve sotto li XXII di maggio MDXCI, o in altro più vero tempo, e con li patti e condizioni da stabilirsi fra essi; e ostando a voi la Bolla di Urbano VIII nostro predecessore, sotto la data del MDCXXV, che proibisce l'alie-

1 Male edit. Main. legit *prenda* (R. T.).
2 Edit. Main. legit *prometta* (R. T.).

nazione dei beni feudali spettanti alle chiese inferiori senza l'assenso di questa nostra Santa Sede, e ad essi Sfondrati le suddette investitura e primogenitura respettivamente; e volendo noi rimovere li ostacoli della detta Bolla e primogenitura nelle parti che fossero contrarie alla suddetta vendita e compra: pertanto, avendo qui per espresso e inserto a sufficienza la concessione di detto feudo, li suoi confini, situazione e vero valore, la detta Bolla di Urbano VIII nostro praedecessore, e la suddetta primogenitura come sopra confermata, e ogni altra cosa quantosivoglia necessaria da esprimersi, di certa nostra scienza e pienezza della nostra podestà apostolica, concediamo a voi facoltà di dare licenza alli predetti fra Filippo, Ercole e Francesco Sfondrati di poter vendere e alienare il suddetto feudo di Montafia, come sopra posto, e al detto conte Giovanni Battista Begiami di comprarlo e acquistarlo, con tutti li suoi membri, ragioni e pertinenze, per sè o persona che le parerà di nominare o che avrà causa da lui, per il prezzo suddetto, e altro da stabilirsi, e colli patti, capitoli e convenzioni stabiliti o da stabilirsi tra di loro, quando, secondo la vera coscienza (quale in ciò graviamo) il detto contratto ceda in evidente utilità della vostra chiesa, senza però mutare nè alterare le concessioni e investiture di detto feudo di Montafia e la natura di esse, e alcun pregiudizio di qualsivoglia ragioni e azioni che tanto in petitorio quanto in possessorio competono e possono per qualsivoglia titolo competere alla nostra camera, e mensa arcivescovile di Torino, in qualsivoglia tempo e per qualsivoglia tempo, e per qualsivoglia causa e capo, e in qualunque caso ed evento, poichè per il presente nostro chirografo, e tutte e singole cose espresse in esso, non intendiamo in modo alcuno di pregiudicare alla detta nostra camera e mensa archiepiscopale, nè in caso di devoluzione o caducità, o di confiscazione, nè in altra qualsivoglia ragione o pretensione di essa, anche circa le cose espresse, ma solo di promettere[1] il suddetto contratto per interesse delle parti, e fra di loro, per quello gli compete in virtù delle investiture per ragion comune, o in altro modo, e per togliere l'ostacolo della detta Bolla di Urbano, quale proibisce simili contratti senza il beneplacito apostolico, e sopra di ciò gliene spedirete vostre lettere patenti colle clausule necessarie e opportune, con la facoltà a qualsivoglia notaro di poterne stipulare qualsivoglia instrumento senza incorso di pena, approvando noi da adesso quanto sopra di ciò farete e eseguirete. E perchè detto feudo si asserisce sottoposto alla suddetta primogenitura, e patti e condizioni apposti in quello, perciò, di simile nostra scienza e pienezza della nostra podestà, diamo facoltà a voi di far investire il suddetto prezzo in quei beni stabili, che col consenso e beneplacito de' suddetti Sfondrati, e chiamati in detta primogenitura, e del suddetto conte Begiami, o persona da nominarsi da lui, stimerete essere tuti[2] e securi, quali beni stabili surrogherete in perpetuo, siccome noi surroghiamo, in luogo del suddetto feudo, e sopra quelli transferirete, siccome noi transferiamo, tutti i pesi, sostituzioni e vincoli, e ogni altra cosa espressa nella detta primogenitura, e alli quali fosse sottoposto il suddetto feudo, in maniera tale, che, dopo fatto il suddetto investimento, i come sopra chiamati nella suddetta primogenitura debbano succedere in esso come surrogato

1 Videtur legendum *permettere* (R. T.).
2 Edit. Main. legit *tutti* pro *tuti* (R. T.).

in luogo del detto feudo, e non altrimenti in questo che dovrà rimaner libero, siccome noi liberiamo, dalla detta primogenitura stante la surrogazione da farsi, come sopra; volendo e decretando che il presente nostro chirografo vaglia e abbia il suo pieno effetto, esecuzione e vigore, ancorchè non si ammetta e registri in camera e suoi libri; non ostante la detta Bolla di Urbano VIII e la bolla di Pio IV da registrar la suddetta primogenitura, e qualsivoglia altre costituzioni apostoliche, leggi, statuti, riforme, usi, stili, decreti e consuetudini, e qualunque altra cosa che facesse o potesse fare in contrario; a quali tutte e singole, avendo il loro tenore qui per espresso a sufficienza, per questa volta sola, e a questo effetto, espressamente deroghiamo. Dato, etc., nel nostro palazzo apostolico di Monte Cavallo, questo dì VI[1] febraro MDCLXVI. Sottoscritta

ALEXANDER Papa VII.

Segue il tenore delle patenti. Michaël Begiamus Dei et Apostolicae Sedis gratiâ archiepiscopus Taurinensis, universis praesentes nostras inspecturis, visuris et legi audituris sit manifestum, quod nos, viso chirographo diei VI currentis mensis sanctissimi domini Papae Alexandri VII, per quod nobis committitur, ut, attento Suae Sanctitatis beneplacito et assensu, concedamus facultatem illustrissimo domino marchioni Philippo Sfondrato deveniendi ad alienationem feudi castri et loci Montafiae, cum omnibus bonis et iuribus tam iurisdictionalibus quam aliis ibidem competentibus, favore illustrissimi domini Ioannis Baptistae Begiami germani nostri, vel illius personae ab ipso domino comite nominandae[2], vel e quo[3] ipse dominus comes causam habet, necnon subrogandi et substituendi alium locum seu fundum in quo implicabuntur duplae quatuor mille Italiae, pretium dicti feudi, in favorem seu substitutionem primogeniturarum de quibus in Bullâ felicis recordationis Gregorii XIV sub XXII maii MDXCI et in ceteris concessionibus et investituris de quibus in praecitato chirographo fit designatio, ad effectum liberandi et absolvendi praefatum feudum Montafiae ab omni nexu, vinculo et obligatione dictarum substitutionum et iurium primogeniturae, cum consensu tamen illustrissimorum dominorum Herculis et Francisci, unâ cum dicto domino marchione de Sfondratis, et melius prout in dicto chirographo. Nos igitur, insequendo praefatam auctoritatem et apostolicum consensum, per praesentes concedimus et impartimur legitimam auctoritatem praefato domino marchioni Sfondrato, vel eius legitimo procuratori, ut possit et valeat, sine alicuius poenae incursu, alienare dominium, et possessionem transferre dicti castri, feudi, loci, iurisdictionis, omniumque iurium Montafiae in favorem acquisitiōnis[4] domini comitis Ioannis Baptistae Begiami vel illius ab ipso nominandi vel causam habentis, ita ut libere possint devenire ad rogitum soliti instrumenti, offerendo nos concessuros in favorem acquisitoris debitam investituram, et recepturos solitum iuramentum fidelitatis; monentes insuper ipsum dominum marchionem Sfondratum de indicando nobis aliud feudum vel locum in quo implicari possit dictum pretium ad favorem et cautionem censorum[2] vocatorum supradictorum; ita ut a nobis fieri seu approbari possit subrogatio de qua supra, cum ab-

1 Male ed. Main. legit *26* (R. T.).
2 Edit. Main. legit *nominanda* (R. T.).
3 Potius *cum quo* vel *cum qua* (R. T.).

1 Forsan *acquisitoris* (R. T.).
2 Forsan *cessorum* idest *qui cedunt*, vel *concessorum*, vel *successorum* (R. T.).

solutione et liberatione ab omni vinculo substitutionis seu primogeniturae, et ad mentem praecitati chirographi apostolici. In quorum omnium et singulorum fidem et testimonium has meas manu propria firmatas fieri et subscribi, sigilloque nostro debite communiri iussimus. Datum Taurini, die XX mensis februarii MDCLXVI,

Signato MICHAËL
archiepiscopus Taurinensis,

mediâ semper solutione laudemii[1] ad sexdecim pro centenario.

Loco † sigilli.

I. B. PASSERONUS.

Supradictum instrumentum investiturae, licet alienâ manu, mihi tamen fidâ, scriptum, rogatus et tamquam secretarius in hac parte ab illustrissimo et reverendissimo domino archiepiscopo Taurinensi Michaële Begiamo assumptus, ego Antonius Braya, civis Bruxellensis, recipi[2], ut publicus ducalis notarius Taurini, etc. Hic in fidem praemissorum manualiter signatus BRAYA ».

« Petrus Bargellinus, Dei et Apostolicae Sedis gratiâ archiepiscopus Thebarum, SS. D. N. D. Alexandri divinâ providentiâ Papae VII praelatus domesticus et assistens, eiusque et dictae Sanctae Sedis apud serenissimum dominum Carolum Emmanuelem Sabaudiae ducem et Pedemontium principem nuncius, etc., universis fidem facimus et attestamur, etc.

(*Sequitur legalitas in forma*), etc.

BOSCHETTI †

Loco † sigilli, etc. »

Aliud instrumentum.

§ 2. Et subinde praefatus comes Ioannes Baptista declarationem supradictam, ne de illâ dubitari contingeret, in praesentiâ dicti Michaëlis archiepiscopi iterum fecit per alium instrumentum publicum tenoris sequentis, videlicet:

« L'anno del Signore 1667, la quinta indizione, et alli 2 di marzo, in Torino, nel palazzo di monsignor illustrissimo e reverendissimo arcivescovo, parochia di S. Giovanni, alla presenza degl'infrascritti soliti testimonî astanti e richiesti. Conciossiacosachè l'illustrissimo signor conte Giovanni Battista Begiami abbia ottenuto un chirografo da Sua Santità sotto li VI di febbraio MDCLXVI per poter acquistare il feudo di Montafia dall'illustrissimo signor marchese Filippo Sfondrati di Milano . . ; all'illustrissimo e reverendissimo monsignor arcivescovo di questa città d'investirlo, o quella persona da esso signor conte nominanda, per meglio, come per esso chirografo, a qual s'averà relatione; indi abbia ottenuta la permissione dal detto monsignor illustrissimo e reverendissimo sotto li 20 del medesimo mese per patenti, sigillate e sottoscritte PASSARONUS; in ordine al che habbia proceduto a detto acquisto, con convenzione però, che il tutto faceva ad utile e a nome dell'illustrissimo ed eccellentissimo signor Carlo Emmanuel Filiberto Giacinto di Simiana, marchese di Pianezza, dal quale aveva avuto il prezzo per detto acquisto, e così l'abbia dichiarato a mon signor illustrissimo e reverendissimo arcivescovo suo fratello; qual dichiarazione attesa, e secondando la mente di Sua Santità nel detto chirografo espressa di dar l'investitura al detto signor conte Begiami, o alla persona da lui nominanda, abbia concessa l'investitura a favore di detto signor marchese di Pianezza nel modo e forma che si ritrova appresso; e desiderando detto signor marchese di Pianezza, che di tal dichiarazione ne consti atto publico: quindi è che costituito personalmente l'illustrissimo signor conte Giovanni Battista Begiami, cavalier de' santi Maurizio e La-

1 Edit. Main. habet *laudemus* (R. T.).
2 Videtur legendum *recepi* (R. T.).

zaro, gentilomo di bocca di S. A., qual spontaneamente per lui, suoi eredi e successori, in ogni miglior modo di ragione possibile, giunto l'intervento e approvazione dell'illustrissimo e reverendissimo monsignor Michele Begiami arcivescovo di questa città, qui presente, e detta approvazione dante, ha dichiarato e dichiara tutto il contenuto nella soprascritta narrativa per vero, e come tale esser la verità, presente me notaro come officio publico fungente, stipulante a nome di detto eccellentissimo signor marchese di Pianezza; il tutto corroborando con loro giuramento prestato, toccato per detto monsignor illustrissimo e reverendissimo il petto a modo de' prelati, e detto illustrissimo signor conte suo fratello la croce a modo de' cavalieri; della quale dichiarazione il molto illustrissimo signor conte Gaspar Brea, intendente della casa di detta S. E., ne chiede testimoniali, la quale io Giovanni Domenico Bay di Val, nodaio, e de'attuarî dell'eccellentissimo senato, ho ricevute e concesse alla presenza del molto illustrissimo e molto reverendo avvocato Bartolomeo Pochettino, e del molto illustre signor Govanni Battista Passeroni, segretario arcivescovile, astanti e richiesti. In fede mi sono manualmente sottoscritto, e alla minuta vi sono le seguenti sottoscrizioni: Michele arcivescovo di Torino D Giovanni Battista Begiami, Gaspare Brea a nome di S. E. di Pianezza, Bartolomeo Pochettino, testimonio, Giovanni Battista Passeroni, testimonio, Bay.

(*Sequitur legalitas in formâ*) ».

Venditionem praedictam confirmat Pontifex.

§ 3. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, praefatus Carolus Emmanuel Philibertus Hyacinthus marchio praemissa, quo firmius subsistant, apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri summopere desideret; nos, ipsum Carolum Emmanuelem Philibertum Hyacinthum marchionem specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, venditionem feudi et castri Montafiae huiusmodi a supradicto Philippo de consensu memoratorum Herculis et Francisci factam, ut praefertur, confectasque desuper scripturas, cum omnibus et singulis in eis contentis, aliàs tamen licitis et honestis, ac ecclesiae et mensae archiepiscopali Taurinensi utilibus et proficuis, et quatenus iuxta formam et tenorem chirographi praeinserti facta fuerint, necnon investituram eiusdem feudi et castri Montafiae, cum omnibus suis membris, iuribus et praeeminentiis universis, dicto Carolo Emanuele Philiberto Hyacintho marchioni in feudum nobile, antiquum, avitum, paternùm et masculinum pro primogenitis in infinitum a memorato Michaële archiepiscopo sicut praemittitur concessam, ac confectum desuper instrumentum praeinsertum cum omnibus et singulis pactis, conventionibus, conditionibus et capitulis, aliisque in eo contentis, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos iuris et facti necnon solemnitatum quarumcumque tam ex iuris communis et constitutionum apostolicarum praescripto quam aliàs quomodolibet in similibus etiam de necessitate observandarum defectus, si qui in praemissis vel eorum aliquo quomodolibet intervenerint seu intervenisse dici, cen-

seri vel praetendi quovis modo possent, supplemus et sanamus, ac tollimus et abolemus; citra immutationem tamen vel alterationem concessionum et investiturarum dicti feudi Montafiae, earumque naturae, ac sine ullo praeiudicio quorumcumque iurium et actionum, quae tam in petitorio quam in possessorio competunt et possunt quovis titulo competere camerae nostrae apostolicae, et mensae archiepiscopali Taurinensi, quocumque tempore et ex quacumque causâ et capite, et in quovis casu et eventu; non enim per praesentes litteras omniaque et singula in eis expressa intendimus ullo modo praeiudicare camerae et mensae archiepiscopali praedictis, nec in casu devolutionis vel caducitatis aut confiscationis, nec in alio quocumque iure seu praetensione illarum, etiam quoad expressa, sed tantum confirmare supradictum contractum, aliaque praemissa, pro interesse partium, et prout facta fuerint ex iure eis respective competente, tam vigore investiturarum quam de iure communi, seu alio quocumque modo, ac tollere obstaculum praefatae constitutionis Urbani praedecessoris, qua similes contractus sine beneplacito apostolico fieri prohibentur.

Decretum irritans.

§ 4. Decernentes praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque, spectabit in omnibus et per omnia plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariis derogat.

§ 5. Non obstante dictâ Urbani praedecessoris, ac, quatenus opus sit, piae memoriae Pauli II et aliorum Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum de rebus ecclesiasticis non alienandis, earumque alienationibus committendis, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon dictae ecclesiae Taurinensis, et aliis quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo roborē permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die IV aprilis MDCLXVII, pontificatus nostri anno XII.

Dat. die 4 aprilis 1667, pontif. anno XII.

DLXIV.

Commissio episcopo Ferrariensi, ut procedat contra expulsores inquisitoris Mantuani a civitate et ducatu Mantuano.

Dilecto filio nostro Ioanni Stephano S. R. E. cardinali Dongho nuncupato, ecclesiae Ferrariensis ex concessione et dispensatione apostolicâ praesuli,

Alexander Papa VII.

Dilecte fili noster,
salutem et apostolicam benedictionem.

Expositio.

§ 1. Exponi nobis nuper fecit dilectus filius Petrus Serista, sanctae Romanae et universalis Inquisitionis procurator fiscalis, quod, cum dilectus filius Hyacinthus Maria Granara, frater expresse

professus Ordinis Praedicatorum, in civitate et ducatu Mantuano contra haereticam pravitatem inquisitor apostolicâ auctoritate deputatus, nuper armatâ manu ab inquisitione ac civitate et ducatu huiusmodi mediante facto Romualdi Vailadi, salutis suae immemoris, et aliorum illi forsan adhaerentium, non sine maximo populi scandalo expulsus fuerit; idem Petrus, quo iniuriae et offensionis huiusmodi quanto citius, ut par est, reparari possint[1], super reparatione huiusmodi, necnon reintegratione memorati Hyacinthi Mariae ad eius officium inquisitoris huiusmodi illiusque liberum exercitium, contra omnes delinquentes summarie agere intendit: nobis propterea humiliter supplicari fecit ut de opportuno iustitiae remedio in praemissis providere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Committit episcopo Ferrariensi ut procedat contra delinquentes ut in rubricâ.

§ 2. Nos igitur, iustitiam unicuique ministrari, ac delicta huiusmodi minime impunita remanere volentes, necnon causae seu causarum infrascriptarum statum et merita praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes, dictumque Petrum a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, circumspectioni tuae per praesentes committimus et mandamus quatenus, vocatis qui fuerint evocandi, causam et causas, quam et quas praefatus Petrus, de et super praemissis, contra omnes et singulos delinquentes, ac quoscumque alios, qui auxilium, consilium vel favorem desuper praestiterunt, movere intendit, cum omnibus suis incidentibus, dependentibus, emergentibus, annexis et connexis, totoque negocio principali, summarie, simpliciter et de plano, ac sine strepitu et figurâ iudicii, omnique et quacumque appellatione, reclamatione, recursu et restitutione in integrum remotis, auctoritate nostrâ apostolicâ audias, cognoscas, simulque ac semel et unicâ sententiâ, si ita tibi videbitur, prout iuris fuerit, decidas, fineque debito termines, et deinde sententiam huiusmodi exequaris, seu debitae exequutioni demandari cures, mandes et facias; nos enim tibi citandi dictos delinquentes, omnesque alios quos opus fuerit, etiam per edictum publicum, constito etiam summarie de non tuto accessu, illisque et quibus tibi videbitur sub sententiis, censuris et poenis inhibendi, contradictores in illas, servatâ formâ Concilii Tridentini, incidisse declarandi, aggravandi, reaggravandi, et interdicendi, auxiliumque brachii secularis ad hoc, si opus fuerit, invocandi, ac attentata et innovata quaecumque, prout de iure, in primis et ante omnia revocandi, necnon delinquentes et alios supradictos, quatenus opus sit, carcerandi, debitisque poenis afficiendi et puniendi, aliaque omnia et singula in praemissis, et circa ea quomodolibet necessaria et opportuna faciendi, dicendi, gerendi, exercendi et exequendi, plenam et amplam facultatem, dictâ auctoritate, earumdem tenore praesentium, tribuimus et impartimur.

Derogatio contrariorum.

§ 3. Non obstantibus felicis recordationis Bonifacii Papae VIII praedecessoris nostri de unâ, et concilii generalis de duabus dietis, aliisque apostolicis, ac in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, necnon quibusvis, etiam iura-

1 Syntaxim redintegret lector scius (R. T.).

mento, confirmatione apostolicâ vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; aut si aliquibus communiter vel divisim ab Apostolicâ sit Sede indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXI aprilis MDCLXVII, pontificatus nostri anno XIII[1].

Dat. die 21 aprilis 1667, pontif. anno XIII.

DLXV.

Commissio duobus archiepiscopis et quatuor episcopis regni Galliarum super suppressione ordinationum seu mandamentorum a quatuor episcopis eiusdem regni occasione formularii Suae Sanctitatis editorum[2].

Venerabilibus fratribus Tolosano et Bituricensi archiepiscopis, et Vanzensi, Lomberiensi, Ludovensi, Macloviensi, Svessionensi, Mimatensi et Dolensi episcopis, iudicibus delegatis,

Alexander Papa VII.

Venerabiles fratres,
salutem et apostolicam benedictionem.

Motiva huius Constitutionis.

§ 1. Cum nos aliàs per quasdam nostras anno Incarnationis Dominicae MDLXIV, XV kalendas martii, emanatas litteras, quarum tenorem praesentibus haberi volumus pro expresso, mandaverimus venerabilibus fratribus archiepiscopis et episcopis regni Galliarum, ut formulario, a nobis per easdem litteras edito adversus quinque propositiones e libro, cui titulus est *Augustinus*, Cornelii Iansenii quondam episcopi Iprensis, excerptas, et in sensu ab eodem Cornelio Iansenio intento damnatas, subscriberent, et a suis subditis subscribi curarent; et, sicut ad aures nostras non sine gravi animi nostri molestiâ pervenit, quatuor episcopi praescripti regni, scilicet Aletensis, Andegavensis, Apamiarum et Bellovacensis, quasdam protestationes seu declarationes, quas idiomate gallico *Mandamenta* vocant, concernentes dictum formularium, fecerint et typis edi curaverint sub datis I et XXIII iunii ac VIII et XXXI iulii MDCLXV respective:

Pontifex supprimit mandamenta prout in rubricâ.

§ 2. Hinc est quod nos, ne malum in praedictis mandamentis contentum serpat, fraternitatibus vestris, in virtute sanctae obedientiae, auctoritate apostolicâ, harum serie, districte praecipimus et committimus, ut praedictis Aletensi, Andegavensi, Apamiarum et Bellovacensi episcopis, ac eorum cuilibet, eâdem auctoritate mandetis ut praedicta mandamenta apud se nullo modo retineant neve illis quoquo modo utantur, sed illa veluti vetita a sanctâ Sede Apostolicâ habeant, et a suorum subditorum manibus omnino avocent seu colligant, alioquin, nisi infra duos menses a die intimationis praesentium litterarum eis et eorum cuilibet per vos faciendae computandos, hisce nostris mandatis paruisse ostenderint, adversus illos tamquam contra inobedientes decretis dictae Sedis Apostolicae ad poenas canonicas dictâ auctoritate procedatis, nullâ adversus prae-

1 Male edit. Main. legit an. XII (R. T.).

2 Ex Regest. in Secret. Brevium.

missâ exceptione, protestatione vel declaratione, quam per eos seu eorum aliquem proponi contigerit, admissâ, omnique et quacumque appellatione, recusatione et recursu remotis. Si quis autem vestrum interesse praedictis non potuerit, vel, quod non credimus, noluerit, archiepiscopo vel episcopo ex vobis antiquiori facultatem concedimus alium episcopum vel archiepiscopum in eius locum subrogandi.

Duratio praesentis. § 3. Volumus autem hanc nostram delegationem solum per annum, a die datae praesentium computandum, perdurare, aliàs dicto anno elapso nulla sit.

Obstantia tollit. § 4. Non obstantibus felicis recordationis Bonifacii Papae VIII praedecessoris nostri de unâ, et concilii generalis de duabus dietis, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXII aprilis MDCLXVII, pontificatus nostri anno XIII.

Dat. die 22 aprilis 1667, pontif. anno XIII.

DLXVI.

Commissio contra quatuor episcopos Galliarum, ut subscribant, et subscribi curent formulario contra propositiones Iansenianas edito[1].

Venerabilibus fratribus Tholosano et Bituricensi archiepiscopis, ac Vanzensi, Lomberiensi, Lodevensi, Macloviensi, Svessionensi, Mimatensi et Dolensi episcopis, iudicibus delegatis,

Alexander Papa VII.

Venerabiles fratres,
salutem et apostolicam benedictionem.

Recenset alias constitutiones. § 1. Licet aliàs nos per quasdam nostras anno Incarnationis Dominicae MDCLXIV, XV kalendas martii, emanatas litteras, quarum tenorem praesentibus haberi volumus pro expresso, mandaverimus venerabilibus fratribus archiepiscopis et episcopis regni Galliarum, ut formulario, a nobis per easdem litteras edito adversus quinque propositiones a libro, cui titulus est *Augustinus*, Cornelii Iansenii quondam episcopi Iprensis excerptas, et in sensu ab eodem Cornelio Iansenio intento damnatas, subscriberent, et a suis subditis subscribi curarent; nihilominus, sicut ad aures nostras, non sine gravi animi nostri molestiâ pervenit, quatuor dicti regni episcopi, scilicet Aletensis, Andegavensis, Apamiarum et Bellovacensis, obedientiae nobis et sanctae Sedis Apostolicae debitae immemores, iniunctam sibi subscriptionem declinare et eludere conati sunt.

Mandat subscribi prout in rubricâ. § 2. Quocirca nos pro nostro officii pastoralis munere providere volentes, ne haeresis Ianseniana in regno praedicto serpat et grassetur, fraternitatibus vestris in virtute sanctae obedientiae, auctoritate apostolicâ harum serie districte praecipimus et committimus, ut dictis Aletensi, Andegavensi, Apamiarum et Bellovacensi episcopis, et eorum cuilibet, eâdem auctoritate mandatis, ut, infra triginta dies a die intimationis seu notificationis praesentium litterarum eis et eorum cuilibet per vos faciendae computandos, pure, simpliciter, absque ullâ omnino protestatione, exceptione vel declaratione, praedicto formulario subscribant, sicque pure, simpliciter et absque ullâ protestatione, exceptione vel declaratione a suis subditis subscribi curent, sub poenâ suspensionis ab exercitio pontificalium, interdicti ab ingressu ecclesiae, aliisque poenis etiam gravioribus arbitrio vestro infligendis: aliàs, dicto termino elapso, dictisque subscriptionibus minime factis et subsequutis,

1 Ex Regest. in Secret Brev.

ad declarationem incursus praedictarum poenarum, seu in eas condemnationem, dictâ auctoritate deveniatis, nullâ super praemissis protestatione, exceptione vel declaratione admissâ, omnique appellatione, recusatione et recursu remotis. Si quis autem vestrum praedictis interesse non potuerit, vel, quod non credimus, noluerit, archiepiscopo vel episcopo ex vobis antiquiori alium episcopum vel archiepiscopum in eius locum subrogandi facultatem concedimus.

Duratio praesentis.

§ 3. Volumus autem hanc nostram delegationem solum per annum, a die datae praesentium computandam, perdurare, aliàs, dicto anno elapso, nulla sit.

Derogat contrariis.

§ 4. Non obstantibus felicis recordationis Bonifacii Papae VIII praedecessoris nostri de unâ, et concilii generalis de duabus dietis, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXII aprilis MDCLXVII, pontificatus nostri anno XIII.

Dat. die 22 aprilis 1667, pontif. anno XIII.

CLEMENS IX

PAPA CCXL

Ab anno MDCLXVII *ad annum* MDCLXIX

Clemens IX, Italus, Pistoriensis, in provinciâ Hetruriae, Iulius antea dictus, Hieronymi Rospigliosi filius, sanctae Romanae Ecclesiae presbyter cardinalis tituli S. Sixti, Romae die XX iunii MDCLXVII Summus Pontifex pronunciatus, et die XXVI eiusdem mensis die dominico coronatus. Creavit cardinales duodecim triplici creatione, obiit Romae die IX decembris MDCLXIX, imperante Leopoldo, sepultusque fuit in basilicâ S. Mariae Maioris. Vacavit sedes menses quatuor, et dies viginti.

I.

Indictio iubilaei universalis ad divinum auxilium initio sui pontificatus pro salutari catholicae Ecclesiae regimine implorandum.

Clemens Papa IX,
Universis christifidelibus, ad quos praesentes litterae pervenerint,
salutem et apostolicam benedictionem.

Procemium. Placuit ineffabili Redemptoris et Domini nostri Iesu Christi bonitati, cui proprium est infirma mundi eligere et dexterae suae potentiâ facere fortia, vices suas in terris humilitati nostrae, meritis licet et viribus longe impari, committere. Et nos quidem, divinae vocationi, ut par est, obsequentes, impositum nobis apostolici ministerii onus humiliter suscepimus, quamvis angelicis humeris formidandum; freti tamen spe divinae misericordiae mittendum esse nobis auxilium de Sancto ut de Sion tueatur nos. Verum, dum serio cogitamus quantum oneris et laboris incumbat imbecillitati nostrae, cuius nobis probe conscii sumus, quantisque et quam gravibus hoc tempore respublica christiana malorum procellis agitetur et graviorum periculis exposita sit, timemus ne cum propheta regio exclamare cogamur: « Veni in altitudinem maris, et tempestas demersit me ». Non tamen concedimus animo, sed omnem spem nostram in Eum convertimus qui sperantes in se confundi non patitur et gratiae suae confortat auxilio. Quod ut cum omnium ecclesiarum, quarum nobis credita est sollicitudo, utilitate consequi, benedicente Domino, valeamus, ad

Motiva indictionis iubilaei.

vestrum omnium, quibus curam pastoralem impendere debemus, preces ex more Pontificum praedecessorum nostrorum confugiendum esse decrevimus, firmiter confidentes clementissimum Dominum nostrum ad Ecclesiae militantis praesidium opportuna nobis caelestia dona largiturum, si vos nobiscum unanimes scindatis corda vestra, et, deposito peccatorum pondere, revertamini ad Dominum Deum nostrum, qui multus est ad ignoscendum, et orationes vestras, ieiunii atque eleemosynae viribus roboratas, ad altare Dei Patris misericordiarum iugiter offeratis per manus sanctorum Angelorum, qui gaudent super peccatoribus poenitentiam agentibus; ut Deus pacis, qui reges in thronis collocat, et pauperes e terrâ excitat, atque inopes de stercore erigit, qui elegit David servum suum et de gregibus ovium sustulit, cum inter filios Jesse minimus natu esset, qui ad evangelii perfectionem dat verbum evangelizantibus virtute multâ, ipse confirmet quod operatus est in nobis, omniaque consilia et actiones nostras in sancti eius nominis gloriam, fideliumque et animae nostrae salutem dirigere, religionem christianam propagare, fidem catholicam protegere, et ab infidelium conatibus atque insidiis tueri, haereses extirpare, ac pacem et veram concordiam inter principes christianos conservare, et sicubi exciderit, aut collabendi periculo obnoxia sit, eam suaviter restituere atque firmiter solidare, ipsorumque principum consilia et vires ad christiani nominis tutelam unire, sociare, augere, regere et roborare dignetur. Hoc autem ut fructuosius fiat, ferventiorique spiritus ardore peragatur, Ecclesiae thesauros, quorum dispensationem nobis credidit Deus, proferre et liberali manu erogare decrevimus.

Indictio iubilaei cum concessione plenariae indulgentiae.

§ 1. Itaque, de omnipotentis Dei misericordiâ ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, ex illâ ligandi atque solvendi potestate, quam nobis Dominus, licet indignis, contulit, universis et singulis utriusque sexus christifidelibus in almâ Urbe nostrâ degentibus, qui solemni processioni, quam feriâ quartâ currentis hebdomadae ab ecclesiâ S. Mariae Angelorum in Thermis ad basilicam eiusdem S. Mariae Maioris nuncupatae de eâdem Urbe, unâ cum venerabilibus fratribus nostris sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium, necnon patriarchis, archiepiscopis et episcopis quos in Romanâ curiâ adesse contigerit, ac christianorum regum et principum, oratoribus apud nos existentibus, praelatis quoque et officialibus eiusdem curiae, universoque clero et populo, benedicente Domino, agemus, devote interfuerint, vel S. Ioannis in Laterano, Principis Apostolorum, et S. Mariae Maioris ecclesias seu basilicas, vel earum aliquam, intra spatium eiusdem vel proxime subsequentis hebdomadae saltem semel visitaverint, ibique per aliquod temporis spatium devote, ut supra, Deum oraverint, ac quartâ et sextâ feriâ ac sabbato alterius ex praefatis hebdomadis ieiunaverint, et, peccata sua confessi, sanctissimae Eucharistiae sacramentum in dominicâ die immediate sequenti, vel aliâ die intra eamdem hebdomadam, reverenter sumpserint, ac pauperibus aliquam eleemosynam, prout unicuique suggeret devotio, erogaverint; ceteris vero extra Urbem praedictam ubicumque degentibus, qui ecclesias ab Ordinariis[1] locorum, vel eorum vicariis seu officialibus, aut de eorum mandato, et, ipsis deficientibus, per eos qui ibi curam animarum exercent, postquam ad eorum notitiam hae nostrae pervenerint, designandas, vel ecclesiarum huiusmodi alteram, spatio

1 Male ed. Main. legit *Ordinarii* (R. T.).

duarum similiter hebdomadarum a publicatione designationis per Ordinarios vel eorum vicarios seu officiales vel alios, ut praefertur, faciendae decurrendarum, saltem semel visitaverint, ibique ut supra oraverint, et quartâ et sextâ feriâ ac sabbato alterius ex hebdomadis huiusmodi ieiunaverint, pariterque peccata sua confessi, ac in die dominicâ immediate sequenti, vel aliâ die intra eamdem hebdomadam, sanctissimâ communione refecti fuerint, et pauperibus aliquam eleemosynam, ut praemittitur, erogaverint; plenissimam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem, sicut in anno iubilaei visitantibus certas ecclesias intra et extra Urbem praedictam concedi consuevit, tenore praesentium, concedimus et elargimur. Navigantes vero et iter agentes, ut cum primum ad sua sese domicilia receperint, suprascriptis peractis, et visitatâ ecclesiâ cathedrali vel maiore aut parochiali loci eorum domicilii, eamdem indulgentiam consequi possint et valeant: regularibus autem personis utriusque sexus, etiam in claustris perpetuo degentibus, necnon aliis quibuscumque, tam laicis quam ecclesiasticis, secularibus vel regularibus, etiam in carcere aut captivitate existentibus, vel aliquâ corporis infirmitate seu alio quocumque impedimento detentis, qui supra expressa vel eorum aliqua praestare nequiverint, ut illa confessarius ex iam approbatis a locorum Ordinariis ante praesentium publicationem, seu approbandis, eis in alia pietatis opera commutare, vel in aliud proximum tempus prorogare possit, eaque iniungere quae ipsi poenitentes efficere poterunt, pariter concedimus et indulgemus.

Libertas eligendi confessarium, eiusdemque facultas.

§ 2. Insuper omnibus et singulis christifidelibus utriusque sexus, tam laicis quam ecclesiasticis, secularibus et regularibus cuiusvis Ordinis, congregationis et instituti, tam in Urbe praefatâ quam extra eam ubique locorum ut praefertur degentibus, licentiam concedimus et facultatem, ut sibi ad hunc effectum eligere possint quemcumque presbyterum confessarium, tam secularem quam cuiusvis Ordinis et instituti regularem, ex approbatis, ut praemittitur, a locorum Ordinariis, qui eos ab omnibus excommunicationis, suspensionis et aliis ecclesiasticis sententiis et censuris, a iure vel ab homine, quavis causâ latis seu inflictis, necnon ab omnibus peccatis, excessibus, criminibus et delictis, quantumvis gravibus et enormibus, etiam locorum Ordinariis, sive nobis et Sedi apostolicae, etiam in litteris die Coenae Domini legi solitis contentis, et aliàs per quascumque nostras aut Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum constitutiones, quarum tenores praesentibus haberi volumus pro expressis, quomodocumque reservatis, in foro conscientiae, et hac vice tantum, absolvere et liberare valeant: et insuper vota quaecumque (religionis et castitatis exceptis) in alia pia et salutaria opera commutare, iniunctâ tamen eis et eorum cuilibet in supradictis omnibus casibus poenitentiâ salutari, aliisque eiusdem confessarii arbitrio iniungendis.

Iubilaeum ubique publicari iubet.

§ 3. Quapropter, tenore praesentium, in virtute sanctae obedientiae, districte praecipimus atque mandamus omnibus et quibuscumque venerabilibus fratribus patriarchis, archiepiscopis, episcopis et aliis ecclesiarum praelatis, ac quibuscumque Ordinariis locorum, ubicumque existentibus, eorumque vicariis et officialibus, vel, iis deficentibus, illis qui curam animarum exercent, ut, cum praesentium litterarum transumpta aut exempla etiam impressa acceperint, illa statim absque ullâ morâ, retardatione

vel impedimento per suas ecclesias et dioeceses, provincias, civitates, oppida, terras et loca publicent et publicari faciant, ecclesiamque seu ecclesias visitandas designent. Non intendimus autem per praesentes super aliquâ irregularitate publicâ vel occultâ, notâ, defectu, incapacitate seu inhabilitate quoquomodo contractâ dispensare, vel aliquam facultatem tribuere dispensandi seu habilitandi, et in pristinum statum restituendi, etiam in foro conscientiae; neque etiam easdem praesentes iis, qui a nobis et Apostolicâ Sede vel ab aliquo praelato seu iudice ecclesiastico excommunicati, suspensi, interdicti seu aliàs in sententias et censuras incidisse declarati vel publice denunciati fuerint, nisi infra tempus dictarum duarum hebdomadarum satisfecerint aut cum partibus concordaverint, ullo modo suffragari posse aut debere.

Contrariis derogat.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, praesertim quibus facultas absolvendi in certis tunc expressis casibus ita Romano Pontifici pro tempore existenti reservatur ut nec etiam similes vel dissimiles indulgentiarum et facultatum huiusmodi concessiones, nisi de illis expressa mentio aut specialis derogatio fiat, cuiquam suffragari queant, necnon regulâ nostrâ de non concedendis indulgentiis ad instar, ac quorumcumque Ordinum et congregationum sive institutorum regularium, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, eisdem Ordinibus, congregationibus et institutis, illorumque personis quomodolibet concessis, approbatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi de illis eorumque totis tenoribus specifica, expressa et individua, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores praesentibus pro sufficienter expressis ac formam in eis traditam pro servatâ habentes, hac vice specialiter nominatim et expresse ad effectum praemissorum derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides.

§ 5. Ut autem praesentes nostrae, quae ad singula loca deferri non possunt, ad omnium notitiam facilius deveniant, volumus earumdem praesentium transumptis, vel exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, ubique locorum et gentium eadem prorsus fides habeatur, quae haberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XVIII iulii MDCLXVII, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 18 iulii 1667, pontif. anno I.

II.

Confirmatio et ampliatio indulti Sixti V et Gregorii XV de officio S. Iacobi Apostoli et patroni Hispaniarum sub ritu semiduplici recitando.

Clemens Papa IX,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

In supremâ militantis Ecclesiae speculâ, meritis licet imparibus, ab aeterno pastore collocati, ad ea propensis studiis intendimus, per quae Sanctorum in caelis regnantium, praesertim gloriosissimorum Domini nostri Iesu Christi Apostolorum, quorum praedicatione christiana religio fimbrias suas a mari ad mare dilatavit, veneratio in terris congrua suscipiat incrementa.

Motiva. § 1. Dudum siquidem felicis recordationis Gregorio Papae XV praedecessori nostro pro parte tunc existentium archiepiscopi ac capituli et canonicorum necnon cleri ecclesiae Compostellanae exposito, quod ipsi, pro peculiari, quem erga S. Iacobum apostolum, cuius venerandum corpus in eâdem Compostellanâ ecclesiâ quiescere, ac maximâ peregrinorum ex omnibus orbis partibus illuc quotidie confluentium frequentiâ visitari asserebatur, gerebant, devotionis affectu, officium de eodem S. Iacobo qualibet secundâ feriâ recitare, ac commemorationem fieri posse summopere desiderabant;

Indultum Gregorii XV. § 2. Idem Gregorius praedecessor, eorum supplicationibus inclinatus, ut ex tunc de cetero perpetuis futuris temporibus de eodem S. Iacobo qualibet secundâ feriâ, non impeditâ festo novem lectionum, et quadragesimali ac dominici adventus tempore, ac vigiliis etiam exceptis, officium, aliàs a recolendae memoriae Sixto Papa V praedecessore pariter nostro sub die 1 februarii MDLXXXIX pro eâdem ecclesiâ approbatum, libere et licite in supradictâ ecclesiâ Compostellanâ sub ritu semiduplici, sumendo lectiones primi nocturni de scripturâ occurrente, recitari, necnon etiam de eodem S. Iacobo in totâ Hispania, cuius patronus existit, commemoratio, quando iuxta regulas breviarii romani aliae fiunt commemorationes, fieri posset et deberet, auctoritate apostolicâ licentiam et facultatem concessit et indulsit, et aliàs, prout in ipsius Gregorii praedecessoris litteris desuper in simili formâ Brevis XXX octobris MDCXXI expeditis, quarum tenorem praesentibus pro plene et sufficienter expresso et inserto haberi volumus, uberius continetur.

Confirmat ut in rubricâ. § 3. Nunc autem nos, piis precibus totius Hispaniarum cleri nobis per dilectum filium Didacum de Colmenares Hurtado de Mendoza archidiaconum de Campos et canonicum in ecclesiâ Palentinâ ac agentem generalem status ecclesiastici regnorum Hispaniarum in almâ Urbe nostrâ commorantem humiliter porrectis benigne annuentes, ipsorum cleri et Didaci singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, de venerabilium fratrum nostrorum sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium sacris ritibus praepositorum consilio, indultum recitandi singulis diebus feriae secundae non impeditis festo duplici vel semiduplici (adventus et quadragesimae temporibus ac vigiliis etiam exceptis) officium memorati S. Iacobi apostoli, unici et singularis Hispaniarum patroni, sub ritu semiduplici, clero civitatis et dioecesis Compostellanae a praefato Gregorio praedecessore concessum ut praefertur, ad universum Hispaniarum clerum, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, extendimus et ampliamus.

Derogatio contrariorum. § 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac, quatenus opus sit, quarumvis ecclesiarum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides transumptorum. § 5. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii pubblici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra adhibeatur, quae prae-

sentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXIII iulii MDCLXVII, pontificatus nostri, anno I.

Dat. die 23 iulii 1667, pontif. anno 1.

III.

Privilegia, gratiae et indulta concessa conclavistis, qui interfuerunt conclavi, in quo ad summi apostolatus apicem fuit evectus.

Clemens Papa IX,
Urbis. Motu proprio, etc.

Causae praesentis constitutionis.

§ 1. Nos, volentes dilectos filios conclavistas, qui conclavi; in quo, divinâ favente clementiâ, ad summi apostolatus apicem assumpti fuimus, nobis et venerabilibus fratribus nostris S. R. E. cardinalibus uti familiares et continui commensales inservientes interfuerunt, quique eâ de causâ labores, vigilias et incommoda plura subierunt, habitâ ratione obsequiorum huiusmodi, favoribus, gratiis et privilegiis pro cuiusque meritis exornare;

Conclavistis decem millia scutorum auri et alia privilegia largitur.

§ 2. Ipsosque[1] conclavistas (quibus hodie, ac aliis participantibus descriptis in rolo seu divisione subscripto vel subscriptâ per dilectum filium nostrum Petrum tituli S. Marci presbyterum cardinalem Ottobonum nuncupatum prodatarium nostrum, summam decem millium scutorum auri in auro ex pretio tot officiorum vacabilium ad nos spectantium gratiose donavimus) in veros, indubitatos, et non fictos familiares et continuos commensales nostros, ac eos, qui ex illis clerici existunt seu militiae clericali adscribi desiderant, quosque tres huiusmodi cardinales singulatim in quolibet ordine antiquiores gradu, nobilitate et aliis meritis dignos tali dignitate iudicaverint, in nostros et Sedis Apostolicae notarios, sine tamen praeiudicio dilectorum filiorum de numero participantium notariorum, recipimus; et tam illos, quam alios conclavistas singulos, qui singulatim ab eisdem tribus cardinalibus digni tali onere[1] reputati fuerint, sacri palatii et aulae Lateranensis comites et milites; et tam illos quam omnes et quoscumque alios conclavistas indistincte, qui nobiles non sunt, nobiles, quique Urbis vel alicuius alterius ex civitatibus temporali dominio eidem Romanae Ecclesiae mediate vel immediate subiectis cives esse voluerint, singulos in eâ ipsâ civitate, quam singillatim quisque eorum elegerit, et ad quam ab eisdem tribus cardinalibus se admitti petierit, veros cives ad instar et nullâ prorsus differentiâ inter eos et singulos alios veros, originarios et antiquissimos etiam nobiles et participantes cives ipsius Urbis vel civitatis, ita ut ipsum ius civitatis ad quoscumque illorum haeredes eodem modo transeat, creamus, constituimus et deputamus, ac nobilitatis et civilitatis titulo, honore et insigniis decoramus, aliorumque familiarium et continuorum commensalium nobis actu in palatio nostro apostolico inservientium, ac in illius tinello comedentium et bibentium, ac nostrorum et Sedis praedictae notariorum, palatii et aulae praedictorum comitum, militum et nobilium ac civium huiusmodi originariorum numero et consortio favorabiliter aggregamus, ac pro veris et indubitatis et non fictis familiaribus continuis commensalibus, ac notariis nostris, comitibus, nobilibus, militibus et civibus deinceps haberi volumus, ac reputari mandamus; eisque, ut in quibuscumque impetrationibus, concessionibus et litteris, tam gratiam quam iustitiam

1 Legendum *Ipsos* (R.T.).

1 Aptius lege *honore* (R. T.).

separatim, seu utramque mixtim concernentibus, se familiares continuos commensales, nostrosque comites, milites, nobiles et cives etiam originarios nominari, nec propterea impetrationes, concessiones et litterae huiusmodi subreptionis vitio subiaceant, sed valide et efficaces existant, ac ex nunc deinceps in perpetuum omnibus et quibuscumque ac prorsus similibus antelationum antelationibus, praerogativis, privilegiis, libertatibus, immunitatibus, exemptionidus, decretis, declarationibus, derogationibus, mandatis, suspensionibus, favoribus, gratiis, privilegiis, indultis ac iuribus, quibus alii nostri familiares tempore dictae assumptionis nostrae ad summi apostolatus apicem, ac quibus alii eiusdem Sedis notarii etiam de numero participantium existentes, etiamsi habitum et rochettum notariorum ipsius Sedis non deferant, palatiique et aulae praedictorum comites, milites, nobiles etiam originarii ac antiquissimi cives eiusdem Urbis, vel civitatis quam, ut praefertur, elegerint, quique ex utroque parente vere nobili et cive originario et antiquissimo procreati, de iure, statuto, consuetudine vel aliàs ex aliquo speciali privilegio, seu aliàs quomodolibet, etiam quoad assecutionem quorumcumque beneficiorum ecclesiasticorum, etiam per quascumque litteras seu constitutiones apostolicas pro tempore editas, utuntur, fruuntur, potiuntur et gaudent, ac uti, frui, potiri et gaudere possunt et poterunt quomodolibet in futurum, ubique locorum in iudicio et extra, sine tamen eorumdem notariorum de numero participantium praeiudicio, uti, frui, potiri et gaudere libere et licite valeant realiter et integre in omnibus et per omnia, etiamsi in Urbe et civitate huiusmodi non habitaverint, perinde ac si de vere nobili genere et ex utroque parente nobili originario ac antiquissimo cive procreati forent, et huiusmodi praerogativae, privilegia, exemptiones, gratiae, favores, concessiones, indulta et iura, quae pro aliis nobilibus et civibus originariis emanarunt, et quae ratione nobilitatis et civilitatis naturalis et originariae aliis competunt, pro eisdem conclavistis in specie emanassent seu emanarent, et eis naturaliter de iure, statuto, consuetudine, fundatione, vel aliàs competerent, auctoritate et tenore similibus indulgemus.

A solutione decimarum liberat.

§ 3. Nosque conclavistas praedictos a solutione et exactione decimarum et cuiuscumque pedagii, subsidii, gabellae et cuiuscumque oneris, tam ordinarii, quam extraordinarii, ubique locorum et ex quacumque quantumvis urgentissimâ et inexcogitabili causâ et occasione, etiam ad instantiam imperatoris, regum et rerumpublicarum, etiam Venetiarum, et aliorum quorumcumque principum, impositorum et imponendorum pro tempore, ex nunc prout ex tunc, et e contra, et postquam casus huiusmodi impositionis et solutionis evenerit, liberamus et eximimus, liberosque et exemptos fore et esse decernimus: districtius inhibentes dilectis filiis nunc et pro tempore existentibus eiusdem S. R. E. camerario, thesaurario, praesidentibus, clericis, ac quibuscumque aliis officialibus camerae praedictae, et exactoribus pedagiorum, decimarum, subsidii, gabellarum et onerum huiusmodi, ac aliis personis cuiuscumque, ecclesiasticae vel secularis dignitatis, status, gradus, ordinis vel conditionis existentibus, ne eos ad aliquam solutionem cogere seu compellere, aut super praemissis, eorumve usu, possessione, vel quasi directe vel indirecte, quovis quaesito colore vel ingenio, molestare vel aliàs quomodolibet impedire quoquo modo praesumant.

Absolvit a censuris propter conventiones incursis.

§ 4. Necnon omnes eosdem conclavistas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, si quas quomodolibet propter contraventiones contentorum in constitutionibu super creatione Romani Pontificis pro tempore editis, vel aliàs quomodolibet, incurrerunt, in foro conscientiae tantum absolvimus et liberamus, ac omnes et quoscumque defectus, si qui forte sint, omnium provisionum, beneficiorum, dignitatum, ac permutationum eorumdem conclavistarum, tam ex multiplicitate titulorum, ac ob incursionem quarumcumque censurarum et irregularitatis, quam aliàs ex quavis causâ provenientes, sanamus, ac huiusmodi provisiones vigore eorum privilegiorum, in foro conscientiae tantum, perinde ac si novas provisiones obtinuissent, revalidamus, et, quatenus opus sit, omnibus et singulis eorum de omnibus et singulis dignitatibus, et aliis cum curâ et sine curâ beneficiis ecclesiasticis quomodolibet qualificatis et nuncupatis, etiam cuiusvis Ordinis regularibus, per eos respective obtentis, et de novo etiam respective providemus, ac omnes et singulas pensiones, eis et eorum singulis super quorumvis beneficiorum ecclesiasticorum quomodolibet qualificatorum et nuncupatorum, etiam alicuius Ordinis regularium, fructibus, etc., respective reservatas, similiter de novo reservamus.

Fructus et redditus malo perceptos remittit.

§ 5. Ipsisque conclavistis, eorumque singulis, quoscumque fructus, redditus et proventus ecclesiasticos occasione quarumcumque dignitatum, canonicatuum et praebendarum, aliorumque beneficiorum ecclesiasticorum quorumcumque et quarumcumque pensionum annuarum ipsis et eorum cuilibet collatorum et reservatarum, tam ex antedictis, quam ex aliis defectibus et occasionibus, etiam ratione omissionis recitationis horarum canonicarum, indebite perceptos, cuiuscumque quantitatis fuerint, gratiose remittimus et condonamus, ac cum eis super inhabilitate et irregularitate per eos propterea quomodolibet contractâ, vel etiam ex eo quod censuris huiusmodi ligati missas et alia divina officia, dummodo tamen non in contemptum clavium, celebraverint, aut aliàs in divinis se immiscuerint, quodque illâ et aliis praemissis non obstantibus ad omnes etiam sacros et presbyteratus ordines, aliàs rite, et dummodo nullum aliud alicui eorum obstet canonicum impedimentum, promoveri, et in illis et in susceptis per eos aliàs rite ordinibus etiam in altaris ministerio ministrare etiam libere et licite valeant, dispensamus.

Legitimat illegitimos.

§ 6. Ac eosdem conclavistas, si qui eorum defectum natalium patiantur, ex quocumque damnato et illicito coitu, etiamsi ex nobilissimis parentibus et vilibus feminis forsan procreati sint, etiamsi aliàs legitimati non existant, legitimamus, omnemque ab illis geniturae huiusmodi maculam sive notam abstergimus et abolemus, ac legitimis natalibus restituimus, et cum eorum singulis, ut in quibuscumque bonis paternis et maternis et aliorum consanguineorum seu cognatorum, vel aliorum quorumcumque, sine tamen praeiudicio venientium ab intestato vel ex fideicommisso, seu aliàs de iure validâ dispositione, et praeterquam in bonis ecclesiasticis et ab Ecclesiâ provenientibus, succedere, et illa donationis vel alio quovis titulo consequi et habere, ac ad aequales portiones cum legitimis succedere, eos ad omnia iura, legitimas successiones ex testamento vel ab intestato haereditates, legata, libertates restituendo realiter et cum effectu, ac ad dignitates, honores et quaecumque alia officia secularia publica

vel privata etiam assumi, aliaque[1] gerere et exercere in omnibus et per omnia, ac si de legitimo matrimonio procreati forent, ac, eodem defectu non obsante, si aliud canonicum eis non obsistat impedimentum, ut clericali charactere, qui illo nondum insigniti sint, insigniri, ac ad omnes etiam sacros et presbyteratus ordines, si nondum ad illos promoti sint, promoveri, ac postmodum charactere et ordinibus huiusmodi illorumque privilegiis uti, ac in eisdem ordinibus etiam in altaris ministerio ministrare, ac quaecumque et qualiacumque cum curâ et sine curâ beneficia ecclesiastica, etiamsi personatus, administrationes, et officia etiam curata et electiva, in cathedralibus et metropolitanis vel collegiatis ecclesiis, seu si parochiales ecclesiae, vel earum perpetuae vicariae, ac canonicatus et praebendae, dignitates, non tamen maiores post pontificalem in cathedralibus, aut principales in collegiatis ecclesiis huiusmodi fuerint, si sibi aliàs canonice conferantur, aut ipsi eligantur, praesententur vel aliàs assumantur ad illa, instituantur in eisdem, recipere, et, dummodo plura simul non sint quam quae a Concilio Tridentino permittuntur, quoad vixerint, retinere libere et licite valeant, similiter dispensamus.

Iubet pro iisdem expeditionem litterarum apostolicae fieri.

§ 7. Quodque omnes et quaecumque gratiae provisiones et commendae, et quaevis aliae litterae apostolicae provisionum quorumcumque beneficiorum ecclesiasticorum huiusmodi, prout nostris familiaribus continuis commensalibus, gratis dentur, concedantur et expediantur, ac etiam litterae ipsae in formâ Brevis, tam de capiendâ possessione nomine dictae camerae apostolicae, quam aliàs, uti illis super provisionibus quorumvis beneficiorum ecclesiasticorum dari poterunt, similiter gratis dentur, concedantur et expediantur, ac dari, concedi et expediri omnino debeant, etiam praecipimus et mandamus.

Alia privilegia.

§ 8. Ac conclavistis praedictis, qui S. Ioannis Hierosolimitani, seu cuiusvis alterius militiae regularis etiam expresse professi sunt, ut, etiamsi ab eorum conventu absentes existant, dum tamen quinquennalem, seu aliam debitam residentiam in conventu fecerint, et consueta servitia praestiterint, quorumcumque beneficiorum ecclesiasticorum, et quarumvis[1] pensionum et commendarum eorum militiae seu religionis capaces existant, perinde ac si in eâdem militiâ seu religione antianitatem de iustitiâ consequuti fuissent, similiter indulgemus.

Pensionem translatio

§ 9. Eisdemque conclavistis, et eorum singulis, ut quicumque loci Ordinarii, vel canonici metropolitanarum vel cathedralium, seu duarum insignium Urbis collegiatarum ecclesiarum, aut personae aliae quaecumque ecclesiasticae in dignitate ecclesiasticâ constitutae, tam in Romanâ curiâ quam extra eam, ad id per eos et eorum singulos eligendi seu eligendae, quascumque pensiones annuas eis et eorum singulis super quibuscumque fructibus, redditibus, proventibus, iuribus, obventionibus et emolumentis universis, certis et incertis, quarumcumque mensarum episcopalium, archiepiscopalium et abbatialium, ac etiam distributionibus quotidianis, etiam ratione servitii et mercedis dignitatum, canonicatuum et praebendarum, ceterorumque aliorum quorumcumque beneficiorum ecclesiasticorum, etiam per praedictos S. R. E. cardinales obtentorum et in posterum obtinendorum, cum curâ et sine curâ, secularium et quorumvis Ordinum regularium seu fructus, redditus et proventus huiusmodi beneficiorum reservatos et reservandos, etiamsi semel

1 Forsan *illaque* (R. T.).

1 Ed. Main. legit *quorumvis* (R. T.).

vel pluries translatae seu translati fuerint, usque ad summam centum ducatorum auri de camerâ similium, in toto vel in parte, ac in unâ seu pluribus vicibus, ac etiam in mortis articulo, cassare et extinguere, et, postquam cassatae et extinctae fuerint, alias similes pensiones annuas, seu fructus, redditus et proventus huiusmodi usque ad summam praedictam, uni vel pluribus aliis personis ecclesiasticis, vel etiam clericali charactere tunc temporis nondum insignitis, cum clausulâ tamen ex tunc prout postquam dicto charactere rite insigniti fuerint, per eosdem conclavistas et eorum singulos nominandis, etiam quaecumque, quotcumque et qualiacumque beneficia ecclesiastica obtinentibus et expectantibus, aliàs tamen pensionum capacibus, similiter eis quoad vixerint, vel eorum procuratoribus legitimis, eisdem modo et formâ, quibus eisdem conclavistis reservatae seu reservati erant, etiam absque beneficia ipsa obtinentium consensu, integre persolvendas, ac per eos propriâ auctoritate percipiendas, exigendas et levandas, aut percipiendos, exigendos et levandos, reservare, constituere, concedere et assignare valeant, praefatique translatarii in quasi possessione dictas pensiones exigendi, in qua ipsi conclavistae tempore translationis per eos praesentium vigore faciendae existebant, in omnibus et per omnia subrogati esse censeantur, etiam concedimus pariter et indulgemus: etiamsi similem gratiam a praedecessoribus nostris aliàs forsan obtinuerint, seu quilibet eorum obtinuerit, tam vigore aliorum privilegiorum conclavistarum, quam ex quocumque alio indulto et privilegio, quorum effectum per hanc novam gratiam et concessionem impedire nolumus, sed cumulative concessam vel concessas esse volumus, ita ut quilibet eorum cumulative et ampliative praedictis facultatibus praesentibus, et praeteritis privilegiis hac in re concessis uti, frui et potiri possint: decernentes ipsas translationes et novas reservationes, constitutiones et assignationes pensionum, seu fructuum, reddituum et proventuum huiusmodi, ut praefertur, faciendas, ex nunc prout postquam factae fuerint, plenam roboris firmitatem obtinere, ipsosque beneficia, super quorum fructibus, redditibus, proventibus, aliisque huiusmodi reservatae fuerint, obtinentes ad illas persolvendas efficaciter obligatos fore.

Dispensat super delatione habitu clericalis.

§ 10. Ac cum eisdem conclavistis, quod, ratione quarumcumque pensionum annuarum eis et eorum cuilibet super quibuscumque beneficiis ecclesiasticis, etiam in cathedralibus, et aliis ecclesiis seu monasteriis, etiam a praedictis S. R. E. cardinalibus obtentis, et ut praefertur obtinendis, vel aliàs quomodolibet qualificatis, non tamen ultra summam ducatorum ducentorum parium pro quolibet, nunc et pro tempore reservatarum et reservandarum, habitum et tonsuram clericales gestare, et in illis, dummodo aliàs ipsi habitum decentem et honestum deferant, incedere minime debeant, nec ad id a quoquam desuper cogi seu compelli, minusque aliquas sententias, censuras ac etiam privationis seu cessationis ipsarum pensionum poenas occasione praemissorum incurrere possint, sed easdem pensiones ad praedictam summam ducentorum ducatorum ascendentes, et reservatas, ut praefertur, etiamsi matrimonium iam contraxerint, vel posthac contrahere voluerint, cum unicâ tamen et virgine, recipere et libere retinere.

Spolia de ipsorum bonis fieri prohibet.

§ 11. Postremo, quod bona quaecumque ad dictos conclavistas et eorum quemlibet spectantia, et per eos etiam

ratione quorumcumque beneficiorum ecclesiasticorum, etiam canonicatuum et praebendarum, ac dignitatum quarumcumque per eos aliàs obtentorum et obtinendorum, aut aliàs quomodolibet, et quovis quaesito colore vel ingenio, seu eorum industriâ, legitime tamen ac aliàs licite, acquisita et acquirenda, etiam in Urbe eiusque districtu, ac ubique existentia, spoliis minime subiaceant; sed conclavistae praedicti, etiamsi religioni alicuius militiae, etiam praedicti S. Ioannis Hierosolymitani adscripti fuerint, de illis in favorem quarumcumque personarum, de iure tamen capacium, etiamsi curiales esse desierint, et in quocumque loco quantumvis remoto, etiam extra eorum et cuiuslibet ipsorum propriam residentiam, eos decedere contigerit, testari et alia disponere, iisque ab intestato decedentibus legitimi eorum haeredes quicumque succedere libere et licite valeant, simili modo concedimus et indulgemus.

Exequutores deputat.

§ 12. Praecipientes et mandantes eisdem S. R. E. camerario, thesaurario, praesidentibus, clericis camerae nostrae praedictae, et quibusvis aliis spoliorum huiusmodi collectoribus et subcollectoribus, ac militiarum praefatarum officialibus, aut prioribus, et quibusvis aliis personis, tam secularibus quam regularibus, cuiuscumque gradus, status, ordinis et praeeminentiae, etiamsi speciali notâ digni existant, ne in huiusmodi bonis manus apponant, neque haeredes praefatorum conclavistarum desuper molestare audeant, seu praesumant; ac etiam decernentes donationes, etiam per viam testamenti et codicillorum per ipsos conclavistas de eorum bonis huiusmodi faciendas, semper et perpetuo validas et efficaces fore.

Registrationem in camera remittit.

§ 13. Nec eosdem conclavistas, eorumve aliquem, ad praesentem motum proprium, seu litteras super praesentibus; si videbitur, conficiendas, in dictâ camerâ insinuandum aut admitti et registrari petendum teneri, nec illum seu illas, etiamsi motusproprius et litterae huiusmodi intra legitimum tempus insinuatus, admissus et registratus non fuerit, seu illae insinuatae, admissae, seu registratae non fuerint, propterea minus validum seu validas censeri, sed suos plenarios effectus sortiri debere, ac motumproprium et litteras huiusmodi, et in eis contenta quaecumque, sub quibusvis revocationibus, suspensionibus, limitationibus, modificationibus, decretis et constitutionibus apostolicis similium gratiarum revocatoriis, vel quae eas limitarent, seu moderarentur, quae a nobis et dictâ Sede, et pro tempore, et de quibusvis causis etiam urgentissimis, etiam in favorem fidei et divini cultus augmentum, etiam consistorialiter, vel aliàs quavis auctoritate hactenus vel imposterum emanaverint, minime comprehensum vel comprehensas esse, sed quoties illae emanabunt, toties eum et eas in pristinum statum restitutum, repositum et reintegratum, seu restitutas, repositas et reintegratas esse censeri.

Clausulas praeservativas apponit.

Procuratori conclavistarum eadem privilegia indulget.

§ 14. Et insuper, cum dilectus filius Antonius de Flore, clericus, Neocastrensis, civitatis vel dioecesis, iuris utriusque doctor, ac collegii eorumdem clericorum camerae apostolicae praedictae secretarius, et minutorum servitiorum generalis collector, tamquam dictorum conclavistarum procurator, in praemissis sedulam pro eis operam navaverit, propterea, et aliorum meritorum suorum et obsequiorum nobis et dictae Sedi impensorum intuitu, volentes ipsum specialibus favoribus et gratiis prosequi, eidem Antonino, licet ipse in conclavi praedicto non interve-

nerit, nihilominus omnibus et singulis supradictis gratiis, privilegiis, facultatibus, immunitatibus, libertatibus, honoribus, praerogativis, praeeminentiis, indultis, exemptionibus, ceterisque praemissis, non tamen quoad participationem decem millium scutorum auri huiusmodi per nos ut supra dictis conclavistis donatorum, et inter eos, ut praefertur distributorum, seu distribuendorum, tamquam conclavista frui et gaudere libere et licite possit et valeat, perinde ac si conclavi huiusmodi vere et realiter interfuisset, constitutionibus et ordinationibus, ceterisque supradictis, et aliis contrariis nequaquam obstantibus, motu, scientiâ et auctoritate similibus, de speciali gratiâ indulgemus. Sicque per quoscumque iudices etiam commissarios, quavis auctoritate fungentes, sublatâ eis et eorum cuilibet in quavis causâ aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, irritumque, etc., attentari.

Expeditio litterarum faciendа gratis.

§ 15. Et insuper venerabili fratri nostro Francisco episcopo Ostiensi et Veliternensi cardinali Barberino nuncupato, eiusdem S. R. E. vicecancellario et litterarum apostolicarum summatori, nec non dilectis filiis secretariis apostolicis, praesidenti plumbi, aliisque officialibus ad quos litterarum praedictarum desuper conficiendarum expeditio per viam secretam quomodolibet spectat et pertinet, sub poenâ indignationis nostrae, motu simili et ex certâ scientiâ ac de apostolicae potestatis plenitudine paribus etiam mandamus, ut praedictas litteras super praemissis omnibus et singulis, tam coniunctim, quam separatim pro singulis quibus concessae fuerunt, ac seorsim et separatim, cum omnibus et quibuscumque derogationibus, decretis et clausulis in eis concessis, gratis etiam quoad compositionem in datariâ nostrâ et per eamdem viam secretam absque alio mandato expediant et expediri faciant.

Alia privilegia confirmantur.

§ 16. Insuper omnia et singula privilegia, gratias et concessiones, eisdem conclavistis et eorum cuilibet a diversis summis Pontificibus praedecessoribus nostris hucusque concessa, motu, scientiâ et potestatis plenitudine similibus confirmamus et approbamus, ac de novo liberalissime concedimus.

Contrariis derogat.

§ 17. Non obstantibus praemissis, ac de certo eorumdem notariorum numero, etiamsi ad illum non sit deventum, ac nostrâ et cancellariae apostolicae regulâ de praestando consensu in pensionibus, et felicis recordationis Pii Papae IV de similibus et dissimilibus gratiis in dictâ camerâ infra tres menses praesentandis et registrandis, ac Pii V, Romanorum Pontificum pradecessorum nostrorum, contra illegitimos, necnon Pictaviensis concilii, ac nostris et cancellariae praedictae regulis, etiam in crastinum dictae assumptionis nostrae ad summi apostolatus apicem editis, et in praedictâ cancellariâ publicatis, ac etiam in universalibus et provincialibus conciliis editis, specialibus vel generalibus, constitutionibus et ordinationibus, ac ecclesiarum, monasteriorum, Ordinum, etiam S. Ioannis Hierosolymitani, ac etiam urbis Romae, ac aliarum civitatum, oppidorum et terrarum, camerae praedictae, et quarumvis universitatum, etiam iuramento, etc., roboratis, statutis et consuetudinibus, stabilimentis, usibus et naturis, decretis et novis reformationibus, etiam legibus, tam pontificiis quam imperialibus, regiis et ducalibus, ac sacris canonibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, illis eorumque superioribus et personis ac locis quibuscumque, in genere vel in specie, ac cum quibusvis derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, effi-

cacissimis et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis, etiam vim contractus et statuti perpetuo continentibus, ac etiam motu, scientiâ et potestatis plenitudine paribus et consistorialiter, ac aliàs, in contrarium concessis, confirmatis, approbatis et innovatis iuribus omnibus; quibus omnibus, etc., etiamsi de illis, etc., eorum tenores, etc., illis aliàs, etc., permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse motu pari derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque, cum clausulis opportunis.

Fiat motu proprio I.

Clausulae. Et cum absolutione a censuris ad effectum, etc., et quod obstantiae etiam beneficiales conclavistarum et ab eis subrogati huiusmodi et dispensationes ac indulta habeantur pro expressis, seu in toto vel in parte exprimi possint in litteris et in casibus regulae de insordescentibus, cum opportunâ illius nec non alterius regulae de non tollendo iure quaesito derogatione, et quarumcumque aliarum constitutionum apostolicarum et conciliorum etiam generalium et statutorum, stabilimentorum, usuum, naturarum, constitutionum synodalium, statutorum, ac privilegiorum populi Romani, et Cluniacensis, Cisterciensis, S. Benedicti, S. Augustini et aliorum Ordinum et militiarum, etiam S. Ioannis Hierosolymitani ecclesiis, monasteriis, civitatibus et locis, et personis et dominis temporalibus, sub quibuscumque verborum formis, ac cum quibusvis efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis et decretis, etiam consistorialibus, etiam contra alienigenas et alias personas certis modis non qualificatas, aut aliàs quomodolibet concessorum, quorum tenores, etc., latissime, ac de verbo ad verbum, prout ipsis conclavistis magis placuerit, exprimi possint, et cum suspensione quarumcumque gratiarum et indultorum quibusvis ordinariis collatoribus conferendi beneficia ecclesiastica etiam reservata ad eorum collationem, etc., pertinentia, et in omnibus aut certis expressis causis quomodolibet concessis latissime extendendorum[1], ita ut omnia tollantur, et quod sola praesentis motusproprii signatura sufficiat et ubique fidem faciat, in iudicio et extra, regulâ contrariâ non obstante, et quod praemissorum omnium et singulorum indultorum, concessionum, gratiarum, derogationum maior et verior specificatio et expressio fieri possit in litteris, si videbitur, in quibus singulorum conclavistarum nomina et cognomina, qualitates, ordines, gradus, dioecesis, patria et cetera requisita exprimi et describi, seu pro expressis et descriptis haberi possint; inter eos sacrista et magistri caeremoniarum capellae nostrae, necnon secretarius collegii eorumdem cardinalium, et ceteri alii in notulâ per ipsos magistros caeremoniarum factâ et descriptâ adnotati et descripti, si aliàs ad pensiones et beneficia huiusmodi habiles et capaces fuerint, comprehendantur et adnotentur simul vel ad partem, etiam in unâ non factâ mentione de aliâ vel aliis, prout videbitur expediendarum.

Transumptorum fides. § 18. Volumus autem quod litterarum super praesentibus conficiendarum seu praesentis motusproprii transumptis impressis, et sigillo ac manu alicuius personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis et subscriptis, eadem fides tam in iudicio quam extra illud adhibeatur, quae originalibus litteris, seu praesenti motuiproprio originali adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae, aut exhibitus vel ostensus foret.

Fiat I.

1 An syntaxis cohaereat, iudicet lector scius (R. T.).

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, IV nonas augusti, anno I.

Dat. die 2 augusti 1667, pontif. anno I.

Nomina autem ipsorum conclavistarum sunt haec quae sequuntur.

Reverendissimus D. Franciscus Maria Phoebeus, Urbevetanus, archiepiscopus Tarsensis, praeceptor archiepiscopalis S. Spiritus in Saxia, canonicus basilicae Principis Apostolorum de Urbe, primus caeremoniarum magister; reverendissimus dominus frater Ambrosius Landuccius, Senensis, episcopus Porphyriensis, sacrista noster; Carolus Vincentius Carcarasius, presbyter Romanus, et perpetuus beneficiatus basilicae Principis Apostolorum de Urbe; Fulvius Servantius, presbyter de S. Severino, canonicus collegiatae ecclesiae S. Mariae in Viâlatâ de dictâ Urbe; Petrus Antonius de la Pedacchia, presbyter Romanus, perpetuus beneficiatus in basilicâ Principis Apostolorum de eâdem Urbe, magistri caeremoniarum; abbas Augustinus Favoritus, presbyter Lunensis, Sarzanensis, canonicus basilicae S. Mariae Maioris de praedictâ Urbe, sacri collegii secretarius: Antonius Cappellinus, clericus Sabinensis, Blasius Ægidius, laicus, de Palumbaria, Sabinensis dioecesis, Franciscus Guillelmus, laicus, Namurcensis dioecesis, nostri dum cardinalatus honore fungebamur; Franciscus Cerrus, Romanus, clericus coniugatus, Agapetus Colorsius, presbyter Praenestinus, perpetuus beneficiatus in praedictâ basilicâ Principis Apostolorum, Michaël Angelus Mazzola, presbyter Clusinae dioecesis, perpetuus clericus beneficiatus in eâdem basilicâ Principis Apostolorum, Francisci Ostiensis Barberini; Ioseph Mauccius, presbyter Romanus, Ioannes Antonius Quaglinus, clericus Taurinensis dioecesis, Martii Portuensis Ginetti; Antonius Simon, abbas Balleonus, presbyter Pisaurensis, Faustus Tursius, clericus Spoletanae dioecesis, Ioannes Veranus, laicus Vintimilliensis, Antonii Praenestini Barberini; Adrianus Fracalessius, presbyter Fanensis dioecesis, Ascanius Paganellus, presbyter Camerinensis, Michaël Angelus Tarinus, clericus Ravennatensis, Ioannis Baptistae Tusculani Pallotti; Angelus Dinus, presbyter Sartheanensis Clusinae dioecesis, Franciscus Ciceri, clericus Mediolanensis, Francisci Mariae Sabinensis Brancatii; Hieronymus Fabrius, clericus Amerinensis, canonicus collegiatae ecclesiae S. Anastasiae de praedictâ Urbe, Ioannes Baptista Sardineus, presbyter Ultuariensis dioecesis, Carolus Grillinus de Fabriano, presbyter Camerinensis dioecesis, Ulderici Albanensis Carpinei, venerabilium fratrum nostrorum episcoporum; Michaël Orfuccius, presbyter Lucensis, Cosmas de Agostinis, clericus Florentinus, Ernesti Adalberti S. Praxedis Harrach; Ioseph Maria Ceresola, presbyter Ianuensis, Vanninus de Gattis, presbyter Urbaniensis, Iulius Gasparinus laicus Æsinus, Stephani S. Laurentii in Lucinâ Duratii; Iulius Caesar de Doctis, clericus de Burgo S. Sepulchri, Franciscus Riccardus, clericus Aretinus, Iulii S. Priscae Gabriellii; Vicinus Ursinus, Romanus laicus, Bartholomaeus Ginus, clericus Sutrinae dioecesis, Gaudentius Santillus, Spoletanus laicus, Virginii S. Mariae Angelorum Ursini; abbas Ioannes Baptista Petramellara, presbyter Bononiensis, archidiaconus cathedralis ecclesiae Spoletanae, Ioannes Andreas Borbonius, presbyter Senensis, Caesaris Ss. Quatuor Coronatorum Fachenetti; Benedictus Lupertus, presbyter Calliensis, Antonius Vigneul, clericus Metensis, Hieronymi SS. Trinitatis in Monte Pincio Grimaldi; Ioannes Franciscus de Laurentiis, Ripanus, et ecclesiae Ripanae ar-

chidiaconus, Iulius Caesar de Caesaris, clericus a Barbara nullius dioecesis, Caroli S. Silvestri in capite Rossetti; Ferrantes Orsellus, clericus Foroliviensis, Ioannes Baptista Carpanus, presbyter Vercellensis, Ioannes de Ognate, Pampilonensis laicus, Nicolai S. Mariae Transtyberim Ludovisii; Marchio Claudius Pallavicinus, Parmensis, Iacobus Girod a Burgundiâ Mignovillaus laicus, Alderani S. Pudentianae Cybo; Michaël de Setina, presbyter Caesaraugustanus, canonicus metropolitanae ecclesiae SS. Virginis de Pilar Caesaraugustanae; Antonius Synibaldus, clericus Romanus; Hiacynthus Fanciullus, Viterbiensis laicus, Federici S. Petri ad Vincula Sfortiae; Franciscus Maria de Alice, presbyter Mediolanensis; Ioseph S. Hamma, Comensis laicus, Benedicti S. Honuphrii Odeschalchi; Michaël Imperialis, clericus Ianuensis; Thomas Piscius, presbyter de S. Iusto Firmanae dioecesis, Laurentii Ss. Quirici et Iulittae Raggii; Dominicus de Malclerc a Sommervillers, clericus Tullensis dioecesis; Carolus Fromentin, laicus Svessionensis; Ioannes Zaraquiequi, clericus Tirasonensis, Ioannis Francisci Pauli S. Mariae super Minervam de Retz; Petrus Martyr Merizola, clericus Papiensis; Ferdinandus Colletta, laicus Signinus, Aloysii Alexii Homodei; Vincentius Lucciolus, clericus de Mevania Spoletanae dioecesis; Petrus Paulus de Seria, Terracinensis dioecesis, Petri S. Marci Ottoboni; abbas Franciscus Tassius, clericus Ariminensis, Ioannes Felix Cameresius, presbyter Spoletanae dioecesis, Laurentii S. Chrysogoni Imperialis; Federicus Calistus de Monte Georgio, clericus Firmanae dioecesis; Franciscus Dominicus de Rubeis, presbyter Prenestinae dioecesis, canonicus collegiatae ecclesiae S. Nicolai in Carcere Tulliano de Urbe, Giberti Ss. Ioannis et Pauli Borromaei; abbas Marcus Antonius Guaschus, presbyter Romanus perpetuus beneficiatus in dictâ basilicâ Principis Apostolorum; Carolus Guallus, clericus Romanus, Marcelli S. Stephani in Monte Caelio Sanctacrucii; Nicolaus Theobaldus, presbyter Tullensis, Ioannes Ricchius, clericus Lucensis, Ioannis Baptistae S. Marcelli Spadae; Carolus de Marchis, presbyter Asculanus; Ioseph Sfasciamontius, laicus Montisalti dioecesis, Francisci S. Mariae in viâ Albitii; abbas Ioseph Spinuccius, presbyter Firmanus; Honuphrius Corradinus, laicus de Fabriano Camerinensis dioecesis; Petrus Pantinus, laicus Romanus, Octavii S. Caeciliae de Aquaviva; abbas Nicolaus Piccolomineus, clericus Sanensis; Alexander Tosius de Monte Cassiano Lauretanae dioecesis, canonicus basilicae S. Mariae Transtyberim de Urbe, Bernardinus Mancinus, laicus Florentinus, Flavii S. Mariae de Populo Chisii; Philippus Maria Ptolomaeus, presbyter Senensis, canonicus ecclesiae metropolitanae Senensis; Ioseph Montius, laicus a Balneo Burgi S. Sepulchri dioecesis, Scipionis S. Sabinae Delci; Zenobius Casinus, presbyter Florentinus; Andreas Minder, clericus Avenionensis; Laurentius Cabella, clericus Ianuensis, Hieronymi S. Agnetis extra moenia Farnesii; Andreas Mansius, presbyter Lucensis, canonicus cathedralis ecclesiae Lucensis; Lelius Cerchius, Lucensis laicus, Hieronymis Hieronymi Illyrici Bonivisii; Paulus Peccius, clericus Senensis; Maximilianus Vuamberchies a Binchio, clericus Cameracensis dioecesis, Antonii S. Augustini Bichii; Ioseph Mondinus, presbyter Laudensis, eiusdem Laudensis ecclesiae cathedralis canonicus; Ioannes Franciscus Aggravius, clericus Prenestinus, Petri S. Calixti Vidoni; abbas Marcus Antonius Zollius, presbyter Bergo-

mensis; Henricus Gial, laicus Frisingensis dioecesis, Gregorii S. Thomae in Parione Barbarici; Flaminius Marionus, clericus Eugubinus; Ioannes Claudius Tullensis, Hieronymi Ss. Marcellini et Petri Boncompagni; Carolus Bozzolus, presbyter Mediolanensis, canonicus insignis collegiatae ecclesiae S. Nazarii civitatis Mediolani; Gabriel Gatticus, presbyter Mediolanensis; Ioseph Vannarellus, laicus de S. Ginesio Camerinensis dioecesis, Alphonsi S. Crucis in Hierusalem Littae; Franciscus Milonus, presbyter Niciensis; Stephanus de Castro, laicus Florentinus, Nerii Ss. Nerei et Achillei Corsini; Ioannes Baptista Michelius, clericus Sarsinatensis; Horatius Fulchignonius, laicus Romanus, Caroli S. Anastasiae Bonelli; Ioannes Baptista de Mitibus, presbyter Firmanus; Petrus Sodus Pientinae dioecesis, Caelii S. Petri in Monte Aureo Piccolominei; abbas Franciscus Antonius Gallus de Austrimont, presbyter a Latertia Acheruntinae dioecesis; Ioseph Cresconius, presbyter Beneventanae dioecesis, Caroli S. Susannae Carafae; Ludovicus Piccinus, clericus Æsinus; Michaël Angelus Zaccaria, clericus Romanus, Palutii Ss. duodecim Apostolorum Albertonii; Carolus Rasponus, eques S. Stephani, Ravennas; Carolus Antonius Corradus, laicus Calliensis, Caesaris S. Ioannis ante Portam Latinam Rasponi; Ioseph de Molaria, clericus Romanus; Franciscus Titius, laicus Aretinae dioecesis, Nicolai S. Mariae Transpontinae de Comitibus; abbas Alexander Sozzinus, clericus Senensis; Franciscus Caesarinus a civitate Theatina, clericus coniugatus, Iacobi S. Mariae de Pace Nini; abbas Benedictus de Rubeis, presbyter Firmanae dioecesis; Iacobus Spinelli, presbyter Vintimiliensis dioecesis, Caroli Roberti Victorii; Andreas Lisius, laicus Urbinas, Ioseph Zafonti, presbyter Senensis, Iulii Spinulae; abbas Metellus Talpa, clericus de S. Severino; Silvius Vincentius, laicus Senensis, Innici tituli S. Clementis Caraccioli; comes Virginius Maninus, presbyter Aquileiensis, decanus ecclesiae Utinensis; Franciscus Cianus, laicus Utinensis, Aquileiensis dioecesis, Ioannis Delphini, presbyterorum S. R. E. nuncupatorum: Marchio Franciscus Casatus, presbyter Placentinus; Alexander Mazzinus, laicus Rhegiensis; Petrus Scribo de Marcellinis, laicus Parisiensis, Raynaldi S. Nicolai in carcere Tulliano Estensis; Antonius de Possentibus, presbyter a Fabriano Camerinensis dioecesis; abbas Carolus Bonaccius, clericus Romanus; Ioannes Dominicus de Pasqualibus, clericus Imolensis, Ioannis Stephani S. Agatae Donghii; Ioannes Felix Binus, presbyter Assisiensis; Ioannes Antonius Stracchiccius, clericus de Canaria Assisiensis dioecesis, Pauli Æmilii S. Mariae in Cosmedin Rondinini; Ugo Maffeus, clericus coniugatus Volaterranus; Michaëlangelus Brunocchius, clericus de Caprarola civitatis Castellanae dioecesis, Francisci S. Mariae in Viâlatâ Maidalchini; Carolus Eustachius, Romanus, clericus coniugatus, eques S. Iacobi de Spata; Franciscus Haim, laicus Augustanus; Theodosius Hergodes, laicus de Gramont Mallinensis, Friderici S. Caesarei de Hassia; Carolus Albanus Urbinas, laicus; Ioannes Caesius, clericus abbatiae Sublacensis, nullius dioecesis, Caroli S. Angeli in Foro Piscium Barberini; Iacobus Sorbolongus, Forosemproniensis, clericus coniugatus; Salvator Serra, presbyter Ferrariensis, Caroli S. Eustachii Pii; comes Ranerius de Baschis, clericus Urbevetanus; Antonius Sorreca, presbyter a Monte Georgio Firmanae dioecesis, Caroli S. Pancratii Gualterii; canonicus Stephanus Ricciardus, presbyter Firma-

nus; Matthaeus Passanus, laicus Tiburtinus, Decii S. Adriani Azzolini; abbas Ioannes Senesius, presbyter Perusinus; Felix Orsellius, clericus Foroliviensis; Antonius Giansettus, laicus Romanus, Odoardi Ss. Cosmae et Damiani Vecchiarelli; Ioannes Vincentius Condivius, presbyter Ripanus; Philippus Capriolus, laicus Romanus, Iacobi S. Mariae in Aquiro Fransoni; abbas Hilarius Mazzocchius, clericus Romanus; Simon de Amicis, laicus de Camerino, Francisci Mariae Ss. Viti et Modesti Mancini; Paulus Franciscus Scottus, laicus Narniensis; Hieronymus Benvignatus, clericus de Roccacontrada Senogalliensis dioecesis, Angeli S. Georgii ad Velum Aureum Celsi; Petrus Paulus Grappolinus, presbyter Romanus; Paulus Racchellius, laicus Spoletanus, Pauli S. Mariae de Scala Sabelli Peretti; abbas Franciscus Butus, presbyter Romanus; abbas Paulus de Machaut, clericus Parisiensis, Paschalis de Fornier, clericus coniugatus Marticensis, Ludovici de Vandosme, diaconorum S. R. E. cardinalium nuncupatorum: Ferdinandus Ximenes e Societate Iesu Florentinus, confessarius; Dominicus Cappellus, presbyter Ascolanus, canonicus collegiatae ecclesiae S. Anastasiae de praedictâ Urbe, cum reverendissimo domino Phoebeo, archiepiscopo Tarsensi; frater Magister Ioannes Baptista Ursius Ordinis sancti Augustini, cum reverendissimo domino sacrista; Valerianus Capriolus, clericus Romanus, cum secretario sacri collegii; abbas Pompeius Scarlattus, clericus Florentinus, custos fontis et aquarum conclavis; Matthaeus Parisius de Benaudis Materanensis dioecesis, Ioannes Tiracorda Firmanus, medici physici; Gabriel a Porta de Villafranca, Sarzanensis dioecesis, chirurgus; Ioannes Petrus Paulutius, Pisaurensis, aromatarius; Franciscus Maria Serbitius de Monte Barocciò, Pisaurensis dioecesis, Hieronymus Bilienus de Verchiano, Spoletanae dioecesis, eius auxiliatores; Dominicus Altimanus de Vignola Mutinensis dioecesis, Petrus Galoppus Faventinus, barbitonsores; Antonius Rosellus Firmanus, Gaspar Mazzantes Fanensis, eorum auxiliatores; Franciscus Gualdus, faber lignarius; Donatus Corsius, faber caementarius; Ioannes Cecchettus de Penua Maceratensis dioecesis, familiaris magistrorum caeremoniarum; Antonius Felicettus, Ioannes Dominicus Zonus, Franciscus Orlandus, Ioseph Colettus, Antonius Comus, Benedictus Mugnanus, Antonius Iulius, Carolus Antonius Guinettus, Petrus Zocconus, Salvator Brandolinus, Paulus Antonius Brunus, Ioannes Iacobus Giaschettus, Ioannes Franciscus Zonus, Dominicus Rubeus, Ioseph Bernardini, Antonius Piscis, Andreas Ioannes Sanctori, Petrus Brandus, Ioannes Rossettus, Antonius Evangelista, Antonius Cambrunus, Fulvius Girottus, Ioannes Maria Catenaccius, Augustinus Gabriellius, Ioannes Paulus Guinettus, scopatores conclavis.

IV.

Indultum nominandi ad dignitates Belgii et comitatus Burgundiae regi catholico conceditur[1].

Carissimo in Christo filio nostro Carolo Hispaniarum regi catholico, Clemens Papa IX.

Carissime in Christo fili noster, salutem et apostolicam benedictionem.

Recensentur aliae consimiles concessiones.

§ 1. Olim (postquam felicis recordationis Pius Papa IV praedecessor noster clarae memoriae Philippo II Hispaniarum regi catholico, quamdiu ageret in

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

humanis et in sinceritate fidei ac unitate S. R. E. necnon obedientiâ et devotione suis ac successorum suorum Romanorum Pontificum canonice intrantium persisteret, ut nullus ad dignitates abbatiales aut quorumcumque monasteriorum etiam per priores aut praepositos regi et gubernari solitorum regimina, infra districtus ducatuum, marchionatuum et comitatuum, aliorumque dominiorum suorum in partibus inferioris Germaniae seu Belgicae ditionis comprehensorum, ac se cum suis civitatibus et appendiciis extendentium, quoque [1] tunc possidebat in illis partibus, dumtaxat consistentium, per eumdem Pium praedecessorem, aut Sedem Apostolicam praefici [2], nec illis de quorumvis personis quovis modo provideri posset, absque dicti Philippi regis intentione et consensu praecedentibus; de aliis vero dignitatibus, videlicet secularibus principalibus, et regularibus non conventualibus infra praedictos districtus, nonnisi de locis suae ditioni subiectis, aut sibi gratis et acceptis de aliis locis oriundis, provideri, concesserat et indulserat) piae memoriae Gregorius XIII, etiam praedecessor noster, multis maximisque praedicti Philippi regis erga se et dictam Sedem meritis adductus, concessionem et indultum huiusmodi ad comitatum Burgundiae ditionis suae haereditariae extendit ac ampliavit; et deinde recolendae memoriae Sixtus Papa V etiam praedecessor noster (exposito sibi pro parte eiusdem Philippi regis ab aliquibus tunc haesitari an prioratus conventuales, qui per priores aut forsan praepositos reguntur seu gubernantur, et nonnulla monasteria ac similes prioratus intra septa dominorum praedictorum et eiusdem Burgundiae comitatum seu sub temporali dominio aliorum procerum consistentia, etiamsi prioratus vel praeposituraе aut praepositatus, et non monasteria nuncuparentur, sub indulto ac extensione praedictis comprehenderentur), eamdem dubitationem amputando, eidem Philippo regi, suâ tantum vitâ durante, ius nominandi praedicto Sixto praedecessori et Romanis Pontificibus pro tempore existentibus, tam ad praedictas dignitates abbatiales, aut quorumcumque monasteriorum, etiam per priores aut praepositos regi et gubernari solitorum, regimina, quam etiam ad quoscumque prioratus, praeposituras, aut praepositatus conventum habentes, infra districtus eorumdem ducatuum, marchionatuum et aliorum dominiorum et comitatus Burgundiae, dummodo infra septa eorumdem dominiorum et comitatus Burgundiae consisterent, etiamsi sub temporali dominio aliorum procerum extarent vel temporalem iurisdictionem haberent, ac etiam prioratus, praepositurae aut praepositatus, et non monasteria nuncuparentur, pro tempore vacantes seu vacantia, per eumdem Sixtum praedecessorem et Romanos Pontifices successores suos ad nominationem huiusmodi conferendos et conferenda, concessit et indulsit; et postmodum similis recordationis Urbanus Papa VIII etiam praedecessor noster similem concessionem et indultum clarae pariter memoriae Philippo IV dum vixit earumdem Hispaniarum regi catholico genitori tuo, ad eius vitam tantum, fecit, prout in diversis dictorum praedecessorum litteris desuper in simili formâ Brevis, novissimis quidem dicti Urbani praedecessoris die VI octobris MDCXL expeditis, quarum tenores, praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac insertis haberi volumus, uberius continetur.

1 Videretur legend. *quosque* vel *aliter* (R. T).
2 Male edit. Main. legit *praefixi* (R. T.).

Simile indultum elargitur Pontifex.

§ 2. Cum autem pro parte tuâ nobis fuerit expositum maiestatem tuam simili concessione et indulto ex nostrâ et Sedis Apostolicae benignitate gaudere posse plurimum exoptasse: nos, tuae fidei, constantiae ac devotionis, quibus erga nos et Sedem Apostolicam praefulgere dignosceris, meritis adducti, tuisque supplicationibus huiusmodi inclinati, tibi, tuâ tantum vitâ durante, et quamdiu in sinceritate fidei et unitate S. R. E. necnon obedientiâ ac devotione nostris et successorum nostrorum Romanorum Pontificum canonice intrantium huiusmodi praestiteris[1], ius et facultatem nominandi nobis et Romano Pontifici pro tempore existenti tam ad praedictas dignitates abbatiales, aut quorumcumque monasteriorum regimina, etiam per priores, aut praepositos regi et gubernari solitorum, quam etiam ad quoscumque prioratus, praeposituras aut praepositatus conventum habentes, infra districtus eorumdem ducatuum, marchionatuum et aliorum dominiorum tuorum praedictorum, ac comitatus Burgundiae, dummodo intra septa eorumdem dominiorum et comitatus Burgundiae existant, etiamsi sub temporali dominio aliorum procerum consistant vel temporalem iurisdictionem habeant, ac etiamsi prioratus, praepositurae aut praepositatus et non monasteria nuncupentur, pro tempore vacantes seu vacantia, per nos et Romanos Pontifices successores nostros ad nominationem tuam infra decem menses a die cuiuslibet vacationis faciendam, ac nobis et Romano Pontifici pro tempore existenti praesentandam, conferendos et conferenda, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, de specialis dono gratiae concedimus et indulgemus; ità ut de dictis dignitatibus abbatialibus, aut quibuscumque monasteriis, prioratibus, praeposituris, praepositatibus praedictis pro tempore vacantibus absque nominatione tuâ praedictâ, de aliis vero, sub nominatione huiusmodi non comprehensis, et absque illâ libere conferendis, dignitatibus videlicet secularibus principalibus et regularibus actu non conventualibus, infra praedictos districtus consistentibus, nonnisi de locis tuae ditioni subiectis, aut tibi gratis et acceptis personis, per nos et successores nostros Romanos Pontifices et Sedem eamdem pro tempore disponi et respectíve provideri minime possit.

Derogat contrariis.

§ 3. Non obstantibus quibuscumque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac singulorum prioratuum, praepositarum et praepositatuum praedictorum, ac Ordinum, quorum illa sunt seu a quibus dependent, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis clausulis et decretis, in genere vel in specie, ac aliàs in contrarium quomodolibet concessis, approbatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua mentio, seu quaevis alia expressio habenda foret, illorum tenores praesentibus pro expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die II augusti MDCLXVII, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 2 augusti 1667, pontif. anno I.

---

1 Potius lege *perstiteris* (R. T.).

V.

Confirmatio decreti cardinalis Pallotti circa validitatem capituli in provinciâ Peruana a fratribus Ordinis Eremitarum sancti Augustini celebrati.

Clemens Papa IX,
ad futuram rei memoriam.

Motiva huius Constitutionis.

Aliàs, pro parte dilecti filii Dominici de Cifuentes, provinciae Peruanae Ordinis Eremitarum sancti Augustini procuratoris specialis ad petendam confirmationem capituli eiusdem provinciae ultimo loco celebrati, necnon definitoris pro ferendo suffragio nomine eiusdem provinciae in capitulo generali Ordinis huiusmodi tunc proxime celebrando, congregationi venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositae exposito, quod dilectus pariter filius Ignatius de la Cerda, frater expresse professus Ordinis praedicti, praemissis se opponebat coram tunc existente priore generali dicti Ordinis, necnon venerabili fratre nostro Ioanne Baptista episcopo Tusculano eiusdem S. R. E. cardinali Pallotto nuncupato, Ordinis huiusmodi apud nos et Sedem Apostolicam protectore; et propterea dictae congregationi pro parte Dominici praedicti supplicato, quatenus praeciperet et mandaret ut in huiusmodi causis procederetur ad praescriptum litterarum et decretorum apostolicorum:

Decretum sacrae congregationis episcoporum.

§ 1. Emanavit ab eàdem congregatione decretum tenoris, qui sequitur, videlicet: « Sacra congregatio eminentissimorum S. R. E. cardinalium, negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praeposita, attentis narratis, oratoris preces remisit ad eminentissimum Pallottum Ordinis huiusmodi apud hanc sanctam Sedem protectorem, qui supra expositis pro suo arbitrio et prudentiâ decernat quod iuris erit ad praescriptum apostolicarum et eiusdem Ordinis constitutionum.

Romae, XIII maii MDCLXVII.

M. cardinalis GINETTUS ».

Decretum cardinalis protectoris.

§ 2. Cum autem, sicut nomine dilectorum etiam filiorum prioris provincialis et definitorii memoratae provinciae Peruanae nobis nuper expositum fuit, praedictus Ioannes Baptista cardinalis et protector, vigore decreti praeinserti, subinde partibus auditis, decretum ediderit tenoris sequentis, videlicet:

« Ioannes Baptista miseratione divinâ episcopus Tusculanus S. R. E. cardinalis Pallottus nuncupatus, totius Ordinis Eremitarum sancti Augustini auctoritate apostolicâ protector et in capitulo generali eiusdem Ordinis praeses, in causâ seu causis coram nobis, etiam ex rescripto sacrae congregationis eminentissimorum S. R. E. cardinalium negotiis episcoporum et regularium praepositae, pendente super validitate electionum definitoris et discreti factâ in definitorio provinciae Peruanae, necnon super confirmatione seu annullatione capituli provincialis dictae provinciae, auditis partibus oretenus et in scriptis, reque mature consideratâ, declaramus dictum capitulum valide celebratum et proinde confirmandum esse, prout confirmamus, et nihilominus patrem magistrum Ignatium de la Cerda in praedicto definitorio ante tempus capituli provincialis in definitorem capituli generalis electum, attentâ bonâ fide, et consensu a patre lectore fratre Dominico de Cifuentes, in definitorem eiusdem capituli generalis in dicto capitulo provinciali electo[1], pro bono pacis sponte praestito, admittendum esse ad ferendum votum in capitulo generali mox celebrando tamquam definitorem; patrem vero magistrum Gabrielem Aque-

1 Potius lege *electum* (R. T.).

va, in praedicto capitulo provinciali in discretum ad idem capitulum generale electum, in eodem tamquam discretum ad ferendum votum admittendum esse: et ita decernimus et mandamus, non solum praedicto, verum etiam omni alio meliori modo. Datum Romae, die XXVI maii MDCLXVII. I. B. cardinalis Pallottus, protector ac praeses et delegatus »;

Praedicti vero exponentes decretum huiusmodi pro firmiori illius subsistentiâ apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri summopere desiderent:

Pontifex confirmat decretum ut supra.

§ 3. Nos, specialem ipsis exponentibus gratiam facere volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas[1] fore censentes, supplicationibus eorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, praeinsertum memorati Ioannis Baptistae episcopi cardinalis et protectoris decretum, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos iuris et facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Decretum irritans.

§ 4. Decernentes ipsas praesentes litteras firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et spectabit, in futurum plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 5. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon, quatenus opus sit, Ordinis et provinciae huiusmodi, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis et ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XI augusti MDCLXVII, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 11 augusti 1667, pontif. anno I.

VI.

Quod alumni seminarii pontificii Brunsbergae in Prussia ad titulum sufficientis litteraturae, et absque suorum Ordinariorum dimissoriis, ac non servatis interstitiis, promoveri possint.

Clemens Papa IX,
ad futuram rei memoriam.

Procemium

§ 1. Dilectos filios alumnos seminarii pontificii Brunsbergae in Prussiâ specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, eorumque singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesen-

1 Ed. Main. legit *absolutos* (R. T.).

tium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus illorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, eiusdem seminarii alumnis a superioribus eligendis, ut absque litteris dimissorialibus suorum Ordinariorum, ac etiam sine titulo beneficii ecclesiastici aut patrimonii, sed ad titulum tantum sufficientis litteraturae, a quocumque quem maluerint catholico antistite, gratiam et communionem Apostolicae Sedis habente, in propriâ dioecesi residente, vel in alienâ de dioecesani loci consensu pontificalia exercente, ad quatuor minores etiam unico festivo vel feriato, necnon ad sacros etiam presbyteratus ordines tribus dominicis seu aliis festivis etiam continuis vel interpolatis diebus, extra tempora ad id a iure statuta, et non servatis interstitiis a sacro Concilio Tridentino designatis, annique curriculo non expectato, etiamsi, antequam de uno ad alium ordinem promoveantur, in primo quoque suscepto se minime exercuerint, aut alicuius ecclesiae servitio adscripti non sint, dummodo tamen ad id praevio examine reperiantur idonei, nec eis aliud canonicum obstet impedimentum, promoveri, et promoti in illis etiam in altaris ministerio ministrare libere et licite possint et valeant, ad septennium proximum tantum, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, licentiam concedimus et impartimur, necnon anstititi praedicto ipsos ordines illis conferendi facultatem tribuimus. Praeterea cum eiusdem seminarii alumnis, qui aliàs haeretici aut haereticorum filii fuerint, dummodo haereticorum ministri non fuerint et ministrorum filii non sint, ut, praeviâ haeresum et errorum suorum in scriptis coram notario et testibus abiuratione, quatenus antea non obiuraverint, ad eosdem omnes, etiam sacros et presbyteratus ordines modo et formâ praedictis promoveri, et ulterius cum eisdem alumnis forsan ob non servata interstitia a sacro Concilio Tridentino designata male promotis, ut in susceptis ordinibus ministrare, ac ad alios etiam sacros et presbyteratus ordines, ut praefertur, promoveri similiter possint, eâdem auctoritate gratiose dispensamus.

Concedit Pontifex prout in rubricâ.

§ 2. Non obstantibus quibusvis apostolicis, ac in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Derogatio contrariorum.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XVI augusti MDCLXVII, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 16 augusti 1667, pontif. anno I.

VII.

Privilegia, exemptiones et indulta dapiferis, qui in conclavi suae assumptionis sanctae Romanae Ecclesiae cardinalibus inservierunt, concessa.

Clemens Papa IX,
Motu proprio, etc.

Nos, volentes dilectos filios nostros, dum cardinalatus honore fungebamur, et venerabilium fratrum nostrorum sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium dapiferos, qui conclavi, in quo divinâ favente clementiâ ad summi apostolatus apicem assumpti fuimus, inservierunt, quique eâ de causâ labores, vigilias et incommoda plura subierunt, habitâ ratione obsequiorum huiusmodi, favoribus, gratiis et privilegiis pro cuiuscumque meritis exornare, ac eosdem dapiferos et eorum singulos,

Causa huius indulti.

§ 1. Motu proprio, non ad ipsorum

dapiferorum, vel alterius pro ipsis nobis super hoc oblatae petitionis instantiam, sed de merâ liberalitate certâque scientiâ nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, in veros, indubitatos et non fictos familiares continuos commensales nostros, et eos qui ex illis clerici existunt, seu militiae clericali adscribi desiderant, quosque tres ex praefatis cardinalibus in quolibet ordine antiquiores gradu, nobilitate et aliis meritis dignos tali dignitate iudicaverint, in nostros et Apostolicae Sedis notarios, sine tamen praeiudicio dilectorum filiorum notariorum de numero participantium, tenore praesentium recipimus, et tam illos quam alios dapiferos singulos, qui singillatim ab eisdem tribus cardinalibus digni tali honore approbati fuerint, sacri palatii et aulae Lateranensis comites et milites; ac tam illos quam alios omnes quoscumque dapiferos indistincte, qui nobiles non sunt, nobiles, quique Urbis vel alicuius alterius ex civitatibus temporali dominio dictae Romanae Ecclesiae mediate vel immediate subiectis, cives esse voluerint, singulos in eâ ipsâ civitate, quam singillatim quisque eorum elegerit, et ad quam ab eisdem cardinalibus se admitti petierit, veros cives ad instar et nullâ prorsus differentiâ inter eos et singulos alios veros originarios et antiquissimos et nobiles participantes cives ipsius Urbis vel civitatis, ita ut ipsum ius civitatis ad quoscumque eorum haeredes eodem modo transeat, creamus, constituimus et deputamus, ac nobilitatis et civilitatis titulo, honore et insignibus decoramus, aliorumque familiarium continuorum commensalium nobis actu in palatio nostro apostolico serventium, et in illius tinello comedientium et bibentium, nostrorum et Sedis Apostolicae notariorum, palatiique et aulae praefatae comitum, militum et nobilium et civium huiusmodi originariorum numero et consortio favorabiliter aggregamus, et pro veris, indubitatis et non fictis familiaribus continuis commensalibus ac notariis nostris, comitibusque, militibus, nobilibusque ac civibus deinceps haberi et reputari volumus et mandamus, eisque in quibuscumque impetrationibus ac concessionibus et litteris, tam gratiam quam iustitiam separatim, seu utramque mixtim concernentibus, se familiares continuos commensales nostros, et comites, milites, nobiles, ac cives et originarios nominare, nec propterea impetrationes, concessiones et litterae ipsae subreptionis vitio subiaceant, sed validae et efficaces existant, ac ex nunc deinceps et in perpetuum omnibus et quibuscumque, et prorsus similibus antelationibus antelationum, praerogativis, privilegiis, libertatibus, immunitatibus, exemptionibus, decretis, declarationibus, derogationibus, mandatis, suspensionibus, favoribus, gratiis, privilegiis, indultis ac iuribus, quibus alii nostri familiares tempore dictae assumptionis nostrae ad summi apostolatus apicem, ac quibus alii eiusdem Sedis notarii, etiam de numero participantium existentes, etiamsi habitum et rocchettum notariorum ipsius Sedis non deferant, palatiique et aulae praedictae comites et milites ac nobiles originarii et antiquissimi cives eiusdem Urbis vel civitatis, quam, ut praefertur, elegerint, quicumque ex utroque parente vere nobili ac cive civili et originario antiquissimo procreati, de iure, statuto, consuetudine, vel aliàs ex aliquo speciali privilegio, seu aliàs etiam per quascumque litteras seu constitutiones apostolicas pro tempore editas, utuntur, fruuntur, potiuntur et gaudent, ac uti, frui, potiri et gaudere possunt et poterunt quomodolibet in futurum, ubique

Ius civitatis in eorum haeredes transfert.

Comites et milites creat.

locorum in iudicio et extra, sine tamen eorumdem notariorum de numero participantium praeiudicio, uti, frui, potiri et gaudere libere et licite valeant realiter et integre in omnibus et per omnia, etiamsi in Urbe et civitate huiusmodi non habitaverint, perinde ac si de vero nobili genere ex utroque parente originario et antiquissimo cive procreati forent, et huiusmodi praerogativae, privilegia, exemptiones, gratiae, favores, concessiones, indulta et iura, quae pro aliis nobilibus et civibus originariis emanarunt, et quae ratione nobilitatis et civilitatis naturalis et originariae aliis competunt, pro eisdem dapiferis in specie emanassent seu emanarent, et eisdem naturaliter de iure, statuto, consuetudine, fundatione vel aliàs competerent, vigore praesentium indulgemus.

A gabellis aliisque oneribus liberat.

§ 2. Ac singulos dapiferos praefatos a solutione et exactione decimarum ecclesiasticarum, ubique locorum, et ex quacumque, quantumvis urgentissimâ et inexcogitabili causâ et occasione, etiam ad instantiam imperatoris, regum, rerumpublicarum, etiam Venetorum, et quorumcumque aliorum principum, impositarum et imponendarum pro tempore, liberamus et eximimus, liberosque et exemptos fore et esse decernimus; ipsis dapiferis, eorumque singulis, quoscumque fructus et proventus ecclesiasticos, tam occasione pensionum annuarum ipsis vel eorum alicui reservatarum, quam ratione omissionis recitationis horarum canonicarum indebite perceptos, cuiuscumque quantitatis fuerint, gratiose remittimus et condonamus; ac cum eis super inhabilitate per eos propterea quomodolibet contractâ, vel etiam ex eo quod censuris huiusmodi ligati missas et alia divina officia, non tamen in contemptum clavium, celebraverint, aut aliàs in divinis se immiscuerint, ut, illâ et eisdem praemissis non obstantibus, ad omnes etiam sacros et presbyteratus ordines, aliàs tamen rite, promoveri[1] et in illis etiam susceptis aliàs rite per eos ordinibus etiam in altaris ministerio ministrare etiam libere et licite valeant, dispensamus.

Illegitimos legitimis natalibus restituit.

§ 3. Ac eosdem dapiferos, si qui eorum defectum natalium patiuntur ex quocumque damnato et illicito coitu, etiamsi ex nobilissimis parentibus ac vilibus feminis forsan procreati sint, etiamsi legitimati aliàs existant, legitimamus, omnemque ab illis geniturae huiusmodi maculam sive notam abstergimus et abolemus, ac legitimis natalibus restituimus, ac cum eorum singulis, ut in quibuscumque bonis paternis et maternis, et aliorum consanguineorum seu cognatorum, vel aliorum quorumcumque, non tamen feudalibus et emphyteuticis aut ecclesiasticis vel ab ecclesiâ acquisitis, ac sine praeiudicio venientium ab intestato vel ex fideicommisso seu aliàs de iure validâ dispositione, succedere, et illa donationis seu alio quovis titulo consequi et habere, ac ad aequales portiones cum legitimis succedere, eos ad omnia iura legitima et successiones ex testamento vel ab intestato, haereditates, legata, libertates restituendo et reintegrando realiter et cum effectu; necnon ad dignitates, honores et quaecumque alia officia secularia, publica vel privata, etiam assumi, illaque gerere et exercere in omnibus et per omnia ac si de legitimo matrimonio procreati forent, ac eodem defectu non obstante, si aliud canonicum eis non obsistat impedimentum, ac clericali charactere, qui illo nondum insigniti sunt, insigniri, et ad omnes etiam sacros et presbyteratus ordines, si ad illos non-

Ad dignitates et officia admittit.

1 Edit. Main. legit *promovere* (R. T.).

dum promoti sunt, promoveri, et postmodum charactere et ordinibus huiusmodi illorumque privilegiis uti, ac in eisdem ordinibus etiam in altaris ministerio ministrare, ac quaecumque et qualiacumque cum curâ et sine curâ beneficia ecclesiastica, etiamsi personatus, administrationes et officia etiam curata et electiva in cathedralibus et metropolitanis vel collegiatis ecclesiis, seu si parochiales ecclesiae, vel earum perpetuae vicariae, ac canonicatus et praebendae, non tamen in cathedralibus, ac dignitates, non tamen in eisdem cathedralibus post pontificalem maiores, nec principales in collegiatis ecclesiis huiusmodi fuerint, si sibi aliàs canonice conferantur, aut ipsi eligantur, praesententur vel aliàs assumantur ad illa et instituantur in illis, recipere, et, dummodo plura simul non sint quam quae a Concilio Tridentino permittuntur, quoad vixerint, retinere libere et licite valeant, similiter dispensamus.

Alià confert privilegia.

§ 4. Quodque omnes et quaecumque gratiae, provisiones, commendae, ac praesentes et quaevis aliae litterae apostolicae, ac etiam in formâ Brevis pro illis expediendae, gratis ubique expediantur, tam de capiendâ possessione nomine camerae apostolicae, quam in favorem litterarum apostolicarum, ubi illis super provisionibus quorumcumque beneficiorum ecclesiasticorum dari poterunt, prout nostris familiaribus et continuis commensalibus etiam gratis dantur ac conceduntur ac dari et concedi debent, praecipimus et mandamus, ac dapiferis praefatis, et eorum singulis, ut ubicumque loci Ordinarii vel canonici metropolitanarum aut aliarum ecclesiarum, aut personae quaecumque ecclesiasticae in dignitate ecclesiasticâ constitutae, tam in Romanâ curiâ, quam extra eam, ad id per eos et eorum singulos eligendi, seu eligendae, quascumque pensiones annuas eis eorumque singulis super fructibus, redditibus, proventibus, iuribus, obventionibus et emolumentis universis, certis et incertis, ac distributionibus quotidianis, quarumcumque mensarum episcopalium, archiepiscopalium et abbatialium, ac dignitatum et canonicatuum et praebendarum, ceterorumque beneficiorum ecclesiasticorum etiam per S. R. E. cardinales obtentorum et imposterum obtinendorum, cum curâ et sine curâ, secularium, aut quorumvis Ordinum regularium, seu fructus, redditus et proventus, aliaque emolumenta et distributiones huiusmodi, reservatas seu reservatos, ac reservandas seu reservandos, etiamsi aliàs semel vel pluries translatae seu translati fuerint, usque ad summam centum ducatorum in toto vel in parte, ac etiam in mortis articulo, cassare et extinguere, ac, postquam cassatae et extinctae fuerint, alias similes pensiones annuas, seu fructus, redditus et proventus, et alia emolumenta et distributiones huiusmodi, usque ad summam praedictam, uni vel pluribus aliis personis ecclesiasticis, per eosdem dapiferos et eorum singulos nominandis, quotcumque, quaecumque et qualiacumque beneficia ecclesiastica obtinentibus et expectantibus, aliàs tamen pensionum huiusmodi capacibus, similiter eis quoad vixerint, vel eorum procuratoribus legitimis, eisdem modo et formâ quibus dapiferis reservatae seu reservandae fuerint, etiam absque beneficia huiusmodi obtinentium consensu, integre persolvendas seu persolvendos, et per eos percipiendas, exigendas, levandas, ac percipiendos, exigendos, levandos reservare, constituere et assignare valeant, ipsique translatitii in possessionem dictas pensiones exigendi, in qua ipsi dapiferi tempore translationis per eos vigore

praesentium faciendae existebant, in omnibus et per omnia subrogati esse censeantur, etiam concedimus et indulgemus, et etiam si similem gratiam a praedecessoribus nostris aliàs forsan obtinuerint, seu quilibet eorum obtinuerit, illius effectu cumulative eos gaudere et potiri volumus.

Translationes pensionum concedit prout in constitutione.

§ 7. Decernentes ipsas translationes et novas reservationes, constitutiones et assignationes pensionum, seu fructuum, reddituum et proventuum, aliorumque huiusmodi, plenam roboris firmitatem obtinere, ipsosque beneficia, super quorum fructibus, redditibus et proventibus reservatae fuerint, obtinentes, ad illas persolvendas efficaciter obligatos fore, ac eisdem dapiferis, ut, ratione quarumcumque pensionum eis et eorum cuilibet super quibuscumque beneficiiis ecclesiasticis, ut praefertur, vel aliàs quomodolibet qualificatis, non tamen ultra summam ducentorum ducatorum auri de camerâ pro quolibet, tunc et pro tempore reservatarum ac reservandarum, habitum et tonsuram clericales gestare, et in illis, dummodo ipsi habitum decentem et honestum deferant, incedere minime debeant, nec ad id a quoquam cogi seu compelli, minusque aliquas sententias, aut censuras, etiam privationis, seu cassationis ipsarum pensionum ad praedictam summam ducentorum ducatorum ascendentes et reservatas, ut praefertur, etiamsi matrimonium contraxerint cum unicâ tantum et virgine, recipere et retinere.

Ad testandum habilitat.

§ 8. Postremo quod bona quaecumqe ad dictos dapiferos et eorum quemlibet spectantia, et per eos, etiam ratione quorumcumque beneficiorum ecclesiasticorum etiam canonicatuum et praebendarum ac dignitatum quarumcumque per eos aliàs obtentorum et obtinendorum, aut aliàs quomodolibet, et quovis quaesito colore vel ingenio, seu eorum industriâ, legitime tamen et licite, acquirenda, etiam in Urbe, eiusque districtu, ac ubicumque existentia, spoliis minime subiaceant; sed ipsi dapiferi, etiamsi religioni alicuius militiae, etiam S. Ioannis Hierosolymitani adscripti fuerint, de illis in favorem quarumcumque personarum, de iure tamen capacium, etiamsi curiales esse desierint, et in quocumque loco, quantumvis remoto, eos decedere contigerit, testari, et aliàs disponere, eisque ab intestato decedentibus eorum haeredes quicumque succedere libere et licite valeant, simili modo concedimus et indulgemus.

A molestiis haeredes causâ incurrendis haeredes liberat.

§ 9. Praecipientes et mandantes dilectis filiis nunc et pro tempore existentibus S. R. E. camerario, thesaurario, praesidentibus, clericis camerae nostrae apostolicae, et quibuscumque aliis spoliorum huiusmodi collectoribus et militiarum praefatarum officialibus, aut procuratoribus, ne in huiusmodi bonis manus apponant, neque haeredes dictorum dapiferorum desuper molestare audeant seu praesumant, ac etiam decernentes donationes, etiam per viam testamenti et codicillorum per ipsos dapiferos de eorum bonis huiusmodi, servatis de iure servandis, faciendas, semper et perpetuo validas et efficaces fore, nec eosdem dapiferos, eorumque aliquem, ad litteras super praesentibus conficiendas in dictâ camerâ insinuandum, aut admitti et registrari petendum teneri, nec illas, etiamsi intra tempus legitimum insinuatae, admissae, seu registratae non fuerint, propterea minus validas censeri, sed suos plenarios effectus sortiri debere, easdemque praesentes, et in eis contenta quaecumque, sub quibusvis revocationibus, limitationibus, suspensionibus, modificationibus, decretis, constitutionibus apostolicis, similium gratiarum revocatoriis,

vel quae eas limitarent aut moderarent, quae a nobis et dictâ Sede pro tempore, et de quibusvis causis, etiam urgentissimis, etiam in divini cultus augmentum, etiam consistorialiter, vel aliàs, quavis auctoritate, hactenus vel imposterum emanaverint, minime comprehendi, sed quoties illae emanabunt, toties in pristinum statum repositas et reintegratas esse et censeri; sicque per quoscumque iudices, etiam commissarios, quavis auctoritate fungentes in quavis causâ et instantiâ, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, ubique iudicari et definiri debere, irritum quoque et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Expeditionem gratiosam mandat

§ 10. Et insuper dilectis filiis rescribendario et computatori collegii scriptorum litterarum apostolicarum, et aliis ad quos earumdem litterarum expeditio spectat, in virtute sanctae obedientiae, et sub poenâ indignationis nostrae, motu, scientiâ et potestatis plenitudine similibus mandamus ut easdem praesentes, et forsan alias litteras super praemissis omnibus, tam coniunctim quam divisim, ac pro singulis quibuscumque derogationibus, decretis et clausulis in eis contentis, gratis de mandato nostro ubique in omnibus officiis etiam abbreviatorum, sollicitatorum, secretariorum plumbi et registri, absque aliquâ pecuniarum exactione, etiam per viam compositionis faciendae [1], omni contradictione et dilatione cessantibus, signent, expediant et expediri faciant.

Derogat contrariis.

§ 11. Non obstantibus eisdem praemissis, ac de certo notariorum numero, etiamsi ad illum non sit deventum, quibus aliàs per praesentes non intendimus derogare, ac regulâ nostrâ de praestando consensu in pensionibus, ac felicis recordationis Pii Papae IV praedecessoris nostri de similibus vel dissimilibus gratiis in camerâ apostolicâ infra tres menses praesentandis et registrandis, ac recolendae memoriae Pii Papae V etiam praedecessoris nostri contra illegitimos, ac Pictaviensis concilii, et aliis apostolicis, ac etiam in universalibus provincialibusque conciliis editis, specialibus vel generalibus, constitutionibus et ordinationibus, et monasteriorum, ecclesiarum, Ordinum, etiam S. Ioannis Hierosolymitani, ac etiam urbis Romae, et aliarum civitatum, oppidorum et terrarum, ac camerae praedictae, ac quarumvis universitatum, etiam iuramento, confirmatione, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis, stabilimentis, usibus et naturis, decretis, ac etiam novis reformationibus, ac etiam legibus, tam pontificiis quam imperialibus, regiis et ducalibus, etiam sacris canonibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, [1] superioribus ac personis et locis quibuscumque, in genere vel in specie, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis, irritantibus et aliis decretis, etiam vim contractus et statuti perpetui continentibus, etiam motu, scientiâ et potestatis plenitudine similibus, ac etiam consistorialiter, ac aliàs forsan in contrarium quomodolibet concessis, approbatis et innovatis; inter alia disponentibus, quod beneficia Urbis nonnisi personis certis modo et formâ qualificatis, et oriundis ex certis locis, ac trium Ordinum militiarum [2] expresse professis conferri et commendari soleant; quibus om-

1 Edit. Main. legit *faciendas* (R. T.).

1 Deest *illis eorumque*, ut pag. 523 b (R. T.).

2 Forsan *militarium* legendum (R. T.).

nibus etiamsi aliàs pro eorum sufficienti de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda foret, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, eorum tenores, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, et formâ in illis traditâ observatâ, inserti forent, praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse harum serie motu pari derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque; cum clausulis opportunis.

Fiat motu proprio I.

Clausulae. Et cum absolutione a censuris ad effectum, etc., et in casibus regulae de insordescentibus, cum opportunâ illius, necnon alterius regulae de non tollendo iure quaesito, aliisque necessariis et opportunis derogationibus, quatenus opus sit, et quod indultorum concessorum, gratiarum, derogationum, aliorumque praemissorum omnium et singulorum maior et verior specificatio et expositio fieri possit in litteris, in quibus singulorum dapiferorum nomina et cognomina, ordines, qualitates, gradus, dioeceses, patriae, et alia requisita exprimi et describi, seu pro expressis et descriptis haberi possint, iuxta notulam per ipsos seu eorum deputatos confectam simul, vel ad partem, etiam in unâ non factâ mentione de illâ vel aliis, prout videbitur expedire, expediendarum, etc.

Transumptorum fides. § 12. Volumus autem quod litterarum super praesentibus conficiendarum transumptis, etiam impressis, et sigillo ac manu alicuius personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis et subscriptis, eadem fides tam in iudicio quam extra illud adhibeatur, quae originalibus litteris adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

§ 13. Volumus autem quod sola praesentis motusproprii nostri signatura sufficiat et ubique fidem faciat in iudicio et extra illud, regulâ quacumque contrariâ non obstante.

Fiat I.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, XIV kalendis septembris, anno I.

Dat. die 19 augusti 1667, pontif. anno I.

Nomina autem ipsorum dapiferorum sunt haec, quae sequuntur.

Paulus Strada, Romanus, clericus coniugatus, noster, dum cardinalatus honore fungebamur; Gentilius Fidelis, clericus Camerinensis, Francisci Ostiensis Barberini; Ioannes Gamba iuris utriusque doctor, sacerdos Ravennatensis, Martii Portuensis Ginetti; abbas Carolus Vainus, commendatarius Ss. Mauritii et Lazari, Romanus, Antonii Praenestini Barberini; Ioannes Baptista Vannius, clericus de Caldarola, Ioannis Baptistae Tusculani Palotti; Baldus Corradus, clericus Maceratensis, Francisci Mariae Sabinensis Brancatii; canonicus Guidus Mucciolus, sacerdos de Burgo Pacis Urbaniensis, Ulderici Albanensis Carpinei; Antonius Talentius, canonicus Romanus, Ernesti Adalberti S. Praxedis Harrach; Franciscus Botius, sacerdos et canonicus Genuensis, Stephani S. Laurentii in Lucina Duratii; Ioseph Lampanus, clericus, iuris utriusque doctor, a Monte Flascone, Iulii S. Priscae Gabriellii; Paulus Nicola Vinerius, laicus Recanatensis, Virginii S. Mariae Angelorum Ursini; Caesar Sega, clericus Bononiensis, Caesaris Ss. Quatuor Coronatorum Facchenetti; Alexander Libicinius, clericus et prior S. Siffoini dioecesis Lixmo, Hieronymi SS. Trinitatis in Monte Pincio Gri-

maldi; comes Ioannes Baptista Laverchius, laicus Faënsis, et eques S. Stephani, Caroli S. Stephani in capite Rossetti; Antonius Maria Petronius, iuris utriusque doctor, sacerdos a Monte Reale, dioecesis Reatinae, Nicolai S. Mariae Transtyberim Ludovisii; Ioannes Baptista Tamphanus, sacerdos Forosemproniensis, Alderani S. Pudentianae Cybo; Hieronymus Lancettus, clericus Caesenatensis, Federici S. Petri ad Vincula Sfortia; Felix Bonafides, clericus Firmanus, Benedicti S. Honuphrii Odescalchi; Ioannes Baptista Pellegrinus, clericus Mediolanensis, Laurentii Ss. Quirici et Iulittae Raggii; Ioannes Rennius, Ambianensis dioecesis, laicus, Francisci Pauli S. Mariae super Minervam de Retz; Carolus Vismara, laicus Mediolanensis, Aloysii S. Alexii Homodei; Benedictus Mazzinus, clericus Romanus, Petri S. Marci Ottoboni; Fulvius Augustinus Venetianellus, clericus, iuris utriusque doctor, Urbinatensis, Laurentii S. Chrysogoni Imperialis; Angelus Clanellonus, laicus Reatinus, Giberti Ss. Ioannis et Pauli Borromaei; Iulius Guascus, clericus Romanus, Marcelli S. Stephani in Monte Caelio Sanctacrucii; Ioannes Baptista Buccata, clericus Bergomensis, Ioannis Baptistae S. Marcelli Spadae; Angelus Vignatus, laicus Lodegianus, Francisci S. Mariae in Viâ Albicii; Franciscus Horatius Speculus, clericus Romanus, Octavii S. Ceciliae de Aquaviva; Antonius Theodosius, Senensis, clericus, Flavii S. Mariae de Populo Chisii; Thomas Claudius, clericus coniugatus, Pergulensis, Scipionis S. Sabinae Delcii; Franciscus Salundocius, clericus, Florentinus, Hieronymi S. Agnetis extra moenia Farnesii; Michaël Bizzottus, sacerdos canonicus ecclesiae collegiatae Ss. Paulini et Donati, Lucensis, Hieronymi sancti Hieronymi Illyricorum Bonvisii; Hieronymus Piccolomineus, clericus Senensis, Antonii S. Augustini Brichii; Dominicus Venantius, clericus Nepensis, Petri S. Calixti Vidoni; Hieronymus de Dominicis, sacerdos Belfortis Camerinensis dioecesis, Gregorii S. Thomae in Parione Barbarici; Franciscus Antonius Scarincius, clericus Romanus, Hieronymi Ss. Marcelli et Petri Boncompagni; Hieronymus Mucciolus, clericus Pisaurensis, Alphonsi S. Crucis in Hierusalem Littae; Ioseph Fiduccius, clericus de Monte Pulciano, Nerii Ss. Nerei et Achillei Corsini; Philippus Argentus, laicus, a Civitate Vetere, Caroli S. Anastasii Bonelli; Ludovicus Gabutius, sacerdos Firmanus, Caelii S. Petri in Monte Aureo Piccolominei; Ioannes Antonius Fiducius, clericus coniugatus de Monte Pulciano, Caroli S. Susannae Carafae; Dominicus Minutius, sacerdos a Montealbotto Senogalliensis dioecesis, Palutii Ss. XII Apostolorum Albertonii; Petrus Franciscus Iandinus, sacerdos Foroliviensis, Caesaris S. Ioannis ante Portam Latinam Rasponi; Lelius Bertonus, clericus Rolanus, Nicolai S. Mariae Transpontinae de Comitibus; comes Fabritius Torglionus, clericus Anconitanus, Iacobi S. Mariae de Pace Nini; Petrus Valtronius, Monsaviniensis, iuris utriusque doctor, clericus dioecesis Aretinae in Etruria, Caroli Roberti Victorii; Iulius, Puttius, sacerdos a Spetia, dioecesis Sarsanensis, Iulii Spinulae; abbas Didacus Tabassus, dioecesis Sulmonensis, Innici S. Clementis Caraccioli; Thomas Berterra, clericus a Saxoferrato, Ioannis Delphini; Iulius Florinus, Rhegiensis coniugatus, Rinaldi S. Nicolai in Carcere Tulliano Estensis; Camillus Cerronius, canonicus cathedralis Ferrariensis, Ioannis Stephani S. Agathae Donghii; Adrianus Corromanus, clericus coniugatus Perusinus, Pauli Æmilii S. Mariae in Co-

smedin Rondinini; Marcus Mellinus, Romanus, clericus coniugatus, Francisci S. Mariae in Vialatâ Maidalchini; Ioseph Danzaërt de Beveren, clericus Flandrensis, Federici S. Caesarei de Hassia; Antonius Comes, clericus Camerinensis, Caroli S. Angeli in Foro Piscium Barberini; Petrus Carolus Capelletus, clericus coniugatus, Reatinus, Caroli S. Eustachi Pii; Franciscus Gentilutius, clericus Lauretanae dioecesis, Caroli S. Eustachii Gualterii; Antonius Favonius, canonicus cathedralis S. Severini, Decii S. Adriani Azzolini; Hieronymus Valentinus, sacerdos Hortensis, Odoardi Ss. Cosmae et Damiani Vecchiarelli; Dominicus Ranconius, laicus Ferrariensis, Iacobi S. Mariae in Aquiro Fransoni; Gasparus Plantanidus, clericus Romanus, Francisci Mariae Ss. Viti et Modesti Mancini; Ioannes Hieronymus Rosolinus, iuris utriusque doctor, Romanus, Angeli S. Georgii ad Velum Aureum Celsi; Annibal Benignus, clericus Camerinensis, Pauli S. Mariae de Scala Sabelli Peretti; Paschasius de Forneriis Gallus, Marsicensis, clericus coniugatus, Ludovici de Vandosme, diaconorum S. R. E. nuncupatorum.

VIII.

Facultas duci Bavariae tradendi octo ex decem monasteriis Palatinatus superioris, dudum per haereticos occupata, religiosis eorum respective Ordinum, et reliqua duo monasteria, quae erant monialium, in erectionem novi monasterii monialium in oppido Bambergae faciendam.

Dilecto filio nobili viro Ferdinando Mariae Bavariae duci, Sacri Romani Imperii principi electori,

Clemens Papa IX.

Dilecte fili, nobilis vir, salutem et apostolicam benedictionem.

Exordium. Sacrosancti apostolatus ministerium humilitati nostrae, nullo licet meritorum nostrorum suffragio, ab Æterno Pastore creditum, exigit ut, circa ea, per quae Ecclesiae decori et utilitati, catholicaeque fidei propagationi et religionis incremento consulitur, propensis studiis intendentes, datae nobis a Domino potestatis partes desuper interponamus, sicut pia catholicorum principum avitae religionis tuendae et propagandae zelo eximiae[1] conspicuorum vota postulant, et nos, maturâ prudentique deliberatione praeviâ, ad omnipotentis Dei gloriam et animarum salutem, ac ecclesiarum aere alieno oppressarum levamen, piorumque operum provectionem cognoscimus in Domino salubriter expedire.

Expositio. § 1. Exponi siquidem nobis nuper fecisti, quod, cum monasteria de Reichenbach, de Ensdorff, de Weissenhoë et de Michelfelt, virorum, Ordinis sancti Benedicti, ac de Walderbach et de Walsassen, etiam virorum, et de Selingenpon, mulierum, Ordinis Cisterciensis, necnon de Schontal, sive Vallis Speciosae, virorum, Ordinis Eremitarum sancti Augustini, ac de Speissart, etiam virorum, Ordinis Praemonstratensis, et de Gnaderbergh nuncupata, monialium, Ordinis sanctae Brigittae, Ratisbonensis, Bambergensis et Eistettensis dioecesum respective, in Palatinatu superiori existentia, cum omnibus eorum bonis, pertinentiis et iuribus, dudum ab haereticis occupata et tamdiu detenta fuerint, donec a clarae memoriae Ferdinando II dum vixit Romanorum rege illustri in imperatorem electo, operâ praecipue, ope, consiliis et fortitudine bellicâ bonae memoriae Maximiliani dum vixit Bavariae ducis, sacri Romani imperii principis

1 Legerem *eximio* (R. T.).

electoris, genitoris tui, ab illorum manibus vindicata et recuperata fuerunt; tu ad Catholicam Religionem in dicto Palatinatu, qui a memorato Ferdinando rege eidem Maximiliano duci cessus et traditus fuit, et in cuius tu possessione uti ipsius Maximiliani ducis haeres et successor existis, stabiliendam atque augendam plurimum conferre posse existimas, si eadem monasteria, eorumque bona, videlicet de Reichenbach (cuius bonorum seu reddituum certa portio dilectis filiis fratribus conventus, qui est in civitate Neoburgi, Ordinis fratrum sancti Francisci de Paula Minimorum nuncupatorum assignata reperitur) ac de Ensdorff, de Weissenhoë et de Michelfelt dicto Ordini sancti Benedicti eiusque monachis eiusdem provinciae in qua ea sita sunt, ac de Walderbach et Walsassen Ordini Cisterciensi eiusque abbati generali et monachis, necnon de Schontal, seu Vallis Speciosae, Ordini Eremitarum sancti Augustini, eiusque fratribus, ac de Speissart Ordini Praemonstratensi, eiusque canonicis regularibus, de Selingenpont vero monialium Cisterciensium et de Gnaderbergh monialium S. Brigittae Ordinum huiusmodi monasteria in erectionem unius novi monasterii pariter monialium, illius Ordinis qui magis placuerit, in oppido civitate nuncupato Ambergae[1] eiusdem Palatinatus superioris, in quo alia monialium monasteria non reperiuntur, respective tradantur, tribuantur et assignentur, prout tradi, tribui et assignari summopere desideras, nullo tamen tibi desuper acquisito vel reservato iurepatronatus aut alio quocumque iure, ita ut in Ordines praedictos eorumque personas respective, quarum operâ, vitâ et exemplo fides catholica in illis partibus benedicente Domino stabiliri propagarique possit, libere transeant.

1 Supra legebatur *Bambergae* (R. T.).

§ 2. Quare nobis humiliter supplicari fecisti, ut in praemissis opportune providere de benignitate apostolicâ dignaremur. Nos igitur, piis religiosisque nobilitatis tuae votis huiusmodi favorabiliter quantum cum Domino possumus annuere, specialemque tibi, de cuius pietate ac in nos et hanc sanctam Sedem devotione plurimum in Domino confidimus, gratiam facere volentes, teque a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et penis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existis, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, de congregationis a nobis super hoc negotio specialiter deputatae consilio, tibi tenore praesentium benigne indulgemus, ut, nostrâ et dictae Sedis Apostolicae, ad quam bonorum praedictorum dispositio pertinere dignoscitur, auctoritate, praedicta de Reichenbach, de Ensdorff, de Weissenhoë et de Michelfelt memorato Ordini S. Benedicti eiusque monachis eiusdem provinciae in qua sita sunt, de Walderbach vero et de Walsassen Ordini Cisterciensi eiusque abbati generali et monachis, de Schontal autem, sive Vallis Speciosae, Ordini Eremitarum sancti Augustini eiusque fratribus, ac de Speissart Ordini Praemontratensi eiusque abbati generali et canonicis regularibus, necnon de Selingenpont et de Gnaderbergh monialium monasteria[1] huiusmodi in erectionem novi monialium monasterii in dicto oppido Ambergae ut praefertur faciendam, respective, cum omnibus et singulis ipsorum respective monasteriorum bonis, pertinentiis, mem-

Concedit Pontifex prout rubricâ.

1 Male edit. Main. legit *monasterii* pro *monasteria* (R. T.).

bris, redditibus et iuribus universis sicut praemittitur perpetuo tradere, tribuere et assignare (cum interventu tamen et assistentiâ dilecti filii nostri et Sedis praedictae nuncii apud carissimum in Christo filium nostrum Leopoldum eorumdem Romanorum regem illustrem in imperatorem electum pro tempore residentis, vel alterius ecclesiasticae personae ab eodem nuncio deputandae) possis et valeas, nullo tamen tibi desuper acquisito aut reservato iurepatronatus, aut alio quocumque iure, et salvâ remanente supradicto conventui fratrum Minimorum Ordinis sancti Francisci de Paula, pro eorum alimentis, portione bonorum seu reddituum dicti monasterii de Reichenbach penes ipsos existente, quam portionem eisdem fratribus concedimus, et ab eis retineri volumus, donec de aequivalenti annuo redditu et aeque opportuno provisum illis fuerit. Volentes insuper et auctoritate apostolicâ decernentes venerabilem fratrem Marquardum episcopum Eistettensem, ad effectum instituendi iuxta decreta Concilii Tridentini seminarium ecclesiasticum in suâ civitate seu dioecesi Eistettensi, et non ad alios usus, accipere per triennium, a datâ praesentium litterarum computandum, de manu illius, penes quem erit administratio supradictorum duorum monasteriorum monialium de Selingenpont et de Gnaderbergh, omnes fructus ex eorumdem duorum monasteriorum bonis provenientes; dilectum vero filium nostrum Guidobaldum S. R. E. cardinalem de Thun nuncupatum, ecclesiae Ratisbonensis ex concessione et dispensatione apostolicâ praesulem, accipere pariter per triennium de manu praedictorum monachorum ac canonicorum regularium et fratrum Ordinis Eremitarum sancti Augustini respective dimidiam partem annuorum fructuum ex aliorum primodictorum octo monasteriorum virorum bonis proventurorum, ut in extinctionem debitorum eiusdem ecclesiae Ratisbonensis, cum interventu et consensu dilectorum filiorum capituli et canonicorum ipsius ecclesiae, et non in alios usus, convertantur, idque, sive effectum habuerit sive non habuerit aliud indultum percipiendi per triennium omnes fructus omnium decem monasteriorum praedictorum bonae memoriae episcopis Ratisbonensibus defunctis[1] a felicis recordationis Alexandro Papa VII praedecessore nostro concessum. Nos enim tibi praemissa omnia modo et formâ praedictis peragendi et exequendi, nec non memorato nuncio novum monasterium monialium, eius qui magis placuerit Ordinis, in praedicto oppido Ambergae ad omnipotentis Dei gloriam et animarum salutem ac religionis incrementum, auctoritate nostrâ apostolicâ perpetuo erigendi et instituendi, ac praedicta duo monialium monasteria de Selingenpont et de Gnaderbergh, eorumque titulos, denominationes, statum et essentiam regulares penitus et omnino itidem perpetuo supprimendi et extinguendi, ipsorumque monasteriorum sic suppressorum et extinctorum bona, proprietates redditus, proventus, obventiones, iura et emolumenta universa eidem novo monasterio pro illius dote, eiusque monialium sustentatione, ac onerum eis pro tempore incumbentium supportatione, ita ut liceat ipsis monialibus novi monasterii huiusmodi suo et eiusdem monasterii nomine illorum omnium corporalem, realem et actualem possessionem, seu quasi possessionem, per se, vel alium, seu alios, apprehendere et apprehensam perpetuo retinere, fructus quoque redditus, proventus et emolumenta quae-

1 Edit. Main. legit *de defunctis* (R. T.).

cumque ex eis proventura, postquam tamen triennium, ad quod eosdem fructus a memorato Marquardo episcopo accipi voluimus, ut praefertur, elapsum fuerit, percipere, exigere, levare, ac in suos communes et dicti monasterii usus, necessitates et utilitatem convertere, dioecesani loci seu cuiusvis alterius licentiâ desuper minime requisitâ, etiam perpetuo, dictâ auctoritate, concedendi, applicandi, appropriandi et assignandi, ceteraque desuper necessaria et quomodolibet opportuna faciendi, gerendi et exequendi, quamcumque necessariam et opportunam facultatem et auctoritatem, earumdem tenore praesentium, tribuimus et impartimur.

Decretum irritans.

§ 3. Decernentes ipsas praesentes litteras, et in eis contenta, ac inde iuxta earum formam et tenorem secutura quaecumque, nullo unquam tempore sub quibusvis similium vel dissimilium gratiarum revocationibus, limitationibus, suspensionibus, aliisque contrariis dispositionibus etiam per nos et successores nostros Romanos Pontifices, sub quibuscumque verborum tenoribus et formis, etiam motu proprio et de apostolicae potestatis plenitudine, pro tempore faciendis comprehendi vel comprehensa censeri, sed ipsas praesentes litteras, tamquam ad divini cultus ac religionis bonorumque et piorum operum incrementum concessas, semper ab illis excipi, et exceptas, ac, quoties illae emanaverint, toties in pristinum et validissimum statum restitutas, repositas et plenarie reintegratas, ac de novo etiam sub posteriori datâ per eos, ad quos pro tempore spectabit, quandocumque eligendâ concessas intelligi, firmasque, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, sicque et non aliter in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac eiusdem S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos ac dictae Sedis nuncios, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariorum derogatio.

§ 4. Non obstantibus praemissis, ac, quatenus opus sit, nostris et cancellariae apostolicae regulis de iure quaesito non tollendo, ac de unionibus, dismembrationibus, suppressionibus et applicationibus perpetuis committendis ad partes, vocatis quorum interest, exprimendoque in eis vero valore, necnon Lateranensis concilii novissime celebrati uniones perpetuas, nisi in casibus a iure permissis fieri prohibentis, aliisque apostolicis, ac in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, ac praedictorum monasteriorum et Ordinum, aliisve quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis etiam dictis Ordinibus et monasteriis, eorumque superioribus et personis quibuscumque, sub quibusvis verborum tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficaciorибus et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis, in genere vel in specie, etiam consistorialiter et aliàs quomodolibet in contrarium praemissorum concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis

eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi praesentibus pro sufficienter expressis ac ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXIV augusti MDCLXVII, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 24 augusti 1667, pontif. anno I.

IX.

Confirmatio concordiae inter archiepiscopum Toletanum ac priorem et fratres conventus S. Bartholomaei de Lupiano Ordinis S. Hieronymi Toletanae dioecesis per quam modus colligendi decimas stabilitur.

Venerabili fratri episcopo Conchensi,
Clemens Papa IX.

Venerabilis frater,
salutem et apostolicam benedictionem.

Motiva huius Constitutionis.

Nuper pro parte dilectorum filiorum nostri[1] Paschalis tituli S. Balbinae sanctae Romanae Ecclesiae presbyteri cardinalis de Aragonia nuncupati, ecclesiae Toletanae ex concessione et dispensatione apostolicâ praesulis, ac prioris et fratrum conventus S. Bartholomaei oppidi seu loci de Lupiana Ordinis S. Hieronymi Toletanae dioecesis, nobis expositum fuit, quod aliàs, lite et causâ seu quaestionis materiâ inter ipsos Paschalem cardinalem praesulem ex unâ ac priorem et fratres ex alterâ partibus, de et super proprietate decimarum ex infrascriptis terris et possessionibus ad dictum conventum spectantibus provenientium ab archiepiscopo Toletano praetensâ, coram certis illarum partium iudicibus competentibus introductâ, et in gradu appellationis in secundâ seu aliâ veriori instantiâ coram Apostolicae Sedis nuncio, in illis partibus commorante, indecisâ pendente, iidem Paschalis cardinalis et praesul ac prior et fratres, provide considerantes graves litium expensas, illarumque dubios eventus, et propterea ulterioribus expensis huiusmodi parcere volentes, ac pro bono pacis et quietis, ad infrascriptam sub nostro et Sedis Apostolicae beneplacito devenerunt inter se concordiam, videlicet:

Tenor concordiae.

Quod bona, possessiones et terrae in locis seu oppidis de Pitrilla, Lupiana, Orche, Balberdae, Latanzon territorio de Alcoëte Valbueno, Cabanillas, Quer, Alobera, Marchamalo, Romanones, Baldeabervelo, Usanos, Chisveches, Lauzena et civitate nuncupatâ de Guadalaiara existentia, et in terminis et decimalibus ad dictum conventum, tam ex antiquâ fundatione, quam ex emptione, haereditatibus, aut legatis piis, sive alio quocumque titulo, quomodolibet spectantia, dummodo propriis dicti conventus expensis curentur et colantur, a decimarum solutione praedicto archiepiscopo faciendâ ad praesens et deinceps omnino libera sint; quodque, si contigerit dictum conventum aliquas ex dictis terris seu possessionibus ipsius conventus subditis seu familiaribus vel quibusvis aliis personis in administrationem assignare, tunc decimae exinde provenientes pro medietate dividantur, quarum altera archiepiscopo reliqua vero conventui praedictis aequaliter solvantur iuxta ratam per parochos locorum seu oppidorum

1 Videtur legendum *et fratris nostrorum* (R. T.).

huiusmodi designandam; quodque, si conventus huiusmodi aliquas ex supradictis terris seu possessionibus cuiquam pro medietate responsionis fructuum concesserit, decimae a partecipantibus medietatem fructuum huiusmodi integraliter ipsi archiepiscopo solvantur, dictoque conventui decimae eorum medietatis tantum proveniant; ex terris vero seu possessionibus in dictis terminis et decimatibus[1] huiusmodi, quas dictus conventus in censum perpetuum hactenus concessit et in posterum concedet, decimae dicto archiepiscopo integraliter solvantur, exceptis tamen ex illis quodam horto *del Peral* nuncupato et quadam vineâ a Ioanne Garzia ad praesens obtentâ et in loco de Lupiana existente, quorum decimae dicto conventui solvi debent; quodque, si terrarum seu possessionum huiusmodi in censum perpetuum, ut praefertur, concessarum et in posterum concedendarum, exceptis horto et vineâ praedictis, quavis de causâ concessio huiusmodi in favorem dicti conventus cessaverit, et illas conventus huiusmodi in affictum concedet, decimae exinde provenientes pro medietate archiepiscopo et conventui praedictis solvantur; et, si denuo per conventum aliqua alia concessio perpetuo fiet, tunc decimae huiusmodi integraliter archiepiscopo persolvantur; si vero dictus conventus in futurum aliquas alias terras seu possessiones in supradictis terris et decimalibus ex emptionibus seu haereditatibus aut legatis piis vel aliàs quomodolibet acquisierit, decimae exinde provenientes, licet terrae seu possessiones huiusmodi, sic acquisitae, propriis dicti conventus expensis curentur et colantur, dicto archiepiscopo integraliter persolvantur; decimae quoque, ex fructibus olivarum in terminis de Pitrilla et Lupiana existentium et ad medietatem a dicto conventu ut praefertur concessarum provenientes, ad eumdem archiepiscopum pro anno proxime praeterito spectent, prout superius dictum fuit; dictusque conventus, ratione fructuum per eum in terminis de Pitrilla et Lupiana a die inceptae[1] super praesentibus litis usque ad concordiae huiusmodi transactionem perceptorum, eidem archiepiscopo summam duorum millium regalium monetae de Vellon in die festo Nativitatis Domini nostri Iesu Christi anni proxime venturi in oppido de Alcala de Henares, ac potestate Ioannis Canpuzano, iurium dicti oppidi receptoris, propriis sumptibus sub poenâ sexcentorum morapetinorum pro salario quotidiano tam eundo, stando et redeundo personae pro exactione huiusmodi transmittendae assignando, persolvere debeat et teneatur, ac sub nonnullis aliis pactis et ordinationibus, licitis tamen et honestis, prout in instrumento per acta Gregorii *del Castillo,* notarii publici apostolici illarum partium, desuper confecto plenius dicitur contineri.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, exponentes praedicti praemissa, pro firmiori illorum subsistentiâ, apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri summopere desiderent: nos, specialem ipsis exponentibus gratiam facere volentes, dictorumque prioris et fratrum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis in-

Confirmat Pontifex prout in rubricâ.

1 Paulo ante *decimalibus* legitur (R. T.).

1 Ed. Main. habet *incepta* (R. T.).

clinati, fraternitati tuae, frater episcope, qui ut asseritur, Ordinarius vicinior existis, per praesentes committimus et mandamus, ut, constito tibi de narratis, transactionem seu concordiam inter partes praedictas initam, ut praefertur, confectumque [1] desuper instrumentum huiusmodi, cum omnibus et singulis in eo contentis, aliàs tamen licitis et honestis, auctoritate nostrâ apostolicâ confirmes et approbes, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicias, ac omnes et singulos tam iuris quam facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, suppleas.

Contrariis derogat.

§ 3. Non obstantibus felicis recordationis Pauli II et aliorum Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum de rebus Ecclesiae non alienandis, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon, quatenus opus sit, ecclesiae Toletanae, ac Ordinis et monasterii huiusmodi, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXVII augusti MDCLXVII, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 27 augusti 1667, pontif. anno I.

1 Edit. Main. legit *confectamque* (R. T.).

X.

Constitutio super reformatione iurisdictionis tribunalis Burgi.

Clemens episcopus,
servus servorum Dei,
ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

In hoc primo nostri pontificatus ingressu id a nobis nostri muneris ministerium exigit ut in remotos aeque ac proximos paternae charitatis officium extendatur. Nulli tamen invidiosum fore credimus, si a dilectis filiis almae Urbis nostrae habitatoribus, iisque potissimum, qui illius regionem Burgi vocabulo nuncupatam, nostro Vaticano palatio propinquam, sub oculis fere nostris inhabitant, nostra beneficia initium capere conspiciantur.

Constitutiones praecedentes referuntur.

§ 1. Propterea, cum felicis recordationis Iulius Papa III praedecessor noster, per suas sub annulo Piscatoris die XXII februarii anni MDL, pontificatus sui I, expeditas litteras, gubernatori utriusque burgi S. Petri privativam et particularem iurisdictionem civilem et criminalem, merumque et mixtum imperium, ac gladii potestatem concesserit, cum facultate deputandi iudices, procuratorem fiscalem, notarios et exequutores; eaque iurisdictio postmodum a nonnullis ex praedecessoribus nostris in similium gubernatorum electione per alias eorum litteras sub plumbo seu annulo Piscatoris ut praefertur expeditas renovata et declarata et forsan consuetudine ampliata extiterit:

Motiva reformationis.

§ 2. Nos, considerantes quod multa, etiam ab initio mature discussa et ad optimum finem instituta, tractu temporis diversimode regenda et gubernanda sunt, experientiâ et successivâ rerum mutatione sic docentibus; certioresque insuper facti, quod eidem burgi tribunali pro congruâ officialium eiusdem

sustentatione non aliter provisum sit quam ex taxis maioribus et gravioribus excedentibus taxas aliorum tribunalium et praecipue gubernii Urbis, atque hinc dispendia et querimoniae oriantur illorum, quorum beneficio erectum fuit; quodque ex tribunalium multiplicitate frequenter contentiones super iurisdictione insurgunt, necnon inter sese discrepantes processus, quae omnia et reis molestias aggravant, et causarum expeditioni impedimento sunt:

Reformatio. § 3. Proinde, subditorum nostrorum commodo et recto iustitiae cursui consulentes, nonnullorum venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium ad hoc a nobis specialiter deputatorum desuper auditis sententiis, hac nostrâ perpetuo valiturâ constitutione praefatam Iulii aliasque quascumque praedecessorum nostrorum constitutiones ac litteras (quarum tenores hîc pro expressis et insertis haberi volumus) ut praefertur emanatas, in eâ tantum parte cui haec nostra constitutio adversatur, revocamus et annullamus, quas tamen in reliquis in suo robore permanere volumus. Et in futurum dilectum filium nunc et pro tempore existentem almae Urbis nostrae gubernatorem, eiusdem burgi vicegubernatorem privative pro causis civilibus, criminalibus et mixtis, cum omnibus facultatibus sibi in aliis dictae Urbis regionibus, etiam vigore litterarum seu chirographorum, de quibus specialis seu specialissima mentio habenda foret, competentibus, per praesentes deputamus, ac deputatum esse volumus et decernimus. Ita quod pro burgi causis huiusmodi nobis successoribusque nostris tantum, et non aliis, rationem reddere aut parere teneatur. Et cum iam ex speciali nostro chirographo indemnitati possessoris officii notariatus dicti burgi consultum sit, mandamus eidem gubernatori, vicegubernatori ut praefertur deputato, quatenus, pro exercitio iurisdictionis burgi huiusmodi, eisdem iudicibus, exequutoribus, carcerumque custodibus, quibus in gubernio Urbis utitur, ac iis notariis, qui de mandato nostro pro praedictis causis eiusdem burgi deputati fuerint, utatur, et ab omnibus supradictis aliisque officialibus, in eisdem causis civilibus, criminalibus et mixtis, Urbis gubernii taxas servari faciat.

§ 4. Declarantes quod edicta, decreta, sententiae et acta, quae ab eiusdem Urbis gubernatore, sive eius locumtenentibus, aliisque officialibus pro tempore emanabunt, in burgo et ab eius habitatoribus (vigore iurisdictionis quam nos eidem Urbis gubernatori, uti vicegubernatori burgi, per praesentes tribuimus) observari debeant, etiamsi in edictis, decretis, sententiis, aliisque actis praedictis talis titulus non exprimatur; ac locumtenentes, substitutos, exequutores, aliosque officiales pro gubernio dictae Urbis deputatos, eo ipso etiam pro eisdem causis burgi deputatos esse et censeri debere; privativam tamen notario, tam criminali quam civili, ac mandatario pro causis ad dictam regionem burgi pertinentibus deputandis reservantes.

§ 5. Iniungentes eidem Urbis gubernatori, ut omnes scripturas omniaque acta, usque in praesens in officio burgi extantes et extantia, ad officium gubernii Urbis asportari, illasque et illa, prout causas civiles aut criminales concernunt, notariis civilibus et criminalibus pro causis burgi deputatis separatim et respective consignari faciat; praevio tamen illarum et illorum inventario, ad hoc ut de eisdem rationem reddere teneantur.

§ 6. Recursum autem in civilibus cau-

sis burgi camerae nostrae apostolicae generali auditori, prout antea competebat, reservamus.

§ 7. Iniungimus praeterea eidem Urbis pro tempore gubernatori, ut in burgo, pro bono ipsius gubernio et incolarum securitate, tot birruarios sub uno vigili conductore, quot sibi prudentia praevia suaserit et exegerit necessitas, morari curet.

Iurisdictioni iudicis burgi erogare non aten lit;

§ 8. Declarantes etiam, in locis et causis civilibus et criminalibus et mixtis in quibus burgi iudex iurisdictionem privativam habebat, nullam deinceps iurisdictionem acquirere seu exercere posse alia tribunalia, iudices et exequutores Urbis, quae et qui ante praesentium emanationem in eisdem eam non exercebant; volentes, ut supra dictum est, quod praefata iurisdictio Urbis tantum gubernatori, tamque burgi vicegubernatori, eiusque curiae privative concessa censeatur; quodque in reliquis, iis tantum exceptis de quibus in praesentibus dispositum est, burgi gubernatori, a nobis successoribusque nostris pro tempore pariter eligendo, eaedem praerogativae, honores, emolumenta etiam ex poenis, confiscationibus, ac notariorum et mandatariorum responsionibus provenientia, commodaque omnia remaneant, quibus burgi gubernatores, qui pro tempore fuerunt, hactenus fruiti sunt et frui consueverunt. Cum burgi gubernium nequaquam extinguere seu supprimere, sed tantummodo normam, et quibus ministris illud regendum et administrandum sit, praescribere intendamus.

Neque iurisdictione gubernatoris conclavis Sede vacante.

§ 9. Verum, quia conclavis gubernator in burgo iurisdictionem exercere solitus est, volumus et ordinamus, quod idem conclavis gubernator, a venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium collegio pro tempore eligendus, Sede Apostolicâ vacante, in eodem burgo (hoc est, in situ, qui a burgi moenibus includitur, et a flumine prope portam S. Spiritus incipiendo, ad portam Equitum levis armaturae, ad portam Fabricam, et deinde ad portam Angelicam, portam Castelli vulgo nuncupatam, ad pontem usque S. Angeli inclusive, decurrit, comprehensis ex parte burgi ripis fluminis, earumque annexis) eamdem iurisdictionem civilem et criminalem, merumque et mixtum imperium habeat, prout in praeteritis Sedis praedictae vacationibus habebat, sed in aliis locis extra burgi moenia huiusmodi remanentibus, in quibus burgi iudex iurisdictionem privativam exercebat, eamdem Urbis gubernator praedictus tamquam burgi vicegubernator, tam plenâ quam vacante Sede huiusmodi, exerceat. Declaramus insuper, quod iurisdictio praefata, conclavis gubernatori concessa, causas tantum comprehendit, quae post eius electionem inceperint, relictis aliis, quae ante eius electionem huiusmodi inchoatae fuerint, absque ullâ suspensione et impedimento dictae Urbis gubernatori, ad quem et illae devolvantur, quas praedictus conclavis gubernator antequam expiret eius iurisdictio (quam nos initio sequentis post Summi Pontificis electionem diei terminare decernimus) absolvere non potuerit.

§ 10. Volumus etiam, quod, pro dictâ iurisdictione exercendâ, conclavis gubernator in causis criminalibus deputet unum ex substitutis locumtenentibus in Urbis gubernio; pro causis vero civilibus, civilem gubernatoris Urbis locumtenentem; et, in utrisque causis, exequutoribus, gubernatoris Urbis utatur, notariosque et respective mandatarium assumat illos, per quos acta et civiles ac criminales causae burgi respective in futurum agentur; et ab omnibus servari omnino curet taxas, quibus utitur Urbis guber-

nator; cui stricte praecipimus et mandamus ut eosdem locumtenentes, notarios et exequutores, et alios ministros necessarios, gubernatori conclavis prompte et sine difficultate subministret.

§ 11. Mandamus insuper custodibus qualiumcumque Urbis carcerum, quod recipiant, custodiant et relaxent delinquentes ad eorum carceres transmissos a tribunali gubernii conclavis, iuxta illius gubernatoris ordinationes et mandata; dantes facultatem eidem gubernatori conclavis mittendi eius locumtenentem criminalem et ministros, ad actus opportunos faciendos pro causis ad eum spectantibus, ad quoscumque carceres et alia loca Urbis, ubicumque opus fuerit.

Venditionem domorum, quae officialibus burgi et carceribus inserviebant, thesaurario camerae committit.

§ 12. Denique committimus dilecto filio nostro et camerae nostrae apostolicae praefatae generali thesaurario, ut pro eâdem camerâ vendat seu vendere faciat domum seu domos, quae antea pro officialibus burgi et carceribus eiusdem tribunalis inserviebant, et, venditione factâ, pretium recipiat, sive, si ipsi ita videbitur, eas ad usum privatarum domorum reductas locet, locandasque curet, cui proinde necessariam et opportunam facultatem concedimus.

§ 13. Decernentes praesentes litteras semper et perpetuo validas et efficaces existere, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere debere, nec eas sub quibusvis revocationibus, suspensionibus, limitationibus, derogationibus, aut aliis contrariis dispositionibus et cancellariae apostolicae regulis editis et edendis comprehendi, nec per eas revocatas esse aut fore vel censeri posse, sed, quoties eas comprehendi aut revocari contigerit, toties, ex nunc prout ex tunc, in pristinum statum restitutas et de novo concessas esse, sicque et non aliter per quoscumque iudices ordinarios vel delegatos, quavis auctoritate fungentes, etiam S. R. E. cardinales, ac palatii nostri apostolici et dictae camerae auditores, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate, iudicari et definiri debere, irritum quoque et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogat contrariis.

§ 14. Non obstantibus, quatenus opus sit, nostrâ et cancellariae praefatae regulâ de iure quaesito non tollendo, ac praedicti Iulii III aliisque praedecessorum huiusmodi constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac tribunalis burgi et Urbis huiusmodi, quatenus in aliquo obstent, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum forsan quomodolibet concessis, approbatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi aliàs illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso et formâ in illis traditâ observatâ, inserti forent, eisdem praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, harum serie derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Sanctio penalis.

§ 15. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostram revocationis, annullationis, voluntatis, deputationis, mandati, iniunctionis, reservationis, declarationis, intentionis, commissionis, concessionis, ordinationis, derogationis

et decreti infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, anno Incarnationis Dominicae MDCLXVII, kalendis septembris, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 1 septembris 1667, pontif. anno I.

XI.

Confirmatio quorumdam decretorum editorum in capitulo generali fratrum Minorum Ordinis sancti Francisci Capuccinorum.

Clemens Papa IX,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium. Debitum pastoralis officii, quo Ecclesiae Catholicae regimini divinâ dispositione praesidemus, exigit ut, paternam christifidelium divinis obsequiis sub suavi arctioris religionis iugo mancipatorum uberesque bonorum operum fructus benedicente Domino proferre iugiter satagentium curam gerentes, illâ, quae pro felici prosperoque eorum regimine provide constituta esse noscuntur, ut firma atque illibata persistant, apostolici muniminis patrocinio roboremus.

Causa approbationis decretorum. § 1. Exposuit siquidem nobis nuper dilectus filius noster Hieronymus S. R. E. presbyter cardinalis Farnesius nuncupatus, Ordinis fratrum Minorum sancti Francisci Capuccinorum nuncupatorum apud nos et Sedem Apostolicam protector, quod in nupero capitulo generali dicti Ordinis, cum consensu et approbatione omnium vocalium in eo congregatorum, facta et stabilita fuerunt pro felici eiusdem Ordinis gubernio decreta seu capitula tenoris qui sequitur, videlicet:

Decreta referuntur. I. « Cum non possit pater generalis complere totam religionis visitationem decursu sexennii, expedit differre officium generalatus usque ad septennium, et quod, si durante septennio, non completâ visitatione, decedat, primus definitor sub nomine vicarii generalis perficiat visitationem, et maneat in officio usque ad complementum dicti septennii; ipso autem impedito, vel non valente, succedat alius definitor gradatim iuxta constitutiones.

II. Cum capitula provincialia modo sint annualia, expedit ut in posterum fiant tantum de triennio in triennium, et singulis annis fiat congregatio intermedia, in qua subrogentur novi guardiani illis qui tempus iam compleverunt, sicut etiam illis, qui licet tempus non compleverint, minus tamen apti reputabuntur; in eâdem etiam fiat syndicatus procuratoris provincialis per quatuor definitores ad hoc specialiter definitorio congregandos, ubi dicat suam culpam, consignet et deponat sigilla in signum humilitatis, quamvis ipse non sit depositus: salvâ tamen facultate patri generali convocandi praedicta capitula occasione suae visitationis, vel aliâs, si et quando iudicaverit necessarium.

III. Procurator generalis non concurrat ad generalatum in capitulis in posterum celebrandis dumtaxat.

IV. Definitores actuales in posterum (durante eorum officio) non possint eligi in guardianos; habebunt tamen vocem in capitulo provinciali, dum actu sint definitores, vel custodes ad capitulum generale, etiamsi non concurrant ad discretatum. Exprovincialis vero post annum poterit eligi in guardianum iuxta constitutiones.

V. Definitores, completo definitoriatus officio, nullam habeant praecedentiam, sed illum tantum locum obtineant, qui

ipsis non ex officio iam completo, sed ex antiquitate professionis debetur.

VI. Patres generalis et provinciales, completo eorum officio, sedeant (durante capitulo) in ultimo loco sacerdotum, et per aliquot dies abluant utensilia: similiter in processionibus, quae fiunt durante capitulo, occupent ultimum locum sacerdotum.

VII. Guardiani tempore Adventus nullo modo concionentur extra locum suae guardianiae, quod etiam servetur tempore Quadragesimae, nisi agatur de concionatoribus insignibus, vel urgens necessitas suaserit patri generali eos in casibus particularibus dispensandi, et tunc idem generalis provideat conventui de vicario gravi et idoneo. Concionatores vero praedicti non mittantur nisi ad provincias et loca viciniora.

VIII. Non praedicent lectores tempore Quadragesimae, sed per totum anni cursum lectionibus incumbant. Studentes non mutentur in aliam ab aliâ[1] familiâ in qua student: nulli concedatnr lector particularis: studeant per septennium integrum: super quibus dispensari non possit.

IX. Concionatores non concionentur extra suas provincias, nisi sint praedicatores insignes, et concionari debeant in cathedralibus, seu aliis conspicuis ecclesiis.

X. Confessores non admittantur ad audiendas confessiones fratrum, et lectores ad lecturam, nisi approbati fuerint, praevio rigoroso examine, ac per vota secreta examinatorum.

XI. Definitores generales resideant Romae, quibus pro urgentibus et gravioribus negotiis religionis sit communis commissio generalis facta patri procuratori generali a patre generali: ita ut procedant insimul et coniunctim usque ad capitulum generale, in quo singuli habebunt vocem electivam tamquam unus ex custodibus suarum provinciarum.

XII. Provinciales qui nondum compleverunt triennium, durent donec compleant. Oratio mentalis, quae tempore aestivo fiebat post meridiem, fiet mane ad primam.

HIERONYMUS Cardinalis FARNESIUS, protector; Fr. FORTUNATUS, minister generalis; Fr. Bonaventura a Recineto, procurator generalis, Fr. Aloysius a Verona, definitor generalis, Fr. Lucas Maringuis, definitor generalis, Fr. Franciscus de Xeres definitor generalis, Fr. Claudius Bituricensis, definitor generalis ».

§ 3. Cum autem, sicut eadem exposi- Concedit pr
tio subiungebat, dictus Hieronymus car- ut in rubricâ
dinalis decreta seu capitula huiusmodi, quo firmius subsistant et serventur exactius, apostolicae confirmationis nostrae robore communiri summopere desideret: nos, piis eiusdem Hieronymi cardinalis votis favorabiliter, quantum cum Domino possumus, annuere cupientes, supplicationibus ipsius Hieronymi cardinalis nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, decreta seu capitula praeinserta, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos iuris et facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

§ 4. Mandantes propterea, et praeci- Mandat
pientes in virtute sanctae obedientiae, servari.
ac sub privationis vocis activae et passivae poenâ per transgressores ipso facto incurrendâ, omnibus et singulis memorati Ordinis superioribus, fratribus et personis, ceterisque ad quos spectat et pro tempore spectabit, ut decreta seu capitula praeinserta inviolabiliter

1 Forsan *illâ* (R. T.).

observent. Ac decernentes ipsas praesentes litteras et capitula seu decreta praeinserta semper firma, valida, et efficacia existere, et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis ad quos spectat et in futurum quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contingerit attentari.

Decretum irritans

§ 5. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, ac dicti Ordinis, et aliis quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Derogatio contrariorum.

§ 6. Volumus autem ut praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra adhibeatur, quae praesentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Fides transumptorum.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die IX septembris, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 11 septembris 1667, anno I.

XII.

Praeviâ ratificatione investiturae regni Siciliae et Hierusalem cum totâ terrâ citra Pharum regi catholico ab Alexandro VII factae, eumdem regem, quatenus ducatus Mediolanensis maiorem partem Lombardiae comprehendat, absolvit et dispensat ad obtinendum dictum regnum cum supradicto ducatu Mediolanensi [1].

Carissimo in Christo filio nostro Carolo, Hispaniarum regi catholico, Clemens Papa IX,

Carissime in Christo fili noster, salutem et apostolicam benedictionem.

Praeclara predecessorum tuorum in hanc sanctam Sedem merita, sinceraque fides et eximia pietas, ac fervens devotio tua, quibus in nostro et dictae Sedis conspectu clarere dignosceris, merito nos inducunt, ut te specialibus favoribus et gratiis prosequamur.

Proœmium.

§ 1. Sane, licet, clarae memoriae Philippo IV, Hispaniarum rege catholico genitore tuo, rebus humanis, sicut Deo placuit, exempto, regnum Siciliae et Hierusalem cum totâ terrâ citra Pharum, unâ cum aliis regnis, provinciis et ditionibus universis, ad te uti eius filium et haeredem iure successionis, modoque et formâ infrascriptis, legitime pervenerit, et felicis recordationis Alexander Papa VII praedecessor noster ipsum regnum Siciliae et Hierusalem cum totâ terrâ quae est citra Pharum usque ad confinia terrarum S. R. E. (exceptâ civitate Beneventanâ cum eius territorio et pertinentiis, necnon terrâ sive loco Pontiscurvi, Aquinatensis dioecesis, eiusque territorio, quae dictus Alexander praedecessor sibi et eidem Ecclesiae reservavit) tibi pro te tuisque haeredi-

Motiva praesentis constitutionis.

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

bus et successoribus Aragoniae regibus tam masculis quam feminis, ex te rectâ lineâ descendentibus, natis et nascituris, ac aliis tunc expressis personis, in feudum perpetuum, de venerabilium fratrum suorum eiusdem S. R. E. cardinalium, de quorum numero tunc eramus, consilio pariter et assensu, pro solito annuo censu, ac aliàs sub certis modo et formâ tunc expressis concesserit, et elargitus fuerit, ac regnum ipsum tibi modo et formâ huiusmodi infeudaverit, teque de illo investiverit; nihilominus (quia aliàs recolendae memoriae Iulius Papa II, similiter praedecessor, in concessione regni Siciliae huiusmodi et Hierusalem cum totâ terrâ, quae est, ut praefertur, citra Pharum usque ad confinia terrarum S. R. E., exceptâ civitate Beneventanâ et eius territorio ac pertinentiis, per ipsum Iulium praedecessorem clarae memoriae Ferdinado Aragoniae et utriusque Siciliae regni dicti Philippi genitoris tui atavo, pro se et suis in regno Aragoniae successoribus, tam masculis quam feminis, ex rectâ lineâ descendentibus, natis et nascituris, in feudum perpetuum factâ, similiter de venerabilium fratrum suorum S. R. E. cardinalium consilio, et forsan ante eum diversi alii Romani Pontifices praedecessores nostri, tunc sui, voluerunt iureiurando firmari, quod tam ipse Ferdinandus rex quam eius in dicto regno Siciliae et Hierusalem cum totâ terrâ citra Pharum haeredes et successores nunquam procurarent eligi vel nominari in regem Romanorum aut Teutoniae vel dominum Lombardiae seu Tusciae, aut maioris partis earum, nec electioni vel nominationi assensum praestarent, neque se intromitterent ullo modo in regimine ipsius regni Romani seu Teutoniae vel dominii Lombardiae aut Tusciae, seu maioris partis earum, ad quodcumque eorum ipsi nominati fuissent vel electi, et, si post talem electionem de regno Romano seu Teutoniae aut dominio Lombardiae vel Tusciae, seu maioris partis earum, manifeste se intromitterent sine expresso Romani Pontificis mandato, eo ipso a iure regni Siciliae citra Pharum huiusmodi caderent ex toto, prout in ipsorum Iulii sub datum v nonas iulii, pontificatus suo anno VII, ac Alexandri praedecessorum, sub datum Romae apud S. Mariam Maiorem anno Incarnationis dominicae MDCLXVI, XIII kalendas iulii, pontificatus sui anno XII, necnon forsan aliorum Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum confectis litteris, quarum omnium et singularum tenores, ac si de verbo ad verbum insererentur, praesentibus haberi volumus pro expressis, plenius continetur) a nonnullis haesitari possit an ducatus Mediolani, cuius tu etiam dux existis, maiorem partem dominii Lombardiae huiusmodi comprehendat, ac tu regnum Siciliae et Hierusalem cum totâ terrâ citra Pharum huiusmodi cum dicto ducatu obtinere possis, nec super haesitatione, sive dubio, aut potestate huiusmodi ulla declaratio, sive ullum indultum, aut quaelibet alia gratia ab eodem Alexandro praedecessore tibi forsan concessa et expedita seu aliàs litterae apostolicae desuper confectae fuerint: nos, etsi cognoscamus prohibitiones huiusmodi non sine magnâ et rationabili causâ a Iulio et forsan aliis praedecessoribus praedictis emanasse, nihilominus, sperantes et pro certo tenentes, quod tu scies et voles commissos tibi populos in pacis amoenitate et iustitiae cultu confovere, nosque et Romanam Ecclesiam ipsius regni proprietarios et directos dominos grâtâ devotione et fide sincerâ recognoscere, et quanto potentior eris, tanto magis eidem Ecclesiae

favere, eamque contra improbos perversorum conatus defendere et adiuvare procurabis, te a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque eclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existis, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, necnon concessionem et elargitionem infeudationemque et investituram de eodem regno, per dictum Alexandrum praedecessorem tibi ut praefertur factas, ratas et gratas habentes, motu proprio, non ad tuam vel alterius pro te nobis super hoc oblatae petitionis instantiam, sed de merâ liberalitate et certâ scientia nostris, te, quatenus dictus ducatus maiorem partem Lombardiae huiusmodi comprehendat, tuque relaxatione iuramenti et dispensatione ad obtinendum regnum Siciliae citra Pharum et ducatum huiusmodi indigeas, seu aliàs relaxatione et dispensatione praedictis opus sit, a quibusvis reatu periurii, ac sententiis, censuris et poenis, si quas forsan, regnum Siciliae citra Pharum huiusmodi ante vel post acceptationem dicti ducatus acceptando, aut te illius regimini immiscendo, vel illius regem inscribendo aut denominando, iam forsan incurristi, aut incurrere potes, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, absolvimus et liberamus, absolutumque et liberatum esse decernimus, ac, dummodo alia, quae in litteris concessionis regni Siciliae citra Pharum huiusmodi in feudum, necnon capitulis inter piae memoriae Leonem Papam X, etiam praedecessorem nostrum, et inclytae memoriae Carolum imperatorem tunc regem Romanorum sub die III mensis iunii anni MDCXXI initis[1], contenta ad te et alios ipsius Caroli imperatoris successores pertinentia, et quorum remissio per praedictam Sedem facta non apparet, quorum omnium tenores ac si de verbo ad verbum insererentur similiter praesentibus haberi volumus pro expressis, quoad vixeris inviolabiliter observes, quodcumque iuramentum per te aut alium nomine tuo super non obtinendo dominio Lombardiae huiusmodi aut illius maiori parte cum ipso regno Siciliae citra Pharum hactenus forsan praestitum fuerit, et in futurum per te vel procuratorem tuum praestandum, ex nunc, prout posquam praestitum fuerit, ad hoc dumtaxat ut ducatum et regnum Siciliae citra Pharum[1] et ducem Mediolani nominare et inscribere et ab aliis denominari et inscribi possis, auctoritate et tenore praedictis, relaxamus, teque eo non teneri nec astringi pariter decernimus, tibique quod ducatum et regnum Siciliae citra Pharum, ut praefertur, tenere et possidere possis, auctoritate et tenore praedictis, de speciali gratiâ concedimus et indulgemus, ac personam tuam, si expediat et opus sit, tuque indigeas, ad praedicta omnia habilitamus.

Investituram prout in rubricâ ratificat Pontifex.

§ 2. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon omnibus illis quae Iulius et Leo ac alii Romani Pontifices praedecessores praedicti in litteris et capitulis praedictis voluerunt non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque. Derogat. contrariis.

§ 3. Volumus autem et declaramus quod per huiusmodi relaxationem, decretum, concessionem, indultum et habilitationem nullum praeiudicium nostris et dictae Sedis ac S. R. E. iuribus in quibuscumque civitatibus, terris et locis ipsius Lombardiae inferatur, sed iura ipsa in suo robore salva et illaesa Non intendit tamen praeiudicare iuribus Sedis Apostolicae.

1 Male ed. Main. legit *initii* (R. T.).

1 Aliqua hîc deesse videntur (R. T.).

remaneant, quodque, si, quod absit, te a nostrâ et dictae Ecclesiae Romanae ratione dicti regni Siciliae citra Pharum fidelitate retraxeris, praesentes litterae nullius sint roboris vel momenti, dictumque regnum Siciliae citra Pharum ad nos et dictam Romanam Ecclesiam devolvatur et devolutum esse censeatur, ad eamque libere revertatur eo ipso.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die IX septembris MDCLXVII, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 9 septembris 1667, pontif. an. I.

XIII.

Renovatio indulti nominandi ad canonicatus et praebendas ecclesiarum Coloniensium rectori, decanis et provisoribus universitatis studii generalis Coloniensis concessis[1].

Dilectis filiis nobilibus viris consulibus et senatui civitatis et reipublicae Coloniensis,

Clemens Papa IX.

Dilecti filii, nobiles viri, salutem et apostolicam benedictionem.

Recensentur aliae constitutiones.

§ 1. Aliàs[2] piae memoriae Paulo Papa V praedecessori nostro pro parte vestrâ exposito, quod pridem felicis recordationis Clemens Papa VIII, similiter praedecessor noster (cum accepisset quod antea recolendae memoriae Paulus Papa IV, etiam praedecessor noster, certis tunc expressis causis adductus, rectori et decanis quatuor facultatum, videlicet theologiae, iuridicae, medicinae et artium, quae consistit in tribus gymnasiis Montano, Laurentiano, et Trium Coronarum universitatis studii generalis Coloniensis, consilioque illius facultatis ex qua personâ nominanda esset, apostolicâ auctoritate indulserat ut cum provisoribus eiusdem universitatis personas assumere possent in eâdem universitate promotas, ac in publicis scholis legentes et lecturas, quas ipsi rector et decani ac provisores, praestito iuramento, unanimi consilio illius facultatis in qua legerent vel legere deberent, ad id more solito congregati, idoneas et catholicas esse, ac ad laudem et fructum studiosorum profiteri posse cognoscerent, easque dilectis filiis maioris ac aliarum ecclesiarum dictae civitatis capitulis, ad quos canonicatuum et praebendarum in eisdem ecclesiis consistentium collatio, provisio, praesentatio, electio, institutio, seu quaevis alia dispositio, communiter vel divisim, aut aliàs quomodolibet pertineret, dictae videlicet maioris et S. Gereonis Coloniensis ad presbyterales tantum, ad reliquas[1] vero aliarum ecclesiarum praedictarum canonicatus et praebendas, qui inde ad triennium tunc venturum in singulis martii, iulii et novembris mensibus Sedi Apostolicae per concordata Germaniae cum ipsâ Sede inita reservatis vacassent, nominare valerent eis, ad quos illorum collatio, praesentatio, electio et dispositio huiusmodi spectaret; et deinde dictum triennium semel atque iterum piae memoriae Pius Papa IV et Pius V, etiam praedecessores nostri, ad simile triennium prorogaverant, et indultum praedictum etiam ad maiorem post pontificalem, et principales aliasque dignitates, personatus, administrationes et officia, etiam curata, necnon vicarias et cappellanias perpetuas maioris et collegiatarum aliarumque ecclesiarum Coloniensium, quae in praedictis mensibus intra ipsum tempus vacarent, ampliaverant; et successive recolendae memoriae Gregorius Papa XIII similiter praedecessor noster triennium,

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

2 Similem Alexandri VII vide supra p. 239 (R. T.).

1 Aptius lege *reliquos* (R. T.).

a praedicto Pio V praedecessore prorogatum vel concessum, ad aliud triennium primo, et deinde ad quinquennium, aliàs iuxta formam litterarum indulti Pauli IV praedecessoris praedicti, dumtaxat extenderat, vel etiam concesserat, et deinde idem quinquennium ab eo prorogatum, vel concessum, ad aliud quinquennium, ab illius fine numerandum, extenderat et ampliaverat, si vero lapsum esset novum quinquennium huiusmodi, ad hoc ut, praedicto novo quinquennio durante, rector, decani ac provisores praedicti ad presbyterales maioris[1] et S. Gereonis tantum, ad omnes vero alios reliquarum ecclesiarum Coloniensium canonicatus et praebendas dumtaxat, personas nominare possent, de novo concesserat; et successive similis memoriae Sixtus Papa V etiam praedecessor noster quinquennium, ab eodem Gregorio praedecessore ultimo prorogatum seu concessum, ad quadriennium, a fine ultimo prorogati seu concessi quinquennii huiusmodi inchoandum, extenderat et ampliaverat, si vero lapsum esset novum quadriennium huiusmodi, ad hoc ut, ipso durante, rector, decani et provisores ad presbyterales maioris et S. Gereonis, ad omnes vero alios reliquarum ecclesiarum Coloniensium canonicatus et praebendas dumtaxat, qui interim in aliquo ex tribus mensibus praedictis extra Romanam curiam vacarent, et aliàs iuxta formam et tenorem litterarum Pauli praedecessoris praedicti tantum personas ut praefertur qualificatas nominare, et alia[2] litteris dicti Pauli IV praedecessoris contenta facere possent indulserat, ita tamen ut personae sic nominatae, intra sex menses a die provisionis, collationis seu alterius cuiusvis dispositionis de dictis canonicatibus et praebendis in vim nominationis huiusmodi factae numerandos, novas provisiones de eisdem canonicatibus et praebendis a dictâ Sede petere et litteras apostolicas sub plumbo in totum expedire[1], ac iura camerae apostolicae et aliis propterea debita persolvere omnino tenerentur, et nisi praemissa adimplerent, ipso semestri elapso, iidem canonicatus et praebendae vacent[2] eo ipso, et sic vacantes per Sedem Apostolicam dumtaxat aliis quibusvis personis conferre libere possent; volens ut rector et alii praedicti huiusmodi ius nominandi habentes, sive ecclesiastici, sive laici forent, fidem catholicam iuxta articulos ab eâdem Sede propositos in manibus archiepiscopi seu officialis Coloniensis pro tempore existentis annis singulis profiteri tenerentur, alioquin nominationes ab eis faciendae, et inde secuta omnia, nullius essent roboris vel momenti), ipse etiam Clemens praedecessor, certis tunc expressis de causis, tempus quadriennii per dictum Sixtum praedecessorem prorogati seu de novo concessi, de consilio tunc existentium S. R. E. cardinalium congregationis Germaniae, bis ad aliud quinquennium extenderat et prorogaverat, et, quatenus lapsum esset, idem indultum de novo concesserat, iuxta formam litterarum Pauli IV praedecessoris praedicti, ita tamen ut prioris indulti huiusmodi prorogatio seu concessio non extenderetur ad canonicatus et praebendae ecclesiae metropolitanae, ad vicarias vero tam dictae metropolitanae, quam aliarum ecclesiarum omnium dictae civitatis, etiam ad alios, qui in aliâ quam Coloniensi academiâ gradum suscepissent, illud extensum esse voluerat et extenderat ac ampliaverat, volens et inhibens, si aliquis nominatus beneficium ad

1 Ed. Main. legit *maiores* (R. T.).
2 Ed. Main. legit *aliam* pro *alia* (R. T.).

1 Vel *expediri facere* (R. T.).
2 Aptius lege *vacarent* (R. T.).

quod nominatus fuisset resignare vellet, ne ullo modo, nisi in manibus Romani Pontificis aut nuncii apostolici in dictâ civitate Coloniensi pro tempore degentis[1]; huiusmodi beneficium ad favorem alterius a rectore et decanis praedictis nominandi, nec per resignationem illud, nec per permutationem dimittere posset, quodque nonnisi servato inter competitores concursu a sacro Concilio Tridentino in collationibus parochialium ecclesiariarum praescripto ad canonicatus et praebendas praedictos nominare et conferre deberent, et nominatores[2] iurare se digniorem et ad profitendi[3] munus magis aptum praelaturos[4], et vicissim eum, quem praeferri contigisset, iurare se iniunctum profitendi officium diligenter praestiturum; deinde vero ex causis praedictis dictus Clemens praedecessor indultum huiusmodi ad quinquennium iterum prorogaverat, extenderat, seu concesserat, decreveratque huiusmodi canonicatus nonnisi personis ex aliquâ ex dictis universitatibus idoneis, quae iurerando ad profitendi[5] munus diligenter sese adstringerent, dumtaxat conferri, ac canonicatus et praebendas praedictos per eos huiusmodi nominationis vigore obtinendae nonnisi in manibus Pontificis pro tempore existentis, cum specificâ mentione, quod illos vigore nominationis consequuti essent, resignari vel aliàs dimitti nullatenus possent, alioquin canonicatus et praebendae huiusmodi vacarent eo ipso, ita ut de illis per Sedem Apostolicam disponi posset: idem Paulus V praedecessor, supplicationibus vestro nomine sibi super hoc humiliter porrectis inclinatus, indultum vobis a praedicto Clemente praedecessore concessum, et desuper expeditas litteras praedictas, ad aliud quinquennium, a fine quinquennii ultimodicti a Clemente praedecessore concessi computandum, auctoritate apostolicâ extendit et prorogavit, et nihilominus, sine praeiudicio tunc et pro tempore existentis archiepiscopi Coloniensis, dilectis filiis rectori et decanis praedictarum quatuor facultatum in dictâ universitate canonice institutarum, et consilio illius ex facultatibus huiusmodi cuius persona iuxta formam litterarum Pauli IV praedecessoris nominanda fuisset, etiam pro tempore existentibus, unâ cum dilectis filiis provisoribas ipsius universitatis, ut personas in eâdem universitate promotas, et legentes ac lecturas, quas ipsi rector et decani ac provisores medio eorum iuramento, unâ cum consilio facultatis huiusmodi in qua personae ipsae legerent et legere deberent ad hoc more solito convocato, idoneas et catholicas esse, ac cum laude et fructu inibi pro tempore studentium profiteri posse affirmarent (ita ut si controversia in nominando inter rectorem et decanos necnon provisores et consilium huiusmodi exorta fuisset, ille, quem maior pars votis suis praeferendum putasset, praeferretur) dilectis filiis maioris ac S. Gereonis et aliarum ecclesiarum capitulis, ad quos canonicatuum et praebendarum in eisdem ecclesiis consistentium collatio, provisio, praesentatio, electio, institutio, seu quaevis alia dispositio coniunctim vel separatim, vel aliàs quomodolibet, cessantibus reservationibus et affectionibus apostolicis, pertinebat, videlicet ad presbyterales tantum maioris et S. Gereonis, itaut nominandae personae secundum eorum statuta et privilegia eorum capitulis concessa ut praefertur qualificatae essent, ad omnes vero

1 Ed. Main. legit *degentes* (R. T.).
2 Male ed. Main. legit *nominationes* (R. T.).
3 Edit. Main. legit *profitendum* (R. T.).
4 Edit. Main. legit *prolaturos* (R. T).
5 Edit. Main. legit *profitendum* (R. T.).

et singulos alios canonicatus et singulas praebendas reliquarum ecclesiarum huiusmodi, quae ex tunc ad quinquennium tunc proxime futurum, a fine ultimi quinquenii per Clementem praedecessorem prorogati seu concessi computandum, in singulis martii, iulii et novembris mensibus pro tempore vacassent et vacare contigeret, nominare libere et licite valerent, dictâ auctoritate concessit et indulsit; ac statuit et ordinavit, quod ii, ad quos collatio, provisio, praesentatio, electio et institutio, vel quaevis alia dispositio canonicatuum et praebendarum huiusmodi pro tempore spectaret, canonicatus et praebendas, quos personae ad illos sic nominatae per se vel procuratorem suum ad hoc ab eis specialiter constitutum infra unius mensis spatium, postquam eis vel procuratori suo illorum vacatio innotuisset, duxissent acceptandos, cum omnibus iuribus et pertinentiis suis, eisdem nominatis personis conferre, et de iis etiam providere, seu eas ad illos presentare, aut eligere, aut in illis instituere, vel aliàs de illis in earumdem personarum nominatarum favorem disponere tenerentur, quodque, iis praemissa[1] facere recusantibus vel negligentibus aut differentibus, etiam pro tempore abbas S. Martini Coloniensis ac decanus ecclesiae S. Pauli Leodiensis, et qui haereticae pravitatis inquisitor in illis partibus apostolicâ auctoritate deputatus existeret, prior domus Ordinis fratrum Praedicatorum etiam Coloniensium, et eorum quilibet, canonicatus et praebendas sic vacantes personis ad illos ut praefertur nominatis, pro eâ vice tantum, eâdem auctoritate conferre, et de illis etiam providere pariter libere et licite possent, et quod ab eisdem personis sic pro tempore nominatis in actu nominationis de eis pro tempore factae, in qua facultate, in quo gymnasio et qua horâ illa docere seu legere deberent exprimeretur, et, si a praemissis defecissent, post primam et secundam monitiones eis desuper factas, a perceptione fructuum, reddituum et proventuum praebendarum, quas vigore nominationum et collationum huiusmodi tunc assequuti fuissent, per abbatem et decanum ecclesiae S. Pauli Leodiensis ac priorem praedictos, aut aliquem ex eis, ad requisitionem illis per rectorem et decanos facultatum et provisores universitatis huiusmodi faciendam, suspenderentur, et, si suspensionem huiusmodi per mensem animo sustinuissent indurato, iisdem praebendis ipso facto et cum effectu privarentur et pro privatis haberentur, et statim de illis aliis personis modo et formâ praemissis provideretur, verum, si personae nominatae praedictae in aliquam suspicionem haeresis incidissent, in eas per inquisitores haereticae pravitatis in illis partibus eâdem auctoritate deputatos absque ullâ morâ inquireretur, et si illae compertae fuissent haeresi huiusmodi infectae, alii catholici ad beneficia per illos obtenta simili modo nominarentur; et subinde quinquennium huiusmodi ad aliud quinquennium a fine ultimodicti quinquenii computandum semel atque iterum extendit et prorogavit seu consessit et indulsit. Postmodum autem (postquam felicis recordationis Gregorius Papa XV similiter praedecessor noster per suas in simili formâ Brevis expeditas litteras indultum praedictum, vobis, ut praefertur, prorogatum, ac desuper confectas litteras et in eis contenta, ita tamen ut huiusmodi indultum canonicatus et praebendas metropolitanae ecclesiae Coloniensis minime comprehenderet neque ad eos se extenderet, ac sine praeiudicio dicti tunc et pro tem-

1 Ed. Main. legit *permissa* (R. T.).

pore existentis archiepiscopi Coloniensis, ac aliàs sub certis modo et formâ tunc expressis, ad aliud quinquennium de novo concesserat. Et subinde recolendae etiam memoriae Urbanus Papa VIII pariter praedecessor noster (attendens quod indultum huiusmodi per cancellariae apostolicae regulas revocatum fuerat, et, sicut eidem Urbano praedecessori tunc exponi feceratis, causae propter quas idem indultum a praedicto Paulo IV primo loco concessum et ab aliis Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris praedictis ut supra prorogatum et expresse de novo concessum fuerat, conservationis nimirum catholicae religionis in istâ civitate Coloniensi, eousque vigebant, vosque cupiebatis, ad catholicorum virorum studia in istis partibus alenda et allicienda, huiusmodi indulto diutius frui posse) idem Urbanus praedecessor per alias suas in simili formâ Brevis expeditas litteras indultum praedictum vobis per dictum Gregorium praedecessorem ad quinquennium ut praefertur de novo concessum, ac desuper confectas litteras praedictas et in eis contenta, ad aliud quinquennium apostolicâ auctoritate sub certis modo et formâ tunc expressis de novo concessit, ipsumque quinquennium ad aliud pariter quinquennium, ac deinde secundodictum quinquennium ad aliud similiter quinquennium extendit et prorogavit. Ac deinceps eidem Urbano praedecessori per vos exposito seu subiuncto, quod quinquennium, tunc per eum ultimo loco extensum seu concessum, brevi erat expiraturum[1], et causae, propter quas indultum huiusmodi tam a praedictis Romanis Pontificibus quam ab eo ultimo concessum fuerat, eatenus vigebant; dictus Urbanus praedecessor indultum praedictum per eum ultimo loco ad quinquennium ut praefertur extensum seu de novo concessum ac desuper confectas litteras et in eis contenta (ita tamen ut provisiones huiusmodi servatâ dictarum litterarum formâ fierent, ipsumque indultum canonicatus et praebendas ecclesiae metropolitanae Coloniensis minime comprehenderet, nec ad eos se extenderet, ac aliàs sub certis modo et formâ etiam tunc expressis) ad aliud quinquennium extendit et prorogavit. Et postmodum similis recordationis Innocentio Papae X praedecessori etiam nostro per vos exposito, quod causae, propter quas indultum huiusmodi tam ab eodem Urbano tunc novissime quam ab aliis praedecessoribus concessum fuerat, etiam eatenus vigebant, ipse Innocentius praedecessor indultum praedictum vobis per eumdem Urbanum praedecessorem ultimo loco ad quinquennium ut praefertur extensum et seu de novo concessum, ac desuper confectas litteras et in eis contenta, sub certis pariter conditionibus, modoque et formâ tunc expressis, ad aliud quinquennium pariter concessit; quinqueniumque huiusmodi postmodum ad aliud etiam quinquennium a die XX februarii MDCL computandum extendit et prorogavit. Ac demum similis memoriae Alexander Papa VII etiam praedecessor noster supplicationibus vestro nomine sibi super hoc humiliter porrectis inclinatus, per ternas suas in simili formâ Brevis litteras, unas die XXVIII augusti MDCLV, et alteras die VIII ianuarii MDCLXI, et reliquas die XIV martii MDCLXIV expeditas[1], indultum praedictum vobis concessum et prorogatum, ut praefertur, sub certis modo et formâ tunc expressis, primo quidem ad quinqueunium, subinde vero ad triennium, et novissime

1 Edit. Main. legit *expiratum* (R. T.).

1 Has vide supra pag. 239 (R. T.).

ad quadriennium de novo concessit, et aliàs, prout in singulis memoratis praedecessoribus in eâdem formâ Brevis desuper expeditis litteris, quarum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis haberi volumus, uberius continetur.

Prorogatio indulti de quo in rubrica.

§ 2. Cum autem, sicut nobis nuper exponi fecistis, indultum huiusmodi de praesenti cesset, causae vero, propter quas idem indultum per praedictos Romanos Pontifices praedecessores nostros pluries concessum et prorogatum respective fuit, etiamnum vigeant, vosque propterea indultum huiusmodi ad effectum suprascriptum per nos vobis de novo concedi summopere desideretis: nos, specialem vobis gratiam facere volentes, et vestrum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus vestro nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, indultum praedictum, vobis, sicut praemittitur, pluries, et novissime a dicto Alexandro praedecessore concessum, cum omnibus et singulis contentis in litteris praedictis, ita tamen ut provisiones huiusmodi servatâ dictarum litterarum formâ fiant, quacumque praetensâ praxi, consuetudine seu tollerantiâ contrariâ non obstante, quam potius abusum esse, et proinde praesens indultum in omnibus et per omnia iuxta eius tenorem et proprietatem, prout verba illus sonant et non aliter, nec alio modo servari debere, decernimus, et cum hoc quod indultum huiusmodi canonicatus et praebendas ecclesiae metropolitanae Coloniensis minime comprehendat, nec ad eos se extendat, ac sine praeiudicio venerabilis fratris moderni et pro tempore existentis archiepiscopi Coloniensis, necnon[1], cum omnibus et singulis aliis facultatibus, concessionibus et ordinationibus, clausulis et decretis appositis in dictis litteris, ac servatâ in illis[2] et per omnia earumdem litterarum formâ, ad quinquennium a datâ praesentium computandum, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, de novo concedimus; sicque et non aliter per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores ac S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos, et Sedis Apostolicae nuncios, quavis auctoritate fungentes, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, decernimus.

Decretum irritans.

§ 3. Decernentes etiam vos, quinquennio praedicto per nos concesso durante, huiusmodi indulto ac desuper confectis litteris praedictis libere et licite uti posse, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Praescribit servitium ecclesiarum.

§ 4. Volumus autem et earumdem tenore praesentium ordinamus, ne ecclesiae, in quibus personae nominatae huiusmodi vigore vacationum aut collationum praedictarum eosdem canonicatus et praebendas obtinuerint, ob earum impedimentum in legendo, debitis defraudentur obsequiis, aut cultus divinus in illis minuatur, ut eaedem personae, si illis eâ horâ, qua ipsa divina officia celebrabuntur, legendum fuerit, tunc per idoneos substitutos inibi deserviri facere possint,

1 Videtur deesse *camerae apostolicae* (R. T.).
2 Forsan *omnibus* pro *illis* legendum (R. T.).

et ita deserviendo, pro residentibus et inservientibus habeantur, ac distributiones quotidianas lucrentur in omnibus et omnia perinde ac si personaliter deservirent (diebus dominicis et festivis principalioribus, videlicet D. N. Iesu Christi, ac gloriosissimae Virginis et beatorum Apostolorum, et in quorum honorem dedicatae sunt ecclesiae praedictae, aliorumque Sanctorum, quorum dies in singulis eisdem ecclesiis solemnes et celebres habentur, exceptis, quibus eis non per substitutos sed per se ipsos personaliter deservire teneantur), quodque huiusmodi canonicatus et praebendae personis ad profitendum in aliquâ ex dictis universitatibus idoneis repertis, qui iureiurando ad profitendi munus diligenter ac immediate post canonicatus et praebendae adeptionem[1] exercendum se adstringant, dumtaxat conferantur, ipsaeque personae praedictos canonicatus et praebendas, per eas huiusmodi nominationis vigore obtentos, nisi in manibus nostris et pro tempore existentis Romani Pontificis, cum specificâ mentione quod illos vigore nominationis huiusmodi consequuti sunt, resignare aut aliàs dimittere nullatenus possint, alioquin canonicatus et praebendae huiusmodi vacent eo ipso, ita ut de illis per Sedem Apostolicam dumtaxat disponi possit, utque personae sic nominatae praedictae, intra sex menses a die collationis et provisionis aut cuiusvis alterius dispositionis de canonicatibus et praebendis, ad quos illas nominari contigerit, sibi faciendae ut praefertur, novas provisiones super illis a dictâ Sede impetrare, et litteras apostolicas desuper in totum expedire, ac iura camerae apostolicae et aliis propterea debita omnino persolvere teneantur, alioquin, dictis sex mensibus elapsis, canonicatus et praebendae huiusmodi vacent eo ipso, ita ut aliis per eamdem Sedem tantum libere conferri possint.

§ 5. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon ecclesiarum praedictarum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, eisdem ecclesiis et capitulis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac eum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis, etiam iteratis vicibus concessis, approbatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum insererentur, praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque. Contrariis derogat.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die IX septembris MDCLXVII, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 9 septembris 1667, pontif. anno I.

XIV.

Confirmatio decreti Alexandri Papae VII approbantis nonnulla capitula ad re-

1 Edit. Main. legit *ademptionem* (R. T).

formationem fratrum Ordinum Minorum sancti Francisci Conventualium nuncupatorum inservientia.

Clemens Papa IX,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium. Debitum pastoralis officii, quo Ecclesiae Catholicae adstringimur, nos admonet, ut, paternam virorum religiosorum curam gerentes, ea quae pro felici reformationis inter eos institutae progressu provide facta esse noscuntur, ut firma atque illibata permaneant[1], apostolici praesidii robore muniamus.

Causae decreti. § 1. Exponi siquidem nobis nuper fecerunt dilecti filii fratres Reformati Ordinis Minorum sancti Francisci Conventualium nuncupatorum, quod aliàs circa transitum fratrum Conventualium Ordinis huiusmodi ad reformationem facta fuerunt nonnulla capitula tenoris qui sequitur, videlicet:

Referuntur capitula ad reformationem conducentia. § 2. « I. Che tutti quelli conventuali, li quali vorranno passare a vivere in detta riforma, siano tenuti ed obbligati chiedere licenza ed ottenere l'assenso dal padre generale *pro tempore*, ovvero dal padre provinciale della sua provincia di far tal passaggio, ed essi generale e provinciale, conosciuto però che haveranno detto transito desiderarsi per buon fine, siano tenuti concederlo, a proporzione però della capacità de' conventi tenuti da essi riformati.

II. Che quelli conventuali, che vorranno passare a detta riforma, dopo ottenuto l'assenso del generale o provinciale della loro provincia, siano anco tenuti riportar l'assenso dal guardiano o superiore locale di quel convento dove vorranno entrare.

III. Che a quelli conventuali, quali canonicamente, cioè, osservare[1] le sopraddette condizioni, saranno entrati a detta riforma, a loro voglia per il tempo di un anno cominciando dal loro ingresso in essa riforma[1], ma, quello passato, non possano uscire da detta riforma senza licenza *in scriptis* del padre generale e fede fattagli dal superiore locale di quei conventi, dove saranno vissuti, che essi partano per causa legittima e non per eccessi commessi in detta riforma.

IV. Che se alcun conventuale legittimamente entrato in detta riforma, passato un anno dopo il suo ingresso in essa, uscirà e tornerà alla detta conventualità, non osservate le sopraddette condizioni, sia irremissibilmente punito con la pena di un anno di carcere formale, della privazione di voce attiva e passiva, nella quale non possa essere reintegrato se non dal Sommo Pontefice.

V. Che quelli conventuali, quali entreranno in detta riforma, per tutto il tempo nel quale viveranno in essa, siano tenuti osservare l'istituto de' riformati, e i superiori locali possano forzarli all'osservanza; in caso che, premesse molte correzioni, li detti superiori locali non riportassero dalli inosservanti l'osservanza desiderata, debbano avvisarne il padre generale, quale, conosciuta la verità, punisca li trasgressori con pene opportune, e, persa ogni speranza all'emendazione, possano punirli *etiam* con l'espulsione da detta riforma, rimettendoli alla conventualità.

VI. Il padre generale, o per se stesso, o richiestone da alcuni provinciali, volendo servirsi per publico beneficio di alcuni conventuali quali saranno passati a vivere tra' riformati, *etiam* che fra essi vi siano stati molti anni, possa chiamare qualunque gli parerà atto per

1 Potius lege *osservate* (R. T.).

1 Supple ut seq. *possano uscire* (R. T.).

il suo fine, acciò passi a vivere come prima fra essi conventuali in quel convento che a esso padre generale piacerà, e il chiamato sii tenuto obbedire e ritornare fra' conventuali.

VII. Che il padre generale, presa informazione del più zelante ed osservante che sia tra' riformati in ciascheduna provincia nelle quali si trovano i loro conventi, lo deputi per osservare con particolar cura il vivere delli altri riformati, affinchè avvisi subito, trovando che alcuni di essi deviino dall'instituto loro, il padre provinciale, acciocchè, trovata l'inosservanza, restino puniti, e non bastando per ridurli all'osservanza, sia tenuto avvisarne il padre generale, e da esso aspettare il rimedio opportuno.

VIII. Che nell'elezione de' guardiani nelli conventi d'essi riformati si osservi nell'altre provincie quanto di presente si osserva nella provincia di Napoli, cioè che abbino facoltà i stantianti in ciaschedun convento di essi riformati, capitolarmente congregati con il loro superiore locale, proporre al definitorio in capitolo o congregazione provinciale due de' loro riformati, acciò da esso definitorio uno de' due proposti sia eletto guardiano per l'anno corrente ».

Supplicatio. § 3. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, felicis recordationis Alexander Papa VII praedecessor noster subscripta[1] capitula ad se relata per decretum die XXI septembris MDCLVII emanatum approbaverit, et ab omnibus ad quos pertinet inviolabiliter observari praeceperit, dicti vero exponentes eadem capitula, quo firmius subsistant et serventur exactius, etiam apostolicae nostrae confirmationis munimine roborari summopere desiderent:

1 Potius lege *suprascripta* (R. T.).

§ 4. Nos, specialem ipsis exponentibus gratiam facere volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, auditâ relatione status huius reformationis, eiusque conventuum necessitate perspectâ, omnia et singula capitula praeinserta, emanatumque super eorum approbatione dicti Alexandri praedecessoris decretum huiusmodi, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos iuris et facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus. Confirmat prout in rubrica.

§ 5. Decernentes easdem praesentes litteras ac capitula praeinserta et decretum huiusmodi semper firma, valida et efficacia existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Decretum irritans.

§ 6. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac, quatenus opus sit, dicti Ordinis eiusque provinciarum et conventuum quorumvis, etiam iuramento, confirmatione aposto- Derogatio contrariorum.

licâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides. § 7. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur ubique, quae praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XVI septembris MDCLXVII, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 16 septembris 1667, pontif. anno I.

XV.

Confirmatio patentium magistri generalis Ordinis Praedicatorum ad favorem fratrum provinciae Hiberniae emanatarum, per quas eisdem fratribus conceditur facultas fundandi conventus in oppido Matriti aliisque mundi partibus, cum diversis ordinationibus[1].

Clemens Papa IX,
ad futuram rei memoriam.

Prooemium. Creditae nobis caelitus dispensationis ratio exigit, ut, paternam virorum religiosorum, eorum praesertim, qui, evangelicae praedicationi addicti, labores et pericula pro fide catholicâ alacriter subeunt, curam gerentes, illa quae pro eis sublevandis piisque et laudabilibus eorum studiis fovendis et promovendis ab eorum superioribus regularibus pie prudenterque facta et constituta esse noscuntur, ut firma atque illibata persistant, apostolici muniminis patrocinio libenter roboremus.

Expositio. § 1. Exponi siquidem nobis nuper fecit dilectus filius magister generalis Ordinis fratrum Praedicatorum quod ipse, pro manutentione instituti evangelicae praedicationis cui dictus Ordo eximie incumbit, ac pro sublevandis religiosis provinciae Hiberniae et aliarum eiusdem Ordinis, qui laboribus, carceribus, minis et opprobriis pro catholicâ fide vexantur, litteras patentes expedivit tenoris qui sequitur, videlicet:

Litterae patentes referuntur. « Frater Ioannes Baptista de Marinis, sacrae theologiae professor, Ordinis Praedicatorum humilis magister generalis et servus.

In Dei Filio sibi dilecto reverendo patri fratri Ioanni Cnojur a S. Dominico, eiusdem Ordinis et provinciae nostrae Hiberniae procuratori generali, salutem.

Hibernia, re et nomine quondam florentissima Sanctorum insula, sed postremo hoc nostro seculo avitae religionis tristi passim excidio miserrime deformata, tanto sollicitiorem meretur omnium ubique christifidelium commiserationem, quanto periculosius hodie sub novo quodam persecutionis genere ibidem orthodoxa fides laceratur. Neque hîc nobis eundum[1] per singula, dum in paradigma sufficiunt nostrorum illic fratrum (quas exposuisti) calamitates et clades, nimirum ipso eorum provinciali ob fidem retruso in sequestrum, aliis alibi in vincula coniectis, missionariis disper-

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

1 Pessime edit. Main. legit *eumdem* pro *eundum* (R. T.).

sis, communitatibus dissipatis, etc., quibus nisi aliunde per novorum identidem operariorum quotidiana supplementa provide succurratur, brevi de provinciâ actum erit. Porro (ut prudenter suggessisti) iis succurri non poterit nisi extra insulam in aliis catholicorum principum regnis ac ditionibus multiplicentur nationalia religiosorum istorum domicilia et litterarum collegia, in quibus tum exules nostri missionarii ob fidem proscripti asylum inveniant, tum vernacula Hibernorum iuventus studiis controversiarum et sacrarum linguarum iugiter ad apostolicam missionem erudiatur. Hoc igitur extremum istius desolationis remedium ut suo tandem potiatur usu et effectu, in quem unâ tecum undique plurium magnatum vota, instantiae, promissa munifice pientissimeque conspirant, ampliusque in aliis pariter regionibus conspiratura putantur, nos, harum serie, ac supremâ officii nostri auctoritate, in primis tibi supranominato tuisque in officio successoribus potestatem facimus acceptandi, erigendi, ac formandi apud Matritum Hispaniae unicum tuae nativae provinciae collegium, quale confidis illic ex piorum eleemosynis ac liberali fundatione te obtenturum ad effectum praecipue ibidem sub regulari disciplinâ educandi missionarios Hibernicae nationis indiscriminatim, ita tamen ut etiam Angli et Scoti in eodem collegio recipiantur, sustententur et instruantur, cum potestate etiam ibidem recipiendi ad habitum et professionem iuvenes supradictarum trium nationum, illosque educandi in proprio novitiatu sub exactâ observantiâ regulari; simili ratione, fine ac modo in aliis quibuscumque locis tum Hispaniarum tum ceterorum per Europam catholicorum regnorum, statuum et ditionum, ubicumque patronos, fautores ac fundatores potueris reperire, atque ad tantae pietatis opus inducere, tibi tuisque successoribus in officio amodo liceat huiuscemodi collegia procurare suscipere, eorumdem regnorum nationalibus consignare ad effectum ut supra, et cum iisdem facultatibus. Volumus autem ac declaramus, quod omnia et singula eiusmodi collegia, ubicumque Dei ope, fidelium munificentiâ, tuâque et successorum industriâ excitabuntur, ipso facto sint et permaneant vera membra soliu: nostrae provinciae Hiberniae, ita quod nulli alteri Ordinis superiori subsint, praeterquam suo provinciali Hiberniae et magistrô Ordinis pro tempore. Interim, donec fratres nostri proprias seorsim fundationes et domicilia ut supra possideant, ne stante hac eorum notoriâ paupertate adigantur ad solvendas in provinciarum conventibus aut hospitiis taxatas contributiones, quas utique extorres et egeni solvere nequeunt instar ceterorum qui pacatas provincias habent, mandamus, quod praesides istorum conventuum et hospitiorum in huiusmodi alienis provinciis nihil a fratribus nostris Anglis, Hibernis, Scotis apud se hospitaturis exigant ultra quotidianae missae celebrationem tantum; ubicumque vero iidem fratres in hospitiis aut conventibus sub eâ conditione non recipientur, licebit ipsis hospitari apud alios quoscumque benevolos receptores ecclesiasticos, sive ii sint regulares, sive seculares, ne ob temporales respectus ullibi sanctum istud procurandarum fundationum impediatur negotium, a quo tot animarum salus dependet. Denique in virtute Spiritus Sancti, sanctae obedientiae sub formali praecepto, necnon sub poenâ maioris excommunicationis ipso facto incurrendâ, aliisque poenis nobis arbitrariis, ex nunc strictissime prohibemus universis et singulis nostrae

curae subiectis, quacumque dignitate, gradu, officio, aut qualitate censeantur, ne ullibi supradictas collegiorum Hibernicorum pro nostris fundationes, acquisitiones, incrementa, per se vel per alios, directe vel indirecte, clam vel palam, sub quocumque motivo, colore, aut immaginabili praetextu, impediant, retardent, aut disturbent, quin potius enixe hortamur admodum reverendos patres tum Hispaniae tum ceterarum provinciarum priores provinciales, quatenus per se et suos ubique tam sanctum et pium opus magno studio et connisu promoveant, iuvent et foveant, fratres nostros Hibernos in suis provinciis et congregationibus libenter paterneque complectantur, ipsorum solatio et profectibus sincere faveant, ipsos benefactoribus commendent, omnique opportuno subsidio, consilio, affectu eis opitulari non dedignentur. Et quia charitati nulla praefixa est mensura aut limes, hortamur eosdem priores provinciales in visceribus Iesu Christi, quod his fratribus, ad missiones et martyria pro fide auctoratis [1] sponte et liberaliter ex suismet propriis conventibus unum aut plures in suis provinciis cedant ac resignent. Tales autem conventus hoc modo resignatos, ex nunc pro tunc, iisdem fratribus ipsorumque provinciae applicamus et incorporamus apostolicâ auctoritate speciali, qua in hoc fungimur. Item supradictam facultatem procurandi, fundandi, acceptandi et formandi haec nationalia collegia, domos atque conventus pariter extendimus ad acquirendâ monialium coenobia seu monasteria pro Hibernis, Anglis et Scotis Deo ubivis locorum consecrandis, siquidem hae in propriâ sua patriâ hanc relinquendi saeculi commoditatem sperare nullibi possunt. Quod si etiam in aliarum missionum (praesertim orientalium) solatium tibi vel tuis successoribus in officio placuerit, ac sine incommodo propriorum nationalium posse fieri videbitur, concedimus pariter, quod in praefatis vestris domibus, collegiis et conventibus recipiantur etiam nostri fratres Armeni, sive ad hospitandum, sive etiam ad commorandum pro studio et instructione, idemque concessum est quoad alios religiosos nostros de terris infidelium adventantes. Porro, ut omnibus his, quae sperantur, novellis coenobiorum plantationibus de optimâ et stabili formâ regiminis prospiciatur, ex nunc, harum serie, te, tuosque in hoc tuo procuratoris generalis officio successores, omnibus huiusmodi coenobiis, collegiis ac domibus praeficimus cum titulo vicarii provincialis Hiberniae pro tempore, cumque omni in temporalibus ac spiritualibus iurisdictione ac potestate quam priores provinciales in suis provinciis habere debent ac solent, etiam cum facultate subdelegandi, ita ut, quando contigerit te tuosve successores longius distare, aut alio impedimento detineri ab adeundo loco, ubi collegium aut coenobium, seu fratrum seu monialium, plantandum, acceptandum, formandum aut visitandum fuerit, possis (iique successive possint) eò destinare commissarium ac visitatorem, quoties et quando opus fuerit, cum plenâ aut limitatâ auctoritate, prout videbitur, talemque seu commissarium seu visitatorem a te vel a tuis successoribus missum possis (illique possint) revocare, aliumque subrogare, ad effectum ea omnia et singula agendi, disponendi, atque praestandi, quaecumque ipsemet ageres, si personaliter eò accessisses. Item, quantum in nobis est, tibi tuisque successoribus plenariam concedimus facultatem destinandi praedicatores et missionarios ad

1 Edit. Cherub. habet *fidei auctoritate* (R.T.).

terras infidelium et haereticorum pro conversione et lucro animarum seu pereuntium seu periclitantium. Insuper tibi et successoribus tuis potestatem damus imponendi praecepta formalia, fulminandi censuras, condemnandi ad poenam carceris, et exercendi omnes illos actus iurisdictionis, quos provinciales ex ordinariâ suâ auctoritate exercere possunt in personas sibi subiectas. Praeterea si contingat supradicta collegia, coenobia, monasteria, vel aliquod eorum ab ipso provinciali Hiberniae personaliter visitari, ipso praesente, quiescet ibidem tua tuorumque successorum auctoritas; verum, illo inde digresso, eadem auctoritas ipso facto redibit ad usum ut antea, sic quod ea non censebitur expirasse per adventum provincialis, neque illam tunc aut aliàs tibi possit auferre provincialis Hiberniae, in toto vel in parte, nisi de expresso consensu magistri Ordinis. Te vero per mortem sublato, ad provincialem Hiberniae pertineat subrogare alium procuratorem provinciae cum iisdem facultatibus ut supra, et cum praefinitione termini quoad durationem officii, quem tamen semel ac pluries poterit prorogare, prout necessitas postularit. Ulterius ex apostolicâ auctoritate nobis specialiter indultâ concedimus tibi et tuis successoribus plenariam facultatem, qua in praememoratis novis conventibus, collegiis, ac monasteriis instituas et praeficias priores, rectores, priorissas donec ad eum perveniant numerum personarum, qui ad electionem canonicam sufficiat; eâdem facultate possis electiones approbare et confirmare; ipsis vero institutis aut electis terminum officii sui quatenus expedire iudicaveris, semel ac pluries prorogare, vel ut reeligantur habilitare. Similiter possis ubique in domibus tibi subiectis instituere subpriores, vicarios, praesides, magistros novitiorum, lectores, officiales, ac studiorum moderatores: eademque proportionaliter ac respective circa monasteria monialium tibi concessa sunt. Et quidquid facultatis aut iurisdictionis tibi in his nostris litteris patentibus conceditur, id totum pariter tuis in eodem officio futuris successoribus concessum intelligatur. Et ut omnia obstacula quantum fieri potest removeantur, denuo sub formali praecepto et anathemate quo supra, necnon sub poenâ privationis utriusque vocis et graduum, perpetuâque inhabilitate ad ea recuperanda, interdicimus universis et singulis tam superioribus quam subditis in quacumque Ordinis provinciâ aut congregatione degentibus, ne huic per nos tibi et successoribus tuae collatae iurisdictioni, titulo et facultati quispiam sese opponat [1], eamve iudicialiter vel extraiudicialiter impugnet aut impediat; ipsis vero fratribus et sororibus, praedicta nova collegia, conventus atque monasteria respective inhabitaturis, aut in iis quoquo modo vel occasione commoraturis, praecipimus sub eodem formali praecepto, iisdemque poenis, quod tibi et successoribus tamquam legitimis suis praelatis ac veris superioribus exactam praestent obedientiam, reverentiam et honorem.

In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti.

Quibuscumque in contrarium non obstantibus.

In fidem his officii nostri sigillo munitis proprià manu subscripsimus.

Romae, VI iulii MDCLXVII ».

Confirm Pontifex.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, praefatus magister generalis liiteras huiusmodi, quo firmius subsistant et serventur exactius, apostolicae nostrae confirmationis praesidio

1 Edit. Main. legit *apponat* (R. T.).

communiri plurimum desiderent: nos, ipsum magistrum generalem specialis favore gratiae prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositorum consilio, attentis narratis, visisque et diligenter per eosdem cardinales consideratis litteris patentibus praeinserti tenoris, easdem litteras, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, benigne confirmamus suumque effectum sortiri mandamus salvâ tamen semper in praemissis auctoritate congregationis praefatorum cardinalium.

Decretum irritans. § 3. Decernentes ipsas praesentes et praeinsertas litteras firmas, validas et efficaces existere et fore, ac illis, ad quos spectat et spectabit, in futurum in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab illis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum. § 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac, quatenus opus sit, dicti Ordinis eiusque provinciarum et conventuum et locorum regularium quorumcumque, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides. § 5. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique tam in iudicio quam extra adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XVI septembris MDCLXVII, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 16 septembris 1667, pontif. anno I.

XVI.

Quod presbyteri Societatis Iesu officium cum octavâ de praecepto, et missam Conceptionis Beatae Mariae Virginis recitare et celebrare valeant.

Clemens Papa IX,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium. Augustissimae atque gloriosissimae Virginis Dei Genitricis Mariae, cuius virtutem et pulchritudinem sol et luna mirantur, natura obstupescit, infernus contremiscit, cultum et venerationem in terris, quanto possumus studio, promovere satagentes, pia fidelium, eorum praesertim qui Altissimi obsequiis sub suavi religionis iugo mancipati aliis ad opera pietatis exemplo praelucent et salubri

directione viam monstrant, vota in id ipsum tendentia libenter exaudimus ac favoribus et gratiis prosequimur opportunis.

Concedit prout in rubricâ. § 1. Supplicationibus itaque dilecti filii Ioannis Pauli Olivae, praepositi generalis Societatis Iesu, tam suo quam totius Societatis praedictae nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, ut in eâdem Societate ab omnibus illius presbyteris et clericis regularibus, qui horas canonicas recitare tenentur, officium et missa Conceptionis eiusdem Beatae Mariae Virginis Immaculatae cum octavâ in posterum de praecepto recitetur cum lectionibus in octavario romano a congregatione venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium sacris ritibus praepositorum approbato contentis, et a die octavâ ad decimam quintam decembris rite dispositis, auctoritate praedictâ, tenore praesentium, mandamus et decernimus, idemque officium ad usum dictae Societatis seorsim ab octavario romano imprimi posse concedimus.

Contrariis derogat. § 2. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides. § 7. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici vel secretarii dictae Societatis subscriptis, et sigillo memorati praepositi generalis aut alterius personae in ecclesiasticâ dignitate contitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra adhibeatur, quae praesentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XVII septembris MDCLXVII, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 17 septembris 1667, pontif. anno I.

XVII.

Separatio quorumdam conventuum a provinciâ S. Dionysii in Gallia Ordinis Minorum sancti Francisci de Observantiâ Recollectorum, cum eorum erectione in novam provinciam sub titulo S. Antonii de Padua[1].

Clemens Papa IX, ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium. Creditae nobis divinitus dispensationis ratio postulat, ut, paternam christifidelium, qui e fluctibus seculi in religiosae vitae portum confugerunt, curam gerentes, prospero felicique eorum regimini et gubernio consulere satagamus, sicut, rerum, locorum, personarum et temporibus qualitatibus mature perpensis, salubriter expedire in Domino arbitramur.

Expositio. § 1. Exponi siquidem nobis nuper fecerunt dilecti filii Constantius Legrand et Potentianus Ozon, procuratores specialiter deputati provinciae S. Dionysii in Gallia Ordinis fratrum Minorum sancti Francisci de Observantiâ Recollectorum nuncupatorum, quod, cum dilectus filius minister generalis dicti Ordinis, ad instantiam et petitionem carissimi in Christo filii nostri Ludovici Francorum regis christianissimi, multos conventus tam fratrum quam monialium eiusdem Ordinis, in iis Artesiae ac Annoniae et Flandriae locis quae per ultimum pacis foedus inter utrumque regem initum ditioni Gallicae acquisita remanserunt sitos, in novam custodiam cum aggregatione ad dictam provinciam S. Dionysii et dependentiâ ab illâ erexerit; per hanc autem aggregationem et incorporationem ita ampliata et extensa reperiatur eadem provincia, ut, quadringenta milliaria excedens, ab uno ministro provinciali modo in regulâ praescripto non

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

possit amplius visitari, nec emergentibus difficultatibus sufficienter ab ipso provideri; unde disciplina regularis sensim prolabitur, pietas religiosa taepescit, totaque provincia in sui detrimentum pedetentim vergit: in capitulo provinciali provinciae huiusmodi communi consensu decretum fuit, id etiam desiderante memorato Ludovico rege, hanc sanctam Sedem Apostolicam, pro separatione dictorum conventuum a provinciâ praefatâ, eorumque erectione in novam provinciam sub titulo S. Antonii de Padua, esse consulendam.

Supplicatio. § 2. Quare Constantius et Potentianus praefati, memoratae provinciae nomine nobis humiliter supplicari fecerunt ut dictos conventus, qui fratrum quidem sunt numero tredecim, monialium vero prope octodecim, ab eâdem provinciâ separare, ac in novam provinciam, ut praefertur, erigere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Concedit ut a rubricâ. § 3. Nos igitur, ipsos Constantium et Potentianum specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas, a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutos fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositorum consilio, attentis narratis, et consensu a praefato ministro generali Ordinis huiusmodi praestito, praefatos conventus, tam fratrum quam monialium, a supradictâ provinciâ S. Dionysii, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, excorporamus, et in novam provinciam sub titulo S. Antonii de Padua, cum omnibus privilegiis et iuribus aliarum dicti Ordinis provinciarum, erigimus et instituimus, ac eiusdem provinciae S. Dionysii definitorio committimus electionem ministri provincialis, custodis, definitorum, aliorumque superiorum et officialium dictae novae provinciae sic erectae.

Decretum irritans. § 4. Decernentes easdem praesentes litteras semper firmas validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum. § 5. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon, quatenus opus sit, Ordinis et provinciae et conventuum huiusmodi, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceteris-que contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XIX septembris MDCLXVII, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 19 septembris 1667, pontif. anno I.

XVIII.

Decernit visitationem apostolicam ecclesiarum et locorum piorum Urbis a felicis recordationis Alexandro VII institutam et inchoatam continuari et absolvi debere [1].

Clemens Papa IX,
ad perpetuam rei memoriam.

Motiva huius Constitutionis.

Cum felicis recordationis Alexander PP. VII, praedecessor noster, circa pontificatus sui primordia, pastoralem cleri Romani, omniumque almae huius Urbis ecclesiarum, piorumque locorum et operum visitationem instituerit, eamque ipsemet in patriarchalibus eiusdem Urbis ecclesiis inchoaverit, ac sibi in eo munere adiutores nonnullos ex sacro venerabilium fratrum nostrorum, tunc suorum, S. R. E. cardinalium collegio delegerit et assumpserit, eisque quosdam Romanae curiae praelatos, et alios subinde cardinales, de quorum numero tunc eramus, adiunxerit, qui visitationem ipsam peragerent, et negotia illam concernentia expedirent; ac secretarium, iudicem, cancellarium, seu actuarium, commissarium et fiscalem, aliosque forsan officiales et ministros sacrae visitationis huiusmodi deputaverit, variasque eisdem cardinalibus, ac eorum et dictorum praelatorum congregationi, necnon officialibus et ministris praefatis, facultates, praeminentias et indulta concesserit et impertitus fuerit, et aliàs prout in diversis ipsius Alexandri praedecessoris litteris desuper in simili formâ Brevis expeditis, quarum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis haberi volumus, uberius continetur; et, sicut accepimus, memorati quidem cardinales visitatores unâ cum praelatis coadiutoribus suis visitationem huiusmodi tam in eisdem patriarchalibus quam in aliis collegiatis et fere omnibus parochialibus ecclesiis, ac in multis monasteriis regularium tam virorum quam mulierum, necnon collegiis, hospitalibus, confraternitatibus et aliis locis piis dictae Urbis postea prosecuti fuerint, salutaribusque monitis et decretis, ubi opus fuit, providerint; visitatio tamen ipsa in omnibus ecclesiis, ac locis et operibus piis praefatis nondum sit[1] peracta, sed multa negotia eam concernentia adhuc pendeant indecisa: hinc est quod nos, pastorali studio considerantes quantopere visitatio huiusmodi utilis et necessaria sit non modo ad tollendos abusus sed etiam ad praecavendum ne deinceps introducantur, quantumque boni ex illâ hactenus provenerit, et benedicente Domino proventurum sit si visitatio ipsa continuetur et absolvatur, ac in ea, quae ad Dei cultum et gloriam animarumque salutem opportuna[2] et conducibilia sunt, sicut hactenus factum est, imposterum quoque pie prudenterque statuantur: motu proprio[3], ac ex certâ scientiâ et maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, memoratam visitationem continuari et absolvi, causasque indecisas in congregatione praefatâ pendentes, prout aequitatis atque iustitiae ratio suaserit, terminari, visitationes particularium ecclesiarum et locorum et operum piorum iam inchoatas absolvi, necnon ecclesias et loca et opera pia, nondum visitata, visitari, ceteraque omnia et singula visitationem huiusmodi quomodolibet concernentia fieri, geri, statui et ordinari, ac executioni demandari debere, tenore praesentium decernimus

Mandat continuari visitationem praedictam.

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

1 Ed. Main. legit *sic* pro *sit* (R. T.).

2 Ut specimen habeas edit. Rom., ipsa hîc legit *opporna* pro *opportuna* (R. T.).

3 Eadem edit. Main. legit *motu propria* (R. T.).

et mandamus. Ac omnes et singulas facultates, privilegia, gratias, praeeminentias, praerogativas et indulta quaecumque, praefatis cardinalibus et praelatis, eorumque congregationi, necnon omnibus et singulis officialibus et ministris supradictis a memorato Alexandro praedecessore per suas litteras praefatas quovis modo respective concessa et attributa, per obitum eiusdem Alexandri praedecessoris minime cessasse, nec cessare, sed in suis robore et firmitate permanere, omnibusque et singulis praefatis respective adhuc competere et suffragari debere, decernimus pariter et declaramus.

Renovatio privilegiorum congregationi concessorum;

§ 1. Et, quatenus opus sit, facultates, privilegia, gratias, praeeminentias, praerogativas et indulta huiusmodi eisdem cardinalibus et praelatis, eorumque congregationi ac officialibus et ministris praefatis, in omnibus et per omnia prout eis respective a dicto Alexandro praedecessore concessa et attributa fuerunt, motu, scientiâ, deliberatione et potestatis plenitudine paribus, denuo concedimus, tribuimus et impartimur.

Decretum irritans.

§ 2. Decernentes easdem praesentes litteras et in eis contenta quaecumque, etiam ex eo quod quicumque in praemissis seu eorum aliquo interesse habentes seu habere quomodolibet praetendentes, cuiuscumque status, gradus, ordinis, praeeminentiae et dignitatis existant, etiam cardinalatus honore fulgentes, aut aliàs specificâ et individuâ mentione et expressione digni, illis non consenserint, nec ad ea vocati, citati et auditi, neque causae, propter quas praesentes emanarunt, adductae, verificatae vel iustificatae fuerint, aut ex aliâ quacumque quantumvis iustâ, piâ et privilegiatâ causâ, colore, praetextu et capite, etiam in corpore iuris clauso, etiam enormis, enormissimae et totalis laesionis, nullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrae aut interesse habentium consensus, aliove quolibet etiam quantumvis magno et substantiali ac individuam expressionem requirente defectu notari, impugnari, invalidari, infringi, retractari, ad terminos iuri reduci, seu in controversiam revocari, aut adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque iuris, facti vel gratiae remedium impetrari vel intentari, seu impetrato, aut etiam motu, scientiâ et potestatis plenitudine paribus concesso seu emanato, quempiam in iudicio vel extra illud uti seu se iuvare posse; sed ipsas praesentes litteras firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et spectabit in futurum, plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque et non aliter in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, necnon eiusdem S. R E. cardinales, etiam de latere legatos, et alios quoslibet quacumque praeeminentiâ et potestate fungentes et functoros, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et autoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis actoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariis derogat.

§ 3. Non obstantibus praemissis, ac omnibus et singulis illis quae memoratus Alexander praedecessor in suis litteris supradictis voluit non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides.

§ 4. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitu-

tae munitis, eadem prorsus fides ubique tam in iudicio quam extra adhibeatur, quae praesentibus adhiberetur, si forent exibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XX septembris MDCLXVII, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 20 septembris 1667, anno I.

XIX.

Confirmatio Brevis Alexandri VII, cum diversis aliis ordinationibus, pro monasteriis monialium Excalceatarum regni Franciae [1].

Clemens Papa IX,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium. Debitum pastoralis officii, quod ineffabilis divinae sapientiae atque bonitatis altitudo humilitati nostrae, nullo licet meritorum nostrorum suffragio, imponere dignata est, exigit ut, praecipuam sacrarum virginum et devotarum mulierum Altissimi obsequiis sub suavi religionis iugo mancipatarum, quarum quo sublimior gloria est, maior et cura, sollicitudinem gerentes, ea, quae a Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris pro felici illarum regimine pie salubriterque constituta esse noscuntur, quo firmiora atque stabiliora persistant, apostolici patrocinii praesidio muniamus, si quae[2] vero aliquantum mutanda seu adiicienda aut aliter disponenda esse magistra rerum experientia suadeat, in iis paternae nostrae charitatis atque providentiae partes desiderari minime patiamur, ut illustrior illa portio gregis Christi, praecisis quorumcumque dissidiorum, quae amabilis concordiae religiosaeque tranquillitatis serenitatem obnubilare possent, occasionibus, maiora in dies decoris atque ornamenti gratiae spiritualis, Domino donante, suscipiat incrementa, omnibusque recte atque ordine dispositis, flos ille ecclesiastici germinis bono semper Christi odore de bonâ conversatione fragrans gloriosam S. Matris Ecclesiae foecunditatem amplioribus laetificet cumulis gaudiorum.

Refert aliud Breve. § 1. Aliàs siquidem emanarunt a felicis recordationis Alexandro Papa VII, praedecessore nostro, litterae in simili formâ Brevis, tenoris qui sequitur, videlicet: Alexander Papa VII, ad perpetuam rei memoriam. *Sacrosancti apostolatus officii cura, etc.* (Reliqua ut in suo ordine sub die XXVI septembris MDCLXI, anno septimo [1]).

Motiva huius confirmationis. § 2. Cum autem, sicut nomine carissimi in Christo filii nostri Ludovici Francorum regis christianissimi nobis nuper expositum fuit, licet per praeinsertas Alexandri praedecessoris litteras felici prosperoque praedictorum monasteriorum monialium Carmelitanarum Excalceatarum regni Franciae gubernio sapienter consultum fuerit, aliqua tamen supersint, quae ad maiorem earumdem litterarum dilucidationem et explicationem, atque ad recidendas dubietates iam exortas, excludendasque controversias quae progressu temporis suboriri possent, ac ad sublevandas duorum visitatorum praedictorum curas, pacemque et animorum concordiam inter memoratas moniales earumque superiores et visitatores firmius solidandam, apostolicâ auctoritate secundum aequitatis et prudentiae regulas declarari atque de novo statui debere videantur: nobis propterea idem Ludovicus rex humiliter supplicari fecit ut in praemissis opportune providere et

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

2 Aptius lege *si qua* (R. T.).

1 Vide tom. XVI, pag. 609, uti Constitutio legitur, forsan erronee, sub dat. 26 septembris anno *sexto* (R. T.).

ut infra indulgere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Pontifex confirmat.

§ 3. Nos igitur, piis ipsius Ludovici regis votis hac in re, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere, ac salubri praedictarum monialium, quae christianae pietatis aliarumque religiosarum virtutum studiis eximie florere noscuntur, directioni, pro peculiari nostro in eas charitatis affectu, consulere cupientes, huiusmodi supplicationibus inclinati, praeinsertas Alexandri praedecessoris litteras, ac omnia et singula in eis contenta, in his tamen quae infra stabiliendis non adversantur, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, approbamus et confirmamus, illisque omnibus et singulis perpetuae et inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus; ac omnibus dictorum monasteriorum priorissis, superiorissis, monialibus et personis quibuscumque, ut eisdem litteris, omnibusque et singulis in illis contentis prompte et sincere sine ullâ oppositione vel protestatione pareant et obediant, in virtute sanctae obedientiae, ac etiam sub excommunicationis ipso facto incurrendae poenâ, praecipimus et mandamus.

Declarat tertium visitatorem aliaque statuit, ut in

§ 4. Statuentes et declarantes quod deinceps, iuxta tenorem constitutionis recolendae memoriae Gregorii Papae XV praedecessoris pariter nostri die XII septembris MDCXXII editae, nullum monialium dicti Ordinis in regno Franciae monasterium ab alio dependeat, aut alterius membrum censeatur, salvâ honoris praerogativâ monasterio Parisiensi, nunc Incarnationis, in suburbio S. Iacobi nuncupato; quodque memorati Alexandri praedecessoris litterae in simili formâ Brevis, die V octobris MDCLXVI in favorem monasteriorum monialium dicti Ordinis civitatis Bisuntinae et loci Grajacensis in comitatu Burgundiae expeditae, quarum tenorem praesentibus pro expresso et inserto haberi volumus, locum habere non debeant in administratione monasteriorum regni Franciae, nec ad consequentiam trahi possint. Ac dilectis filiis rectoribus seu superioribus immediatis et visitatoribus praedictorum monasteriorum monialium regni Franciae, ne ipsi limites facultatum et potestatis sibi respective concessarum extendant, interdicimus; visitatoribus autem praedictis, ut statuta, pro salubri monasteriorum huiusmodi regimine ab ipsis edita, superioribus eorumdem monasteriorum communicent seu nota faciant, ad hoc ut dicti superiores eorum observationi pro muneris sui ratione diligentius et cautius invigilent, dummodo illa constitutionibus dicti Ordinis non adversentur, praecipimus. Insuper, attentâ multitudine et distantiâ dictorum monasteriorum in variis regni praedicti partibus dispersorum, in subsidium et levamen praedictorum duorum visitatorum iam existentium, dilectum pariter filium Martialem Chanut, monasterii d'Issoire, Ordinis sancti Benedicti, Claromontensis dioecesis, abbatem seu perpetuum commendatarium, qui, ut accepimus, doctrinae et virtutum meritis conspicuus existit, in tertium eorumdem monasteriorum monialium visitatorem perpetuum, auctoritate et tenore praedictis, constituimus et deputamus. Volentes et eâdem auctoritate decernentes ut in posterum tres sint monasteriorum huiusmodi visitatores perpetui, hac tamen lege, ut, in casu mortis vel recessus unius ex tribus, duo superstites visitatores, duos aetate graves ac vitae et probitatis spectatae viros nostro et Sedis praedictae nuncio pro tempore in regno praedicto commoranti nominent, qui unum ex illis in tertium visitatorem deputet; salvâ, illaesâ et inviolabili in omnibus aliis remanente memorati Alexandri praedecessoris lit-

terarum circa eosdem visitatores dispositione.

Prospicit contr versiis futuris.

§ 5. Ut autem omnis controversiae et contentionis occasio inter praedictos visitatores et rectores seu superiores ordinarios immediatos tollatur, supradictis litteris inhaerendo, stricte prohibemus ne rector seu superior immediatus ullo unquam tempore, directe, vel indirecte, privative vel cumulative, seu aliàs quomodolibet sese ingerere praesumat in visitatione aut aliâ quavis functione, quae ad peculiare officium visitatoris monasteriorum huiusmodi spectet; neve dicti visitatores in functionibus quae memoratis rectoribus seu superioribus immediatis peculiariter attributae sunt, et in praeinsertis litteris latius continentur, se ullatenus ingerant, etiam in cursu visitationis, nisi in casibus in supradictis Alexandri et aliorum pradecessorum nostrorum litteris expresse contentis, et in iis in quibus iidem superiores excederent aut concessis sibi facultatibus abuterentur.

Plura alia statuit.

§ 6. Statuentes pariter et ordinantes ut in omni electione rectorum seu superiorum immediatorum cuiuscumque monasterii, praeter priorissam seu superiorissam quae ad hunc effectum duplicis voti praerogativâ gaudebit, superiorissam et moniales depositarias, duae aliae moniales, per suffragia communitatis cuiuscumque monasterii eligendae, possint et debeant votum et suffragium ferre. Praeterea, cum, sicut pariter accepimus, omnes et singulae priorissae seu superiorissae et moniales omnium monasteriorum dicti Ordinis in regno Franciae consistentium plenam et perfectam supradictis Alexandri praedecessoris die II octobris MDCLIX et die XIII ianuarii et XI aprilis necnon praeinsertis die XXVI septembris MDCLXI respective emanatis litteris obedientiam exhibuerint, ab eisdem omnibus et singulis priorissis seu superiorissis et monialibus omnem et quamcumque inhabilitatem, quam ob denegatam dictis litteris obedientiam incurrisse praetendi possent, auctoritate et tenore praedictis, abstergimus, easque et earum quamlibet ab inhabilitate huiusmodi totaliter liberamus, ac illas ad omnia dicti Ordinis munia et officia rehabilitamus, necnon omnibus et singulis perpetuum super his silentium imponimus, et ne dictae inobedientiae praetextu quisquam easdem priorissas seu superiorissas et moniales inquietare et molestare quoquo modo praesumant[1], expresse prohibemus; mandantes insuper et praecipientes omnibus, et superioribus, visitatoribus, priorissis seu superiorissis, et monialibus monasteriorum huiusmodi, sub excommunicationis ac inobedientiae et privationis officiorum poenis eo ipso si contravenerint absque aliâ declaratione incurrendis, ut praesentibus nostris litteris singulisque in eis contentis prompte et sine ullâ oppositione vel protestatione obediant; alioquin, si contigerit (quod non est credendum) aliquam ex dictis priorissis seu superiorissis et monialibus inobedientem fieri, illa in priorissam cuiuscumque ex praedictis monasteriis eligi vel assumi, aut prius electa vel assumpta confirmari nullo unquam tempore possit.

Decretum irritans.

§ 7. Ac decernentes pariter easdem praesentes litteras et in eis contenta quaecumque, etiam ex eo quod quicumque in praemissis seu eorum aliquo ius vel interesse habentes seu habere quovis modo praetendentes, cuiuscumque status, gradus, ordinis, praeeminentiae et dignitatis, seu aliàs specificâ et individuâ mentione digni existant, illis non consenserint, nec ad ea vocati et

1 Vel legend. *praesumat* vel antea *quiquam* pro *quisquam* legendum (R.T.).

auditi, neque causae, propter quas ipsae praesentes emanarint, adductae, specificatae et iustificatae fuerint, aut ex quacumque aliâ etiam quantumvis iustâ, piâ et privilegiatâ causâ, praetextu, colore et capite, etiam enormis, enormissimae et totalis laesionis, de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrae aut interesse habentium consensus, aliove quolibet etiam substantiali ac de necessitate specifice exprimendo defectu impugnari, redargui, infringi, notari, restringi, seu in controversiam vocari, aut adversus illas quodcumque iuris, facti vel gratiae remedium intentari vel impetrari seu impetrato, aut etiam motu proprio, ac ex certâ scientiâ, et de apostolicae potestatis plenitudine emanato vel concesso, quempiam, in iudicio vel extra illud, uti seu se iuvare nullatenus unquam posse, sed easdem praesentes litteras semper et perpetuo firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab illis, ad quos spectat et spectabit quandocumque in futurum, inviolabiliter observari sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos et Apostolicae Sedis nuncios, et alios quoscumque, etiam quavis praeeminentiâ et potestate fungentes et functuros, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum. § 8. Non obstantibus, quoad ea quae praesentibus adversantur, praeinsertis Alexandri praedecessoris litteris, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon omnibus et singulis illis, quae in eisdem litteris concessa sunt non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides. § 9. Ceterum volumus pariter ut ipsarum praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique habeatur, quae praesentibus haberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXVI septembris MDCLXVII, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 26 septembris 1667, pontif. anno I.

XX.

Confirmatio privilegiorum omnium concessorum tam guardiano Sacri montis Sion quam fratribus, necnon locis Terrae Sanctae.

Clemens Papa IX,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium. Piis christifidelium votis, ex quibus sacrorum locorum venerationem et animarum salutem provenire conspicimus, libenter annuimus, et illa, quantum nobis ex alto conceditur, favoribus apostolicis confovemus.

Supplicatio. § 1. Cum itaque sicut dilectus filius Ludovicus a Iustitia, frater expresse professus provinciae Granatensis Ordinis Minorum sancti Francisci de Observantiâ nuncupatorum, ac praedicator verbi Dei, necnon commissarius ac procurator generalis in Romanâ curiâ totius familiae Terrae Sanctae, nobis nuper exponi fecit, ipse ad eiusdem Terrae Sanctae subsidium, eorumdemque fratrum inibi vineam Domini assidue excolentium, sacraque loca venerantium subventionem,

necnon ad spiritualem catholicorum in illis partibus degentium eoque devotionis causâ peregrinantium consolationem et profectum, omnia et singula gratias, privilegia et indulgentias, hucusque sacris eiusdem Terrae Sanctae locis[1] apostolicâ auctoritate etiam confirmari et approbari plurimum desideret:

Concedit Pontifex.

§ 2. Nos, desiderio huiusmodi annuere, ipsumque Ludovicum specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus illius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, omnia et singula privilegia, concessiones, facultates, indulta, indulgentias, ceterasque gratias spirituales et temporales eisdem locis et illa visitantibus, necnon dictis Ordinis guardiano et fratribus in dictis partibus degentibus per quoscumque Romanos Pontices praedecessores nostros ac Sedem Apostolicam, in genere vel in specie, aut aliàs quomodolibet concessa, quatenus sint in usu et non sint revocata, aut sub aliquibus revocationibus comprehensa existant, sacrisque canonibus, constitutionibus apostolicis, ac Concilii Tridentini decretis non adversentur, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, ac perpetuae inviolabilis apostolicae firmitatis robore communimus, ac omnes et singulos tam iuris quam facti defectus, si qui desuper in eis quomodolibet intervenerint, supplemus.

1 Videtur deesse *concessa*, etc. (R. T.).

Indulgentias in mortis articulo concedit.

§ 3. Necnon insuper omnibus et singulis eorumdem fratrum interpretibus nunc Hierosolymis, Betlehem et Nazareth existentibus et viventibus, in cuiuslibet eorum mortis articulo, si vere poenitentes et confessi ac sacrâ communione refecti, vel, quatenus id facere nequiverint, saltem contriti nomen Iesu ore, si potuerint, sin minus corde devote invocaverint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus et elargimur.

Derogatio contrariorum.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXX septembris MDCLXVII, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 30 septembris 1667, pontif. anno I.

XXI.

Quod officium S. Ignatii Societatis Iesu fundatoris sub ritu duplici in posterum recitetur ab omnibus qui ad horas canonicas tenentur[1].

Clemens Papa IX, ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Creditae nobis divinitus dispensationis ratio postulat ut sanctorum in caelis regnantium, quorum egregia constant in Ecclesiam Catholicam merita, cultum et venerationem in terris condignis honorum incrementis ampliare studeamus.

Mandat celebrari festum sub ritu duplici.

§ 1. Itaque cultum et venerationem S. Ignatii Societatis Iesu fundatoris, de universali Ecclesiâ adeo benemeriti, ubique terrarum augere volentes, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, man-

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

damus, ut eius festum, quod sub ritu semiduplici ad hunc usque diem celebratum est, perpetuo futuris temporibus sub ritu duplici celebretur. Praecipientes propterea, ut omnes tam seculares quam regulares utriusque sexus, qui ad horas canonicas tenentur, eas in posterum de memorato S. Ignatio sub praedicto ritu duplici recitent. Ac ipsius S. Ignatii festum sic sub ritu duplici celebrandum in romano breviario apponi debere decernimus.

Contrariis derogat. § 2. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides. § 5. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici vel secretarii dictae Societatis subscriptis, et sigillo praepositi generalis eiusdem Societatis vel alterius personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae praesentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XI octobris MDCLXVII, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 11 octobris 1667, pontif. anno I.

XXII.

Extensio litterarum Pauli V super erectione monasterii Ursulinarum Burdigalensis emanatarum, et concessionum et indultorum eidem monasterio in eis factorum, ad omnia eiusdem regulae et instituti monasteria in utrâque Germania[1].

Clemens Papa IX, ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium. Militantis Ecclesiae regimini per ineffabilem divinae sapientiae atque bonitatis abundantiam, nullo licet meritorum nostrorum suffragio, praepositi, sacrarum virginum, quae, oblitae populum suum et domum patris sui, divinis obsequiis et beneplacitis sese sub suavi religionis iugo mancipârunt, regimini, progressui et commodis consulere iugiter studemus, sicut in Domino salubriter expedire arbitramur.

Expositio. § 1. Exponi siquidem nobis nuper fecit venerabilis frater archiepiscopus Cameracensis, quod dudum felicis recordationis Paulus Papa V praedecessor noster monasterium sacrarum virginum sub regulâ sancti Augustini et patrocinio S. Ursulae in civitate Burdigalensi in Gallia, quarum institutum est iuventutem sui sexus bonis artibus et praesertim christianis moribus instruere, et quae certas constitutiones a bonae memoriae Francisco dum vixit S. R. E. cardinali de Sourdis nuncupato ecclesiae Burdigalensis ex concessione et dispensatione apostolicâ praesule ex commissione Sedis Apostolicae confirmatas servare deberent, auctoritate apostolicâ erexit et instituit; ipsisque monialibus et monasterio huiusmodi nonnulla privilegia, immunitates, exemptiones, praerogativas, gratias et indulgentias, quibus Ordo sancti Augustini eiusque personae ac bona de iure, usu, consuetudine, aut aliàs quomodolibet utuntur, fruuntur et gaudent, concessit, et aliàs prout in eiusdem Pauli praedecessoris litteris anno MDCXVIII expeditis, quarum initium est: *In supremo militantis Ecclesiae solio*, etc., uberius dicitur contineri.

Supplicatio. § 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, hoc pium virginum Ursulinarum nuncupatarum institutum ex Gallia in remotas regiones etiam transmarinas Novae Galliae, ac in utramque Germaniam, benedicente Domino, feliciter propagatum fuerit, dictaeque virgines

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

pro earum ferventi zelo utilem laboriosamque operam puellis edocendis cum magno religionis et divini cultus incremento navent, ac non solum propriae, sed etiam alienae saluti procurandae sedulo incumbant; praefatus vero archiepiscopus Cameracensis ac dilecti filii superiores monasteriorum monialium Ursulinarum huiusmodi in utrâque Germania consistentium praefatas Pauli praedecessoris litteras ad omnia eiusdem cum praefato monasterio Burdigalensi instituti monasteria, tam erecta quam imposterum benedicente Domino erigenda, extendi plurimum desiderent: nobis propterea dictus archiepiscopus Cameracensis eorumdem superiorum nomine humiliter supplicari fecit ut in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Concedit Pontifex. § 3. Nos igitur, ipsos archiepiscopum ac superiores et moniales specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, necnon dictarum Pauli praedecessoris litterarum tenorem praesentibus pro plene et sufficienter expresso habentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositorum consilio, attentis narratis, supradictas Pauli praedecessoris litteras, ac concessiones et indulta monasterio praefato Burdigalensi in ipsis facta, ad omnia eiusdem regulae et instituti monasteria in utrâque Germania tam hucusque erecta quam in posterum erigenda, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, extendimus et ampliamus; salvâ tamen semper in praemissis auctoritate congregationis praefatorum cardinalium.

Decretum irritans. § 4. Decernentes easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos et quas spectat et pro tempore spectabit, plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum. § 4. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon omnibus et singulis illis, quae memoratus Paulus praedecessor in suis litteris praedictis concessit non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides. § 5. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XII octobris MDCLXVII, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 12 octobris 1667, pontif. anno I.

XXIII.

Confirmatio litterarum generalis Ordinis Praedicatorum pro religiosis provinciae Hiberniae et aliarum eiusdem Ordinis sublevandis, novisque natio-

nalibus collegiis et domibus in Hispania et alibi erigendis[1].

Clemens Papa IX,
ad futuram rei memoriam.

Recensentur similes aliae concessiones.

Nuper emanarunt a nobis ad favorem dilectorum filiorum fratrum provinciae Hiberniae Ordinis Praedicatorum litterae in simili formâ Brevis, tenoris qui sequitur, videlicet:

« § 1. *Clemens Papa IX, ad futuram rei memoriam.* Creditae nobis caelitus dispensationis ratio exigit, etc.[2]

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XVI septembris MDCLXVII, pontificatus nostri anno I ».

Extensio superioris indulti.

§ 2. Nunc autem, eosdem fratres amplioris favore gratiae prosequi volentes, eorumque ac dilecti pariter filii Ioannis Oconchovair a S. Dominico, procuratoris dictae provinciae Hiberniae, singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium tantum consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus eiusdem Ioannis nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, venerabili fratri archiepiscopo Toletano, ac dilectis etiam filiis inquisitoribus haereticae pravitatis in quacumque provinciâ seu loco auctoritate apostolicâ deputatis, per praesentes committimus et mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum, per se, vel alium, seu alios, ubi et quando opus fuerit, et quoties pro parte fratrum praedictorum seu alicuius eorum fuerint requisiti, seu aliquis eorum requisitus fuerit, ipsas praesentes et praeinsertas litteras ac in eis contenta quaecumque solemniter publicantes, illisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate nostrâ illos et eorum quemlibet earumdem litterarum et in eis contentorum huiusmodi commodo et effectu pacifice frui et gaudere, non permittentes eos desuper a quoquam quavis auctoritate quomodolibet indebite molestari, perturbari vel inquietari; contradictores quoslibet et rebelles per sententias, censuras et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postpositâ, compescendo, legitimisque super his habendis servatis processibus, censuras et poenas ipsas etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis.

Contrariis derogat.

§ 3. Non obstantibus felicis recordationis Bonifacii Papae VIII praedecessoris nostri de unâ, et concilii generalis de duabus dietis, dummodo ultra tres dietas aliquis auctoritate praesentium in iudicium non trahatur, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon omnibus et singulis illis, quae in litteris praeinsertis concessimus non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis credi mandat.

§ 4. Ceterum volumus pariter ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem fides adhibeatur ubique, quae praesentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XIV octobris MDCLXVII, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 14 octobris 1667, pontif. anno I.

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

2 Reliquum omittimus, quia tenorem huius Constitutionis habes paulo ante pag. 565 (R. T.).

XXIV.

Mittitur nuncius Coloniae ad congressum pacis inter reges catholicum et christianissimum tractandae in aliquâ Germaniae aut aliâ civitate vel loco destinando [1].

Venerabili fratri Augustino, archiepiscopo Trapezuntino, nostro et Apostolicae Sedis ad tractum Rheni et partes inferioris Germaniae nuncio,

Clemens Papa IX.

Venerabilis frater,
salutem et apostolicam benedictionem.

Motiva praesentis Constitutionis.

§ 1. Cum, sicut accepimus, carissimus in Christo filius noster Ludovicus Francorum rex christianissimus, ob aliquas praetensiones quas in nonnullas Belgii ditiones habet, quasdam provincias ibidem carissimo in Christo filio nostro Carolo Hispaniarum regi catholico subiectas armis adortus sit; nos, quibus nihil desiderabilius contingere potest quam ut pax et amabilis animorum concordia nostris temporibus in orbe christiano regnet, quique id ab omnipotentis Dei benignitate accuratis prĕcibus quotidie poscimus et publicis votis in ipso pontificatus nostri primordio flagitandum curavimus, sperantes utrumque regem, parternis nostris cohortationibus filiali reverentiâ morem gerendo, suos respective plenipotentiarios ad aliquam Germaniae aut aliam civitatem vel locum ad id destinandum propediem benedicente Domino missurum esse, ut [2], quidquid hactenus turbatum est, Illo, in cuius manu sunt corda regum, operante et illa ad pacis consilia suaviter inclinante, amice componatur, quiesque et tranquillitas populis restituatur et firmissime solidetur; ne autem, dum de aliquo viro hinc ad locum qui congressibus destinatus fuerit allegando cogitamus, interea desit, qui eisdem congressibus, in eisque habendis tractatibus nostro nomine interveniat, providere volentes, ac de spectatâ fraternitatis tuae fide, prudentiâ, ac in rebus arduis agendis dexteritate, bonique publici zelo plurimum in Domino confisi, motu proprio, ac ex certâ scientiâ et maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, eidem fraternitati tuae per praesentes committimus et mandamus, ut ad civitatem vel locum, ut praefertur, destinandum te conferas, ac congressibus et tractatibus pacis ibidem habendis unâ cum utriusque regis plenipotentiariis, aliorumque principum catholicorum, si qui illic fuerint, legatis, nostro et huius sanctae Sedis nomine, et tamquam mediator intersis, teque interponas, ac omnia facias, dicas, geras et exequaris, quae ad consequendum operis tam boni atque optati effectum quovis modo conducibilia fuerint; super quibus tibi quamcumque necessariam et opportunam facultatem harum serie tribuimus et impartimur. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque.

Hortatio.

§ 2. Geterum te in Domino hortamur, ut, iniunctum tibi per praesentes munus alacri animo suscipiens, illud ad Dei gloriam et S. R. E. honorem, regum et principum concordiam, populorumque quietem et tranquillitatem sic gerere studeas, ut tu quidem de praeclaris gestis tuis non solum apud omnes [1] commendationem et laudem in terris, sed etiam a bonorum operum Retributore praemium in caelis consequi merearis, nos vero te votis atque de te expectationi nostris respondere laetemur.

Datum Romae, apud S. Mariam Ma-

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

2 Edit. Main. legit *aut* pro *ut* (R. T.).

1 Forsan *homines* pro *omnes* legendum (R. T.)

iorem, sub annulo Piscatoris, die XXI octobris MDCLXVII, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 21 octobris 1667, pontif. an. I.

XXV.

Constitutio ut officium et missa Conceptionis Beatae Mariae Virginis Immaculatae cum octavâ in Urbe ac universâ S. R. E. temporali ditione de praecepto recitetur.

Clemens Papa IX,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium. Sincera nostra erga gloriosissimam Virginem Dei Genitricem Mariam, patronam et advocatam nostram, devotio plane exigit, ut, piis nonnullorum ex venerabilibus fratribus nostris S. R. E. cardinalibus aliorumque antistitum, qui ecclesiis in temporali nostrâ et Sedis Apostolicae ditione consistentibus praesunt, ac christifidelium tam almae Urbis nostrae, ex qua bonorum operum exempla in omnes christiani orbis partes assidue promanant, quam ceterarum civitatum, oppidorum et locorum nobis et dictae Sedi in temporalibus subditorum votis paterno affectu annuentes, eiusdem augustissimae caeli reginae venerationem in terris quantum nobis ex alto conceditur ampliare studeamus.

Officium et missa Conceptionis cum octavâ de praecepto mandat. § 1. Itaque, ut, tam in Urbe praedictâ quam in ceteris civitatibus et dioecesibus, oppidis, terris et locis, etiam nullius dioecesis, nobis et Sedi praedictae in temporalibus mediate vel immediate subiectis, tum a secularibus tum a regularibus utriusque sexus, qui horas canonicas recitare tenentur, officium et missa Conceptionis Beatae Mariae Virginis Immaculatae cum octavâ in posterum de praecepto recitetur cum lectionibus in octavario romano a congregatione venerabilium fratrum nostrorum eiusdem sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium sacris ritibus praepositorum approbato contentis et a die octavâ ad decimamquintam decembris rite dispositis, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, mandamus et decernimus.

Iubet imprimi. § 2. Idemque officium ad usum cleri Urbis ac civitatum, dioecesum, oppidorum, terrarum et locorum praedictorum seorsim ab octavario romano imprimi posse concedimus.

Contrariis derogat. § 3. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides. § 4. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra adhibeatur, quae praesentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXI octobris MDCLXVII, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 21 octobris 1667, pontif. anno I.

XXVI.

Quod provinciales Ordinis Beatae Mariae de Mercede redemptionis captivorum Discalceatorum in fine triennii sui officii provincialatus administrationis et gubernii rationem vicario generali reddere teneantur.

Clemens Papa IX,
ad perpetuam rei memoriam.

Causa huius Constitutionis. Aliàs pro parte dilecti filii procuratoris generalis fratrum Ordinis Beatae Mariae de Mercede redemptionis captivorum Discalceatorum nuncupatorum

congregationi venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositae exposito, quod propter minus rectam administrationem quorumdam provincialium provinciarum dicti Ordinis interdum notabile conventibus tam in spiritualibus quam in temporalibus praeiudicium sequebatur, ipseque procurator generalis propterea cupiebat committi vicario generali eiusdem Ordinis, ut, per seipsum, vel per suos commissarios et visitatores, unumquemque provincialem in fine sui triennii visitaret, emanavit ab eâdem congregatione decretum tenoris qui sequitur, videlicet:

Sacrae congregationis decretum.

§ 1. « Sacra congregatio eminentissimorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praeposita, attentis narratis, et ne conventus Ordinis huiusmodi ex malâ administratione seu minus accurato gubernio in spiritualibus aut temporalibus detrimentum patiantur, censuit committendum, prout praesenti decreto committit, vicario generali nunc et pro tempore existenti eiusdem Ordinis, ut in posterum singulos provinciales in fine triennii eorum officii provincialatus, per se vel per suos commissarios aut visitatores, visitet, eosdemque provinciales, quemlibet eorum, suae administrationis et gubernii rationem reddere compellat. Contrariis quibuscumque non obstantibus. Romae, 1 aprilis MDCLXVII.

M. cardinalis GINETTUS ».

Approbat et confirmat Pontifex.

§ 2. Cum autem, sicut dictus procurator generalis nobis nuper exponi fecit, ipse decretum huiusmodi, pro firmiori illius subsistentiâ, apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri summopere desideret: nos, ipsum procuratorem generalem specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, decretum praeinsertum, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, approbamus et confirmamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus; salvâ tamen semper in praemissis auctoritate praedictae congregationis cardinalium.

Decretum irritans.

§ 3. Decernentes ipsas praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariis derogat.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac, quatenus opus sit, dicti Ordinis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse dero-

gamus ; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXII octobris MDCLXVII, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 22 octobris 1667, pontif. anno I.

XXVII.

Revocatio et annullatio constitutionis Urbani VIII eremitas Camaldulensium Etruriae sive provinciae Aretinae cum congregatione Montis Coronae eiusdem Ordinis incorporantis.

Clemens Papa IX,
ad perpetuam rei memoriam

Exordium. Illius, qui charitas est et Deus pacis, vices licet immeriti gerentes in terris, ad ea peculiares vigilantiae nostrae curas libenter convertimus, per quae religiosae christifidelium, qui abnegantes semetipsos divinis obsequiis sese sub suavi arctioris atque severioris disciplinae iugo devoverunt, quieti consulitur, prout maturâ deliberatione adhibitâ salubriter expedire in Domino arbitramur.

Urbani VIII Constitutio. § 1. Dudum siquidem felicis recordationis Urbanus Papa VIII praedecessor noster, certis tunc expressis causis adductus eremum Camaldulensem Etruriae, sive provinciae Aretinae, ac congregationem Montis Coronae Ordinis Camaldulensium, eorumque respective eremos, monasteria, membra et alia loca regularia ab eis dependentia, invicem perpetuo univit, annexuit et incorporavit, ac ex eis omnibus sic unitis, annexis et incorporatis unicam dumtaxat congregationem, non amplius Montis Coronae, sed Eremitarum Camaldulensium de cetero nuncupandam, cuius caput esset praedicta eremus Camaldulensis Etruriae, similiter perpetuo erexit et instituit: ac insuper idem Urbanus praedecessor unionem et incorporationem eremi Camaldulensium in montibus prope civitatem Taurinensem sitae, unâ cum aliis eremis et domibus seu locis ab eâ dependentibus, sive quoquo modo ad illam pertinentibus, praedictae congregationi Camaldulensium Montis Coronae sub certis tunc expressis conditionibus factas, auctoritate apostolicâ approbavit et confirmavit, et aliàs prout in binis ipsius Urbani praedecessoris litteris desuper in simili formâ Brevis die VIII octobris MDCXXXIII et die VIII augusti MDCXXXV respective expeditis, quarum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis haberi volumus, uberius continetur.

Motiva eam revocandi. § 2. Cum autem (sicut accepimus) subinde inter dilectos filios eremitas Camaldulenses, illos nimirum nationis Etruriae, qui militant sub nomine congregationis Eremi Sacrae, ex unâ, et illos nationum Status nostri Ecclesiastici, dominii Veneti, regni Neapolis, Poloniae et Germaniae, qui olim militabant sub nomine congregationis Montis Coronae, ex alterâ, ac illos nationis Pedemontanae, ex aliâ respective partibus, variae controversiae et differentiae exortae ac suscitatae fuerint:

Revocatio de qua in rubrica. § 3. Nos, pro commissâ nobis caelitus pastoralis officii curâ opportunum eiusmodi dissidiis remedium adhibere, ac fraternae charitatis amoenitatem inter eremitas praedictos, quantum cum Domino possumus, restituere atque firmiter solidare cupientes, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositorum, qui controversias et differentias praedictas ex commissione recolendae memoriae Alexandri Papae VII praedecessoris pariter nostri mature ac diligenter examinarunt et perpenderunt, consilio, motu proprio,

ac ex certâ scientiâ et maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, unionem, annexionem et incorporationem eremi Camaldulensium Etruriae, sive provinciae Aretinae, ac congregationis Montis Coronae, earumque respective eremorum, monasteriorum, membrorum et aliorum locorum regularium praedictorum invicem, uniusque Congregationis ex illis sic unitis, annexis et incorporatis erectionem et institutionem a memorato Urbano praedecessore factas, necnon aliam unionem sive incorporationem eremi Camaldulensis in montibus prope Taurinum sitae, unâ cum aliis eremis, domibus et locis ab eâ dependentibus, sive quoquo modo ad illam pertinentibus, ad praedictam congregationem Camaldulensium Montis Coronae factam, et ab eodem Urbano praedecessore confirmatam ut praefertur, et, prout illas respective concernunt, emanatas desuper ipsius Urbani praedecessoris litteras praedictas, ex nunc tenore praesentium revocamus, dissolvimus, irritamus et annullamus, viribusque et effectu penitus et omnino vacuamus, ac ex nunc revocatas, dissolutas, irritas et annullatas, viribusque et effectu vacuas esse et fore decernimus et declaramus, necnon nationes praedictas ab invicem separamus, easque ad formam regiminis, quo ante uniones respective gubernabantur, reducimus.

Executores deputat.

§ 4. Praeterea dilecto filio nostro Petro S. R. E. cardinali Vidono nuncupato, Ordinis huiusmodi apud nos et Sedem Apostolicam protectori, per easdem praesentes motu pari committimus et mandamus, ut cuilibet ex dictis nationibus leges et consuetudines antiquas ex laudabili earum instituto auctoritate nostrâ apostolicâ statuat, exacteque observari faciat ius unicuique tribuat, causas et lites decidat et terminet, ceteraque faciat quae ad maiorem Dei cultum et gloriam ac dictarum nationum tranquillitatem conducere arbitrabitur. Nos enim ipsi Petro cardinali et protectori quamcumque necessariam et opportunam ad praemissa facultatem, harum serie, motu, scientiâ et potestatis plenitudine paribus, tribuimus et impartimur.

Decretum irritans.

§ 5. Decernentes easdem praesentes litteras et in eis contenta quaecumque, etiam ex eo quod eremitae praedicti et alii quilibet in praemissis interesse habentes seu habere quomodolibet praetendentes, etiamsi cuiusvis status, ordinis, conditionis, praeeminentiae et dignitatis, aut aliàs speciali et individuâ mentione digni existant, illis non consenserint, seu ad ea citati, vocati et auditi, aut causae, propter quas ipsae praesentes emanarint, adductae, verificatae et iustificatae non fuerint, vel ex aliâ quacumque quantumvis legitimâ, piâ et privilegiatâ causâ, colore, praetextu et capite, etiam enormis, enormissimae et totalis laesionis, nullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrae vel interesse habentium consensus, aliove quolibet quantumvis magno et substantiali defectu notari, impugnari, infringi, retractari, ad terminos iuris reduci, aut in controversiam revocari, seu adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque iuris, facti vel gratiae remedium intentari vel impetrari, seu impetrato, aut etiam motu, scientiâ et potestatis plenitudine paribus concesso vel emanato, quempiam in iudicio vel extra illud uti seu se iuvare posse, sed ipsas praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suf-

fragari, et ab eis respective inviolabiliter observari,

Clausula *sublatd.*

§ 6. Sicque et non aliter in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. praedictae cardinales, etiam de latere legatos, dictaeque Sedis nuncios, et alios quoslibet quacumque praeeminentiâ et potestate fungentes et functuros, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariis derogat.

§ 7. Non obstantibus praedictis Urbani praedecessoris litteris, ac, quatenus opus sit, nostrâ et cancellariae apostolicae regulâ de non tollendo iure quaesito, iisque[1] constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon dictarum eremorum et congregationum, aliisve quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, etiam eisdem eremis et congregationibus, earumque personis quibusvis, sub quibuscumque verborum tenoribus et formis, ac cum quibusvis derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis, in genere vel in specie, etiam iteratis vicibus concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum etc.[2], insererentur, praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes, illis aliâs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

§ 8. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo alicuius personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique adhibeatur, quae praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae. Fides transumptorum.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXIV octobris MDCLXVII, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 24 octobris 1667, pontif. anno I.

1 Forsan *aliisque* (R. T.).

2 Quae desunt supple ex formulis aliàs adhibitis (R. T.).

XXVIII.

Revocatio unionis factae ab Alexandro VII Congregationum monachorum Vallis Umbrosae et Silvestrinorum Ordinis sancti Benedicti, etc.[1].

Clemens Papa IX, ad perpetuam rei memoriam.

Romanus Pontifex, in sublimi Sedis Apostolicae solio a Domino constitutus, ea quae a praedecessoribus suis piâ quidem intentione atque laudabili promovendae monasticae disciplinae studio constituta fuerunt, si postmodum non eum qui ab initio sperabatur effectum inde consequi, sed potius multum exinde incommodi subnasci conspicit, in melius reformare studet, sicut, maturâ deliberatione praeviâ, rationi arbitratur esse consentaneum. Proœmium.

§ 1. Aliàs siquidem felicis recordationis Alexander Papa VII praedecessor Recenset litteras de unione de qua in rubricâ.

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

noster, certis tunc expressis causis adductus, congregationes monachorum Vallisumbrosae et Silvestrinorum nuncupatorum Ordinis sancti Benedicti, ac omnia et singula utriusque illorum monasteria, grancias, conventus, membra et alia loca regularia quaecumque, ad illas quovis modo spectantia, et ab ipsis congregationibus earumque monasteriis et locis regularibus quomodocumque et qualitercumque dependentia, in unam congregationem, quae congregatio Vallis Umbrosae et Silvestrina Ordinis sancti Benedicti nuncupari[1], et coniunctis ambarum congregationum huiusmodi insignibus uti deberet, perpetuo coniunxit et univit, cum diversis ordinationibus, statutis et decretis, prout in ipsius Alexandri praedecessoris litteris desuper in simili formâ Brevis die XXIX martii MDCLXII expeditis, quarum tenorem praesentibus pro plene et sufficienter expresso ac de verbo ad verbum haberi inserto volumus, uberius continetur.

Motiva revocationis.

§ 2. Cum autem, sicut accepimus, ex dictarum congregationum unione et in unum corpus coniunctione huiusmodi non solum spiritualis temporalisque illarum utilitas, quam memoratus Alexander praedecessor unice spectabat, consecuta non sit, sed etiam varia inter utriusque congregationis monachos dissidia sint exorta, quae eorum religiosae quieti, ipsarumque congregationum statui et felici directioni non modicum adferre noscuntur detrimentum: hinc est quod nos, pro commissâ nobis caelitus pastoralis officii curâ, felici prosperoque earumdem congregationum regimini et gubernio, earumque respective professorum tranquillitati salubriter, quantum nobis ex alto conceditur, consulere cupientes, motu proprio, ac ex certâ scientiâ et maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, unionem et coniunctionem praefatarum duarum congregationum monachorum Vallisumbrosae et Silvestrinorum, ac illarum utriusque monasteriorum, granciarum, conventuum, membrorum et locorum regularium huiusmodi in unam congregationem a praefato Alexandro praedecessore factas ut praefertur, emanatasque desuper ipsius Alexandri praedecessoris litteras supradictas, tenore praesentium, ex nunc revocamus, dissolvimus, irritamus et annullamus, viribusque et effectu penitus et omnino vacuamus, ac revocatas, dissolutas, irritas et annullatas, viribusque et effectu vacuas esse et perpetuo fore decernimus et declaramus, ipsasque congregationes et illorum respective monasteria, grancias, conventus, membra et loca regularia praefata ab invicem separamus, ac in pristinum et eum, in quo antequam praefatae Alexandri praedecessoris litterae emanassent, quovis modo erant statum, ita ut deinceps pristinis respective nominibus atque insignibus nuncupari et uti debeant, restituimus, reponimus et plenarie reintegramus, necnon ad eam regiminis normam, qua ante unionem et coniunctionem huiusmodi respective gubernabantur, reducimus.

In pristinum statum congregationes reponit.

§ 3. Decernentes easdem praesentes litteras et in eis contenta quaecumque, etiam ex eo quod monachi praefati, aliique quilibet in praemissis seu eorum aliquo ius vel interesse habentes seu habere quomodolibet praetendentes, cuiusvis status, gradus, praeeminentiae, ordinis, superioritatis et dignitatis existant, etiamsi cardinalatus honore fulgeant, aut quavis aliâ ecclesiasticâ vel mundanâ dignitate praediti, seu aliàs speciali et individuâ mentione et expressione digni sint, illis non consenserint, aut ad

Decretum irritans.

1 Male ed. Main. legit *nuncupati* (R. T.).

ea vocati, citati et auditi, seu causae, propter quas praesentes emanarunt, adductae, verificatae et iustificatae non fuerint, aut ex aliâ qualibet quantumvis iustâ, piâ et privilegiatâ causâ, colore, praetextu et capite, etiam in corpore iuris clauso, etiam enormis, enormissimae et totalis laesionis, nullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrae aut interesse habentium consensus, aliove quocumque etiam quantumvis magno et substantiali ac incogitato et inexcogitabili specificamque expressionem requirente defectu notari, infringi, retractari, impugnari, redargui, limitari, in controversiam vocari, seu ad viam et terminos iuris reduci, aut adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque iuris, facti vel gratiae remedium impetrari vel intentari, aut impetrato, seu etiam motu, scientiâ et potestatis plenitudine paribus concesso vel emanato, quempiam in iudicio, vel extra illud uti seu se iuvare posse, sed ipsas praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari, sicque et non aliter in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. cardinalium etiam de latere legatos et Apostolicae Sedis nuncios, aliosve quoslibet quacumque praeeminentiâ et potestate fungentes et functuros, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Clausula *sublata*.

§ 4. Non obstantibus praefatis Alexandri praedecessoris litteris, ac, quatenus opus sit, nostrâ et cancellariae apostolicae regulâ de non tollendo iure quaesito, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon omnibus et singulis illis quae dictus Alexander praedecessor in eisdem suis litteris voluit non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Derogatio contrariorum.

§ 5. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique locorum tam in iudicio quam extra adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Transumptorum fides.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXIV octobris MDCLXVII, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 24 octobris 1667, pontif anno I.

XXIX.

Confirmatio decretorum pro felici regimine conventus et collegii maioris Parisiensis Ordinis eremitarum sancti Augustini[1].

Clemens Papa IX,
ad perpetuam rei memoriam.

Romanus Pontifex, in sublimi Apostolicae Sedis speculâ a Domino constitutus, omnium quidem christifidelium spiritualibus commodis pro commisso sibi munere consulere iugiter satagit, peculiarem tamen gerit eorum curam, qui,

Exordium.

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

divinis obsequiis sub suavi religionis iugo mancipati, pietatis et sacrarum litterarum studiis laudabiliter incumbunt. Quocirca illis, quae pro eorum religiosis studiosisque progressibus iuvandis tum ab eorum superioribus regularibus, tum Apostolicâ Sede salubriter constituta esse conspicit, novum apostolici patrocinii robur libenter adiungit, ac enata[1] inter eos dissidia, ne recte constitutorum effectum impediant aut retardent, fraternaeque charitatis amoenitatem diutius conturbent, secundum aequitatis atque prudentiae regulas dirimere studet, sicut ad Dei gloriam, religionis incrementum, pacisque et religiosae quietis bonum expedire in Domino arbitratur.

Recensentur aliae litterae.

§ 1. Aliàs siquidem felicis recordationis Alexander Papa VII praedecessor noster diversa decreta, a quondam Paulo Luchino dum vixit priore generali Ordinis fratrum Eremitarum sancti Augustini in visitatione conventus maioris nuncupati civitatis Parisiensis dicti Ordinis pro felici eiusdem conventus regimine regularisque disciplinae conservatione edita, et a capitulo generali eiusdem Ordinis approbata, apostolicâ auctoritate confirmavit et approbavit per quasdam suas desuper in simili formâ Brevis expeditas litteras tenoris qui sequitur, videlicet:

Alexander Papa VII, ad perpetuam rei memoriam. Pastoralis officii, quo divinâ dispositione, etc. (*reliqua omittuntur quia iam sunt in suo ordine sub die* X *iunii* MDCLXII[2]).

Decretum prioris generalis

§ 2. Et subinde venerabilis frater Petrus Lanpanconius, episcopus Interamnensis, tunc prior generalis dicti Ordinis, considerans quod pro faciliori decretorum praeinsertorum executione, regularis disciplinae observantiâ et pacis stabilimento sexdecim fratrum ex diversis Galliae provinciis assumptorum et assumendorum, quos memoratus Paulus prior generalis in praefato maiori conventu et collegio Parisiensi perpetuo affiliaverat seu affiliandos decreverat, numerus non videretur sufficiens, aliisque rationabilibus causis adductus, facultatem concessit dilecto filio Thomae Guichens Galliae assistenti absoluto eiusdem Ordinis et tunc priori dicti maioris conventus et collegii Parisiensis, ut praefato sexdecim fratrum numero alios quatuor fratres sibi benevisos ex provinciis Galliae huiusmodi ad beneplacitum suum pro eâ vice tantum adscribere valeret, quos ipse Petrus episcopus tunc prior generalis ex tunc constituit filios eiusdem conventus et collegii cum omnibus iuribus, praerogativis, privilegiis, gratiis, praeeminentiis, ceterisque aliis, quibus per constitutiones dicti Ordinis fieri[1] et gaudere solent filii aliorum conventuum generalium; eâ tamen lege, ut, ipsis vel aliquo ipsorum quatuor fratrum per mortem aut alio quocumque modo deficientibus, nunquam posset suppleri locus vacans, neque imposterum augeri praefatus sexdecim fratrum primo affiliatorum numerus, et aliàs prout in eiusdem Petri episcopi tunc prioris generalis litteris patentibus desuper die XI septembris MDLXXII emanatis, quarum tenorem praesentibus pro plene et sufficienter expresso ac de verbo ad verbum inserto haberi volumus, uberius continetur.

Motiva confirmationis.

§ 3. Cum autem, sicut accepimus, licet post emanata decreta seu statuta praeinserta, factasque affiliationes huiusmodi, praefatus conventus et collegium multum in spiritualibus et temporalibus acceperit emolumenti, cultus divinus ibidem

1 Edit. Main. legit *emanata* (R. T.).

2 Quas vide supra pag. 23 huius tomi (R. T.).

1 Forsan *uti* pro *fieri* legendum (R. T.).

melius servetur, pax et concordia inter fratres stabilita, devotio in eorum ecclesiâ a secularibus magis frequentata, ac debita ipsius conventus et collegii pro maiori parte soluta, redditus illius aucti, multaeque considerabiles reparationes factae fuerint, nihilominus a nonnullis fratribus dicti Ordinis variae lites et controversiae contra eadem decreta seu statuta et affiliationes, sive super ipsorum decretorum seu statutorum existentiâ, realitate, subsistentiâ, validitate et intellectu motae, recursusque ad diversa tribunalia habiti extiterunt, ex quibus nova incommoda et scandala in detrimentum religionis ac damnum ipsius conventus et collegii nasci possent, nisi desuper de opportuno atque efficaci remedio provideretur (quod quidem novissime celebratum Ordinis praefati capitulum generale facere studuit, in quo die VII iulii proxime praeteriti decreta seu statuta huiusmodi a praefato Paulo priore generali in visitatione dicti maioris conventus et collegii Parisiensis vere et realiter ac legitime facta fuisse, legitimaque et substantialia, ac uti talia ab omnibus tenenda esse decretum et declaratum, enataque, in praemissis et circa ea, dubia elucidata et declarata fuerunt; hinc est quod nos, firmiori atque stabiliori eorumdem decretorum seu statutorum affiliationum robori et efficaciae, prosperoque et felici dicti conventus et collegii regimini et progressui, ac fratrum praefatorum quieti et religiosae tranquillitati salubriter, quantum cum Domino possumus, providere cupientes, motu proprio, et ex certâ scientiâ et maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, omnia et singula decreta seu statuta praeinserta, a dicto Paulo priore generali edita, et a memorato Alexandro praedecessore per suas litteras praeinsertas confirmata et approbata, ipsasque Alexandri praedecessoris litteras, necnon affiliationes praefatas, tam per eadem decreta seu statuta sive illorum vigore aut in eorum executionem, quam a dicto Petro episcopo tunc priore generali die II septembris MDCLXII factas ut praefertur, emanatasque desuper illius patentes litteras supradictas, cum omnibus et singulis in eis respective contentis et inde legitime secutis, tenore praesentium, perpetuo confirmamus et approbamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis vim, robur et efficaciam adiungimus, ac omnes et singulos iuris et facti ac solemnitatum quarumcumque, tam ex iuris communis et constitutionum apostolicarum, quam ex Ordinis et conventus et collegii huiusmodi, aliorumve quorumvis statutorum, consuetudinum et privilegiorum praescripto, usu et stylo, in similibus etiam de necessitate servandarum, aliosve quoslibet etiam formales et substantiales defectus, etiamsi tales forent ut nonnisi factâ de eis specificâ mentione sanari possent, si qui in praemissis vel eorum aliquo principaliter vel accessorie aut aliàs quomodolibet intervenerint, seu intervenisse dici, censeri vel praetendi possent, plenissime et amplissime supplemus et sanamus, ac penitus et omnino tollimus et abolemus.

Pontifex confirmat.

§ 4. Decernentes ipsas praesentes litteras, et in eis contenta quaecumque, etiam ex eo quod fratres praefati et alii quilibet, etiam specificâ et individuâ mentione et expressione digni, in praemissis interesse habentes, seu habere quomodolibet praetendentes, illis non consenserint, seu ad ea vocati, citati et auditi, vel causae, propter quas praesentes emanarint, adductae et verificatae non fuerint, aut ex aliâ quacumque quantumvis legitimâ et privilegiatâ causâ, colore, praetextu et capite, etiam in cor-

Decretum irritans.

pore iuris clauso, etiam enormis, enormissimae et totàlis laesionis, nullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrae vel interesse habentium aut habere praetendentium consensus, aliove quolibet etiam substantiali ac incogitato et inexcogitabili defectu notari, impugnari, infringi, retractari, ad viam seu terminos iuris reduci, aut in controversiam revocari, seu adversus illas et illa quodcumque iuris facti vel gratiae remedium impetrari vel intentari, aut impetrato, seu etiam motu, scientiâ et potestatis plenitudine paribus concesso vel emanato, quempiam in iudicio vel extra illud uti seu se iuvare posse; sed ipsas praesentes litteras et in eis contenta decreta, seu statuta, et alia praefata, semper firma, valida et efficacia existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, plenissime suffragari, et ab eis respective in omnibus et per omnia inviolabiliter et inconcusse observari et adimpleri, sicque et non aliter in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos et Apostolicae Sedis nuncios, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Clausula *sublatâ*.

Contrariis derogat.

§ 5. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon, quatenus opus sit, Ordinis et conventus et collegii huiusmodi, aliisve quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, sub quibuscumque verborum tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis, ac irritantibus et aliis decretis, in genere vel in specie, aut aliis[1] in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum insererentur et exprimerentur, praesentibus pro plene et sufficienter expressis et de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXIX octobris MDCLXVII, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 29 octobris 1667, pontif. anno I.

XXX.

Suspensio poenae excommunicationis latae sententiae per Breve Alexandri VII super reformatione monasteriorum monialium Hispaniae emanati impositae, in omnibus iis casibus in quibus eadem poena a iure communi vel aliis constitutionibus apostolicis imposita non reperitur[2].

1 Potius lege *aliàs* (R. T.).

2 Ex Regest. in Secret. Brev.

Clemens Papa IX,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium. Iniunctae nobis divinitus apostolicae servitutis ratio exigit, ut, conscientiarum quieti consulere satagentes, ea, quae a Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris pie quidem ac rationabilibus ex causis constituta fuerunt, si ex nimio illorum rigore aliquid nascatur incommodi unde animabus labes inferri posset, prudenti moderatione lenire studeamus, sicut cognoscimus in Domino salubriter expedire.

Litterae Alexandri VII. § 1. Aliàs siquidem emanarunt a felicis recordationis Alexandro Papa VII praedecessore nostro ad supplicationem clarae memoriae Philippi IV dum vixit Hispaniarum regis catholici litterae in simili formâ Brevis, tenoris qui sequitur, videlicet:

Alexander Papa VII, ad perpetuam rei memoriam. Pastoralis officii, qua Ecclesiae Catholicae per universum, etc. (*Reliqua invenies in suo loco sub die* XXX *ianuarii* MDCLXV[1]).

Motiva suspensionis. § 2. Cum autem, sicut nomine carissimi in Christo filii nostri Caroli earumdem Hispaniarum regis catholici per dilectum filium nobilem virum modernum marchionem de Astorga, ipsius Caroli regis apud nos et Sedem Apostolicam oratorem, nobis nuper expositum fuit, ex poenâ excommunicationis latae sententiae, quae per litteras praeinsertas earum contraventoribus inter alias imposita reperitur, diversae difficultates oriantur, et tam moniales praefatae quam eorum superiores variis angantur conscientiarum scrupulis, aliaque sequantur incommoda, quae experientia rerum magistra quotidie demonstrat; nobis propterea memorati Caroli regis nomine per praefatum marchionem humiliter supplicatum fuit ut in praemissis opportune providere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Suspendit poenam excommunicationis, prout in rubrica. § 3. Nos igitur, piis huiusmodi supplicationibus paterno affectu annuentes, poenam excommunicationis latae sententiae huiusmodi, per praeinsertas Alexandri praedecessoris litteras impositam, in omnibus iis casibus in quibus eadem poena a iure communi vel aliis constitutionibus et ordinationibus apostolicis imposita non reperitur, salvâ tamen et in suo vigore quoad reliqua omnia et singula remanente earumdem Alexandri praedecessoris litterarum dispositione, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, suspendimus.

Decretum irritans et clausula sublata. § 4. Decernentes ipsas praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos et quas spectat et pro tempore spectabit, plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. praefatae cardinales, et de latere legatos dictaeque Sedis nuncios, et alios quoscumque qualibet praeeminentiâ et potestate fungentes et functuros, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum. § 5. Non obstantibus, quoad ea quae praesentibus adversantur, praeinsertis Alexandri praedecessoris litteris, necnon omnibus et singulis quae in eisdem concessa sunt non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides. § 6. Ceterum volumus pariter ut ipsarum praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu ali-

1 Vide supra pag. 331 (R. T.).

cuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique adhibeatur, quae praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXIX octobris MDCLXVII, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 29 octobris 1667, pontif. anno I.

XXXI.

Nova concessio facultatis cognoscendi causas universitatum et hominum S. Benigni, Montanarii, Filetti, Lombardonii, et aliorum locorum, nullius dioecesis, provinciae Taurinensis, nuncio Sabaudiae[1].

Clemens Papa IX,
ad futuram rei memoriam.

Recensentur aliae litterae.

§ 1. Aliàs (pro parte dilectorum filiorum universitatum et hominum S. Benigni, ac Montanarii et Filetti, necnon Lombardonii et aliorum locorum iurisdictionis monasterii, abbatiae nuncupati, Sedi Apostolicae subiecti, eiusdem S. Benigni, Ordinis sancti Benedicti, nullius dioecesis, provinciae Taurinensis, felicis recordationis Paulo Papae V praedecessori nostro exposito, quod dudum recolendae memoriae Pius Papa IV, similiter praedecessor noster, dictis universitatibus et hominibus, qui, propter eorum paupertatem magnamque dictorum locorum a Sede praedictâ distantiam, causas ad dictam Sedem pro tempore devolutas prosequi nequibant, tunc et pro tempore existentem eiusdem Sedis in illis partibus legatum, seu nuncium, iudicem, qui quascumque causas in secundâ instantiâ a quibuscumque sententiis, summam quinquaginta scutorum auri in auro non excedentes, per ipsius monasterii abbatem aut ab eo deputatos pro tempore latis, cognoscere, decidere et fine debito terminare, ac debitae exequutioni demandare valeret, ad ipsius praedecessoris et Sedis praedictae beneplacitum constituerat et deputaverat; et subinde, pro eo quod universitatibus et hominibus praedictis propter eorum paupertatem et distantiam huiusmodi valde difficile erat pro singulis causis dictam summam quinquaginta scutorum excedentibus ad Sedem eamdem recursum habere, piae memoriae Clemens Papa VIII etiam praedecessor noster facultatem cognoscendi quascumque causas in secundâ instantiâ, usque ad summam quinquaginta scutorum nuncio praedicto concessam, ad omnes et quascumque causas in secundâ instantiâ civiles, criminales et mixtas, ac beneficiales, ac matrimoniales, et alias quascumque cuiusvis qualitatis existentes et ad quamcumque summam ascendentes, pro tempore movendas, ad certum tunc expressum tempus extenderat, ipsumque tempus pluries et ultimo ad quinquennium prorogaverat) idem Paulus praedecessor quinquennium huiusmodi ter successive singulis vicibus ad quinquennium prorogavit. Postmodum vero similis recordationis Urbanus Papa VIII pariter praedecessor noster, attento quod quinquennium ultimo ut praefertur prorogatum expiraverat, facultatem praedictam ad aliud quinquennium, sub certis modo et formâ tunc expressis, concessit, ipsumque quinquennium, etiam ter successive singulis vicibus ad quinquennium prorogavit. Ac demum similis recordationis Alexander Papa VII etiam praedecessor noster eamdem facultatem ad aliud quinquennium itidem concessit, et aliàs prout in diversis me-

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

moratorum praedecessorum in simili formâ Brevis litteris, novissimis quidem dicti Alexandri praedecessoris die x novembris MDCLIX expeditis, quarum tenores praesentibus pro expressis haberi volumus, uberius continetur.

Motiva. § 2. Cum autem, sicut universitates et homines praedicti nobis nuper exponi fecerunt, quinquennium novissime sicut praemittitur concessum iam expiraverit, ipsi vero eisdem necessitate et paupertate ac incommodo premantur, et propterea opportune sibi a nobis in praemissis provideri summopere desiderent: nos, specialem eisdem exponentibus gratiam facere volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, ut, quinquennio proximo durante dumtaxat, dilectus filius nunc et pro tempore existens in illis partibus noster et dictae Sedis nuncius, quascumque universitatum et hominum praedictorum causas in secundâ instantiâ civiles, criminales et mixtas, ac beneficiales et matrimoniales, et alias cuiuscumque qualitatis existentes, et ad quamcumque summam ascendentes, iuxta litterarum praedictarum tenorem, audire, cognoscere, decidere et fine debito terminare, ac, prout iuris fuerit, exequutioni demandare possit et valeat, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, concedimus et indulgemus, nuncioque praedicto plenam et omnimodam in praemissis facultatem tribuimus et impertimur.

Concedit Pontifex ut in rubricâ.

Contrariis derogat. § 3. Non obstantibus omnibus illis quae in praedictis praedecessorum nostrorum litteris concessa sunt non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis credi iubet. § 4. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides tam in iudicio quam extra habeatur, quae praesentibus haberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXXI octobris MDCLXVII, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 31 octobris 1667, pontif. anno I.

XXXII.

Confirmatio statuti a capitulo ecclesiae Lexoviensis conditi et ab episcopo confirmati circa fundationem anniversariorum canonicorum decedentium[1].

Clemens Papa IX,
ad perpetuam rei memoriam.

Exposito. § 1. Exponi nobis nuper fecerunt dilecti filii decanus et capitulum ecclesiae Lexoviensis quod (cum quodam dictae ecclesiae statuto, apostolicâ auctoritate dudum inter alia ut asseritur confirmato, cavetur quod canonicus distributivus decedens postquam per annum integrum et continuum interfuisset servitio dictae ecclesiae, quod stagium vel annum rigoris vocant, et debite approbatum fecisset[2], secundum consuetudinem eiusdem ecclesiae, gauderet per annum integrum post suum obitum tam grossis fructibus praebendae, quam distributio-

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

2 Heic et in seqq. lectionem corrigat, si opus est, lector scius (R. T.).

nibus ecclesiae, manualibus tamen exceptis, ac deductâ primitus et ante omnia summâ quadraginta librarum turonensium pro emendis quadraginta solidis redditus annui ad obitum seu anniversarium dicti canonici decedentis fundandum et celebrandum in dictâ ecclesiâ; dignitatum autem, et canonicorum non distributivorum et volantium dictorum, ac etiam canonicorum distributivorum, qui dictum stagium aut annum rigoris non fecissent, redditus praebendae dicti *le gros*, vacatione adveniente per mortem, cessionem, resignationem, permutationem aut alio quovis modo, ac etiam, si lis super possessione alicuius dignitatum seu praebendarum mota esset, donec sopita fuisset, pertinerent pro anno sequente vacationem ad fabricam capituli destinatam pro manutentione et vestitu puerorum chori et reparatione ecclesiarum, exceptis procurationibus archidiaconorum ratione visitationis et distributionis ecclesiae, quae ad canonicum distributivum successorem pertinent, pro ratione lucri, et deductis viginti libris turonensibus pro emendis viginti solidis redditus annui ad effectum fundandi eorum obitum seu anniversarium) ipsi exponentes (considerantes valorem reddituum praebendarum ecclesiae praefatae multum succrevisse, uberioresque modo esse fructus, quos *grossos* vocant, quam dum statuta praefata condita fuerunt) in eorum capitulo generali novum statutum (reservato tamen tam venerabilis fratris moderni episcopi Lexoviensis quam dictae Sedis Apostolicae beneplacito) fecerunt, ut imposterum deducantur centum librae turonenses pro constituendo et celebrando obitu seu anniversario cuiuslibet canonici ecclesiae huiusmodi pro tempore decedentis, et aliàs prout in scripturis desuper confectis uberius dicitur contineri.

Confirmat statutum praeiacentium.

§ 2. Cum autem, sicut eadem exposito subiungebat, dicti exponentes novum statutum huiusmodi a praefato episcopo confirmari obtinuerunt[1], illudque etiam apostolici muniminis patrocinio communiri summopere desiderent: nos, specialem ipsis exponentibus gratiam facere volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, novum statutum ab eisdem exponentibus conditum, et a memorato episcopo Lexoviensi confirmatum, ut praefertur, confectasque desuper scripturas, cum omnibus et singulis in eis contentis, aliàs tamen licitis et honestis, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos iuris et facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Decretum irritans.

§ 3. Decernentes ipsas praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab illis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a

Clausula sublatâ.

1 Aptius lege *obtinuerint* (R. T.).

quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio ntrariorum. § 4. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon dictae ecclesiae, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXXI octobris MDCLXVII, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 31 octobris 1667, anno I.

XXXIII.

Constitutio, in qua iniungitur fratribus Ordinis eremitarum sancti Augustini officium et missam Conceptionis B. M. V. ex praecepto recitare, idemque officium ad usum dicti Ordinis seorsim imprimi posse conceditur.

Clemens Papa IX,
ad futuram rei memoriam.

Proœmium. Exigit commissae nobis caelitus dispensationis ratio ut piis religiosorum virorum propriae alienaeque saluti laudabiliter incumbendium votis ad augendam in terris gloriosissimae Virginis Deiparae Mariae, quae super choros angelorum exaltata pro populo christiano sedula exoratrix apud Regem quem genuit assidue intercedit, venerationem tendentibus favorabiliter annuamus.

Supplicatio. § 1. Supplicationibus itaque dilecti filii Hieronymi Valvasorii, prioris generalis Ordinis fratrum eremitarum sancti Augustini, tam suo quam totius Ordinis praedicti nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, ut in eodem Ordine ab omnibus illius fratribus, qui horas canonicas recitare tenentur, officium et missa Conceptionis eiusdem B. M. V. Immaculatae cum octavâ imposterum de praecepto recitetur, cum lectionibus in octavario romano a congregatione venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium sacris ritibus praepositorum approbato contentis, et a die octavâ ad decimamquintam decembris rite dispositis, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, mandamus et decernimus; idemque officium ad usum dicti Ordinis seorsim ab octavario romano imprimi posse concedimus.

Concedit Pontifex.

Contrariis derogat. § 2. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis credi mandat. § 3. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra adhibeatur, quae praesentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXXI octobris MDCLXVII, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 31 octobris 1667, anno I.

XXXIV.

Suppressio regularitatis viceprioris et canonicarum regularium prioratus conventualis S. Georgii Ordinis canoni-

corum regularium sancti Augustini Gratianopolitanae dioecesis a parte ducatus Sabaudiae, cum eorum reductione ad statum presbyterorum secularium [1].

Venerabili fratri episcopo Gratianopolitano, Clemens Papa IX.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

Expositio. § 1. Exponi nobis nuper fecerunt dilecti filii viceprior et canonici regulares prioratus conventualis S. Georgii, Ordinis canonicorum regularium sancti Augustini, Gratianapolitanae dioecesis, a parte ducatus Sabaudiae, quod dudum in loco Tononi, dictae seu alterius dioecesis, a felicis recordationis Clemente Papa VIII, praedecessore nostro, motu eius proprio, erecta fuit congregatio presbyterorum secularium Oratorii nunc *Domus Sanctae* nuncupata, sub titulo seu invocatione Beatae Mariae Virginis sive[1] Septem Dolorum, quae ab uno praefecto, qui primus fuit S. Franciscus Salesius, et septem presbyteris secularibus, sub ritibus et institutis presbyterorum secularium congregationis Oratorii de Urbe, regi deberet, in eâque, tamquam in publicâ universitate, scientiae, et praesertim theologia scholastica, controversiae, casus conscientiae et sacra scriptura publice legi et doceri deberent; ac ipsi congregationi sic erectae, seu domui sanctae, pro illius eiusque alumnorum et habitatorum manutentione et sustentatione, mensa commendatitia trium prioratuum conventualium in illis partibus consistentium et commendari solitorum, ex quibus unus est praefatus prioratus S. Georgii, qui a memorato loco Tononi parum distat, unita et incorporata fuit, idque in perpetuum, unde fidei catholicae negotia magnopere promota fuerunt, prout hodieque promoventur, cum habitatores totius ducatus Chablesis ac balliviae de Ternier prope Genevam, qui sexaginta et amplius annorum spatio haeresi infecti fuerant, ad gremium sanctae Ecclesiae Catholicae redierint, quinimo eorum exemplo multi ex ipsâ civitate Genevensi, repudiatis erroribus in quibus vivebant, relictisque eorum facultatibus, sese in dictum locum Tononi unâ cum eorum familiis ad vitam ibidem catholico more ducendam receperint.

Motiva. § 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, in praefato prioratu S. Georgii unus viceprior et tredecim canonici de praesenti vivant, ex eorum praebendis, quas eis solvit dicta congregatio, seu domus sancta, quemadmodum a priore commendatario antiquitus solvebantur, ac ex aliis redditibus infrascriptis, illique nihil habeant regulare praeter nomen, nullam observent regulam, nihil agant quo a presbyteris secularibus distinguantur, ne quidem quoad habitum, nisi quoad super habitum fasciolam ex telâ albâ duos digitos latam collo appensam gestant, a nullo monasterio dependeant, nec ullum superiorem agnoscant, et solum apparentem quamdam obedientiam praestent eorum vicepriori, qui unus est ex ipsis canonicis a praefatâ congregatione seu domo sanctâ electus, a quo habitum recipiunt, de consensu tamen eiusdem congregationis, seu domus sanctae, et in cuius manibus assertam eorum professionem emittunt secreto, et cum modicâ acdificatione seu consolatione sui ipsorum, nec ullam propriam habeant professionis formulam, unde multi nunquam profiteri voluerunt (prout novissime unus, licet in aetate septuaginta quatuor annorum constitutus esset, et forsan quinquaginta et amplius annorum spatio ibi-

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

2 Partic. *sive* aptius deleretur (R. T.).

dem canonicus fuisset), quinimo bona temporalia et alia cuiusvis generis possideant, emant, vendant, negocientur, contrahant, donent irrevocabiliter, aliisque negotiis secularibus quibusvis dent operam, sine ullâ licentiâ, quemadmodum meri seculares facerent, et eorum aliqui, quibus nihil est praeter praebendam, etiam rebus mechanicis incumbant, eant obsonatum, aliaque vilia ministeria obeant, eâque de causâ non sine gravi scandalo persaepe absint a choro, quod etiam alii cuiusvis etiam minimi negocii causâ quandoque ad longum tempus faciunt, idque impune; cumque, si iidem canonici ad statum presbyterorum secularium reducerentur, et, membra capiti conformando, sub institutis supradictae congregationis seu domus sanctae viverent, ac eorum praebendae canonicales, sacristae, infirmarii et cantoris officia, quibus nonnulla bona stabilia, a mensâ conventuali eiusdem prioratus S. Georgii dependentia, ab immemorabili tempore applicata fuerunt, aliaque beneficia ab eodem prioratu dependentia supprimerentur, et illorum ceterorumque bonorum ad mensam conventualem huiusmodi spectantium fructus, redditus et proventus, qui ad summam septingentorum et viginti vel circiter scutorum monetae romanae annuatim ascendunt, pro praefecti et alumnorum vitam communem in dicto prioratu ducturorum sustentatione, eorumque ministrorum et inservientium manutentione applicarentur, inde procul dubio quieti et conscientiae securitati dictorum exponentium opportune consuleretur, et operarii ad strenue laborandum in vineâ Domini, fidemque catholicam in illis partibus benedicente Domino propagandam multiplicarentur, atque ita operariorum in praefatâ congregationê seu domo sanctâ de praesenti existentium paucitas, quae tantae messi non sufficit, hoc incremento utiliter suppleretur: nobis propterea dictorum viceprioris et canonicorum ac etiam tuo nomine humiliter supplicatum fuit ut in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolicâ dignaremur.

§ 3. Nos igitur, votis tuis hac in re, quantum cum Domino possumus, benigne annuere, ac vicepriorem et canonicos praefatos specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, fraternitati tuae per praesentes committimus et mandamus, ut, constito tibi de narratis, in praefato prioratu S. Georgii, omnibusque et singulis officiis, portionibus et praebendis canonicatibus, membris et beneficiis regularibus tam perpetuis quam amovibilibus ab illo dependentibus, Ordinem supradictum, omnemque statum, essentiam ac dependentiam ac instituta regularia, necnon titulum collativum beneficiorum praebendarum et officiorum huiusmodi, si aliquod illorum in similem titulum conferri soleat, auctoritate itidem perpetuo reducas; et de praesenti quidem praefectum prioratus huiusmodi eum qui illius est viceprior, alumnos autem eos qui ibidem sunt canonici regulares, respective, esse debere; in futurum vero praefecti eiusdem prioratus ac presbyterorum secularium in illum acceptandorum, et ex illis magis idoneorum ad beneficia infrascripta, nominationem ad praefectum dictae congregationis seu

Annuit supplicationi Pontifex.

domus sanctae pro tempore existentem spectare et pertinere debere, remanente tamen eorumdem beneficiorum administratione penes illos qui ea de praesenti possident, dictâ auctoritate statuas et decernas. Praeterea, pro eorumdem praefecti, alumnorum, ministrorum et inservientium prioratus huiusmodi sustentatione et manutentione, omnes et singulos, tam praebendarum canonicalium et sacristae, infirmarii et cantoris officiorum huiusmodi, ac bonorum stabilium a mensâ conventuali ipsius prioratus dependentium, et dictis officiis ab immemorabili tempore ut praefertur assignatorum, necnon ad eamdem mensam spectantium, inter canonicos regulares de capitulo ipsius prioratus dividi consuetos, quam parochialis ecclesiae eiusdem prioratus ab uno ex dictis canonicis per praefatam congregationem seu domum sanctam nominato administrari solitae, ac alterius parochialis ecclesiae loci de Altavillar ab eodem prioratu dependentis et inde parum distantis, quae ad vicepriorem praefatum, praeviâ nominatione huiusmodi, spectare asseritur, et cuius cura per vicarium amovibilem ab eo deputatum exerceri solet, necnon unius perpetuae cappellaniae in ecclesiâ prioratus huiusmodi erectae, et ab uno ex eisdem canonicis per congregationem seu domum sanctam praefatam nominato obtineri consuetae, fructus, redditus et proventus, qui ad summam septingentorum et viginti vel circiter scutorum monetae huiusmodi ut praefertur annuatim ascendunt, auctoritate praefatâ pariter perpetuo applices et appropries. Ac demum omnibus et singulis presbyteris et clericis, aliisque personis in prioratu praefato pro tempore degentibus, ut omnibus et singulis privilegiis, praerogativis, exemptionibus, gratiis, favoribus et indulgentiis, quibus presbyteri, clerici, aliaeque personae dictae congregationis Oratorii seu domus sanctae, tam de iure, usu et consuetudine, quam aliàs quomodolibet utuntur, fruuntur et gaudent, ac uti, frui et gaudere possunt et poterunt in futurum, pari modo uti, frui et gaudere libere et licite possint et valeant, dictâ auctoritate concedas et indulgeas. Nos enim tibi super omnibus et singulis praemissis quamcumque necessariam et opportunam facultatem, eâdem auctoritate, tenore praesentium, tribuimus et impartimur.

§ 4. Non obstantibus praemissis, ac nostrâ et cancellariae apostolicae regulâ de non concedendis indulgentiis ad instar, aliisque apostolicis ac in universalibus, provincialibusque et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, ac, quatenus opus sit, prioratus et Ordinis huiusmodi, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque. Derogatio contrariorum.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die III novembris MDCLXVII, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 3 novembris 1667, pontif. anno I.

XXXV.

Impositio decimarum super fructibus ecclesiasticis pro Republicâ Venetorum [1].

Venerabili fratri Stephano, archiepiscopo Adrianopolitano, moderno et pro tempore existenti nostro et Sedis Apostolicae in dominio Venetorum nuncio,

Clemens Papa IX.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

ordium. Sacrosanctae militantis Ecclesiae regimini per abundantiam divinae gratiae nullo licet meritorum suffragio praepositi, inter graves sollicitudines, quibus pro credito nobis apostolicae servitutis officio assidue premimur, ea est praecipua quam continua pericula atque discrimina, quae a nefario Christi nominis hoste Turcarum tyranno principibus et populis christianis nunquam non impendent, nobis conficiunt. Quapropter, etsi Domini Dei exercituum, qui sponsam suam Ecclesiam sanctam protegit, praesidio potissimum confidamus, cogimur tamen pro debito pastoralis muneris in id omni cogitatione omnique curâ incumbere, ut provisionis nostrae ministerio, adhibitis catholicorum principum viribus, mala huiusmodi procul a populo christiano arceantur.

tiva. § 1. Cum vero plus satis constet eumdem impium Turcarum tyrannum nihil avidius quaerere quam christianos populos invadere, et, christianam religionem exterminando, abominationem suam plantare et propagare, eiusque vires, nostris facientibus peccatis, malo nostro admoniti cogamur timere, omnique curâ et sollicitudine praecavere; multo magis castra Domini custodire et praemunire nos oportet hoc praesertim tempore, cum idem Turcarum tyrannus ingentibus mari terrâque copiis ditiones nobilissimae Reipublicae Venetorum invaserit. Quae, ut improbis eius conatibus resistere possit, cum magnos sumptus iugiter facere debeat: idcirco, felicis recordationis Clementis VIII et Pauli V, necnon Gregorii XV et Urbani VIII, Innocentii X et Alexandri VII, aliorumque Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum vestigiis inhaerentes, Rempublicam id enixe flagitantem ecclesiasticis auxiliis prompto libentique animo adiuvandum decrevimus, attendentes non solum nos eius unius saluti, verum etiam multorum ac omnium Italiae populorum incolumitati consulere, cum ipsa sit magnum totius Italiae munimentum, ac firmissimum maris Adriatici propugnaculum. Quamobrem aequum et rationi consentaneum esse duximus eidem Reipublicae, eorumdem Clementis ac Pauli, necnon Gregorii et Urbani, ac Innocentii et Alexandri praedecessorum exemplo, subsidio decimarum ex fructibus et redditibus totius cleri eiusdem Status Venetorum pro eisdem usibus ad certum tempus attribuendo subvenire, firmam in Domino fiduciam habentes fore ut ea Respublica testificatione paternae voluntatis erga se nostrae non solum sese munitam et ad resistendum communi hosti paratam in dies magis conservet, sed etiam illum a suis finibus animose detrudat.

Statuitur subsidium super fructibus ecclesiasticis prout in rubrica.

§ 2. Nos igitur, istis aliisque gravissimis et iustissimis de causis moti [1], motu proprio, ac ex certâ scientiâ, ac de apostolicae potestatis plenitudine, tenore praesentium, indicimus et imponimus sexdecim integras decimas omnium et quorumcumque fructuum, reddituum et proventuum quarumcumque ecclesiarum patriarchalium, archiepiscopalium, episcopalium, abbatialium, capitularium et conventualium, prioratuum quoque, prae-

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

1 Edit. Main. legit *moto* (R. T.).

positurarum, praepositatuum, praeceptoriarum, canonicatuum et praebendarum, dignitatum maiorum et principalium, personatuum, administrationum et officiorum, ceterorumque beneficiorum ecclesiasticorum cum curâ et sine curâ secularium, ac sancti Benedicti, sancti Augustini, Cluniacensis, Cisterciensis, Praemonstratensis S. Basilii, Sylvestrinorum, et, qui proprietates redditusque certos ex privilegio apostolico vel aliàs possident, Mendicantium, et quorumvis aliorum Ordinum utriusque sexus et congregationum, non tamen earum, quae inferius descriptae sunt, ac militiarum regularium in universo dominio dictae Reipublicae Venetorum existentium; ac insuper alias sexdecim decimas omnium et quarumcumque pensionum annuarum super fructibus, redditibus et proventibus supradictis assignatarum et assignandarum: ab omnibus et quibuscumque patriarchis, primatibus, archiepiscopis, episcopis et aliis ecclesiarum praelatis, ceterisque cuiuscumque status, gradus, dignitatis et conditionis personis (exceptis dumtaxat venerabilibus fratribus nostris S. R. E. cardinalibus, nec non dilectis filiis fratribus hospitalis S. Ioannis Hierosolymitani, ac fratribus Mendicantibus praedictis, et insuper beneficiis ecclesiasticis officio sanctae Inquisitionis haereticae pravitatis in dicto dominio instituto unitis, annexis et applicatis, quos cardinales ac fratres hospitalis praedicti, ac beneficia praedicto inquisitionis officio unita in totum, fratres vero Mendicantes pro medietate dumtaxat, ab eisdem decimis et illarum solutione immunes et exemptos esse volumus et decernimus) ecclesias, monasteria et beneficia, ac pensiones, seu fructus, aut illorum partem huiusmodi in eodem dominio, quocumque iure ac titulo obtinentibus et obtenturis; nec non ab universis etiam oeconomis, commendatariis, atque administratoribus perpetuis et temporalibus, usufructuariis similiter fructus omnes vel illorum partes loco pensionum annuarum, vel pensiones et alia huiusmodi iura ex quacumque auctoritate apostolicâ in toto vel in parte reservata habentibus et habituris, sive secularibus, sive quorumcumque ordinum, congregationum et militiarum praedictorum regularibus; et ab ipsis etiam ecclesiis, capitulis, conventibus, ordinibus, congregationibus, personis, collegiis, militiis, massis et locis praedictis, quacumque amplissimâ et firmissimâ exemptione et immunitate, reali, personali vel mixtâ, antiquâ et immemorabili, pacificâ et continuâ, etiam ex titulo quantumvis oneroso, suffultis, integraliter et cum effectu numerandas, persolvendas et consignandas. Ulterius, supradictis ex causis, ac exemplo Clementis et Pauli, ac Gregorii, necnon Urbani, ac Innocentii et Alexandri praedecessorum praedictorum adducti, motu, scientiâ et potestatis plenitudine similibus, imponimus et indicimus novem decimas omnium et quorumcumque fructuum, reddituum et proventuum ad Cassinensium, aliàs S. Iustinae de Padua, Lateranensium, Carthusiensium, Montis Oliveti, S. Salvatoris, Camaldulensium, S. Mariae Vallisumbrosae, S. Georgii in Alga Venetiarum, Caelestinorum, Cisterciensium provinciae Lombardiae, Cruciferorum ac S. Hieronymi congregationes, earumque monasteria, abbatiales vel conventuales aut alias mensas, prioratus, praeceptorias, praeposituras, beneficia et officia, cum curâ et sine curâ, membra, grangias, et alia beneficia illis annexa in dicto dominio consistentia quovis modo pertinentium, solvendas etiam per ipsas congregationes, earumque superiores, abbates, priores, praepositos,

conventus, capitula et personas (ultra subsidia montis religionis, seu quadringentorum millium scutorum, et quartae partis eorumdem fructuum, reddituum et proventuum, et alia onera quae per Sedem Apostolicam eis imposita aut aliàs persolvunt seu persolvere promiserunt) similiter numerandas, persolvendas et consignandas, secundum verum annuum valorem fructuum, reddituum et proventuum praedictorum. Et ad hunc effectum (licet felicis recordationis Pius V nonnullis tunc causis adductus, et Clemens, necnon Paulus ac Gregorius praedecessores praedicti, etiam ex aliis tunc expressis causis, easdem congregationes a decimis super fructibus et redditibus ecclesiasticis deinceps ubivis etiam in dominio Venetorum, et ex quacumque causâ imponendis, liberas et immunes fecerint) pari motu, scientiâ, auctoritate et de apostolicae potestatis plenitudine (quoad fructus, reditus et proventus ad ipsas congregationes et quamlibet earum in dominio Venetorum spectantes) immunitates, exemptiones, ac omnes et quoscumque contractus, scripturas, conventiones, transactiones, concordias, pacta, instrumenta, obligationes etiam in formâ camerae apostolicae et iuramento vel aliâ quavis firmitate roborata, praesertim inter Pium et Clementem, ac Paulum, necnon Gregorium praedecessores nostros et cameram apostolicam, et pro eâ S. R. E. camerarium vel thesaurarium generalem, aliosve quoscumque tunc existentes et eiusdem camerae ministros, quantumvis amplâ et sufficienti facultate ad praemissa facienda suffultos, ex unâ, et congregationes ultimo dictas illarumque procuratores ex alterâ partibus inita, ac omnia et quaecumque privilegia, indulta, libertates, exemptiones, immunitates, hac de causâ in hunc usque diem eisdem congregationibus etiam ex causâ et titulo oneroso concessa, hac vice dumtaxat et ex causis supradictis, suspendimus, ac ipsis congregationibus quoad novem decimas supradictas, hac vice, ut praefertur, suffragari nolumus, illa vero aliàs in suo robore permanere decernimus, ipsasque congregationes, ex gravissimis causis praedictis, novem decimis huiusmodi oneramus; et, cum ceteris secularibus ac regularibus clericis personis eiusdem dominii Venetorum sexdecim ut praefertur indixerimus, tali nostrae impositioni acquiescere ac tacitas et contentas esse volumus. Universas vero et singulas personas quavis dignitate vel auctoritate fungentes, tam supradictas ecclesias, monasteria et beneficia quomodolibet obtinentes, ac pensiones, seu fructus, aut eorum partem sibi, ut praefertur, reservatos percipientes, quam ultimodictas congregationes et earum[1] unamquamque, tam coniunctim quam divisim, ad huiusmodi decimas in octo annis, binas videlicet decimas dumtaxat quolibet anno, et, quoad ultimodictas congregationes, singulas tantum decimas cum unâ octavâ parte alterius decimae, quoad dictos autem fratres Mendicantes, singulas similiter decimas quotannis durante octennio, a die, quo ultima similis concessio a praedicto Alexandro praedecessore facta expiraverit, inchoando, et ut sequitur finiendo, in certis terminis per te praefigendis, integre persolvendas efficaciter teneri et vere obligatos esse; iisdemque pensionariis, aut eorum alicui, pensiones annuas praedictas quantumlibet exemptas, et sub quibusvis obligationibus etiam in formâ camerae et iuramento etiam de non contraveniendo et forsan de non impetrando gratias nostras contra eos, et de

1 Edit. Main. legit *eorum* (R. T.).

non utendo concessis, firmatas aut aliàs vallatas, et forsan aliis cautelis et decretis munitas, causam donationis super iisdem fructibus et pensionibus etiam medio tedularum banchi seu in formâ depositi habentibus et intra octo annos praedictos habituris, etiamsi ipsi, a quibus pensiones huiusmodi solvendae sunt, iuri et actioni petendae vel retinendae portionis aut ratae partis pensionarios tangentes iureiurando renunciaverint, ulla privilegia aut indulgentias sub quacumque verborum formâ aut expressione concepta quoad hoc nullatenus suffragari volumus. Sicque et non aliter in praedictis universis et singulis per quoscumque iudices et commissarios et causarum palatii apostolici auditores et S. R. E. cardinales in quavis causâ et instantiâ, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari decernimus. Ut autem huiusmodi decimae facilius exigantur, fraternitatem tuam ac venerabiles fratres patriarchas Venetiarum et Aquileiensem ad dictas decimas exigendas, ducique et dominio praedicto, sive eius ministris ad id specialiter deputatis, statim, nullâ interpositâ morâ, et sine aliquâ prorsus diminutione, retentione, aut detractione, etiam non detractis[1] quinque pro centenario camerae nostrae praedictae in exactione talium decimarum applicari consuetis, integre consignandas, earumdem decimarum collectores et exactores constituimus et deputamus. Ac tibi et patriarchis Venetiarum et Aquileiensibus praedictis, pro onere quod in exactione decimarum huiusmodi sustinebitis, quatuor millia scuta auri in auro ex eisdem decimis detrahenda, et illorum medietatem inter vos pro aequali portione et quolibet anno eiusdem octennii pro ratâ distribuenda et dividenda, reliquam vero medietatem subcollectoribus et aliis exactoribus, ac procuratoribus ad easdem decimas colligendas deputatis, etiam quolibet anno, pro ratâ, habitâ ratione laboris et amplitudinis cuiuscumque civitatis et dioecesis, loco salarii seu stipendii et mercedis assignandam et distribuendam, ita tamen ut non quotannis huiusmodi quatuor millia scuta, sed in toto octennio integra summa eorumdem quatuor millium scutorum pro ratâ quolibet anno detrahatur, ac tam vos et quilibet vestrum, quam ipsi subcollectores, et alii praedicti, ratione fructuum ecclesiarum quibus nunc praeesse dignoscimini, aut inposterum praefici, vel beneficiorum obtentorum, aut quae obtinere, necnon fructuum et pensionum reservatorum et assignatarum, ac quos et quas vobis assignari posthac contigerit, decimas ipsas pro vestrâ et illorum ratâ et illorum quemlibet tangente integre et realiter persolvere omnino teneamini, et dictâ assignatione et distributione contenti esse debeatis, nec quidquam aliud vos et vestrum quilibet praetendere possitis. Tibi et aliis praedictis a dictis patriarchis, archiepiscopis, episcopis, electis, administratoribus, commendatariis, abbatibus, prioribus, praepositis, capitulis, conventibus et aliis personis (supra expressis exceptis) easdem decimas ut praefertur per nos impositas petendi, exigendi et colligendi, eisque tam in genere quam nominatim et in specie, ut illas solvant, sub privationis beneficiorum ecclesiasticorum per eos quomodolibet obtentorum, aliisque prout nobis videbitur poenis etiam pecuniariis,

Decretum irritans et clausula *sublatâ*.

Exequutores deputat.

1 Edit. Main. legit *detractus* (R. T.).

ac demum per sententias et censuras ecclesiasticas mandandi et praecipiendi[1], ac pro earumdem decimarum faciliori exactione unum vel plures subcollectores, qui si in dignitate ecclesiasticâ constituti sint pari ac tu[2], vigore praesentium, facultate fungantur, per locorum Ordinarios in quacumque civitate et dioecesi et loco sibi subiecto pro tempore deputatos approbandi, et si quis ex ipsis Ordinariis intra aliquem brevem terminum vestro arbitrio praefigendum viros idoneos ad id deputare neglexerit, tibi etiam sine illorum consensu tuo arbitrio illos libere deputandi, et deputatos amovendi, aliosque eorum loco, toties quoties tibi videbitur, substituendi et subrogandi, ac solvere recusantes et differentes, et generaliter contradictores quoslibet et rebelles, et ne decimae huiusmodi solvantur persuadentes directe vel indirecte, per ipsas censuras ecclesiasticas et alia opportuna iuris et facti remedia, appellatione postpositâ, compescendi, auxiliumque brachii secularis contra eos ad hoc si opus fuerit invocandi, solventes vero de solutis quietandi et liberandi, a censurisque et poenis, quas dictâ occasione quomodolibet incurrerint, absolvendi, et generaliter omnia et singula in praemissis et circa ea necessaria seu quomodolibet opportuna faciendi, ordinandi, mandandi et exequendi, plenam et liberam, auctoritate et tenore praedictis, facultatem concedimus et potestatem.

Derogat contrariis.

§ 3. Non obstantibus regulâ nostrâ de non tollendo iure quaesito, ac aliis quibusvis apostolicis, ac etiam in provincialibus et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, ceterisque contrariis quibuscumque;

§ 4. Aut si ipsis patriarchis, archiepiscopis, episcopis, electis, administratoribus, commendatariis, abbatibus, prioribus, praepositis, capitulis, conventibus, congregationibus, et aliis personis praedictis, vel quibusvis aliis, communiter vel divisim, ab Apostolicâ sit Sede indultum, quod ad solutionem alicuius decimae non teneantur et ad id compelli, aut quod interdici, suspendi vel excommunicari seu extra vel ultra certa loca ad iudicium avocari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ad de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem; et quibuslibet aliis privilegiis et exemptionibus, etiam in corpore iuris clausis, ac litteris apostolicis quibuscumque dignitatibus seu ordinibus specialiter vel generaliter sub quacumque verborum formâ expressis, etiamsi motu proprio, ac de apostolicae potestatis plenitudine, et consistorialiter, ac etiam in vim contractus emanaverint, etiamsi pro sufficienti eorum derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio habenda esset, quae eis quoad praemissa nolumus in aliquo suffragari.

Vetat distractio rerum ecclesiasticarum, et transumptis credi mandat.

§ 5. Volumus autem, quod, iuxta ordinationem a Concilio Viennensi super hoc editam, calices, libri et alia ornamenta ecclesiarum, monasteriorum, beneficiorum et aliorum piorum locorum, divino cultui dedicata, ex causâ pignoris vel aliâ, occasione solutionis decimarum huiusmodi, nullatenus capiantur, distrahantur vel occupentur, quodque praesentium litterarum transumptis, tuo vel alterius praelati ecclesiastici sigillo ac publici notarii subscriptione munitis, eadem

1 Edit. Main. legit *percipiendi* pro *praecipiendi* (R. T.).

2 Male edit. Main. legit *pari actu* pro *pari ac tu* (R. T.).

prorsus fides in iudicio et extra adhibeatur, quae praesentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die IV novembris MDCLXVII, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 4 novembris 1667, pontif. anno I.

XXXVI.

Commissio magno magistro hospitalis S. Ioannis Hierosolymitani super notificatione praecepti accedendi ad Urbem quibusdam fratribus militibus linguae Italiae faciendâ[1].

Dilecto filio Nicolao Cottoner, magno magistro hospitalis S. Ioannis Hierosolymitani,

Clemens Papa IX.

Dilecte fili noster,
salutem et apostolicam benedictionem.

Mandat aliquibus militibus ut infra bimestre personaliter in Urbe compareant sub poenis prout in rubricâ.

§ 1. Iustis ex causis nobis notis adducti, motu proprio ac ex certâ scientiâ et maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, tibi, tenore praesentium, committimus et mandamus quatenus statim, visis eisdem praesentibus, cures et mandes per legitimum cursorem sive executorem de speciali nostro et huius sanctae Sedis Apostolicae mandato notificari dilectis filiis praeceptoribus seu commendatariis Gaspari Cabuccino, Ioanni Mariae Innocentio Caravitae, Fabio Gorio Panolino, Augustino Morando et Andreae Maioráno, ac Vecchietto de Vecchiettis, et Bernardino Sardino, fratribus militibus linguae Italiae istius hospitalis S. Ioannis Hierosolymitani, personaliter quidem, si eorum personae commode poterunt haberi, sin minus, in domibus eorum solitae habitationis et in manibus domesticorum respective dimissâ copiâ, ut ipsi debeant et unusquisque eorum debeat, intra decem dies ab huiusmodi notificatione computandos, discedere ab insulâ Melitensi, et rectâ viâ se ad almam Urbem nostram et Romanam curiam conferre, et intra bimestre a die discessionis huiusmodi ad eam personaliter et cum effectu pervenisse, ad effectum audiendi iussiones et mandata nostra, illisque parendi, sub poenis, quatenus in termino praefixo non accesserint, et personaliter non comparuerint in dictâ curiâ, privationis omnium et singularum praeceptoriarum seu commendarum, membrorum, aliorumque beneficiorum et munerum quorumcumque dicti hospitalis per eos et eorum quemlibet respective obtentorum, ac pensionum quarumvis super fructibus, redditibus et proventibus praeceptoriarum seu commendarum, aliorumque beneficiorum et bonorum quorumlibet hospitalis praedicti eis et eorum cuilibet respective quavis auctoritate reservatarum, constitutarum et assignatarum, seu in eos et eorum quemlibet translatarum, necnon perpetuae inhabilitatis ad illa et alia similia seu maiora vel minora imposterum obtinenda, aliisque poenis etiam gravioribus quam sint supradictae expressae, arbitrio nostro declarandis; ita ut, si praecepto huiusmodi non paruerint, illicò ipso iure et ipso facto privati sint eisdem praeceptoriis seu commendis, ac membris, aliisque beneficiis et muneribus huiusmodi, quae per te aliis fratribus eiusdem hospitalis et linguae Italiae arbitrio tuo conferri et concedi possint; quod si tu illas et illa, intra duos menses a die non paritionis huiusmodi numerandos, aliis fratribus ut praefertur non contuleris[1] seu concesseris, illarum et illorum omnium et singulorum collatio, concessio, provisio et omnimoda dispositio ad nos et Sedem

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

1 Male edit. Main. legit *consuleris* (R. T.).

praefatam devolvatur. Notificari quoque curabis et mandabis simul et semel supranominatis praeceptoribus seu commendatariis et fratribus militibus et eorum cuilibet personaliter, seu domi et in domesticorum manibus dimissâ copiâ, ut praefertur, quod, eisdem seu eorum aliquo contumacibus existentibus, si opus fuerit contumaces ulterius citari et moneri, contra ipsos procedetur per edictum seu citationes affigendas ad loca consueta Urbis praefatae iuxta stylum Romanae curiae, quae, sic affixae, ipsos et eorum quemlibet afficiant et arctent perinde ac si eorum singulis personaliter factae atque intimatae fuissent.

De executione facta mandat transmitti a magno magistro attestationem.

§ 2. De executâ autem notificatione huius nostri mandati et praecepti, toto illius tenore inserto, publicam attestationem ad nos quantocitius transmittere curabis, consignatis tuis super hoc litteris dilecto filio moderno inquisitori haereticae privitatis in insulâ supradictâ auctoritate apostolicâ deputato. Ceterum tibi, ut easdem praesentes litteras, etiam absque dilectorum filiorum consilii memorati hospitalis consensu, ac omni et quacumque morâ, tergiversatione, contradictione, protestatione et reclamatione penitus et omnino remotis et postpositis, in cancellariâ eiusdem hospitalis confestim registrari et annotari auctoritate nostrâ apostolicâ cures et facias, motu, scientiâ et potestatis plenitudine paribus iniungimus; irritum decernentes et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Decretum irritans.

Contrariis derogat.

§ 3. Non obstantibus, quatenus opus sit, nostrâ et cancellariae apostolicae regulâ de iure quaesito non tollendo, aliisque apostolicis, ac in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, necnon dictorum hospitalis et linguae, aliisve quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, stabilimentis, usibus et naturis, ac ordinationibus capitularibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, tam a felicis recordationis Pio Papa IV, quam a quibusvis aliis Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris et Sede praedictâ, etiam eisdem hospitali et linguae, eorumque magno magistro et conventui, ac fratribus et personis quibuslibet, sub quibuscumque verborum tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et aliis decretis, in genere vel in specie, etiam consistorialiter, ac motu, scientiâ et potestatis plenitudine similibus, aut aliàs quomodolibet in contrarium praemissorum concessis, confirmatis, et quantiscumque vicibus approbatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores, formas, causas et occasiones praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac insertis, servatis et specificatis respective habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die v novembris MDCLXVII, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 5 novembris 1667, pontif. anno I.

XXXVII.

Ut in natione Germano-Belgica Ordinis fratrum Minorum sancti Francisci de Observantiâ servetur Breve Urbani VIII circa abrogationem privilegiorum personalium[1].

Clemens Papa IX,
ad futuram rei memoriam.

Motiva.

§ 1. Exponi nobis nuper fecit dilectus filius Bonaventura Vanden Sande, Ordinis fratrum Minorum sancti Francisci Strictioris Observantiae nuncupatorum professor, ac in curiâ Belgicâ commissarius, et ad Romanam curiam, ut asserit, deputatus, quod, cum felicis recordationis Urbanus Papa VIII praedecessor noster, per quasdam suas in simili formâ Brevis die XXII iulii MDCXXXIX expeditas litteras, omnia privilegia personalia fratribus dicti Ordinis concessa abrogaverit, et tam per Concilium Tridentinum, sess. XXV, cap. IV *De Regularibus*, quam per statuta generalia Barcinonensia Ordinis praedicti *De Electionibus* cap. LXXI, prohibitum reperiatur ne superiores titulares admittantur ad electiones: ipse Bonaventura, pro communi bono, pace et aedificatione quibus natio Germano-Belgica et annexae provinciae eiusdem Ordinis hactenus gavisae sunt, eiusmodi privilegiis personalibus, quae in eâdem natione nunquam ad usum deducta fuerunt, nec sine inconvenientibus, turbationibus, atque confusionibus introduci possent, aditum praecludi, et aliàs opportune in praemissis a nobis provideri ac ut infra indulgeri summopere desiderat.

Prohibet concedi posse fratribus praedictus privilegia prout in rubrica.

§ 2. Nos igitur, dictum Bonaventuram specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negociis et consultationibus episcoporum et regularium praepositorum consilio, attentis narratis, inhaerendo praefatis Urbani praedecessoris litteris, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, mandamus per quoscumque quavis auctoritate fungentes nullatenus imposterum expediri seu concedi fratribus Ordinis huiusmodi nationis praefata privilegia, exemptiones, gradus et similia prout in dictis litteris continetur;

Et mandat servari dispositionem Concilii Tridentini.

§ 3. Praeterea mandamus in eâdem natione omnino servari dispositionem Concilii Tridentini et statutorum Barcinonensium eiusdem Ordinis, nimirum fratres superiores titulares non admitti nec habere locum in electionibus: salvâ tamen semper in praemissis auctoritate congregationis eorumdem cardinalium.

Decretum irritans.

§ 4. Decernentes ipsas praesentes litteras firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 5. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

Transumptorum fides.

§ 6. Volumus autem ut praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die VIII novembris MDCLXVII, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 8 novembris 1667, pontif. anno I.

XXXVIII.

Confirmatio decreti irium cardinalium a congregatione episcoporum et regularium specialiter deputatorum, quo resolvuntur dubia mulieres Pizzocheras *nuncupatas conservatorii Venetiarum concernentia*[1].

Clemens Papa IX, ad futuram rei memoriam.

Motiva.

§ 1. Aliàs, propositis pro parte dilecti filii plebani ecclesiae parochialis S. Martini civitatis Venetiarum nonnullis dubiis dilectas in Christo filias mulieres conservatorii sub habitu S. Dominici eiusdem civitatis vulgo *Pizzocheras* nuncupatas concernentibus, congregatio venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium, negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praeposita, tres ex iisdem cardinalibus ad examinanda et resolvenda dubia huiusmodi deputavit, a quibus emanavit decretum tenoris qui sequitur, videlicet:

Decretum sacrae congregationis.

« Sacra congregatio eminentissimorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praeposita, cui a sacrâ Congregatione Concilii remissus fuerat supplex libellus nomine plebani ecclesiae parochialis S. Martini civitatis Venetiarum pro resolutione infrascriptorum dubiorum porrectus, nimirum:

I. « An mulieres conservatorii sub habitu S. Dominici eiusdem civitatis vulgo *Pizzocherae* nuncupatae, de servandâ regulâ fratrum et sororum de poenitentiâ votum emittentes ad formam constitutionum dictorum fratrum et sororum, licite utantur velo supra caput, quod *supraiectum* nuncupant, necnon pectorali, quod vulgo dicunt *sottogola*, ac patientiâ in habitu.

II. An liceat ad eorum huiusmodi habitum mulieres recipere, quae saltem quadraginta annorum aetatem non attigerint.

III. Quatenus hoc non liceat, cumque de facto in consortio earum Pizzocherarum receptae fuerint aliquae adolescentulae tenerioris aetatis, ex quibus exortura scandala pertimesci potest, utrum eaedem adolescentulae ab earumdem Pizzocherarum coetu admitti[1] debeant.

IV. An dictis Pizzocheris liceat propriam cappellam seu oratorium habere, in qua missae sacrificium offeratur.

V. Utrum interdicenda sit cappella huiusmodi, quam sibi adstruxerunt eaedem Pizzocherae, et ex eo potissimum, quod vergat (ut asseritur) in praeiudicium vicinae parochialis praefatae et indecenter maneat.

VI. An, quatenus liceat dictam cappellam retinere, liceat parvam fenestram, ad sacrum e domo ipsarum Pizzocherarum, absque Sedis Apostolicae indulto, audiendum, et SS. Eucharistiae sacramentum suscipiendum aptam, retinere.

VII demum. An eaedem Pizzocherae cratibus parlatorii ac rotis ad instar

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

1 Potius legendum *dimitti* (R. T.).

sanctimonialium claustralium licite uti valeant;

Pro iisdem insertis dubiis examinandis ac resolvendis deputavit sub . . . [1] iulii proxime praeteriti congregationem particularem eminentissimorum cardinalium Brancatii, Sanctacrucii et Carafae, qui, attentâ informatione domini patriarchae Venetiarum, reque diligenter examinatâ, visis videndis, et consideratis considerandis, responderunt:

Ad I, licere.

Ad II, licere [2] post decimumoctavum annum iuxta praefatas constitutiones a sanctae memoriae Clemente VII confirmatas.

Ad III, esse dimittendas illas, quae huiusmodi aetatem decem et octo annorum non expleverint ad formam dictarum constitutionum.

Ad IV, licere in casu de quo agitur, cum sit ecclesia publica.

Ad V, negative.

Ad VI, licere, salvis iuribus ecclesiae parochialis.

Ad VII denique, remittendum esse, prout harum vigore remittit, arbitrio et prudentiae eiusdem patriarchae.

Romae, XXX augusti, MDCLXVII.

M. cardinalis GINETTUS.

Loco † sigilli.

E. episcopus. A. secretarius ».

Decretum Pontifex confirmat.

§ 1. Cum autem, sicut Pizzocherae praefatae nobis nuper exponi fecerunt, ipsae decretum huiusmodi, pro firmiori illius subsistentiâ, confirmationis nostrae patrocinio communiri summopere desiderent: nos, ipsas exponentes specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et earum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus earum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, decretum praeinsertum, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, approbamus et confirmamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus; salvâ tamen semper in praemissis auctoritate praefatae congregationis cardinalium.

Decretum irritans.

§ 2. Decernentes praesentes litteras firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit in futurum, plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumpue iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 3. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die X decembris MDCLXVII, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 10 decembris 1667, anno I.

XXXIX.

Absolvit dioecesanos ac capitulum et canonicos ecclesiae Portalegrensis a censuris et poenis ecclesiasticis, quas respective incurrerunt, dicti quidem dioecesani, quia ad minores ordines promoti fuerunt a quibusdam abbatibus, quibus capitulum sede vacante ordines huiusmodi conferendi

1 Deest numerus diei (R. T.).

2 Ed. Main. legit *libere* (R. T.).

facultatem concesserat, dicti vero canonici et capitulum, quia eamdem facultatem concesserunt[1].

Dilecto filio vicario capitulari ecclesiae Portalegrensis, illius sede episcopali vacante, legitime deputato,

Clemens Papa IX,

Dilecte fili,
salutem et apostolicam benedictionem.

Expositio. § 1. Nuper pro parte dilectorum filiorum capituli et canonicorum ecclesiae Portalegrensis nobis expositum fuit, quod, cum ipsi, sede episcopali Portalegrensi vacante, aliquorum doctorum sententiam sequuti, pluribus subditis dioecesanis Portalegrensibus litteras dimissoriales concesserint ut ordines minores a quibusdam abbatibus monasteriorum sancti Benedicti seu Cisterciensium Ordinis in dioecesi Portalegrensi consistentium suscipere possent, concessâ pariter eisdem abbatibus facultate minores ordines huiusmodi conferendi non solum dioecesanis Portalegrensibus, sed etiam quibusvis aliis, tam secularibus quam regularibus, qui litteras dimissoriales ab habentibus potestatem ad eas concedendas secum ferrent; quinimo iidem exponentes facultatem quoque concesserint memoratis abbatibus administrandi sacramentum confirmationis omnibus qui eo indigerent; aliqui tamen ex capitularibus non fuerint eiusdem sententiae, immo illis contradicentibus concessa fuerit dicta facultas; exortâ inter hos et reliquos capitulares non mediocri controversiâ circa potestatem abbatum, et consequenter circa id quod agendum esset circa iam ordinatos, habitoque super his ad hanc Sanctam Sedem apostolicam recursu: congregatio venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium concilii Tridentini interpretum per decretum die XXVI iunii MDCLXV, iussu et cum approbatione felicis recordationis Alexandri Papa VII praedecessoris nostri editum, censuit dictos abbates nullis sibi non subditis potuisse tales ordines conferre; promotos autem ab illis non indigere aliâ collatione dictorum ordinum, sed absolutione et dispensatione, sive rehabilitatione ab eâdem Sede Apostolicâ obtinendâ, huiusmodi vero abbates non potuisse conferre sacramentum confirmationis, et ab illis confirmatos indigere novâ confirmatione, et aliàs prout in dicto decreto uberius dicitur contineri.

Postulatio. § 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, fere innumeri sint qui fuerunt ordinati a dictis abbatibus et deinde ad sacros ordines bonâ fide promoti, qui hodie, non quidem in contemptum clavium, altari deserviunt et beneficia parochialia, canonicatus et pensiones possident; difficillimum vero vel[1] moraliter impossibile sit singulos pro absolutione et rehabilitatione ad Sedem Apostolicam recurrere: nobis propterea dicti exponentes humiliter supplicari fecerunt, ut tam sibi quam praefatis subditis dioecesanis Portalegrensibus ad minores ordines ut praefertur promotis in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Provisio Pontificis. § 3. Nos igitur, illos specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis, praeterquam praemissorum, occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum

Tam ordinatos quam ordinantes a censuris incursis absolvi mandat.

1 Ex Regest. in Secret. Brevium.

1 Particulam *vel* nos addimus (R. T.).

praesentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes et absolutas fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, de memoratorum cardinalium consilio, et attento quod dicta sedes episcopalis Portalegrensis adhuc de praesenti vacat, discretioni tuae per praesentes committimus et mandamus, ut, verificatis coram te precibus, praefatos omnes et singulos subditos dioecesanos Portalegrenses a supradictis abbatibus ad minores ordines promotos, ut praefertur, dictosque exponentes, si hoc a te humiliter petierint, impositâ eis respective pro praemissis arbitrio tuo aliquâ penitentiâ salutari, a censuris et poenis ecclesiasticis quibuslibet, quas propter eadem praemissa quovis modo incurrerunt, seu incurrisse dici, censeri, vel praetendi possent respective, auctoritate nostrâ apostolicâ, pro tuo arbitrio et conscientiâ, gratis absolvas et totaliter liberes, dictasque poenas eis gratiose remittas et condones; ac cum ipsis omnibus et singulis super irregularitate, per eos, quia censuris huiusmodi propter praemissa innodati in suis respective ordinibus, non tamen in contemptum clavium, ministrarunt seu aliàs divinis se ingesserunt, quomodolibet contractâ, ita ut illâ et iisdem praemissis non obstantibus, dummodo nullum aliud canonicum eis obstet impedimentum, clericali charactere, quo aliàs rite fuerunt insigniti, illiusque privilegiis, ac susceptis per eos pariter aliàs rite minoribus et sacris etiam presbyteratus ordinibus uti, et, quatenus eos nondum susceperint, ad illos, si ad id idonei reperiantur, servatis aliàs servandis, promoveri, et promoti in illis etiam in altaris ministerio ministrare libere et licite possint et valeant, respective auctoritate et arbitrio praefatis dispenses, eosque et eorum quemlibet ad clericalis characteris et ordinum huiusmodi exercitium adversus praemissa eâdem auctoritate rehabilites.

Derogat contrariis.

§ 4. Non obstantibus, quatenus opus sit, nostrâ et cancellariae apostolicae regulâ de promotis, aliisque apostolicis, ac in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XII decembris MDCLXVII, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 12 decembris 1667, anno I.

XL.

Confirmatio definitionum duorum capitulorum generalium congregationis Hispaniae monachorum Ordinis sancti Benedicti circa electiones intermedias ad abbatias, quae inter celebrationem unius et alterius capituli generalis vacant, factarum, cum decreto quod nullatenus mutari possint absque Sedis Apostolicae speciali facultate[1].

Clemens Papa IX,
ad perpetuam rei memoriam.

Referuntur definitiones capitulorum generalium.

§ 1. Nuper pro parte dilectorum filiorum monachorum congregationis Hispaniae Ordinis sancti Benedicti nobis expositum fuit, quod in capitulo generali dictae congregationis anno MDCLXI celebrato facta fuit definitio tenoris qui sequitur, videlicet: « Insuper capitulum generale decrevit electiones intermedias, contingentes inter capitulum et capitulum generale, fieri a reverendissimo patre nostro generali iuxta priorem et dispositam constitutionis ordinationem, quas a Summo Pontefice Paulo V con-

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

firmatas tamquam ius regulare commune veneratur et servat, contrariasque huic constitutioni, actoritate ordinariâ et apostolicâ Urbani VIII, qua in hac parte fungi decrevit, irritas et inanes effecit; iterumque redivivam legem electionis disposuit taliter ut electio vacantis abbatiae fiat a reverendissimo patre generali simul cum abbate viciniori loco, ubi notitia vacantiae pervenerit, cum tribus etiam definitoribus vicinioribus monasterio praedicti abbatis, qui cum ipsis vocem activam in supradictâ obtinent electione, servatâ in omnibus et per omnia formâ eligendi praescriptâ in nostrâ constitutione priori. Haec autem definitio non mutat neque tollit electiones intermedias collegiorum vel conventuum minorum, in quibus saltem tres vocales concurrunt: nam praedictae vacantiae ad reverendissimum patrem nostrum generalem unice et in solidum electio, sicut antea, pertinuit et pertinet sine concursu abbatis et definitorum». Et subinde aliud capitulum generale eiusdem congregationis, anno MDCLXV habitum, aliam definitionem in eâdem materiâ fecit tenoris sequentis: «Item, attento quod in casu vacationis abbatiarum intermediarum contingit et ut plurimum necesse est prorogari electionem ob magnam distantiam qua absunt patres definitores, determinatum fuit ut pro electione dictarum abbatiarum votum habeant quatuor patres abbates propinquiores monasterio, ubi reverendissimus generalis fuerit de vacatione certioratus, cum declaratione quod in aequali distantiâ patres definitores patribus abbatibus praeferantur. Et declaratur in aequali distantiâ extare definitorem qui octo tantum leucis plusquam abbas distat, et, absentibus a suis monasteriis patribus abbatibus, idem votum habere pro electione dictarum vacationum patres capitulares dictorum proximiorum monasteriorum qui habeantur in antelationibus iuxta suos gradus. Expensae autem, quas fecerint patres definitores, a monasterio, cuius fuerint conventuales, usque ad aliud ubi fiet electio, incumbent oneri congregationis, et, quae fient in monasterio ubi est facienda dicta electio, oneri monasterii cuius erit novus abbas eligendus. Et statuit sacra congretio esse pro hoc puncto obtinendum Breve a Suâ Sanctitate; interim vero observanda disposita per definitionem praeteriti capituli anni MDCLXI».

Supplicatio.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, observatio definitionum huiusmodi dictae congregationi perutilis futura sit, cupiantque propterea dicti exponentes primodictam definitionem, cum clausulis et declarationibus in secundodictâ contentis, apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri; et, ne eaedem definitiones unquam (etiam vigore privilegiorum eidem congregationi a Sede Apostolicâ, ut asseritur, concessorum, quibus caveri dicitur ut ipsi congregationi liceat propria statuta, etiam per Sedem Apostolicam praefatam confirmata, mutare et alterare, sine expressâ et speciali eiusdem Sedis facultate, ac praesentium litterarum derogatione) mutari vel alterari valeant, a nobis ordinari: nos, specialem ipsis exponentibus gratiam facere volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de vene-

Pontifex confirmat definitiones praeinsertas.

rabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositorum consilio (attentis narratis, visisque et diligenter per eosdem cardinales consideratis definitionibus factis in capitulis generalibus congregationis huiusmodi de annis MDCLXI et MDCLXV respective tenoris praeinserti), easdem definitiones, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, confirmamus, et perpetuis futuris temporibus inviolabiliter observari, et nullatenus mutari seu alterari absque dictae Sedis Apostolicae speciali facultate cum praesentium expressâ derogatione, mandamus; salvâ tamen semper in praemissis auctoritate congregationis memoratorum cardinalium.

Decretum irritans.

§ 3. Decernentes easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariorum derogatio.

§ 4. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon, quatenus opus sit, congregationis et Ordinis huiusmodi, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XV decembris MDCLXVII, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 15 decembris 1667, pontif. anno I.

XLI.

Concedit licentiam abbatibus communis observantiae Ordinis Cisterciensis recipiendi novitios ad habitum et professionem, et noviter professos collocandi in monasteriis quae in ultimo capitulo generali pro novitiatibus et professoriis respective designata fuerunt; abbatibus vero monasteriorum Germaniae, Belgii, Poloniae, Aragoniae, Valentiae et Cataloniae eiusdem observantiae indulget ut novitios ad habitum et professionem ut supra admittere et noviter professos collocare possint in illis monasteriis in quibus actu degunt et aluntur viginti quinque monachi [1].

Clemens Papa IX, ad futuram rei memoriam.

Expositio.

§ 1. Exponi nobis nuper fecit dilectus filius procurator generalis Ordinis Cisterciensis, quod, cum per quasdam felicis recordationis Alexandri Papae VII praedecessoris nostri in simili formâ Brevis die XIX aprilis MDCLXVI emanatas litteras pro reformatione generali dicti Ordinis prohibitum et interdictum fuerit omnibus abbatibus et superioribus monasteriorum communis observantiae sive in Gallia sive in aliis regnis et provinciis existentium eiusdem Ordinis, ne quem-

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

quam ad habitum suae religionis aut imposterum contra huiusmodi prohitionem forsan recipiendos ad professionem admitterent, donec designationes pro novitiatibus et professoriis in capitulo generali, in vim dictarum litterarum Cistercii celebrando, factae, et ad procuratorem generalem Ordinis huiusmodi transmissae, ac huic sanctae Sedi realiter et cum effectu exhibitae atque ab illâ approbatae fuissent; capitulum generale dicti Ordinis die IX maii proxime praeteriti et sequentibus, iuxta formam supradictarum litterarum celebratum, in eoque factae fuerunt designationes sequentes, videlicet:

In Burgundia et insulâ Franciae, pro novitiatu et professorio, Cistercium.

In Delphinatu, Bituricensi et Lugdunensi provinciis, pro novitiatu et professorio, monasterium de Firmitate.

Pro monasteriis Caroli loci[1], Noac, Quinciaci, Boniradii, Sigillarium, Rupium, Fontis Ioannis, Stratae et Calivoii, pro novitiatu et professorio, monasterium de Pontigniaco.

In Campania et Picardia, pro novitiatu et professorio, monasterium de Claravalle.

In Lotharingia, pro novitiatu et professorio, monasterium de Morimundo.

In Occitania, pro novitiatu et professorio, monasterium de Grandi-Silva.

In provinciâ Ruthenensi et Provinciae, pro novitiatu et professorio, monasterium de Bonacumba.

In Arvenia, pro novitiatu et professorio, monasterium de Bonavalle.

In Burdegalensi et Pictaviensi provinciis, pro novitiatu et professorio, monasterium de Obatina.

Pro Andegavensi, Turonensi et Cenomanensi provinciis, pro novitiatu et professorio, monasterium de Claritate.

1 Sic edit. Main. (R. T.).

In Normannia, pro novitiatu et professorio, monasterium de Bonoportu.

In Brittania, pro novitiatu et professorio, monasterium de Reliquiis.

Pro Calabria designatum fuit monasterium de Succursu pro novitiatu, et pro[1] professorio monasterium de S. Ioanne in Flore.

Pro Sicilia designatum fuit monasterium de Raccomadia pro novitiatu, et pro professorio monasterium de Altofonte.

Pro Silesia designatum fuit monasterium Grissoviense pro novitiatu, et pro professorio Lubense.

Supplicatio.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, dilecti filii abbates monasteriorum Germaniae, Belgii, Poloniae, Aragoniae, Valentiae et Cataloniae dicti Ordinis in propriis monasteriis novitiatus et professoria secundum regulam sibi continuari plurimum desiderent: nobis propterea praefatus procurator generalis etiam iam dictorum abbatum nomine humiliter supplicari fecit ut praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Annuit pontifex.

§ 3. Nos igitur, eosdem procuratorem generalem et abbates specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, de congregationis nonnullorum venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium et dilectorum filiorum Romanae curiae prae-

1 Praepositionem *pro* nos addimus heic et post (R. T.).

latorum super reformatione Ordinis Cisterciensis huiusmodi deputatae consilio, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, concedimus licentiam abbatibus communis observantiae eiusdem Ordinis recipiendi novitios ad habitum et professionem, et noviter professos collocandi in omnibus monasteriis quae in praedicto generali capitulo pro novitiatibus et professoriis respective ut praefertur designata fuerunt, servatis tamen constitutionibus apostolicis ac dicti Ordinis statutis. Abbatibus vero monasteriorum Germaniae, Belgii, Poloniae, Aragoniae, Valentiae et Cataloniae eiusdem communis observantiae indulgemus, ut novitios ad habitum et professionem ut supra admittere, ac noviter professos collocare possint in illis monasteriis dumtaxat, in quibus actu degunt et aluntur saltem vigintiquinque monachi.

Decretum irritans. § 5. Decernentes easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum. § 6. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon, quatenus opus sit, dicti Ordinis et monasteriorum huiusmodi, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter ex expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides. § 6. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique tam in iudicio quam extra adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die xx decembris MDCLXVII, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 20 decembris 1667, pontif. anno I.

XLII.

Constitutio revocatoria exemptionum a vectigalibus, aliisque publicis oneribus.

Clemens Papa IX,
ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium. Paterna, quam de nostris et Apostolicae Sedis in temporalibus subditis gerimus, cura nos urget, ut, in gravissimis rerum difficultatibus, quibus camera nostra apostolica, ac communitates et universitates civitatum, terrarum et locorum nostrae et dictae Sedis ditionis temporalis propter multa onera antehac imposita premuntur, aliquod eis levamen (sublatis immunitatibus atque exemptionibus ab onerum publicorum supportatione per nonnullos Romanos Pontifices praedecessores nostros et Sedem praedictam, ac forsan illius de latere legatos, aliosque earumdem Sedis

et camerae officiales et ministros, ad importunas supplicantium preces et aliàs quomodolibet concessis, quae, dum aliquibus, iisque ut plurimum locupletioribus favent, in ceterorum et quidem plerumque pauperiorum detrimentum vergunt, eorumque inopiam praegravant) adferre satagamus, sicut publicae utilitati atque aequitati et iustitiae rationi consentaneum esse in Domino arbitramur.

Revocatio de [illegible] in rubricâ.

§ 1. Itaque, camerae ac communitatum et universitatum, subditorumque nostrorum praedictorum indemnitati et levamentò, quantum nobis ex alto conceditur, aeque principaliter consulere cupientes, ac felicis recordationis Sixti V, Pauli etiam V, Urbani VIII, Innocentii X et Alexandri VII, aliorumque Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum, qui constitutiones similium exemptionum et immunitatum revocatorias ediderunt, vestigiis inhaerentes, necnon quarumcumque concessionum, immunitatum et exemptionum huiusmodi, litterarum apostolicarum sub plumbo ac in simili formâ Brevis, cedularum motusproprii, et chirographorum cuiusvis Romani Pontificis praedecessoris nostri manu subscriptorum, ac aliarum litterarum et scripturarum desuper quomodolibet emanatarum tenores, etiam veriores, et datas ac occasiones, et alia etiam speciali ac individuâ expressione digna, praesentibus pro plene et sufficienter expressis et verbatim insertis respective habentes, motu proprio, non ad cuiusquam nobis super hoc oblatae petitionis instantiam, sed ex certâ scientiâ et maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, hac nostrâ perpetuo valiturâ constitutione omnes et quascumque exemptiones et immunitates a solutione subsidii triennalis, necnon quarti illi adiuncti, quatrinorum carnis, taxarum equorum, tallearum, censuum, archivii, fogliettae, triremium, utensilium, dohanarum, gabellarum, taxae portus Anconae, quatrinorum, tractarum, pedagiorum, vectigalium, collectarum, exactionum, et quorumlibet onerum et munerum, personalium, realium et mixtorum, ordinariorum et extraordinariorum, solitorum et insolitorum, cameralium quorumcumque, ac etiam eorum, quae, per communitates et universitates, directe vel indirecte, pro eorumdem onerum cameralium solutione, publicorumque munerum supportatione, ac pro viis et pontibus construendis, instaurandis, muniendis et manutenendis, aliisque indigentiis et usibus quibuscumque tam camerae quam communitatum et universitatum praedictarum, seu aliàs, indicta et imposita ac exigi solita sunt, nec non ab obligatione recipiendi et hospitandi milites et Sedis praedictae officiales, barigellos, exequutores, aliosque iustitiae ministros, eisque utensilia et alia necessaria subministrandi, per Romanos Pontifices praedecessores nostros, ac eamdem Sedem Apostolicam, et quosvis Sedis et camerae praedictarum officiales et ministros, quacumque auctoritate et potestate fungentes, etiam S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos, etiam camerarios, ceterosque etiam speciali notâ et expressione dignos ac specialem ad id facultatem habentes, quibusvis communitatibus, universitatibus, civitatibus, terris, oppidis et locis ditionis temporalis S. R. E. praedictae, ac etiam quibuscumque feudatariis, censuariis, dominis locorum, familiis nobilibus, baronibus, comitibus, marchionibus, ducibus, principibus, et aliis cuiusvis status, gradus, conditionis et praeeminentiae existentibus, ac quavis dignitate et auctoritate praedictis, etiam cardinalatus

honore fulgentibus, qui castra et iurisdictiones intra limites dictae ditionis temporalis S. R. E. possident, etiam qui nihil ratione castrorum et iurisdictionum huiusmodi Sedi praedictae annuatim seu aliàs persolvunt, et tam in colis, quam extraneis et forensibus, bona stabilia seu mobilia vel se moventia habentibus et tenentibus seu possidentibus, omniumque supradictorum colonis et laboratoribus, etiam in recompensam laborum, damnorum passorum, expensarum vel meritorum, seu illorum intuitu et contemplatione, ac ex aliâ quacumque quantumvis favorabili ac urgentissimâ et de necessitate specialiter exprimendâ causâ, sub quibuscumque verborum formis et expressionibus, etiamsi in appaltuum et locationum cameralium instrumentis promissum et cautum sit eas observari debere, ac cum quibusvis clausulis et decretis, etiam motu, scientiâ, deliberatione et potestatis plenitudine paribus, etiam consistorialiter, et aliàs quomodocumque et qualitercumque, in genere vel in specie, ad vitam, vel ad tempus, sive in perpetuum concessas et datas, ac pluries et iteratis vicibus confirmatas, approbatas, revalidatas et innovatas, et inde etiam iudicis auctoritate sequuta quaecumque, necnon quasvis litteras etiam apostolicas sub plumbo vel in simili formâ Brevis, motusproprii cedulas, chirographa et scripturas huiusmodi, ex nunc perpetuo revocamus, cassamus, tollimus, abrogamus, irritamus, abolemus et annullamus, viribusque et effectu penitus ac omnino evacuamus, ac revocata, cassata, sublata et abrogata, irritata et abolita et annullata, viribusque et effectu penitus ac omnino vacua esse, nec ulli prorsus in petitorio aut possessorio, etiam summariissimo, contra praesentium litterarum tenorem et dispositionem suffragari posse, sed praedictos omnes et singulos exemptos ad omnium et singulorum onerum praedictorum solutionem et supportationem pro ratâ eos tangente imposterum realiter et cum effectu teneri in omnibus et per omnia perinde ac si dictae exemptiones et immunitates eis nullatenus concessae fuissent, nec litterae ac cedulae motusproprii, chirographa et scripturae huiusmodi unquam emanassent, motu, scientiâ, deliberatione et potestatis plenitudine praedictis, decernimus, statuimus et declaramus.

Privilegia ecclesiastica quomodo intelligenda explicat.

§ 2. Praeterea omnia et quaecumque privilegia et indulta, personis ecclesiasticis, tam secularibus quam cuiusvis Ordinis, congregationis et instituti, ac Societatis Iesu regularibus, super similibus immunitatibus et exemptionibus per quoscumque Romanos Pontifices praedecessores nostros concessa, ad limites iuris communis, motu, scientiâ, deliberatione, potestatis plenitudine, et tenore praedictis, reducimus: illa vero quae nonnullis collegiis in almâ Urbe nostrâ existentibus per dilectos filios clericos regulares dictae Societatis Iesu sive alios quoscumque administrari consuetis similiter a Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris concessa fuerunt, quoad victum et vestitum dumtaxat, non autem, ut vulgo dicitur, a fundaco et magazzeno, prout antehac observatum fuit, suffragari volumus et decernimus.

Privilegia nepotibus praedecessorum data revocat.

§ 3. Ac demum similia privilegia et indulta nepotibus et aliis consanguineis vel affinibus quorumcumque Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum pro tempore viventium ab illis respective concessa itidem revocamus et abolemus, ac revocata et abolita esse ac censeri debere volumus et statuimus; declarantes illa nemini eorumdem nepotum sive consanguineorum vel affinium a die nostrae ad summi apostolatus apicem as-

sumptionis suffragari posse et debere, seu potuisse ac debuisse.

Immunes declarat.

§ 4. Per praemissa autem non intendimus revocare exemptiones et immunitates quibuscumque personis ecclesiasticis tam secularibus quam regularibus de iure competentes, neque thesaurariis, appaltatoribus et conductoribus bonorum, introituum et iurium dictae camerae nostrae ab ipsâ camerâ, seu aliis illius nomine, in appaltuum et locationum instrumentis et illorum ratione ex contractu tituloque vere oneroso concessas; ac insuper a revocationibus et aliis supradictis excipimus et exceptas esse volumus et declaramus immunitates et exemptiones quibusvis universitatibus et personis datas et concessas in vim contractus ex causâ vere onerosâ, videlicet congruae et effectualis pecuniarum solutionis, et non aliàs, eidem camerae apostolicae vel ipsis communitatibus legitime factae, vel ex aliis rationabilibus causis per nos cognoscendis et approbandis, ac etiam declarandis, quas omnes causas onerosas nonnisi legitimas ac licitas et honestas, prout de iure, approbare intendimus.

§ 5. Et propterea quicumque illas obtinent, eas in dictâ camerâ, citato dilecto filio ipsius camerae commissario generali, verificare et in ipsâ camerâ examinari et admitti facere teneantur, etiamsi concessiones earumdem immunitatum et exemptionum ac litterae, cedulae motus-proprii, chiragrapha et aliae scripturae desuper emanatae et emanata aliàs in camerâ praedictâ admissae et admissa, ac in illâ eiusque libris registratae et registrata fuerint et sint: quatenus tamen causae onerosae huiusmodi pro vere onerosis et legitimis, ut supra, aliàs in eâdem camerâ verificatae et approbatae ac praeviâ iudiciali discussione non sint legitimae habitae; quo casu ad indicationem tantum, non autem ad aliam verificationem eosdem obtinentes teneri volumus; interim vero, quamdiu non fuerint verificatae, minime suffragari et praesentis revocationis effectum retardare non posse declaramus.

Excipit cardinales et alios officiales.

§ 6. Praeterea nostrae intentionis non est sub revocationibus et aliis supradictis comprehendere immunitates et exemptiones eiusdem S. R. E. cardinalibus ratione dignitatis cardinalatus, nec non camerae praedictae clericis praesidentibus aliisque cameralibus qui in eâdem camerâ sederunt et sedent, concedi seu admitti solitas; nec illas, quibus praelati et officiales Romanae curiae, ac praelati domestici, cubicularii secreti, ac secretarii et alii familiares et continui commensales nostri, et Romani Pontificis pro tempore viventis, in rotulo descripti, gaudent et gaudere consueverunt, neque illas ob numerum duodecim filiorum a praedecessoribus nostris et aliis supra expressis concessas, quas tamen ad terminos constitutionis recolendae memoriae Pii IV praedecessoris pariter nostri, et aliarum constitutionum apostolicarum super similium exemptionum declaratione editarum, et ad illas tantum, et pro eo tempore et personis, ac eo modo et formâ, quibus de iure communi illis competunt, ac aliàs iuxta ipsius iuris communis ac supradictarum et aliarum constitutionum apostolicarum dispositionem reducimus, neque aliter quam ut praefertur sive in possessorio sive in petitorio suffragari volumus et decernimus.

Exemptiones cardinalium et aliorum officialium ad terminos constitutionis reducit.

§ 7. Ceterum appaltatoribus, thesaurariis, depositariis, commissariis, exequutoribus et ceteris agentibus et ministris dictae camerae ac communitatum et universitatum praedictarum, earumdem serie praesentium, districtius inhibemus, ne, contra ipsarum praesentium dispo-

sitionem, immunitates, exemptiones, nisi ut supra exceptas, ac eas quas ex causâ vere onerosâ concessas in camerâ praedictâ ut praefertur admitti contigerit, ullatenus admittant; et, si secus fecerint, id nemini eorum in suis computis seu rationibus per eamdem cameram admitti volumus, sed eorum damno cessurum esse declaramus.

Lites pendentes ad se avocat.

§ 8. Postremo lites quaslibet occasione privilegiorum ac indultorum necnon immunitatum et exemptionum huiusmodi quomodolibet suscitatas, et in quibusvis tribunalibus pendentes (illarum omnium et singularum statum et merita, nominaque et cognomina iudicum et colligantium quorumvis, etiam speciali mentione dignorum, et alia etiam de necessitate specialiter exprimenda, praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes), a quibuscumque tribunalibus huiusmodi ad nos earumdem serie praesentium avocamus, illasque penitus et omnino perpetuo supprimimus et extinguimus, et pro suppressis et extinctis haberi volumus et declaramus, ac partibus perpetuum desuper silentium imponimus.

Supradictis robur addit.

§ 9. Decernentes praesentes litteras, ac omnia et singula in illis contenta, etiam ex eo quod quicumque in praemissis sive eorum aliquo interesse habentes, seu habere quomodolibet praetendentes, illis non consenserint, aut ad ea vocati et auditi, seu causae, propter quas ipsae praesentes emanarunt, adductae, verificatae seu aliàs sufficienter aut etiam ullatenus iustificatae non fuerint, aut aliâ quavis quantumlibet legitimâ, piâ, iuridicâ et privilegiatâ causâ, colore, praetextu, occasione et capite, etiam in corpore iuris clauso, etiam enormis, enormissimae et totalis laesionis, nullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis, nullitatis aut invaliditatis vitio, seu intentionis nostrae vel quorumvis interesse habentium consensus, aut alio quovis quamtumvis magno et substantiali ac inexcogitato defectu notari, impugnari, invalidari, restringi, retractari, in ius vel controversiam revocari, suspendi, limitari, aut ad terminos iuris reduci, seu[1] adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aut aliud quodcumque iuris, facti vel gratiae remedium impetrari, aut impetrato, seu etiam motu simili concesso, quempiam in iudicio vel extra illud uti seu se iuvare posse, neque easdem praesentes sub quibusvis similium vel dissimilium constitutionum ac revocationum et ordinationum revocationibus, suspensionibus, limitationibus et aliis contrariis dispositionibus pro tempore quomodolibet factis comprehendi aut comprehensas censeri, sed semper ab illis exceptas, et, quoties illae emanabunt, toties in pristinum et validissimum statum restitutas, repositas et plenarie reintegratas, ac etiam sub posteriori datâ, quatenus opus sit, de novo concessas, perpetuoque validas, firmas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab omnibus, ad quos spectat et quandocumque spectabit, inviolabiliter observari;

Clausula sublatâ.

§ 10. Sicque in praemissis per quoscumque iudices et commissarios, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac eiusdem S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos, et quosvis Sedis et camerae praedictarum officiales et ministros, et alios quoscumque quavis auctoritate et potestate fungentes, nunc et pro tempore existentes, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si

1 Edit. Main. legit *sed* pro *seu* (R. T.).

secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Executores deputat. § 11. Quocirca dilectis filiis nostro ac S. R. E. praedictae camerario seu procamerario, necnon vicecamerario, thesaurario, ac clericis praesidentibus, commissario, et aliis camerae praedictae officialibus, ad quos spectat, praecipimus et mandamus ut praesentem nostram constitutionem et in eâ contenta quaecumque in omnibus et singulis firmiter et inviolabiliter observent et faciant ab aliis observari.

Derogat contrariis. § 12. Non obstantibus supradictarum litium pendentiâ, aliisque omnibus et singulis praemissis, necnon nostrâ et cancellariae apostolicae regulâ de non tollendo iure quaesito, ac, quatenus opus sit, praedicti Pii praedecessoris de gratiis qualecumque interesse dictae camerae concernentibus in eâdem camerâ praesentandis et registrandis, ita ut praesentes in eâ praesentari aut registrari nunquam necesse sit, aliisque apostolicis, ac in universalibus provincialibusque conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, necnon quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, indultis, concessionibus, immunitatibus, exemptionibus, chirographis, cedulis motuumproprio-rum, et aliis scripturis et litteris etiam apostolicis praedictis, et quibusvis aliis etiam ut praefertur qualificatis ac speciali notâ et mentione dignis, etiamsi nominatim essent exprimendi, sub quibuscumque verborum tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, ac irritantibus et aliis decretis etiam inexcogitabilibus et necessario exprimendis, etiam contractus iurati cum camera nostrâ apostolicâ initi et camerali obligatione vallati, et quovis alio robore et cautelâ firmatis, editis seu factis, ac aliàs quomodolibet in contrarium praemissorum concessis, confirmatis et pluries innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi in eis caveatur expresse quod nullo unquam tempore sub similium vel dissimilium exemptionum et immunitatum revocationibus, abrogationibus, annullationibus, aut aliis quibuslibet contrariis dispositionibus et constitutionibus pro tempore edendis comprehendantur, sed semper ab illis excepta, et, quoties illae emanâbunt, toties in pristinum eumque validissimum statum restituta, reposita et reintegrata, ac etiam sub posteriori datâ per quascumque personas eligendâ de novo concessa sint et esse censeantur, necnon pro sufficienti eorum derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, individua et expressa, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio facienda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium et singulorum tenores, formas et occasiones praesentibus pro plene et sufficienter expressis, insertis ac servatis respective habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, specialiter et expresse derogamus, ac derogatum esse volumus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Publicari iubet. § 13. Ut autem eaedem praesentes litterae ad omnium notitiam facilius deveniant, volumus et auctoritate apostolicâ decernimus illas ad valvas basilicae Principis Apostolorum et cancellariae apostolicae ac in acie campi Florae de Urbe per aliquem ex cursoribus nostris publicari, ac illarum exempla ibidem

affixa relinqui, quae sic publicatae omnes et singulos quos concernunt perinde afficiant et arctent, ac si illorum unicuique personaliter notificatae et intimatae fuissent; utque earumdem praesentium transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu notarii publici subscriptis, et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra illud adhibeatur, quae praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die xx decembris MDCLXVII, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 20 decembris 1667, pontif. anno I.

XLIII.

Confirmatio litterarum diversorum Romanorum Pontificum super investituris principatus Masserani et comitatus Crepacorii[1].

Clemens Papa IX,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium. Constantis et eximiae devotionis affectus, quo nos et Romanam dilectus filius nobilis vir Franciscus Ludovisius Ferrerius Fliscus, modernus princeps Masserani et marchio Crepacorii, Vercellensis dioecesis, reveretur Ecclesiam, promeretur ut his quae pro eius utilitate, commodo et tranquillitate concessa fuerunt, quo firmius persistant, apostolici muniminis praesidium impartiamur.

Expositio. § 1. Exponi siquidem nobis nuper fecit dictus Franciscus Ludovicus quod aliàs felicis recordationis Paulus Papa III praedecessor noster comitatum Masserani dictae dioecesis (quem quondam Philibertus etiam Ferrerius Fliscus ab eodem praedecessore et camerâ apostolicâ in feudum recognoscebat) in perpetuum et nobilem marchionatum, cum iurisdictione, imperio et gladii potestate, privilegiis, immunitatibus, exemptionibus, facultatibus, libertatibus, praeeminentiis, praerogativis, indultis, gratiis, signis quoque et insigniis aliis perpetuis nobilibus marchionibus tam in specie quam in genere concedi solitis, et quibus alii marchiones perpetui et nobiles eorumque marchionatus de iure vel consuetudine aut aliàs quomodolibet utebantur, potiebantur et gaudebant, ac uti, potiri et gaudere poterant quomodolibet in futurum, pro ipso Philiberto, quamdiu in humanis ageret, et quondam Besso ipsius Philiberti primogenito, et sic de cetero de primogenito in primogenitum, et, illis deficientibus, pro secundogenito et eius primogenito ac successoribus primogenitis, motuproprio, et ex eius certâ scientiâ, erexit et instituit, ac perpetui et nobilis marchionatus nomine et titulo decoravit, Philibertumque et Bessum ac successores praedictos in perpetuos marchiones Masserani creavit, ac eis et pro tempore existenti marchioni huiusmodi, quod iurisdictione, imperio et gladii potestate, necnon privilegiis, immunitatibus, exemptionibus, facultatibus, libertatibus, praeeminentiis, praerogativis, indultis et gratiis, signisque et insigniis praedictis, necnon facultate cudendi et cudi faciendi monetas, modis et formis tunc expressis, uti, potiri et gaudere, ac alia per alios marchiones in eorum marchionatibus fieri solita, ut praefertur, facere et exercere libere et licite valerent, concessit et indulsit; ac deinde, ex certis aliis tunc expressis causis, Crepacorii, Quirini, Flecchiae et Rino castra, terras seu loca dictae diocesis in feudum a dictâ Sede teneri solita, cum omnibus illorum ter-

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

ritoriis, districtibus, villis, vassallis, hominibus, incolis et habitatoribus, fortalitiis, franchitiis et homagiis, aliisque iuribus et pertinentiis, ac omnimodâ, altâ, bassâ, civili et criminali iurisdictionibus, mero et mixto imperio, ac gladii et necis potestate, aliisque honoribus, oneribus, salariis et regalibus consuetis, quatenus ad praedecessorem et Sedem praedictam ac cameram apostolicam spectarent, Philibertò tunc marchioni, quamdiu in humanis ageret, et deinde Besso et dicto Francisco Philiberto eiusdem Bessi primogenitò (ita quod ex tunc de cetero perpetuis futuris temporibus de primogenito in primogenitum, masculum tantum et de legitimo matrimoniò procreatum, transiret, ac, primogenito deficiente, secundogenitus, ut praefertur, etiam in castris, terris et locis huiusmodi succederet) in feudum nobile, honorificum et antiquum pro annuo censu unius crateris argentei ponderis unius librae dictae camerae in vigiliâ seu festo beatorum Petri et Pauli apostolorum in Urbe solvendo, et aliàs certis modo et formâ tunc expressis, concessit et assignavit, ac terras et loca huiusmodi cum praedicto marchionatu, prout antea etiam comitatus Masserani erat, reintegravit, illaque ad Philibertum et Bessum marchionem eorumque futuros successores praedictos transtulit, et de illis etiam investivit; erectionemque, investituram, concessionem, reintegrationem et translationem huiusmodi piae memoriae Iulius III, Paulus IV, Pius etiam IV, Pius V, Gregorius XV et Sixtus V Romani Pontifices etiam praedecessores nostri per suas desuper confectas litteras respective confirmaverunt et approbaverunt, ipsique Pius IV et Pius V potiori pro cautelâ castra, terras et loca praedicta Besso marchioni, eiusque descendentibus masculis praedictis, et idem Sixtus V etiam quondam Francisco Philiberto, modo et formâ praemissis, concesserunt et assignaverunt; et, cum Crepacorii et comitatus pertinentiarum praefatarum bonae memoriae Emanuel Philibertus Sabaudiae dux et Pedemontium princeps possessionem diu occupasset, iuribus ipsius Francisci Philiberti et suorum antecessorum praedictorum visis et cognitis, Gregorii XV praedecessoris praedicti assensu et beneplacito accedente, illam dicto Besso marchioni dimisit et relaxavit; cumque, ratione dicti marchionatus Masserani, ipse Franciscus Philibertus censum unius accipitris singulo biennio camerae praescriptae solvere solitus esset, idem Sixtus praedecessor censum accipitris huiusmodi in decem ducatos auri dictae camerae singulis annis eidem camerae apostolicae per eumdem Franciscum Philibertum et successores praedictos persolvendos commutavit, illosque ab ulteriori solutione dicti accipitris perpetuo liberavit; omnia vero et singula praemissa felicis etiam recordationis Clemens VIII et Urbanus VIII Romani Pontifices similiter praedecessores nostri approbarunt et confirmarunt, prout in singulis dictorum praedecessorum litteris continetur.

Petitur confirmatio Pontificis.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, dictus Franciscus Ludovicus praedictum annuum censum decem ducatorum auri de camerâ et crateris argentei ponderis unius librae camerae praedictae persolverit et in futurum solvere paratus sit, et firmiora illa existant quae saepius a Sede praedictâ confirmantur et approbantur: cupit propterea dictus Franciscus Ludovicus Ferrerius Fliscus princeps singulis litteris Pauli III, ac Iulii III, Pauli IV, Pii V, Gregorii XIII, Sixti V, Clementis VIII et Urbani VIII praedecessorum huiusmodi, omnibusque aliis et singulis praemissis,

nostrum et dictae apostolicae firmitatis robur adiici, sibique et successoribus praedictis in praemissis provideri. Quare nobis humiliter supplicari fecit dictus Franciscus Ludovicus quatenus sibi in eisdem praemissis opportune providere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Confirmat Pontifex. § 3. Nos igitur, singularum litterarum investiturarum et praemissorum omnium et singulorum etiam veriores et totos tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes, dictumque Franciscum Ludovicum specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, singulas praedictas litteras Pauli III, Iulii III, Pauli IV, Pii IV, Pii V, Gregorii XIII, Sixti V, Clementis VIII et Urbani VIII praedecessorum praedictorum, ac omnia et singula in eisdem litteris contenta et inde secuta quaecumque, licita tamen et honesta, omnesque et singulas investituras praedictas, marchionatum Masserani et comitatum Crepacorii concernentia, sine tamen Sedis et Camerae Apostolicae praeiudicio (ita quod nullum novum ius dicto Francisco Ludovico Ferrerio Flisco moderno principi Masserani et marchioni Crepacorii, nec eiusdem principis primogenito, aut cuicumque alteri, per praesentes accrescat, nec quicquam de iuribus Sedis et camerae earumdem etiam contra litteras piae memoriae Pii Papae V de non infeudandis et alienandis rebus Ecclesiae et aliorum Romanorum Pontificum ac etiam nostris decedat [1], verum omnia in statu, in quo erant ante praesentem confirmationem, remaneant), apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, perpetuo confirmamus et approbamus, ac illis plenarie et inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus.

1 Videtur legend. *decidat* vel *decrescat* (R. T.).

§ 4. Non obstantibus praemissis, nec non camerae apostolicae, marchionatusque et principatus, ac comitatus, villarumque praedictarum, iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, usibus et naturis, ac legibus etiam imperialibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, illis eorumque superioribus et personis ac quibusvis aliis, in genere vel in specie, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis, etiam vim contractus et statuti etiam perpetui seu legis inducentibus, etiam motu proprio, ac ex certâ scientiâ, et de apostolicae potestatis plenitudine, etiam consistorialiter, et aliàs quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis, ac imposterum concedendis et approbandis; quibus omnibus et singulis, etiamsi de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque. Derogat contrariis.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXIV decembris MDCLXVII, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 24 decembris 1667, pontif. anno I.

XLIV.

Confirmatio patentium generalis Ordinis Eremitarum sancti Augustini circa

prioratus Indorum provinciae Peruntinae, cum diversis ordinationibus[1].

Clemens Papa IX,
ad futuram rei memoriam.

Expositio. § 1. Exponi nobis nuper fecit dilectus filius Dominicus a Cifuentes, frater et procurator provinciae Peruntinae Ordinis Eremitarum sancti Augustini, quod dilectus filius Hieronymus Valvasorius prior generalis dicti Ordinis (in vim commissionis sibi a congregatione venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositâ datae) circa prioratus Indorum et domorum dictae provinciae, in quibus fratres doctrinatores et sacramentorum administratores degunt, in pristinum statum restituendos, necnon vocis activae suffragiique in capitulis provincialibus provinciae huiusmodi praerogativam prioribus prioratuum sive domorum huiusmodi competentem sive tribuendam, certumque numerum fratrum conventualium cuilibet ex prioratibus seu domibus praedictis assignandum, nonnulla aequitati atque iustitiae consona, prosperoque prioratuum seu domorum huiusmodi statui ac provinciae praefatae regimini profutura, statuit et ordinavit per suas patentes litteras desuper emanatas tenoris qui sequitur, videlicet:

Decretum prioris generalis. « Magister frater Valvasorius, Mediolanensis, totius Ordinis Eremitarum sancti Augustini prior generalis, licet indignus, venerabilibus et dilectis in Christo patribus et fratribus provinciae nostrae Peruntinae, eiusdem Ordinis ac voti, salutem.

Sicuti nullus hominum opus aliquod aggreditur, quin ad illud pertractandum ab optato fine impellatur; ita nemo ad operandum dexteram suam extendit, quin spe propositi praemii alliciatur. Mirandum igitur nostros in Indiis doctrinatores, qui diuturno labore animas Christo lucrantur, vel iam lucratas instruunt in catholicae[1] fidei documentis, continuo in vineâ Domini laborare nullum reportantes praemium ab hominibus; quinimo mirandum magis est, quod, etiam privati nomine et munere prioratus in domibus in quibus aut sparsim aut collectim degunt, et quandoque etiam facultate suum ferendi suffragium in capitulis provincialibus, non solum non defecerint in laboribus, sed alacriori animo magis in dies animas Christo acquirant. Quocirca tot laborum consideratione permotus reverendus pater lector frater Dominicus de Cifuentes, ut operarii in vineâ Domini alliciantur, et de bonis operibus aliquod praemium reportent, porrexit[2] sacrae congregationi eminentissimorum S. R. E. cardinalium negociis et consultationibus episcoporum et regularium praepositae infrascriptum supplicem libellum tenoris sequentis:

« Eminentissimi et reverendissimi Domini. Exponit humiliter EE. VV. devotus orator frater Dominicus a Cifuentes, procurator generalis provinciae Peruntinae Ordinis Eremitarum sancti Augustini, quod in dictâ provinciâ ab eius primordio et fundatione fuerunt aliqui prioratus Indorum sive aliquarum domorum, ubi manent doctrinatores et sacramentorum administratores, qui quidem prioratus, et priores illorum, dederunt suffragium omnibus capitulis provincialibus, sicut ceteri priores provinciae, praeter in capitulis de annis MDCXLIX et MDCLXV celebratis non habuerunt vocem activam vigore cuiusdam decreti auctoritate apostolicâ pro visitatione emanati a bonae memoriae P. Luchino de tempore

1 Ex Regest. in Secr. Brev.

1 Edit. Main. legit *catholica* (R. T.).

2 Edit. Main. legit *perrexit* (R. T.).

sui generalatus, in quo decreto assignavit quemdam numerum praefinitum conventualium ad hoc ut huiusmodi domus, vel priores eius[1], gauderent privilegiis ac iuribus prioratus, et in consequens possent suffragium ferre in capitulis. Verum, quia praedictum decretum valde praeiudicat iuri acquisito et possessioni ipsiusmet provinciae, praecipue quia, ob defectum et omissionem provincialis immediate praeteriti, non fuerunt assignati huiusmodi conventuales in praedictis domibus ad formam praedicti decreti; ideo orator nomine suae provinciae supplicat humiliter EE. VV. ut dignentur committere patri generali Ordinis ut restituat dictas domus ad titulum prioratus, itaut earum priores in futurum gaudeant, sicut antea gaudebant, omnibus iuribus, praerogativis et exemptionibus prioratus, praecipiendo simul omnibus provincialibus quod perpetuis futuris temporibus assignent numerum conventualium in dictis domibus iuxta decretum patris Luchini; ut sic operarii in vineâ Domini praemium reportent pro eorum laboribus. Quas Deus, etc. ».

Decretum sacrae congregationis.

Cui a sacrâ congregatione praefatâ, precibus oratoris humaniter annuente, emanavit sequens decretum, videlicet: « Sacra congregatio eminentissimorum sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praeposita, attentis narratis, censuit committendum, prout praesenti decreto committit, priori generali Ordinis huiusmodi ut super expositis, utendo suis iure et facultatibus, mandet praefatis domibus seu prioratibus assignari numerum fratrum ab olim priore generali Luchino praefixum ad effectum ut priores ipsarum domorum seu prioratus suffragium in capitulis ferre valeant, sicut ceteri priores. Romae, 11 decembris MDCLXVII.

M. cardinalis GINETTUS.

E. episc. Camerinen. secr. »

1 Aptius lege *earum* (R. T.).

Prosequitur decretum prioris generalis.

Ideo nos, auctoritate nobis traditâ ut supra ab eadem sacrâ congregatione, tenore praesentium decernimus praememoratos in supplici libello prioratus Indorum, sive nomine conventus sive domus et doctrinae nomine indicentur loca, ubi nostri doctrinatores commorantur et degunt, ad pristinum rigorem restituenda, praecipimus ut, nullâ interpositâ morâ, restituantur. Volentes ut praedictorum prioratuum sive praefatarum domorum et doctrinarum praepositi vocentur priores, et in capitulis provincialibus nostrae provinciae Peruntinae vocem habeant activam suumque suffragium ferant. Mandantes insuper reverendo patri provinciali, aut privato cuilibet, ex iis domibus seu doctrinis et prioratibus tres praeter priorem assignent conventuales, qui priori subdantur iuxta decretum 2 § de bono regimine reverendissimi praedecessoris nostri Pauli olim generalis Luchini, qui unâ cum priore ibidem in eâdem domo seu prioratu aut in eodem territorio (si domus aut prioratus non habeant sufficientes introitus ad congruam illorum sustentationem) vivant et commorentur. Ceterum autem, si non in eâdem domo, sed in eodem territorio sparsim eos degere contingat, volumus et praecipimus ut in aliquibus diebus anni, aut festis saltem solemnioribus, subditi teneantur adire superiorem, ita ut omnes simul conveniant et congregentur in unum. Huiusmodi autem determinationem et distributionem conventualium pro singulâ domo aut prioratu, a patre provinciali vel definitorio factam, volumus per provinciam palam fieri et publicari, ut omnibus innotescat. Quae quidem omnia,

ut supra, auctoritate nobis demandatâ a sacrâ congregatione statuta et decreta, praecipimus reverendo patri provinciali, prioribus definitorii, seu provincialis, seu privati, ceterisque omnibus nobis inferioribus, cuiuscumque gradus, officii, conditionis et auctoritatis existentibus, in meritum salutaris obedientiae, necnon sub rebellionis nostrae et excommunicationis maioris, quam hac unâ pro trinâ canonicâ monitione praemissâ in his scriptis licet inviti ferimus, ipso facto incurrendis poenis, ut observent ad unguem, et debitae executioni quantocitius mandent. Non obstantibus praedicti reverendissimi Luchini aut alterius reverendissimi praedecessoris nostri super hoc quomodocumque emanatis decretis. Datum Romae in conventu nostro S. Augustini de Urbe, die IX decembris MDCLXVII.

Fr. Hieronymus Valvasorius, generalis indignus. Nostri muneris firmatae sigillo. Loco † sigilli. Magister frater Franciscus Maria Ferragotta, secretarius Ordinis ».

Confirmatio Pontificis.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, dictus Dominicus praemissa, quo firmius subsistant et serventur exactius, apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri summopere desideret: nos, ipsum Dominicum specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, praeinsertas Hieronymi prioris generalis litteras patentes, cum omnibus et singulis in eis contentis, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos iuris et facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Decretum firmitatis.

§ 3. Decernentes ipsas praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 4. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon, quatenus opus sit, Ordinis et provinciae huiusmodi, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XIII ianuarii MDCLXVIII, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 13 ianuarii 1668, pontif an. I.

XLV.

Breve beatificationis Rosae de S. Maria Limanae in regno Peruano Indiarum Occidentalium, tertii Ordinis sancti Dominici.

Clemens Papa IX,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium

Sanctae Matris Ecclesiae, quae virgo casta uni viro desponsata est Christo, gloriosa foecunditas in omni quidem prole, quam per Dei gratiam quotidie profert, multipliciter gaudet, in sacris vero virginibus, quae studiosâ charismamatum meliorum aemulatione expertem carnalis contagionis integritatem virtutum floribus exornarunt, ineffabiliter exultat atque floret; illarumque, quae accensis lampadibus exierunt obviam sponso et intraverunt cum eo ad nuptias, sublimem gloriam condignis honoribus in terris celebrari decet, ut, quae sequuntur Agnum quocumque ierit, luctanti cum saeculi tentationibus infirmitati nostrae adiutorii caelestis opem atque praesidium a Sponso iugiter impetrare dignentur. In hanc curam nos ex debito pastoralis officii quo catholicae Ecclesiae adstringimur, propensius incumbentes, piis catholicorum regum aliorumque christifidelium votis, quibus ancillarum Dei in caelis regnantium veneratio in terris promovetur, libenter annuimus, sicut, maturâ deliberatione adhibitâ, ad omnipotentis Dei gloriam, Ecclesiae honorem, christianae religionis robur, ac spiritualem fidelium consolationem atque aedificationem salubriter in Domino expedire arbitramur.

Motiva.

§ 1. Cum itaque, diligentissime discussis atque perpensis per congregationem venerabilium fratrum nostrorum sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium sacris ritibus praepositorum processibus de Sedis Apostolicae licentiâ confectis super vitae sanctitate et virtutibus in gradu heroico, quibus serva Dei Rosa de S. Maria, virgo Limana, Tertii Ordinis S. Dominici, multipliciter claruisse, necnon miraculis, quae ad eius intercessionem a Deo patrata fuisse asserebantur, congregatio praefata coram nobis constituta unanimiter censuerit, quandocumque nobis videretur, ad solemnem eiusdem servae Dei Rosae canonizationem, iuxta ritum eiusdem S. R. E., tuto posse deveniri, interim vero indulgeri ut in toto orbe terrarum Beata nuncupetur: hinc est quod nos, piis atque enixis carissimi in Christo filii nostri Caroli Hispaniarum regis catholici, ac carissimae in Christo filiae nostrae Mariannae reginae viduae, eius genitricis, et totius Ordinis S. Dominici supplicationibus nobis super hoc humiliter porrectis benigne inclinati, de praefatorum cardinalium consilio et unanimi assensu, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, indulgemus ut memorata Dei serva Rosa de S. Maria in posterum Beatae nomine nuncupetur, eiusque corpus et reliquiae venerationi fidelium (non tamen in processionibus circumferenda) exponantur, imagines quoque radiis seu splendoribus exornentur, atque de eâ sub duplici ritu recitetur officium, et missa celebretur de Virgine non Martyre singulis annis, iuxta rubricam breviarii et missalis romani, die XXVI augusti, quae prima est non impedita post diem vigesimam quartam eiusdem mensis, qua spiritum Creatori reddidit; haec vero in locis dumtaxat infrascriptis, nempe in civitate et dioecesi Limanâ, ac in universo Ordine S. Dominici, tam fratrum quam monialium, et, quantum ad missas attinet, etiam a sacerdotibus confluentibus.

Rosam Beatam nuncupari iubet.

§ 2. Praeterea primo dumtaxat anno a datis hisce litteris, et, quoad Indias,

Officium cum missâ sub ritu

ici maiori ittit.

a die quo eaedem praesentes litterae illuc pervenerint inchoando, in ecclesiis civitatis et dioecesis ac Ordinis praefatorum, necnon in omnibus cathedralibus et metropolitanis Hispaniarum et Indiarum, solemnia beatificationis eiusdem cum officio et missâ sub ritu duplici maiori, die ab Ordinariis constitutâ, et intra sex menses promulgandâ, celebrandi facimus facultatem, Romae vero in ecclesiâ S. Iacobi nationis Hispanorum intra bimestre, postquam tamen in basilicâ Principis Apostolorum celebrata fuerint eadem solemnia, pariter celebrari permittimus.

erogat con- is.

§ 3. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis ac decretis super non cultu editis, ceterisque contrariis quibuscumque.

ransumptis i mandat.

§ 4. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu secretarii praefatae congregationis cardinalium subscriptis, et sigillo praefecti eiusdem congregationis munitis, eadem prorsus fides ab omnibus et ubique, tam in iudicio quam extra illud, habeatur, quae praesentibus ipsis haberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Sabinam, sub annulo Piscatoris, die XII februarii MDCLXVIII, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 12 februarii 1668, pontif. an. I.

XLVI.

Damnatio et prohibitio libri gallico idiomate impressi sub titulo Ritualis pro dioecesi Aletensi[1].

Clemens Papa IX, ad futuram rei memoriam.

ooemium.

Creditae nobis divinitus omnium ecclesiarum sollicitudinis ratio exigit ut ecclesiasticae disciplinae, cuius custodes a Domino constituti sumus, ubique conservandae iugiter incumbentes, omni curâ atque vigilantiâ praecavere studeamus ne quid in eam irrepat, quo quomodolibet turbari, aut a praescriptis ritibus aberrare, et via erroribus aperiri possit.

Motiva huius Constitutionis.

§ 1. Cum itaque, sicut nobis innotuit, anno proxime elapso typis impressus ac in lucem Parisiis editus fuerit gallico idiomate liber, cui titulus est: *Rituel Romain du Pape Paul V à l'usage du diocèse d'Alet, avec les instructions et les rubriques en françois*, in quo non solum continentur nonnulla[1] ab ipso rituali romano iussu felicis recordationis Pauli Papae V praedecessoris nostri edito aliena, sed etiam doctrinae quaedam et propositiones falsae, singulares, in praxi periculosae, erronae et consuetudini in Ecclesiâ communiter receptae, atque ecclesiasticis constitutionibus oppositae et repugnantes, quarum usu et lectione christifideles in iam damnatos errores sensim induci, ac pravis opinionibus infici possent: nos, opportunum huic malo remedium adhibere volentes, motu proprio et ex certâ scientiâ ac maturâ deliberatione nostris, librum sub titulo *Ritualis* gallico idiomate editum praefatum, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, omnino damnamus, reprobamus et interdicimus, ac pro damnato, reprobato et interdicto haberi volumus, eiusque impressionem, lectionem, retentionem et usum universis et singulis utriusque sexus christifidelibus, praesertim civitatis et dioecesis Aletensis, cuiuscumque gradus, conditionis, dignitatis et praeminentiae existant, licet de illis specialis et individua mentio habenda foret, sub poenâ excommuni-

Librum damnat.

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

1 Edit. Main. legit *nonnullae* (R. T.).

cationis latae sententiae ipso facto incurrendae, perpetuo prohibemus.

Illiusque combustionem iubet.

§ 2. Mandantes ut statim quicumque illum habuerint, vel in futurum quandocumque habebunt, locorum Ordinariis vel inquisitoribus, qui vero venerabili fratri episcopo Aletensi subsunt, metropolitano, aut uni ex vicinioribus episcopis realiter et cum effectu exhibeant, tradant et consignent, qui, nullâ interpositâ morâ, exemplaria sibi tradita, et alia quaecumque habuerint, igne comburant et comburi faciant. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die xx februarii MDCLXVIII, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 20 februaii 1667, pontif. anno I.

XLVII.

Decretum in quo privilegia S. R. E. cardinalium testandi de bonis, redditibus et emolumentis ecclesiasticis, etiam ad fructus inconsumptos, vel cum aliis ipsorum bonis non commixtos extenduntur.

Clemens Papa IX,
Motu proprio, etc.

Exordium.

Cum a primâ nostrae divinâ favente clementiâ assumptionis ad summi pontificatus apicem die impense cogitaverimus sacrum cardinalium S. R. E. collegium, quod uti senatus universalis Ecclesiae in excolendâ vineâ Domini nobiscum assiduo collaborat, et singulos cardinales tamquam membra eiusdem corporis, quorum consilio, industriâ ac opere, tam in spiritualibus universi orbis christiani, quam in temporalibus nostrae ditionis, aliisque negotiis et rebus quibuscumque Romani Pontificis, uti, et cuncta sedulo administrare consueverunt, amplioribus privilegiis et gratiis complecti et communire, praeque aliis facultates et privilegia testandi et disponendi de bonis ac iuribus ab ipsis dum vivunt quomodolibet acquisitis ex bonis, redditibus, emolumentis et iuribus ecclesiasticis, eisdemque in illis succedendi, tam suae dignitatis intuitu, quam in laborum congruam remunerationem, per Sedem Apostolicam hactenus solita concedi, gratiose ampliare et ad fructus etiam inconsumptos, vel cum aliis ipsorum bonis non commixtos, de quibus antehac nullo modo disponere poterant, extendere:

Extensio privilegiorum qua in rubr

§ 1. Motu proprio, et ex certâ scientiâ, deque apostolicae potestatis plenitudine, et ex merâ nostrâ et Sedis Apostolicae liberalitate qua praedictos sanctae Romanae Ecclesiae cardinales prosequi volumus, privilegia et facultates testandi praedictorum cardinalium ad illos etiam fructus extendimus et ampliamus, qui, si naturales sint, et a solo in quo sunt producti legitime iuxta rei naturam fuerint sublati, et a manibus colonorum vel aliorum quorumcumque debitorum percepti, licet in horreis ecclesiarum vel in quovis alio loco adhuc inconsumpti, vel nullo modo aliis ipsorum cardinalium bonis immixti aut eorum patrimonio incorporati reperiantur; si vero civiles sint, postquam dies solutionis advenerit fuerint per quoscumque debitores quomodolibet persoluti, et ad manus cardinalium vel ad eorum ministros pervenerint, seu in aliquo loco publico ad eorum creditum fuerint depositati: quod etiam servari volumus in terminis quomodolibet debitis pro affictibus bonorum ac iurium quorumcumque, quos in dictis facultatibus comprehendi volumus et mandamus, si, modo quo supra, fructus tam civiles

quam naturales, conductoribus et affictuariis locati et concessi, per illos erunt percepti, quamvis termini solutionis affictuum per locatores fuerint posticipate conventi.

licatio. § 2. Quare, distinguendo inter eiusmodi facultates et privilegia iam concessa cardinalibus adhuc viventibus, et quandocumque aliis in futurum concedenda, illa favorabiliter ampliamus et extendimus, ut intelligantur ac servari precise debeant aeque ac si formaliter emanassent cum omnibus et singulis extensionibus et ampliationibus praedictis, eisdemque illa essent de verbo ad verbum inserta; alia vero quaecumque in futurum concedenda ad eorum limites concipi omnino debeant, et pro ita conceptis intelligi et observari, etiamsi diversimode et contra eorum tenorem extenderentur.

cretum ir- § 3. Nos enim ita servandum lege hac perpetuo valiturâ statuimus et mandamus, sicque et non aliter in praemissis omnibus et singulis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, et S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos et camerarios, ac eiusdem camerae nostrae apostolicae thesaurarios, praesidentes et clericos, collectores, subcollectores, ministros et officiales quoscumque ipsius camerae, in quavis causâ et instantiâ, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, irritumque et inane quicquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari vel observari.

ntrariorum § 4. Non obstantibus, quatenus opus gatio. sit, nostrâ de iure quaesito non tollendo, ceterisque aliis cancellariae apostolicae regulis, decretis cameralibus, apostolicâ etiam auctoritate confirmatis et roboratis, necnon quibusvis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, etiam Iulii III et Urbani VIII, et aliorum quorumcumque nostrorum praedecessorum, concessis, etiam iuramento et quavis aliâ firmitate roboratis, statutis, usibus, stylis et consuetudinibus, etiam immemorabilibus; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro sufficienti derogatione esset opus de illis eorumque totis ac integris tenoribus specialem, expressam et individuam mentionem facere, seu quaevis alia exquisita forma necessario servanda foret, eorumque plenos ac integros tenores pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes, perinde ac si reipsâ praesentibus individualiter ac de verbo ad verbum expressa insertaque forent, ceterisque contrariis quibuscumque, specialiter et expresse derogamus.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, anno Incarnationis Dominicae MDCLXVIII, pridie kalendas martii, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 29[1] februarii 1668, pontif. anno I.

XLVIII.

Licentia conceditur referendariis votantibus signaturae iustitiae, nunc et pro tempore existentibus, celebrari faciendi missam domi cum solitis restrictivis iuxta concessam clericis camerae apostolicae ab Alexandro VII[2].

Clemens Papa IX.
ad perpetuam rei memoriam.

Egregiis dilectorum filiorum utriusque signaturae nostrae referendariorum in signaturâ nostrâ iustitiae votantium in nos et Sedem Apostolicam meritis, gra- Exordium.

1 Edit. Main. ad marginem legit *28;* at *29* legendum quia annus bissextilis (R. T.).

2 Ex Regest. in Secret. Brev.

vibusque et assiduis laboribus quos pro nostro et dictae Sedis servitio in administratione iustitiae laudabiliter sustinent, facile adducimus[1], ut spirituali eorum consolationi, quantum cum Domino possumus, benigne consulamus.

Conceditur licentia prout in rubricâ.

§ 1. Volentes itaque dictis votantibus gratiam facere specialem et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, motu proprio et ex certâ scientiâ et maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, omnibus et singulis referendariis dictae signaturae iustitiae votantibus, nunc et pro tempore quandocumque existentibus, ut in privato domus cuiuslibet eorum habitationis, etiam in hac almâ Urbe nostrâ, oratorio ad hoc decenter muro extructo[2] et ornato, seu extruendo et ornando, ab omnibus domesticis usibus libero, per dilectum filium nostrum in eâdem Urbe vicarium in spiritualibus generalem, quoad oratoria in dictâ Urbe, et quoad alia extra eamdem Urbem per Ordinarium loci respective prius visitando et approbando, unam missam pro unoquoque die, dummodo in domo huiusmodi celebrandi licentia, quae adhuc duret, alteri concessa non fuerit, per se ipsos, si sacerdotes fuerint, celebrare, seu per quemcumque sacerdotem approbatum secularem, vel, de superiorum suorum licentiâ, regularem, sine tamen quorumcumque iurium parochialium praeiudicio, ac Paschatis Resurrectionis, Pentecostes et Nativitatis Domini Nostri Iesu Christi, aliisque solemnioribus anni festis diebus exceptis, in suâ et cuiuslibet eorum familiae praesentiâ celebrari facere libere et licite possint et valeant, ita tamen ut familiares eorum servitiis non necessarii ibidem missae interessentes ab obligatione audiendi missam in ecclesiâ diebus festis de praecepto liberi minime censeantur, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, licentiam et facultatem concedimus et impartimur.

Clausula s latâ et dec turo irritans.

§ 2. Decernentes easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, sicque et non aliter in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos, et quosvis alios quacumque praeeminentiâ et potestate fungentes et functuros, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogat c trariis.

§ 4. Non obstantibus apostolicis, ac in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XIV martii MDCLXVIII, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 14 martii 1668, pontif. anno I.

---

1 Potius lege *adducimur* (R. T.).

2 Edit Main. legit *extracto* (R. T.).

XLIX.

Super contributione ecclesiasticorum regnorum Castellae et Legionis decem et novem millionum cum dimidio regi catholico faciendâ [1].

Carissimo in Christo filio nostro Carolo, Hispaniarum regi calholico, Clemens Papa IX.

Carissime in Christo fili noster, salutem et apostolicam benedictionem.

Proœminm. Orthodoxae fidei[2] conservandae et propagandae zelus, ac singularis in hanc sanctam Sedem devotio, aliaque multiplicia merita, quibus clarae memoriae reges Hispaniarum catholici progenitores tui eximie claruerunt, necnon praeclara quae in istâ tenerâ aetate tuâ elucet ad virtutem indoles, ex qua firmam concepimus in Domino spem atque fiduciam fore ut, succedentibus tibi cum Dei benedictione annis, maiorum tuorum vestigiis inhaerendo, non minori regiarum virtutum fulgore resplendeas, plane exigunt ut subsidia pro eiusdem fidei et dominiorum tuorum praesertim adversus haereticorum conatus defensione a tuis subditis prompte tibi oblata, quantum cum Domino possumus, ac prout postulare videtur temporum conditio, adiuvemus.

Motiva. § 1. Cum itaque, sicut[3] maiestatis tuae nomine nobis nuper[4] expositum fuit, laici subditi tuorum regnorum Castellae et Legionis in eorum comitiis seu curiis infrascriptum subsidium maiestati tuae praestare prompte obtulerint, et ad praedictum effectum consenserint impositioni gabellarum seu sisarum super vino, aceto, oleo et carne, videlicet octavae partis specierum vel pretii vini, aceti et olei, ac ultra sisas super carne antea impositas, et trium regalium pro quolibet capite pecudum, et trium morapetinorum pro qualibet librâ carnis quae minutatim venditur, sexdecimque morapetinorum pro qualibet mensurâ *arrobâ* nuncupatâ vini sisâti, alteriusque morapetini pro qualibet mensurâ *acumbre* nuncupatâ vini etiam sisati, ac sexdecim morapetinorum pro qualibet mensurâ olei *arrobâ* nuncupatâ, et quatuor morapetinorum pro qualibet librâ candelarum de sevo et saponis, vel aliàs verioribus quantitatibus, impositarum et auctarum, quae sint exigendae et percipiendae durante sexennio, incipiendo a primâ die augusti currentis anni MDCLXVIII, nempe pro summâ decem et novem millionum cum dimidio alterius millionis, ad rationem trium millionum et ducentorum et quinquaginta millium ducatorum monetae Hispaniae quolibet anno praedicti sexennii solvendâ ex praedictis gabellis seu sisis super praedictas rerum species, ut praefertur, impositis et auctis, ita ut omnes tam laici quam ecclesiastici praedictorum regnorum, non solum ementes et vendentes, sed etiam illi qui praedictas rerum species percipiunt ex propriis terrenis vel affictibus, aut respective emunt, in uvis vel olivis, seu colligunt pro decimis, aut etiam dono accipiunt, seu aliàs ex quovis alio redditu et introitu habent et consumunt, ita ut omnes laici cuiuscumque status, gradus et conditionis ac praeeminentiae ad id subsidium contribuere, ac gabellas seu sisas huiusmodi solvere deberent, nec ullus laicus immunis aut exemptus esset; ecclesiastici quoque eorumdem regnorum, si et postquam nostra et huius sanctae Sedis licentia et approbatio accesserit, in subsidio huiusmodi, scilicet in praedictis gabellis super eisdem speciebus

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

2 Vide aliam similem Alexandri VII, tom. XVI, pag. 382 (R. T.).

3 Vocem *sicut* nos addimus (R. T.).

4 Male ed. Main. legit *super* pro *nuper* (R.T.).

impositis et auctis, contribuere, ac gabellas seu sisas praedictas, iuxta litterarum nostrarum in formâ Brevis super praedictâ licentiâ seu approbatione expediendarum formam, continentiam et tenorem, persolvere deberent; idcirco pro parte eiusdem maiestatis tuae nobis fuit humiliter supplicatum pro approbatione oneris cleri, ecclesiarum, locorumque piorum et personarum ecclesiasticarum ad contribuendum in praedicto sexennio, incipiendo a praedicto mense augusti currentis anni MDCLXVIII et ut sequitur usque ad mensem augusti MDCLXXIV finiendo, in praedictis sisis et gabellis iam ut praefertur impositis et auctis pro solutione praedictorum millionum decem et novem cum dimidio alterius millionis, attento quod, ut maiestas tua asserit, agatur de communi defensione et interesse tam laicorum quam cleri, ecclesiarum, locorum piorum et personarum ecclesiasticarum praedictorum regnorum, quodque facultates laicorum ad summam praedictam conficiendam eâ qua expedit celeritate infra tempus opportunum non sufficerent.

Annuit Pontifex prout in rubricâ.

§ 2. Nos igitur, nedum promptam et obsequentem eorumdem laicorum subditorum tuorum erga te oblationem, sed etiam maiestatis tuae erga fidem catholicam zelum commendantes, et ad ingentes sumptus, quibus maiestas tua gravatur ob assidua quae pro defensione fidei catholicae tuorumque regnorum et dominiorum iugiter in pluribus orbis partibus sustinet bella, paternae dirigentes considerationis intuitum, motu proprio, et ex certâ scientiâ et maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, volentes maiestatem tuam favore prosequi gratioso, clerum, omnesque et singulas ecclesias, loca pia, personasque ecclesiasticas tam seculares quam cuiusvis Ordinis, etiam exempti, etiam Societatis Iesu, et Apostolicae Sedi immediate subiecti, regulares, necnon monasteria utriusque sexus, conventus et collegia, ac capitula quarumcumque ecclesiarum regnorum Castellae et Legionis praedictorum ac in eisdem regnis commorantes et commorantia, et respective consistentes et consistentia, ad conferendum et contribuendum pro eorum ratâ ad instar laicorum in dictis gabellis seu sisis quoad praedictam summam dumtaxat decem et novem millionum cum dimidio alterius millionis praedictorum monetae illorum regnorum, mediante scilicet solutione praedictarum gabellarum seu sisarum in praedictâ quantitate tantum et super praedictis rerum speciebus dumtaxat in dictis regnis colligendis et consumendis ut praefertur impositarum durante sexennio dumtaxat a praedicto mense augusti currentis anni MDCLXVIII, ut praemittitur, incipiendo et ut sequitur finiendo, et non ultra, teneri et obligatos esse (non tamen quoad praedictas rerum species, quas clerus, ecclesiae locaque pia praedicta, et personae ecclesiasticae praedictae ex propriis terrenis seu decimis et aliis quibuscumque redditibus propriis per se vel alios, etiam affictuarios suos, vel etiam ex eleemosynis, sive ostiatim, sive alio quovis modo pro tempore datis et erogatis, ac ipsis traditis, percipiunt, et pro divino cultu, seu propriis, vel familiarum suarum usibus, iuxta taxationem, ubi super his partes discordes fuerint, ad instantiam cuiuslibet earum, expensis tamen perperam contradicentis, per Ordinarios locorum ecclesiasticos seu ab eis deputatos faciendam, consumunt, pro quibus omnino immunes et exempti sint), et, elapso praedicto sexennio, exactio respectu ecclesiasticorum cesset et nullatenus quovis praetextu vel causâ continuari possit, etiamsi integra summa

decem et novem millionum cum dimidio alterius millionis huiusmodi non fuisset exacta; quodque, si ante finem sexennii praedicti summa decem et novem millionum cum dimidio alterius millionis ducatorum huiusmodi confecta fuerit, ecclesiastici praedicti amplius contribuere, et dictas gabellas seu sisas, ut praefertur, solvere non debeant, sed praesens gratia expiret, nullaque sit eo ipso; quodque clerus, ecclesiae, loca pia et personae ecclesiasticae praedictae durante praedicto sexennio non possint gravari ratione cuiusvis alterius novi augmenti praedictarum gabellarum et sisarum super eisdem ac novae impositionis aliarum gabellarum et sisarum super quibuscumque rerum speciebus, nec etiam pro portionibus *iuros* nuncupatis de laicorum tantum consensu aliàs erectis et impositis, eorumque fructibus, nisi si et postquam beneplacitum nostrum seu a successoribus nostris concessum fuerit, aliàs in quolibet casu contraventionis quilibet contraveniens eo ipso absque aliâ monitione et declaratione sententiam excommunicationis maioris, reservatâ illius uti infra exprimitur absolutione, incurrat, et ad restitutionem illius, in quo excesserit, teneatur, tenore earumdem praesentium decernimus et declaramus; volentes etiam, quod omnes et singuli ecclesiastici praedicti, solvere recusantes, opportunis iuris et facti remediis per Ordinarios locorum ecclesiasticos tantum ad solutionem huiusmodi cogantur, non autem coram iudicibus laicis sive exactoribus earumdem gabellarum sive sisarum, neque coram quibusvis aliis iudicibus laicis aut ministris, sub poenâ excommunicationis maioris, et aliis poenis a sacris canonibus et constitutionibus apostolicis inflictis et comminatis, ipso facto sine aliâ mentione et declaratione incurrendis, a quibus a nemine, praeterquam a nobis et Romano Pontifice pro tempore existente, absolvi, etiam vigore quorumcumque privilegiorum apostolicorum, etiam cruciatae sanctae, nequeant, conveniri ullo modo possint seu debeant, sed a praedictis Ordinariis ecclesiasticis tantum ad solutionem huiusmodi compelli valeant, quibus Ordinariis sub interdicti ingressus ecclesiae et suspensionis a divinis, necnon omnibus et singulis eiusdem maiestatis tuae officialibus et ministris, cuiuscumque status, gradus, conditionis, dignitatis et praeeminentiae fuerint, ac aliis quibuscumque etiam speciali notâ dignis, etiam Apostolicae Sedis delegatis et commissariis, etiam cruciatae praedictae, ceterisque omnibus aliis, ad quos quomodolibet spectat et pro tempore spectabit, sub praedictâ excommunicationis maioris poenâ, ut praefertur, eo ipso incurrendâ, eius absolutione itidem ut supra reservatâ, ac sub obtestatione divini iudicii et interminatione maledictionis aeternae, districte praecipiendo mandamus, ne ecclesias et loca praedicta, ac clerum et ecclesiasticos, aliosque praedictos indebite, neque ultra, praeter aut contra continentiam et tenorem praesentium nostrarum litterarum, gravent quomodolibet, nec a quoquam gravari permittant, et nedum contra quoscumque contravenientes et quomodolibet inobservantes ad sententiarum et poenarum praedictarum declarationem et promulgationem respective, sed etiam contra eosdem ecclesiasticos et regulares etiam exemptos, nobisque et Sedi Apostolicae immediate subiectos, etiam Societatis Iesu, solvere recusantes, ad quamcumque simplicem eorumdem exactorum requisitionem, etiam exequutive, et quacumque appellatione remotâ, auctoritate nostrâ procedent.

§ 3. Volumus autem quod istud sub- Mandat quod

subsidium succedat loco aliorum a praedecessoribus ordinatorum.

sidium respectu contributionis cleri et ecclesiarum, locorumque piorum et personarum ecclesiasticarum praedictorum regnorum, scilicet decem et novem millionum praedictorum ducatorum cum dimidio alterius millionis, succedat loco quorumcumque onerum, gravaminum, et impositionum, etiam pro militibus et aliis quibuscumque impositorum, ac etiam loco quorumcumque aliorum subsidiorum super milliónibus per felicis recordationis Alexandrum Papam VII aliosque praedecessores nostros hactenus approbatorum et concessorum, ita quod illorum vigore nihil amplius a clero nec a quoquam ecclesiarum, locorum piorum et ecclesiasticorum praedictorum exigi possit, quodque pecuniae ex praedictis subsidiis et gabellis seu sisis, ut praefertur, a dictis ecclesiasticis exigendae, in praedictos et non in alios usus convertantur, super quo eiusdem maiestatis tuae eiusque ministrorum et officialium quorumcumque conscientias oneramus.

Decretum irritans et clausula *sublatâ*.

§ 4. Decernentes praesentes litteras validas, firmas, et efficaces existere et fore, sicque, et non aliter, quovis praetextu, ratione vel causâ, per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, sublatâ quacumque omnibus et singulis, cuiuscumque gradus, status, conditionis, qualitatis, praeminentiae et dignitatis, etiam ecclesiasticae, etiam individuâ mentione dignis, quomodolibet in contrarium iudicandi, definiendi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari, interpretari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis aucroritate, scienter vel ignoranter, contingerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 5. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, etiam in generalibus conciliis editis, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, ecclesiis, regnis, personis, capitulis, monasteriis, conventibus, collegiis, et aliis praedictis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis, in genere vel in specie, ac aliàs in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro sufficienti illorum derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda esset, illorum tenores, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso exprimerentur, praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides.

§ 6. Ut autem praesentes nostrae litterae, cum opus fuerit, ad omnium notitiam facilius devenire possint, decernimus ut earum exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae sigillo munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die xx martii MDCLXVIII, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 20 martii 1668, anno I.

L.

Indultum regi christianissimo nominandi ad quaecumque monasteria,

prioratus, dignitates, etiam maiores et principales, aliaque beneficia quaecumque (exceptis curatis) in civitatibus Metensi, Tullensi et Virdunensi, eorumque territoriis, dicti regis ditioni et dominio temporali de praesenti subiectis [1].

Carissimo in Christo filio nostro Ludovico, Francorum regi christianissimo, Clemens Papa IX,

Carissime in Christo fili noster, salutem et apostolicam benedictionem.

ultum aliàs essum regi iciae nomi- li ad bene-

§ 1. Cum felicis recordationis Alexander PP. VII praedecessor noster, eximiis maiestatis tuae ac progenitorum et maiorum tuorum regum christianissimorum, principum longe clarissimorum, invictissimorumque Christi athletarum, ac egregiorum Sedis Apostolicae cultorum, promeritis adductus, maiestati tuae quoad viveres ius nominandi ipsi Alexandro praedecessori et pro tempore existentibus Romanis Pontificibus eius successoribus personas probatas boni nominis et secundum sacrorum canonum dispositionem idoneas ad cathedrales ecclesias Metensis, Tullensis et Virdunensis civitatum a te possessarum, quoties illas quibusvis modis, et ex quorumcumque personis, non tamen per obitum apud Sedem praedictam, vacare contingeret, per eumdem Alexandrum praedecessorem eiusque successores praedictos ad nominationem huiusmodi eisdem ecclesiis respective praeficiendas, reservaverit, concesserit, et assignaverit, et aliàs prout in ipsius Alexandri praedecessoris litteris desuper in simili formâ Brevis die XI decembris MDCLXIV expeditis, quarum tenorem praesentibus pro plene et sufficienter expresso haberi volumus, uberius continetur; nos, qui maiestatem tuam, pietate, religionis zelo, ac in nos et Apostolicam Sedem observantiâ, aliisque christianissimo rege dignis virtutibus eximie praefulgentem, in visceribus paternae gerimus charitatis, firmiter in Domino sperantes fore ut tam tu quam successores tui reges christianissimi, gloriosis antecessorum regum vestigiis inhaerentes, religionem christianam et fidem orthodoxam tueri et propagare dictaeque Sedis Apostolicae honorem et auctoritatem in universis eiusdem maiestatis tuae et ipsorum regum successorum dominiis semper illibatos conservare omni studio curaturi, ac in nominandis ad infrascripta beneficia personis, quae vitae integritate, religione, fide et doctrinâ praestent, summum studium summamque diligentiam semper adhibituri, nec conscientiam vestram eâ in re ullo modo laedi passuri sitis, ampliorem tibi tuisque successoribus praedictis exercendae erga personas benemeritas regiae beneficientiae facultatem apostolicâ benignitate duximus concedendam. Itaque motu proprio ac ex certâ scientiâ nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, eidem maiestati tuae ac successoribus tuis Francorum regibus christianissimis, in unitate catholicae fidei ac Sedis Apostolicae praedictae obedientiâ perseverantibus, ius nominandi nobis et pro tempore existentibus Romanis Pontificibus successoribus nostris personas probatas bonorum nominis et famae, ac secundum sacrorum canonum et Concilii Tridentini decretorum dispositionem idoneas, ad quaecumque et qualiacumque beneficia ecclesiastica secularia, et quorumvis Ordinum, congregationum et institutorum, non tamen hospitalis S. Ioannis Hierosolymitani, regularia, etiamsi secularia canonicatus et praebendae, dignitates etiam post pontificalem maiores in cathedralibus,

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

ac principales in collegiatis ecclesiis, personatus, administrationes et officia, regularia vero beneficia huiusmodi monasteria etiam consistorialia, et in libris camerae apostolicae taxata, prioratus etiam conventuales, praepositurae, praepositatus, praeceptoriae et officia (non tamen claustralia) fuerint, et ad illa consueverint qui per electionem seu alium quemcumque modum assumi, exceptis tamen parochialibus ecclesiis earumque perpetuis vicariis et aliis beneficiis curam sacramentalem animarum parochianorum annexam quomodolibet habentibus omnibus, in praefatis Metensi, Tullensi et Virdunensi civitatibus earumque territoriis tuae ditioni et dominio temporali de praesenti subiectis dumtaxat consistentia, quae extra Romanam Curiam quibusvis modis et ex quorumcumque personis vacare contigerit, et quorum collatio, promissio[1] et omnimoda dispositio nobis et successoribus nostris praedictis et dictae Sedi quomodolibet, non tamen ratione obitus apud Sedem eamdem, reservata existat, per nos et successores nostros praedictos monasteriis, prioratibus, aliisque beneficiis praedictis ad nominationem huiusmodi praeficiendas, et quibus eadem monasteria, prioratus et alia beneficia huiusmodi respective per nos dictosque successores nostros conferri debeant, tenore praesentium reservamus pariter ac concedimus et assignamus.

Clausula *sublatâ* et decretum irritans.

§ 2. Decernentes ius nominandi huiusmodi ad monasteria, prioratus et alia beneficia praedicta tibi tuisque successoribus regibus memoratis[2] civitates Metensem, Tullensem et Virdunensem earumque territoria praedicta pro tempore possidentibus competere debere, neque sub quacumque quantumvis speciali derogatione comprehendi, vel ei quovis modo et ex quacumque causâ derogari, et, si derogari contingat, id minime suffragare posse, et nihilominus quascumque monasteriorum, prioratuum et aliorum beneficiorum huiusmodi provisiones, commendas et alias de eis dispositiones, etiam cum iuris nominandi huiusmodi derogatione, contra earumdem praesentium tenorem etiam per nos et successores nostros praedictos ac Sedem eamdem absque tuis successorumque tuorum regum praedictorum nominationibus, etiam motu, scientiâ et potestatis plenitudine similibus quoquo modo pro tempore faciendas, et desuper conficiendas litteras, et inde secutura quaecumque, nulla et invalida, nulliusque roboris et momenti fore et esse, teque vel memoratos reges successores tuos ad docendum de litteris praedictis, seu illas ostendendum, et in eis contenta quaecumque iustificandum minime teneri, sed eisdem praesentibus tantum uti posse, illisque tam in iudicio quam extra illud stari debere, sicque et non aliter per quoscumque iudices et commissarios quavis auctoritate fungentes, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac eiusdem S. R. E. cardinales, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariis derogat.

§ 3. Non obstantibus quibusvis generalibus vel specialibus monasteriorum et prioratuum aliorumque beneficiorum praedictorum reservationibus seu affectionibus apostolicis per quoscumque Romanos Pontifices praedecessores nostros ac nos et Sedem eamdem quomodolibet factis, seu pro tempore fa-

1 Videtur legendum *provisio* (R. T.).

2 Forsan *memoratas* legendum (R. T.).

ciendis, necnon cancellariae apostolicae regulis editis et edendis, ac quibusvis aliis apostolicis, necnon in universalibus provincialibusque conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, ac quarumcumque ecclesiarum et monasteriorum illorumque Ordinum, etiam iuramentô, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, etiam quasvis clausulas et reservationes in se continentibus, per eosdem praedecessores ac nos et Sedem eamdem ecclesiis et monasteriis, illorumque capitulis, conventibus et Ordinibus, aliisque personis, quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium et singulorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis et ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse, motu, scientiâ et potestatis plenitudine paribus, derogamus et plene derogatum esse volumus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Temporis praefinitio. § 4. Volumus autem ut tam tu quam successores tui reges praedicti, intra sex menses a die vacationis monasteriorum, prioratuum aliorumque beneficiorum huiusmodi computandos, personas idoneas nobis et pro tempore existenti Romano Pontifici, pro collatione, provisione, seu commendâ obtinendâ, nominare omnino teneamini, et ad monasteria seu prioratus huiusmodi in titulum concedi solita clerici seculares, vel alterius quam monasterii seu prioratus, ad quod seu quem eos per te vel successores tuos reges praedictos nominari contigerit, Ordinis regulares nominandi, habitum per fratres seu monachos illius monasterii seu prioratus gestari solitum suscipere, et professionem per eosdem fratres seu monachos emitti consuetam expresse emittere, omnesque et singuli nominati praedicti super monasteriis, prioratibus et aliis beneficiis quibuscumque praefatis, cuiuscumque valoris annui etiam minimi existant, litteras apostolicas collationis, provisionis seu commendae respective sub plumbo intra alios sex menses a die factae nominationis computandos expedire, ac iura camerae apostolicae et alii propterea debita persolvere omnino teneantur; alioquin, dictis sex mensibus respective elapsis, de monasteriis et prioratibus aliisque beneficiis praedictis ut praefertur vacantibus per nos seu pro tempore existentem Romanum Pontificem libere disponi possit.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXIII martii MDCLXVIII, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 23 martii 1668, pontif. anno I.

LI.

Innovatio constitutionis Pauli V contra fratres Ordinis Minorum sancti Francisci de Observantia provinciae Aquitaniae antiquioris, favores personarum extra eumdem Ordinem constitutarum emendicantes illisque utentes ad obtinenda officia, editae[1].

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

Clemens Papa IX,
ad futuram rei memoriam.

Constitutio Pauli PP. V.

§ 1. Aliàs emanarunt a felicis recordationis Paulo Papa V praedecessore nostro litterae in simili formâ Brevis tenoris qui sequitur, videlicet:

Paulus Papa V, ad perpetuam rei memoriam. Admonemur pastoralis officii, etc. *(Reliqua ut in suo loco*[1]*).*

Postulatio

§ 2. Cum autem, sicut dilectus filius Simeon Duqua, frater et procurator provinciae Aquitaniae antiquioris, Ordinis fratrum Minorum sancti Francisci de Observantia nuncupatorum, nobis nuper exponi fecit, ad eius munus spectet quietem et tranquillitatem capituli provincialis dictae provinciae propediem celebrandi procurare, pacem vero et tranquillitatem huiusmodi perturbet ambitio quorumdam fratrum favores ad obtinenda diversa eiusdem provinciae officia undequaque mendicantium, unde variae inter fratres controversiae multaque scandala oriuntur: nobis propterea dictus Simeon humiliter supplicari fecit ut his imminentibus malis occurrere, ambitioni viam praecludere, ac quieti dictae provinciae consulere, eâque de causâ censuras et poenas in litteris praeinsertis latas innovare de benignitate apostolicâ dignaremur.

Innovat et confirmat Pontifex

§ 3. Nos igitur, ipsum Simeonem specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositorum consilio, praeinsertas Pauli praedecessoris litteras, omniaque et singula in eis contenta, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, confirmamus et innovamus.

Derogat contrariis.

§ 4. Decernentes easdem praesentes et praeinsertas litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab omnibus et singulis memoratae provinciae fratribus et personis inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 5. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac, quatenus opus sit, Ordinis et provinciae huiusmodi, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXIV martii MDCLXVIII, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 24 martii 1668, pontif. anno I.

---

1 Vide tom. XII, pag. 450 (R. T.).

LII.

Litterae processus publicatae die Coenae Domini MDCLXVIII[1].

Clemens episcopus,
servus servorum Dei,
ad futuram rei memoriam.

Exordium. Pastoralis Romani Pontificis vigilantia et sollicitudo, cum in omni christianae reipublicae pace et tranquillitate procurandâ pro sui muneris officio assidue versatur, tum potissimum in catholicae fidei, sine qua impossibile est placere Deo, unitate atque integritate retinendâ et conservandâ maxime elucet. Nimirum ut fideles Christi non sint parvuli fluctuantes, neque circumferantur omni vento doctrinae, in nequitiâ hominum, ad circumventionem erroris, sed omnes occurrant in unitatem fidei et agnitionis Filii Dei, in virum perfectum, neque se in huius vitae societate et communione laedant, aut inter se alter alteri offensionem praebeant, sed potius in vinculo charitatis coniuncti, tamquam unius corporis membra sub Christo capite eiusque in terris vicario Romano Pontifice beatissimi Petri successore, a quo totius Ecclesiae unitas dimanat, augeantur in aedificationem, atque ita, divinâ gratiâ adiutrice, sic praesentis vitae quiete gaudeant, ut futurâ quoque beatitudine perfruantur. Ob quas sane causas Romani Pontifices praedecessores nostri hodiernâ die, quae anniversaria Dominicae Coenae commemoratione solemnis est, spiritualem ecclesiasticae disciplinae gladium et salutaria iustitiae arma per ministerium summi apostolatus ad Dei gloriam et animarum salutem solemniter exercere consueverunt. Nos igitur, quibus nihil optabilius est quam fidei inviolatam integritatem, publicam pacem et iustitiam, Deo auctore, tueri, vetustum et solemnem hunc morem sequentes:

I. Excommunicamus et anathematizamus ex parte Dei omnipotentis Patris et Filii et Spiritus Sancti, auctoritate quoque beatorum apostolorum Petri et Pauli, ac nostrâ, quoscumque hussitas, wicklephistas, luteranos, zuinglianos, calvinistas, ugonottos, anabaptistas, trinitarios, et a cristianâ fide apostatas, ac omnes et singulos alios haereticos, quocumque nomine censeantur, et cuiuscumque sectae[1] existant, ac eis credentes, eorumque receptatores, fautores, et generaliter quoslibet illorum defensores, ac eorumdem libros, haeresim continentes vel de religione tractantes, sine auctoritate nostrâ et Sedis Apostolicae scienter legentes aut retinentes, imprimentes seu quomodolibet defendentes, ex quavis causâ, publice vel occulte, quovis ingenio vel colore, necnon schismaticos et eos qui se a nostrâ et Romani Pontificis pro tempore existentis obedientiâ pertinaciter subtrahunt vel recedunt. Excommunicatio prout in rubricâ.

II. Item excommunicamus et anathematizamus omnes et singulos, cuiuscumque status, gradus seu conditionis fuerint, universitates vero, collegia, capitula, quocumque nomine nuncupentur, interdicimus, ab ordinationibus seu mandatis nostris ac Romanorum Pontificum pro tempore existentium ad universale futurum concilium appellantes, necnon eos quorum auxilio, consilio vel favore appellatum fuerit.

III. Item excommunicamus et anathematizamus omnes piratas, cursarios, ac latrunculos maritimos discurrentes mare nostrum, praecipue a Monte Argentario usque ad Terracinam, ac omnes eorum fautores, receptatores et defensores.

IV. Item excommunicamus et anathematizamus omnes et singulos qui, chri-

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

1 Edit. Main. legit *septae* (R. T.).

stianorum quorumcumque navibus tempestate seu in transversum (ut dici solet) iactatis vel quoquomodo naufragium passis, sive in ipsis navibus sive ex eisdem eiecta in mari vel in littore inventa cuiuscumque generis bona, tam in nostris Tyrrheni et Adriatici, quam in ceteris cuiuscumque maris regionibus et littoribus, surripuerint, ita ut nec ob quodcumque privilegium, consuetudinem aut longissimi et immemorabilis temporis possessionem seu alium quemcumque praetextum excusari possint.

V. Item excommunicamus et anathematizamus omnes, qui in terris suis nova pedagia, seu gabellas, praeterquam in casibus sibi a iure seu ex speciali Sedis Apostolicae licentiâ permissis, imponunt vel augent, seu imponi vel augeri prohibita exigunt.

VI. Item excommunicamus et anathematizamus omnes falsarios litterarum apostolicarum, etiam in formâ Brevis, ac supplicationum gratiam vel iustitiam concernentium per Romanum Pontificem, vel S. R. E. vicecancellarios, seu gerentes vices eorum, aut de mandato eiusdem Romani Pontificis signatarum, necnon falso fabricantes litteras apostolicas, etiam in formâ Brevis, et etiam falso signantes supplicationes huiusmodi sub nomine Romani Pontificis, seu vicecancellarii, aut gerentium vices praedictorum.

VII. Item excommunicamus et anathematizamus omnes illos, qui ad Saracenos, Turcas et alios christiani nominis hostes et inimicos vel haereticos per nostras sive huius sanctae Sedis sententias expresse et nominatim declaratos deferunt seu transmittunt equos, arma, ferrum, filum ferri, stamnum, chalybem, omniaque alia metallorum genera, atque bellica instrumenta, lignamina, canapem, funes, tam ex ipso canape quam aliâ quacumque materiâ, et ipsam materiam, aliaque huiusmodi, quibus christianos et catholicos impugnant, necnon illos, qui per se vel alios de rebus statum christianae reipublicae concernentibus, in christianorum perniciem et damnum, ipsos Turcas et christianae religionis inimicos necnon haereticos in damnum catholicae religionis certiores faciunt, illisque ad id auxilium, consilium vel favorem quomodolibet praestant; non obstantibus quibuscumque privilegiis quibusvis personis, principibus, rebuspublicis per nos et Sedem praedictam hactenus concessis de huiusmodi prohibitione expressam mentionem non facientibus.

VIII. Item excommunicamus et anathematizamus omnes impedientes seu invadentes eos qui victualia seu alia ad usum Romanae curiae necessaria adducunt, ac etiam eos qui, ne ad Romanam curiam adducantur vel afferantur, prohibent, impediunt seu perturbant, seu haec facientes defendunt per se vel alios, cuiuscumque fuerint ordinis, praeeminentiae, conditionis et status, etiamsi pontificali, seu regali, aut aliâ quavis ecclesiasticâ vel mundanâ praefulgeant dignitate.

IX. Item excommunicamus et anathematizamus omnes illos, qui ad Sedem Apostolicam venientes, et recedentes ab eâdem, suâ vel aliorum operâ interficiunt, mutilant, spoliant, capiunt, detinent; necnon omnes illos, qui, iurisdictionem ordinariam vel delegatam a nobis vel nostris iudicibus non habentes, illam sibi temere vendicantes, similia contra morantes in eâdem curiâ audent perpetrare.

X. Item excommunicamus et anathematizamus omnes interficientes, mutilantes, vulnerantes, detinentes, capientes seu depraedantes romipetas, seu pere-

grinos ad Urbem causâ devotionis seu peregrinationis accedentes, et in eâ morantes vel ab ipsâ recedentes, et in his dantes auxilium, consilium vel favorem.

XI. Item excommunicamus et anathematizamus omnes interficientes mutilantes, vulnerantes, percutientes, capientes, carcerantes, detinentes, vel hostiliter insequentes S. R. E. cardinales, patriarchas, archiepiscopos, episcopos, Sedisque Apostolicae legatos vel nuncios, aut eos a suis dioecesibus, territoriis, terris seu dominiis eiicientes; necnon ea mandantes vel rata habentes, seu praestantes in eis auxilium, consilium vel favorem.

XII. Item excommunicamus et anathematizamus omnes illos, qui, per se, vel per alios, personas ecclesiasticas quascumque vel seculares ad Romanam curiam super eorum causis et negotiis recurrentes, ac illa in eâdem curiâ prosequentes aut procurantes, negociorumque gestores, advocatos, procuratores et agentes, seu etiam auditores vel iudices super dictis causis vel negociis deputatos, occasione causarum vel negociorum huiusmodi occidunt, seu quoquo modo percutiunt, bonis spoliant, seu, per se vel per alios, directe vel indirecte, delicta huiusmodi committere, exequi vel procurare, aut in eisdem auxilium, consilium vel favorem praestare non verentur, cuiuscumque praeeminentiae et dignitatis fuerint.

XIII. Item excommunicamus et anathematizamus omnes tam ecclesiasticos quam seculares cuiuscumque dignitatis, qui, praetexentes frivolam quamdam appellationem a gravamine vel futurâ exequutione litterarum apostolicarum etiam in formâ Brevis tam gratiam quam iustitiam concernentium, necnon citationum, inhibitionum, sequestrorum, monitoriorum, processuum exequutorialium et aliorum decretorum a nobis et a Sede praedictâ, seu legatis, nunciis, praesidentibus palatii nostri et camerae apostolicae auditoribus, commissariis, aliisque iudicibus et delegatis apostolicis emanatorum et quae pro tempore emanaverint, aut aliàs, ad curias seculares et laicam potestatem recurrunt, et ab eâ, instante etiam fisci procuratore vel advocato, appellationes huiusmodi admitti, ac litteras, citationes, inhibitiones, sequestra, monitoria et alia praedicta capi et retineri faciunt, quive illa simpliciter vel sine eorum beneplacito et consensu vel examine exequutioni demandari, aut, ne tabelliones et notarii super huiusmodi litterarum et processuum exequutione instrumenta vel acta conficere, aut confecta parti, cuius interest, tradere debeant, impediunt vel prohibent, ac etiam partes, seu eorum agentes, consanguineos, affines, familiares, notarios, exequutores et subexequutores litterarum, citationum, monitoriorum et aliorum praedictorum capiunt, percutiunt, vulnerant, carcerant, detinent, ex civitatibus, locis et regnis eiiciunt, bonis spoliant, perterrefaciunt, concutiunt et comminantur, per se vel alium seu alios, publice vel occulte, quive aliàs quibuscumque personis, in genere vel in specie, ne pro quibusvis eorum negociis prosequendis seu gratiis vel litteris impetrandis ad Romanam curiam accedant, aut recursum habeant, seu gratias ipsas vel litteras a dictâ Sede impetrent, seu impetratis utantur, directe vel indirecte prohibere, statuere seu mandare, vel eas apud se aut notarios seu tabelliones vel aliàs quomodolibet retinere praesumunt.

XIV. Item excommunicamus et anathematizamus omnes et singulos, qui, per se vel alios, auctoritate propriâ ac de facto, quarumcumque exemptionum

vel aliarum gratiarum et litterarum apostolicarum praetextu, beneficiales, et decimarum, ac alias causas spirituales et spiritualibus annexas ab auditoribus et commissariis nostris aliisque iudicibus ecclesiasticis avocant, illorumque cursum et audientiam, ac personas, capitula, conventus, collegia, causas ipsas prosequi volentes impediunt, ac se de illarum cognitione tamquam iudices interponunt; quive partes actrices, quae illas committi fecerunt et faciunt, ad revocandum et revocari faciendum citationes vel inhibitiones aut alias litteras in eis decretas, et ad faciendum vel consentiendum eos, contra quos tales inhibitiones emanarunt, a censuris et poenis in illis contentis absolvi, per statutum vel aliàs compellunt, vel exequutionem litterarum apostolicarum, seu exequutorialium, processuum, ac decretorum praedictorum quomodolibet impediunt, vel suum ad id favorem, consilium aut assensum praestant, etiam praetextu violentiae prohibendae, vel aliarum praetensionum, seu etiam donec ipsi ad nos informandos, ut dicunt, supplicaverint aut supplicari fecerint, nisi supplicationes huiusmodi coram nobis et Sede Apostolicâ legitime prosequantur, etiamsi talia committentes fuerint praesidentes cancellariarum, consiliorum, parlamentorum, cancellarii, vicecancellarii, consiliarii ordinarii vel extraordinarii quorumcumque principum secularium, etiamsi imperiali, regali, ducali, vel aliâ quacumque praefulgeant dignitate, aut archiepiscopi, episcopi, abbates, commendatarii seu vicarii fuerint;

XV. Quive, ex eorum praetenso officio, vel ad instantiam partis, aut aliorum quorumcumque, personas ecclesiasticas, capitula, conventus, collegia ecclesiarum quarumcumque coram se, ad suum tribunal, audientiam, cancellariam, consilium vel parlamentum praeter iuris canonici dispositionem trahunt, vel trahi faciunt vel procurant, directe vel indirecte, quovis quaesito colore; necnon qui statuta, ordinationes, constitutiones, pragmaticas, seu quaevis alia decreta, in genere vel in specie, ex quavis causâ et quovis quaesito colore, ac etiam praetextu cuiusvis consuetudinis aut privilegii, vel aliàs quomodolibet, fecerint, ordinaverint et publicaverint, vel factis et ordinatis usi fuerint, unde libertas ecclesiastica tollitur, seu in aliquo laeditur vel deprimitur, aut aliàs quovis modo restringitur, seu nostris et dictae Sedis ac quarumcumque ecclesiarum iuribus quomodolibet, directe vel indirecte, tacite vel expresse, praeiudicatur;

XVI. Necnon qui, archiepiscopos, episcopos, aliosque superiores et inferiores praelatos, et omnes alios quoscumque iudices ecclesiasticos ordinarios, quomodolibet, hac de causâ, directe vel indirecte, carcerando, vel molestando eorum agentes, procuratores, familiares necnon consanguineos et affines, aut aliàs, impediunt quominus suâ iurisdictione ecclesiasticâ contra quoscumque utantur, secundum quod canones et sacrae constitutiones ecclesiasticae et decreta conciliorum generalium, et praesertim Tridentini, statuunt, ac etiam eos[1], qui post ipsorum ordinariorum vel etiam ab eis delegatorum quorumcumque sententias et decreta, aut aliàs fori ecclesiastici iudicium eludentes, ad cancellarias et alias curias seculares recurrunt, et ab illis prohibitiones et mandata etiam poenalia ordinariis et delegatis praedictis decerni et contra illos exequi procurant; eos quoque qui haec decernunt et exequuntur, seu dant auxilium, consilium, patrocinium et favorem in eisdem;

XVII. Quive iurisdictionem, seu fru-

1 Male edit. Main. legit *eo* pro *eos* (R. T.).

ctus, redditus et proventus ad nos et Sedem Apostolicam et quascumque ecclesiasticas personas, ratione ecclesiarum, monasteriorum et aliorum beneficiorum ecclesiasticorum, pertinentes usurpant, vel etiam quavis occasione vel causâ sine Romani Pontificis vel aliorum ad id legitimam facultatem habentium expressâ licentiâ sequestrant ;

XVIII. Quive collectas, decimas, talleas, praestantias et alia onera clericis, praelatis ac aliis personis ecclesiasticis, ac eorum et ecclesiarum, monasteriorum et aliorum beneficiorum ecclesiasticorum bonis, illorumque fructibus, redditibus et proventibus huiusmodi absque simili Romani Pontificis speciali et expressâ licentiâ imponunt, et diversis etiam exquisitis modis exigunt, aut sic imposita, etiam a sponte dantibus et concedentibus, recipiunt; necnon qui per se vel alios directe vel indirecte praedicta facere, exequi vel procurare, aut in eisdem auxilium, consilium vel favorem praestare non verentur, cuiuscumque sint praeeminentiae, dignitatis, ordinis, conditionis aut status, etiam imperiali aut regali praefulgeant dignitate, seu principes, duces, comites, barones et alii potentatus quicumque, etiam regnis, provinciis, civitatibus et terris quoquomodo praesidentes, consiliarii et senatores, aut quavis etiam pontificali dignitate insigniti : innovantes decreta super his per sacros canones tam in Lateranensi novissime celebrato quam aliis conciliis generalibus edita super censuris et poenis in eis contentis.

XIX. Item excommunicamus et anathematizamus omnes et quoscumque magistratus et iudices, notarios, scribas, exequutores, subexequutores quomodolibet se interponentes in causis capitalibus seu criminalibus contra personas ecclesiasticas, illas processando, baniendo, capiendo, seu sententias contra illas proferendo vel exequendo, sine speciali, specificâ et expressâ huius sanctae Sedis Apostolicae licentiâ, quique huiusmodi licentiam ad personas et casus non expressos extendunt, vel aliàs illâ perperam abutuntur, etiamsi talia committentes fuerint consiliarii, senatores, praesidentes cancellarii, vicecancellarii, aut quovis alio nomine nuncupati.

XX. Item excommunicamus et anathematizamus omnes illos, qui, per se seu aliòs, directe vel indirecte, sub quocumque titulo vel colore, invadere, destruere, occupare et detinere praesumpserint, in totum vel in partem, almam Urbem, regnum Siciliae, insulas Sardiniae et Corsicae, terras citra Pharum, Patrimonium Beati Petri in Thuscia, ducatum Spoletanum, comitatum Venaissinum, Sabinensem, Marchiae Anconitanae, Massae Trebariae, Romandiolae, Campaniae et maritimas provincias, illarumque terras et loca, ac terras specialis commissionis Arnulforum, civitatesque nostras Bononiam, Caesenam, Ariminum, Beneventum, Perusium, Avenionem, Civitatem Castelli, Tudertum, Ferrariam, Comaclum, et alias civitates, terras et loca vel iura ad ipsam Romanam Ecclesiam pertinentia, dictaeque Romanae Ecclesiae mediate vel immediate subiecta, necnon supremam iurisdictionem in illis nobis et eidem Romanae Ecclesiae competentem de facto usurpare, perturbare, retinere et vexare variis modis praesumunt, necnon adhaerentes, fautores et defensores eorum, seu illis auxilium, consilium vel favorem quomodolibet praestantes.

Volentes praesentes nostros processus, ac omnia et quaecumque his litteris contenta, quousque alii huiusmodi processus a nobis aut Romano Pontifice pro tempore existente fiant aut publicentur, durare, suosque effectus omnino sortiri.

Ceterum a praedictis sententiis nullus per alium quam per Romanum Pontificem nisi in mortis articulo constitutus, nec etiam tunc nisi de standō Ecclesiae mandatis et satisfaciendo cautione praestitâ, absolvi possit, etiam praetextu quarumvis facultatum et indultorum quibuscumque personis ecclesiasticis secularibus, et quorumvis Ordinum etiam Mendicantium ac militiarum regularibus, etiam episcopali vel aliâ maiori dignitate praeditis, ipsisque Ordinibus et eorum monasteriis, conventibus et domibus, ac capitulis, collegiis, confraternitatibus, congregationibus, hospitalibus et locis piis, necnon laicis, etiam imperiali, regali et aliâ mundanâ excellentiâ fulgentibus, per nos et dictam Sedem, ac cuiusvis concilii decreta, verbo, litteris aut aliâ quacumque scripturâ, in genere vel in specie, concessorum et innovatorum, aut concedendorum et innovandorum.

Quod si forte aliqui contra tenorem praesentium talibus excommunicatione et anathemate laqueatis, vel eorum alicui, absolutionis beneficium impendere de facto praesumpserint, eos excommunicationis sententiae innodamus, gravius contra eos spiritualiter et temporaliter, prout expedire noverimus, processuri[1].

Declarantes ac protestantes quamcumque absolutionem, etiam solemniter per nos faciendam, praedictos excommunicatos sub praesentibus comprehensos, nisi prius a praemissis cum vero proposito ulterius similia non committendi destiterint, ac, quoad eos qui contra ecclesiasticam libertatem ut praefertur statuta fecerint, nisi prius statuta, ordinationes, constitutiones, pragmaticas et decreta huiusmodi publice revocaverint, et ex archiviis seu capitularibus locis aut libris, in quibus adnotata reperiuntur, deleri et cassari, ac nos de revocatione huiusmodi certiores fecerint, eos non comprehendere, nec eis aliter suffragari; quin etiam per huiusmodi absolutionem, aut quoscumque alios actus contrarios, tacitos vel expressos, ac etiam per patientiam et tolerantiam nostram vel successorum nostrorum, quantocumque tempore continuatam, in praemissis omnibus et singulis ac quibuscumque iuribus Sedis Apostolicae ac sanctae Romanae Ecclesiae, undecumque et quandocumque quaesitis vel quaerendis, nullatenus praeiudicari posse aut debere.

Derogat contrariis.

Non obstantibus privilegiis, indulgentiis, indultis et litteris apostolicis, generalibus vel specialibus, supradictis, vel eorum alicui, seu aliquibus aliis, cuiuscumque ordinis, status vel conditionis, dignitatis et praeeminentiae fuerint, etiamsi, ut praefertur, pontificali, imperiali, regali, seu quavis ecclesiasticâ et mundanâ praefulgeant dignitate, vel eorum regnis, provinciis, civitatibus seu locis a praedictâ Sede, ex quavis causâ, etiam per viam contractus aut remunerationis, et sub quavis aliâ formâ et tenore, ac cum quibusvis clausulis etiam derogatoriarum derogatoriis, concessis, etiam continentibus quod excommunicari, anathematizari vel interdici non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de privilegiis, indulgentiis et indultis huiusmodi, ac de ordinibus, locis, nominibus propriis, cognominibus et dignitatibus eorum mentionem, necnon consuetudinibus, etiam immemorabilibus, ac praescriptionibus quantumcumque longissimis, et aliis quibuslibet observantiis, scriptis vel non scriptis, per quae contra hos nostros processus ac sententias, quominus includantur in eis, se iuvare valeant vel tueri.

Quae omnia quoad hoc, eorum om-

1 Edit. Main. legit *processari* (R. T.).

nium tenores, ac si[1] ad verbum nihil penitus omisso insererentur, praesentibus pro expressis habentes, penitus tollimus et omnino revocamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Affixionem huius processus mandat.

Ut vero praesentes nostri processus ad publicam omnium notitiam facilius deducantur, cartas, seu membranas, processus ipsos continentes, valvis ecclesiae S. Ioannis Lateranensis basilicae Principis Apostolorum de Urbe appendi faciemus, ut ii, quos processus huiusmodi concernunt, quod ad ipsos non pervenerint, aut quod[2] ipsos ignoraverint, nullam possint excusationem praetendere aut ignorantiam allegare, cum non sit verisimile id remanere incognitum, quod tam patenter omnibus publicatur. Insuper, ut processus ipsi et praesentes litterae ac omnia et singula in eis contenta eo fiant notiora quo in plerisque civitatibus et locis fuerint publicata, universis et singulis patriarchis, primatibus, archiepiscopis, episcopis et locorum Ordinariis et praelatis, ubilibet constitutis, per haec scripta committimus et in virtute sanctae obedientiae districte praecipiendo mandamus, ut, per se vel alium seu alios, praesentes litteras, postquam eas receperint, seu earum habuerint notitiam, semel in anno, aut, si expedire viderint, etiam pluries, in ecclesiis suis, dum in eis maior populi multitudo ad divina convenerit, solemniter publicent, et ad christifidelium mentes reducant, nuncient et declarent.

Ceterum patriarchae, archiepiscopi, episcopi, aliique locorum Ordinarii et ecclesiarum praelati, necnon rectores, ceterique curam animarum exercentes, ac presbyteri seculares et quorumvis Ordinum regulares, ad audiendas peccatorum confessiones quavis auctoritate deputati, transumptorum praesentium litterarum penes se habeant, easque diligenter legere et percipere studeant. Volentes earumdem praesentium transumptis, etiam impressis, notarii publici manu subscriptis, et sigillo iudicis ordinarii Romanae Curiae vel alterius personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eamdem prorsus fidem in iudicio et extra illud ubique locorum adhibendam fore, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si essent exhibitae vel ostensae.

Transumptis fides praestanda.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae excommunicationis, anathematizationis, interdicti, innovationis, innodationis, declarationis, protestationis, sublationis, revocationis, commissionis, mandati et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae, apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicae MDCLXVIII, IV kalendas aprilis, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 29 martii 1668, pontif. anno I.

1 Edit. Main. legit *acti* pro *ac si* (R. T.).
2 Edit. Main. legit *quos* (R. T.).

LIII.

Concessio iurispatronatus regi christianissimo eiusque successoribus nominandi ad ecclesiam Atrebatensem[1].

Carissimo in Christo filio nostro Ludovico, Francorum regi christianissimo, Clemens Papa IX.

Carissime in Christo fili noster, salutem et apostolicam benedictionem.

Prooemium.

§ 1. Praeclara maiestatis tuae, ac progenitorum et maiorum tuorum regum

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

christianissimorum, principum longe clarissimorum, invictissimorumque Christi athletarum, ac egregiorum Sedis Apostolicae cultorum, promerita exigunt, ac praecipuus, quo eamdem maiestatem tuam, filiali erga nos et eamdem Sedem observantiâ ac pietate, orthodoxae fidei conservandae et propagandae zelo, aliisque rege cristianissimo dignis virtutibus atque decoribus multipliciter praefulgentem, prosequimur, paternae charitatis affectus nos urget atque impellit, ut tibi tuisque successoribus regibus cristianissimis luculenta pontificiae nostrae benignitatis dona largiamur; firmâ spe atque fiduciâ in Domino freti fore ut tam tu quam successores tui reges praefati, viae antecessorum regum vestigiis impressae inhaerentes, populos ditioni vestrae creditos in fide catholicâ ac vetere erga Sedem praedictam obedientiâ continere pari laude conaturi, constitutionesque apostolicas in universis dominiis vestris debitae semper executioni mandari ac Sedis eiusdem honorem et auctoritatem illibatos conservari omni studio sitis curaturi.

Concedit Pontifex ius nominandi prout in rubricâ.

§ 2. Volentes itaque tibi, qui (ut accepimus) civitatem Atrebatensem de praesenti possides, tuisque successoribus regibus Francorum christianissimis, quo regiam benevolentiam erga personas benemeritas vobisque gratas et acceptas exercere valeatis, gratiam facere specialem, ac sperantes te ac illos in nominandis ad ecclesiam Atrebatensem, nunc et pro tempore pastoris solatio destitutam, personis, quae vitae integritate, religione, fide et doctrinâ praestent, ac episcopalis muneris praerogativâ dignae sint, summum studium summamque diligentiam semper adhibituros, nec conscientiam vestram hac in re ullo modo laedi passuros esse, motu proprio ac ex certâ scientiâ nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, tibi tuisque successoribus regibus Francorum christianissimis, qui pro tempore eamdem civitatem Atrebatensem possederint, ius nominandi personam idoneam in theologiâ magistrum, aut in decretis doctorem, seu licentiatum nobilium universitatum more diligenti examine praecedente, promotum ad ecclesiam Atrebatensem praedictam nunc vacantem et quotiescumque illam vacare contigerit, nobis et Romano Pontifici, qui pro tempore fuerit, per nos et eumdem Pontificem in episcopum Atrebatensem ad nominationem huiusmodi instituendum, tenore praesentium in perpetuum reservamus, atque concedimus, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariis derogat.

§ 3. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac praedictae ecclesiae Atrebatensis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel qua vis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, etiam eidem ecclesiae, eiusque capitulo, ac quibusvis aliis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis, etiam motu proprio et ex certâ scientiâ ac consistorialiter concessis, ac etiam iteratis vicibus confirmatis et innovatis; quibus omnibus, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum

nihil penitus omisso et formâ in illis traditâ observatâ inserti forent, praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, illaque adversus praemissa suffragari nullo modo posse seu debere decernimus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die IX aprilis MDCLXVIII, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 9 aprilis 1668, pontif. anno I.

LIV.

Confirmatio iurispatronatus et praesentandi ad ecclesiam Elnensem ac monasteria consistorialia in comitatibus Ruscinonensi et Confluentino et parte Cerdanae versus Galliam consistentia pro rege christianissimo et successoribus[1].

Carissimo in Christo filio nostro Ludovico, Francorum regi christianissimo, Clemens Papa IX.

Carissime in Christo fili noster, salutem et apostolicam benedictionem.

Exordium. § 1. Praeclara maiestatis tuae ac progenitorum et maiorum tuorum regum christianissimorum, principum longe clarissimorum, invictissimorumque Christi athletarum, ac egregiorum Sedis Apostolicae cultorum, promerita exigunt, ac praecipuus, quo eamdem maiestatem tuam, filiali erga nos et eamdem Sedem observantiâ ac pietate, orthodoxae fidei conservandae et propagandae zelo, aliisque rege christianissimo dignis virtutibus atque decoribus multipliciter praefulgentem, prosequimur, paternae charitatis affectus nos urget atque impellit, ut tibi tuisque successoribus regibus christianissimis luculenta pontificiae nostrae benignitatis dona largiamur; firmâ spe atque fiduciâ in Domino freti fore ut tam tu quam successores tui reges praefati, viae antecessorum regum vestigiis impressae inhaerentes, populos ditioni vestrae creditos in fide catholicâ ac vetere erga Sedem praedictam obedientiâ continere pari laude conaturi, constitutionesque apostolicas in universis dominiis vestris debitae semper executioni mandari ac Sedis eiusdem honorem et auctoritatem illibatos conservari omni studio sitis curaturi. Volentes itaque tibi, qui (ut accepimus) universum comitatum et vicariam Ruscinonensem, comitatum et vicariam Confluentinam (exceptis iis locis, quae in Pyreneorum parte Hispaniam spectante sita esse iudicata sunt) itemque partem comitatus Cerdanae, quam in parte Pyreneorum Galliam spectante sitam esse pariter iudicatum fuit, regiones, urbes, oppida, castella, ex quibus vicariae Ruscinonensis et Confluentina, et ea pars comitatus Cerdanae de qua mox dictum est, constant, earum accessiones, appendices et adiuncta de praesenti possides et per totum annum MDCLXVI possedisti, tuisque successoribus regibus Francorum christianissimis, quo regiam benevolentiam erga personas benemeritas vobisque gratas et acceptas exercere valeatis, gratiam facere specialem, ac sperantes te ac illos in nominandis ad ecclesiam Elnensem et monasteria consistorialia intra fines ditionum et locorum praedictorum a te ut praefertur possessorum consistentia personis, quae vitae integritate, religione, fide et doctrinâ praestent, ac episcopalis muneris praerogativâ respective dignae sint, summum studium summamque diligentiam semper

Concedit ius praesentandi prout in rubrica.

1 Ex Regest. in Secret. Brevium.

adhibituros, nec conscientiam vestram hac in re ullo modo laedi passuros esse, motu proprio et ex certâ scientiâ nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, tibi tuisque successoribus regibus Francorum christianissimis in sinceritate fidei et unitate S. R. E. necnon obedientiâ ac devotione nostris et successorum nostrorum Romanorum Pontificum canonice intrantium perseverantibus, qui pro tempore civitatem Elnensem, ac comitatus et vicarias Ruscinonensem et Confluentinam, ac partem comitatus Cerdanae in parte Pyreneorum Galliam spectante sitam, regiones, urbes, oppida, castella, accessiones, appendices et adiuncta praescripta, prout supra enunciatum est, pro tempore possederint, iuspatronatus et praesentandi personas probatas, bonorum nominis et famae, ac secundum sacrorum canonum et Concilii Tridentini decretorum dispositionem idoneas, ad dictam ecclesiam Elnensem ac omnia et singula monasteria consistorialia intra fines ditionum et locorum praedictorum dumtaxat consistentia, quotiescumque illam et illa quovis modo et ex quorumcumque etiam eiusdem S. R. E. cardinalium personis etiam in Romanâ curiâ vacare contigerit, per nos et Romanos Pontifices successores nostros praedictos eisdem ecclesiae Elnensi et monasteriis respective ad praesentationem huiusmodi praeficiendas, tenore praesentium, de specialis dono gratiae concedimus et assignamus: decernentes iuspatronatus et praesentandi huiusmodi illius omnino naturae et vigoris existere, cuius iuspatronatus regium ex fundatione et dotatione existit, ac quascumque provisiones, commendas, administrationes, uniones et dispositiones, tam de vacantibus quam de vacaturis, per viam accessus et regressus, et aliàs quomodolibet, etiam de consensu illam vel illa pro tempore obtinentium, de ecclesiâ Elnensi ac monasteriis praedictis, absque praesentatione aut expresso consensu tuo tuorumque successorum praedictorum, per nos dictosque successores nostros Romanos Pontifices et Sedem praedictam quomodolibet ex nunc de cetero faciendas, aut pro tempore factas, et quascumque litteras apostolicas desuper quomodolibet confectas, etiam quascumque derogationes quorumvis iurium praesentandi seu nominandi, etiam cum quibusvis efficacissimis et insolitis clausulis, in se continentes, nullius roboris vel momenti existere et fore; sicque et non aliter per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales, quavis auctoritate fungentes, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Decretum irritans et clausula *sublatâ*.

§ 2. Non obstantibus quibusvis cancellariae apostolicae regulis editis et edendis, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon ecclesiae Elnensis et monasteriorum praedictorum, ac Ordinum, quorum illa sunt, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quiqusvis clausulis et decretis, in genere vel in specie, et aliàs in contrarium quomodolibet concessis, approbatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausu-

Derogatio contrariorum.

las generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Iura Sedis Apostolicae servantur.

§ 3. Ceterum quanto magis maiestatem tuam eiusque successores favoribus et gratiis ex Apostolicae Sedis benignitate prosequimur et decoramus, tanto magis pro iniuncto nobis pastoralis sollicitudinis munere nos obstringi dignoscimus ad exigendum a te, ut, ubi Sedes Apostolica tibi nova paternae benevolentiae cumulat argumenta, filialis debeant ibi observantiae iura nostra[1] erga ipsam Sedem Apostolicam vel continuata servari vel intermissa restitui. Intendimus itaque, ut in civitate Elnensi, et comitatibus ac vicariis, aliisque omnibus et singulis locis et ditionibus praedictis eiusdem Sedis Apostolicae iura quaecumque, praesertim vero circa tribunalis Inquisitionis adversus haereticam pravitatem, iurisdictionem Concilii Tridentini, litterarumque apostolicarum in die Coenae Domini legi solitarum observantiam et executionem, liberam appellationum in causis ad forum ecclesiasticum quoquo modo spectantibus, tam super possessorio quam petitorio, ad Romanam Curiam devolutionem, facultates iudicis, ut vocant, *del Breve*, in illis partibus vigore litterarum apostolicarum in simili formâ Brevis expeditarum deputari soliti, reservationes mensium apostolicorum, aliasque omnes tam generales quam speciales apostolicas beneficiorum provisiones, pensionum super ipsis assignationes, spolia et annatas camerae apostolicae debitas, et ad ipsas exigendas ministrorum deputationem, ita hodierno et futuris dictorum successorum temporibus salva semper et illaesa quoad omnes suas partes omnino maneant, serventur, atque executioni respective mandentur, et quatenus opus sit in pristinum restituantur, prout in dictâ civitate Elnensi et comitatibus et vicariis aliisque omnibus et singulis locis et ditionibus praedictis ante annum MDCXL[1] manebant, servabantur et executioni demandabantur. Declarantes nostram intentionem atque enixam voluntatem esse ut praedicta iurispatronatus et praesentandi concessio praefatae observantiae exequutioni et restitutioni innitatur et conformetur.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die IX aprilis MDCLXVIII, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 9 aprilis 1668, pontif. anno I.

1 An aliquid corrigend. iudicet lector (R. T.).

LV.

Indultum regi christianissimo nominandi ad dignitates abbatiales et regimina monasteriorum, prioratus, praeposituras seu praepositatus conventum habentes in locis et ditionibus Belgicis quae de praesenti possidet[2].

Carissimo in Christo filio nostro Lodovico Francorum regi christianissimo, Clemens Papa IX.

Carissime in Christo fili noster, salutem et apostolicam benedictionem.

Exordium.

§ 1. Praeclara maiestatis tuae ac progenitorum et maiorum tuorum regum christianissimorum, principum longe clarissimorum, invictissimorumque Christi athletarum, ac egregiorum Sedis Apostolicae cultorum, promerita exigunt, ac praecipuus, quo eamdem maiestatem tuam, filiali erga nos et eamdem Sedem

1 An alius numerus legendum nescio (R. T.).

2 Ex Regest. in Secret. Brev.

observantiâ ac pietate, orthodoxae fidei conservandae propagandae zelo, aliisque rege christianisssimo dignis virtutibus atque decoribus multipliciter praefulgentem, prosequimur, paternae charitatis affectus nos urget atque impellit, ut tibi luculenta pontificiae nostrae benignitatis dona largiamur, firmâ spe atque fiduciâ in Domino spreti fore ut tu, viae eorumdem maiorum tuorum vestigiis impressae inhaerens, populos ditioni tuae creditos in fide catholicâ ac vetere erga Sedem praedictam obedientiâ continere pari laude conaturus, constitutionesque apostolicas in universis dominiis tuis debitae semper exequutioni mandari ac Sedis eiusdem honorem et auctoritatem illibatos conservari omni studio sis curaturus.

Concessio ut in rubricâ.

§ 2. Volentes itaque tibi, qui (ut accepimus) urbes Atrebatum; Hesdinum, Bapalmam, Bethuviam, Lilerium, Lentiacum, comitatum S. Pauli, Tervanam, Passium, earumque balliviatus, alios quoque balliviatus et castellanias agri Atrebatensis, necnon Rentiacum, urbes itidem arcesque Gravelingam, arcem Philippeam, Slusam, Hannuinum, Burburgum et urbem S. Venantii in Flandria, Landreceium et Quercetum in Hannonia, Avennam quoque, Mariaeburgum, ac Philippopolim, insuper in agro Lucemburgico Theodonis villam, Malmedium, Domuillerium, urbem Ivodium eiusque praeposituram, castrum Chavanciacum eiusque praeposituram, et Marvillam, earum balliviatus, castellanias, praefecturas, praeposituras, territoria, dominia, ditiones, accessiones, appendices et adiuncta de praesenti possides et per totum annum MDCLXVI possedisti, quo regiam benevolentiam erga personas benemeritas tibique gratas et acceptas exercere valeas, gratiam facere specialem, ac sperantes te in nominandis ad infrascripta beneficia personis, quae vitae integritate, religione, fide et doctrinâ praestent, summum studium summamque diligentiam semper adhibiturum, nec conscientiam tuam hac in re ullo modo[1] laedi passurum esse, tuis hac in parte supplicationibus inclinati, tibi, tuâ tantum vitâ durante, et quamdiu in sinceritate fidei et unitate sanctae Romanae Ecclesiae necnon obedientiâ ac devotione nostris et successorum nostrorum Romanorum Pontificum canonice intrantium perstiteris, ius et facultatem nominandi nobis, et Romano Pontifici pro tempore existenti, tam ad dignitates abbatiales, aut quorumcumque monasteriorum regimina, etiam per priores aut praepositos regi et gubernari solitorum, quam etiam ad quoscumque prioratus, praeposituras, aut praepositatus conventum habentes intra urbes Atrebatum, Hesdinum, Bapalinam[2], Bethuniam, Lilerium, Lentiacum, comitatum S. Pauli, Tervanam, Passium, earumque balliviatus et castellanias agri Atrebatensis, necnon Rentiacum, urbes itidem arcesque Gravelingam, arcem Philippeam, Slusam, Hannuinum, Burburgum, et urbem S. Venantii in Flandriâ, Landreceium et Quercetum in Hannonia, Avennam quoque, Mariaeburgum, et Philippopolim, insuper in agro Lucemburgico Theodonis villam, Malmedium, Domuillerium, urbem Ivodium eiusque praeposituram, et Marvillam, earum balliviatus, castellanias, praefecturas, praeposituras, territoria, dominia, ditiones, accessiones, appendices et adiuncta praedicta, a te de praesenti et per totum annum MDCLXVI, ut praefertur, possessa dumtaxat, consistentes et consistentia, dummodo intra septa illorum existant, etiamsi sub temporali dominio alio-

1 Edit. Main. legit *modi* (R. T.).

2 Nomina propria non semper cohaerent (R.T.).

rum procerum consisterent, vel temporalem iurisdictionem habeant, ac etiamsi prioratus, praepositurae, aut praepositatus, necnon monasteria nuncuparentur, pro tempore vacantes seu vacantia, per nos et Romanos Pontifices successores nostros ad nominationem tuam, infra decem menses a die cuiuslibet vacationis faciendam, ac nobis et Romano Pontifici pro tempore existenti praesentandam, conferendos et conferenda, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, de specialis dono gratiae concedimus et indulgemus; ita ut de dictis dignitatibus abbatialibus, aut quibuscumque monasteriis, prioratibus, praeposituris et praepositatibus praedictis pro tempore vacantibus, absque nominatione tuâ praefatâ, de aliis vero sub nominatione huiusmodi non comprehensis et absque illâ libere conferendis, dignitatibus videlicet secularibus, principalibus et regularibus actu non conventualibus infra praedictos districtus consistentibus, nonnisi de locis tuae ditioni subiectis, aut tibi gratis et acceptis personis, per nos et successores nostros Romanos Pontifices et Sedem eamdem pro tempore disponi, et respective provideri minime possit.

Derogatio contrariorum.

§ 3. Non obstantibus quibuscumque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac singulorum prioratuum praedictorum, ac Ordinum, quorum illi sunt, seu a quibus dependent, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis clausulis et decretis, in genere vel in specie, ac aliàs in contrarium quomodolibet concessis, approbatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi de illis eorumque totis tenoribus, specialis, specificâ, expressa et individua mentio seu quaevis alia expressio habenda foret, illorum tenores praesentibus pro expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die IX aprilis MDCLXVIII, pontificatus nostri anno IX.

Dat. die 9 aprilis 1668, pontif. anno I.

LVI.

Damnatio et prohibitio libri gallico idiomate impressi sub titulo Ritualis pro dioecesi Aletensi *iuxta minutam transmissam a reverendo patre domino assessore Sancti Officii, cui adiecta est clausula ut praesens Breve publicet Romae in locis solitis, ac sic publicatum afficiat perinde ac si unicuique personaliter intimatum fuisset, utque transumptis fides habeatur sicut originali*[1].

Clemens Papa IX ad futuram rei memoriam.

Prooemium.

Creditae nobis[2] divinitus omnium ecclesiarum sollicitudinis ratio exigit ut, ecclesiasticae disciplinae, cuius custodes a Domino constituti sumus, ubique conservandae iugiter incumbentes, omni curâ atque vigilantiâ praecavere studeamus, ne quid in eam irrepat, quo quomodolibet turbari, aut a praescriptis ritibus aberrare, et via erroribus aperiri possit.

Motiva.

§ 1. Cum itaque, sicut nobis innotuit, anno proxime elapso typis impressus ac in lucem Parisiis editus fuerit gal-

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

2 Similem vide supra sub num. XLVI, pag. 629; heic autem additur de novo § 2 (R. T.).

lico idiomate liber cui titulus est : *Rituel Romain du Pape Paul V à l'usage du diocèse d'Alet, avec les instructions et les rubriques en françois*, in quo non solum continentur nonnulla ab ipso rituali romano, iussu felicis recordationis Pauli Papae V praedecessoris nostri edito[1], aliena, sed etiam doctrinae quaedam et propositiones falsae, singulares, in praxi periculosae, erroneae, et consuetudini in Ecclesiâ communiter receptae atque ecclesiasticis constitutionibus oppositae et repugnantes, quarum usu et lectione christifideles in iam damnatos errores sensim induci ac pravis opinionibus infici possent; nos, opportunum huic malo remedium adhibere volentes, motu proprio et ex certâ scientiâ ac maturâ deliberatione nostris, librum sub titulo *Ritualis* gallico idiomate editum praefatum, auctoritate apostolicâ, tenore presentium, omnino damnamus, reprobamus et interdicimus, ac pro damnato, reprobato et interdicto haberi volumus, eiusque impressionem, lectionem, retentionem et usum universis et singulis utriusque sexus christifidelibus, praesertim civitatis et dioecesis Aletensis, cuiuscumque gradus, conditionis, dignitatis et praeeminentiae existant, licet de illis specialis et individua mentio habenda foret, sub poenâ excommunicationis latae sententiae ipso facto incurrendae perpetuo prohibemus; mandantes ut statim quicumque illum[2] habuerint, vel in futurum quandocumque habebunt, locorum Ordinariis vel inquisitoribus, qui vero venerabili fratri episcopo Aletensi subsunt, metropolitano, aut uni ex vicinioribus episcopis realiter et cum effectu exhibeant, tradant et consignent, qui, nullâ interpositâ morâ, exemplaria sibi tradita et alia quaecumque habuerint igne comburant, et comburi faciant: in contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque.

Damnatio et prohibitio libri prout in rubricâ.

Affixio Constitutionis mandatur.

§ 2. Ut autem praesentes litterae ad omnium notitiam facilius deveniant, volumus et auctoritate praedictâ decernimus illas ad valvas basilicae Principis Apostolorum et cancellariae apostolicae ac in acie Campi Florae de Urbe per aliquem ex cursoribus nostris publicari, ac illarum exempla ibidem affixa relinqui, illasque, sic publicatas, omnes et singulos quos concernunt perinde afficere et arctare, ac si illorum unicuique personaliter notificatae et intimatae fuissent; ipsarum vero praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eamdem fidem in iudicio et extra illud haberi, quae eisdem praesentibus haberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Transumptorum fides.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die IX aprilis MDCLXVIII, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 9 aprilis 1668, pontif. anno I.

LVII.

Confirmatio congregationis super statu regularium, eiusque facultatum.

Clemens Papa IX,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Iniuncti nobis caelitus pastoralis muneris ratio postulat, ut paternam virorum regularium, qui abnegantes semetipsos Altissimi obsequiis sese sub suavi religionis iugo devoverunt, sollicitudinem gerentes, ea, quae pro felici eorum statu conservando, restituendâque, si cubi excidit, regulari disciplinâ, ac iuvandis laudabilibus eorum studiis atque progressibus a Romanis Pontificibus

1 Edit. Main. legit *editi* (R. T.).

2 Edit. Main. legit *ullum* pro *illum* (R. T.).

praedecessoribus nostris provide constituta esse noscuntur, apostolici muniminis nostri praesidio roboremus, et aliàs desuper provideamus, sicut ad omnipotentis Dei gloriam, religionis incrementum, ac spiritualem fidelium aedificationem saluhriter in Domino expedire arbitramur.

Innocentius X constituit congregationem.

§ 1. Cum itaque dudum felicis recordationis Innocentius Papa X praedecessor noster congregationem nonnullorum S. R. E. cardinalium ac Romanae curiae praelatorum super statu regularium instituerit, ipsique congregationi sic institutae intra fines Italiae et insularum adiacentium designandi ac deputandi pro novitiatibus et professoriis conventus, monasteria, collegia ac domos quorumcumque monachorum ac regularium virorum cuiusvis Ordinis,[1] Mendicantium, congregationis, societatis et instituti, etiam necessario exprimendi, et huiusmodi novitiatus et professoria mutandi, transferendi, suspendendi[2] et supprimendi, prout utilitas et necessitas postularet et exigeret, dandi licentias superioribus regularibus, ad quos pertinet, recipiendi in novitiatibus sic deputatis novitios ad habitum et professionem sub regulis et formulis ab eâdem congregatione iam praescriptis seu praescribendis, praefigendi seu taxandi numerum religiosorum in singulis conventibus, monasteriis, collegiis et domibus regularium virorum, eumque pro modo reddituum augendi et minuendi, exequendi constitutionem eiusdem Innocentii praedecessoris, quae incipit *Instaurandae*, etc., editam idibus octobris, anno Incarnationis Dominicae MDCLII, pontificatus sui anno IX, necnon ipsius Innocentii praedecessoris decretum, quod incipit *Ut in parvis*[3], etc., editum die X februarii MDCLIV, et decidendi controversias emergentes inde, ac demum promovendi executionem et observantiam decretorum recolendae memoriae Clementis Papae VIII praedecessoris pariter nostri super reformatione regularium, et potissimum quae pertinent ad institutionem et educationem novitiorum, et in praemissis omnibus etiam poenis et censuris ecclesiasticis procedendi facultates attribuerit:

De decremento congregationis queritur.

§ 2. Nos, considerantes congregationem praedictam strenue quidem et fideliter ac magno cum fructu in Ecclesiâ Dei hactenus laborasse, sed ex cardinalibus congregationem ipsam constituentibus, de quorum numero antequam ad supremi apostolatus apicem divinâ dispositione assumeremur, eramus, solos de praesenti superesse venerabiles fratres nostros Martium Portuensem Ginettum ac Uldericum Tusculanum, episcopos, Carpineum, et dilectum filium nostrum Marcellum presbyterum S. R. E. cardinales Sanctacrucium nuncupatos; ex praelatis autem nonnullos quidem ad cardinalatus honorem promotos fuisse, alios vero ab humanis decessisse, solo superstite dilecto filio magistro Prospero Fagnano in utrâque signaturâ nostrâ referendario, qui eiusdem congregationis secretarius existit: alios, tum cardinales, tum praelatos, sapientiâ, prudentiâ, doctrinâ, charitate, integritate et religionis zelo eximie praeditos, in dictam congregationem censuimus in Domino cooptandos.

Congregationem praefatam confirmat et reintegrat Clemens.

§ 3. Motu itaque proprio, ac ex certâ scientiâ et maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, praedictam congregationem cardinalium et praelatorum a memorato Innocentio praedecessore institutam, omnesque et singulas facultates illis attributas, ut praefertur, tenore praesentium approbamus

1 Heic deesse videtur vox *etiam* (R. T.).
2 Edit. Main. legit *suspendi* (R. T.).
3 Edit. Main. legit *pravis* (R. T.).

et confirmamus, ac apostolici muniminis praesidio corroboramus.

§ 4. Praeterea praedictis Martio ac Ulderico et Marcello cardinalibus dilectos filios nostros Nicolaum Ludovisium, Aloysium Homodeum, Petrum Ottobonum, Laurentium Imperialem, Gibertum Borromaeum, Flavium Chisium, Petrum Vidonum, Hieronymum Bonvisium, et Iacobum, presbyteros, Rospigliosum, nostrum secundum carnem ex fratre germano nepotem, ac Carolum Barberinum diaconum[1] eiusdem S. R. E. cardinales Carolum respective nuncupatos, necnon venerabiles fratres Stephanum Ugolinum, patriarcham Constantinopolitanum, Iacobum de Angelis, olim Urbinatensem, Franciscum Mariam Phoebeum, Tarsensem, Carolum de Vecchiis, Athenarum, et Stephanum Brancaccium, Adrianopolitanum, archiepiscopos, Marium Fanum, Cyrenensem, et Camillum Piazzam, Dragoniensem, episcopos, ac dilectos filios magistros Bernardinum Roccium, palatii nostri apostolici praefectum, Franciscum Mariam Baranzonum, Marium Alberitium, Petrum Franciscum de Rubeis et Stephanum de Augustinis, in utrâque signaturâ nostrâ referendarios, harum serie adiungimus, eosque omnes et singulos in congregationem super statu regularium praedictam adlegimus et cooptamus.

Clausulae praeservativae.

§ 5. Decernentes easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, nec subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrae aut interesse habentium consensus, aliove quolibet etiam formali et substantiali defectu notari, infringi, retractari, aut in controversiam vocari, seu ad terminos iuris reduci unquam posse, sicque et non aliter in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos, et alios quoslibet, quacumque praeeminentiâ et potestate fungentes et functuros, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariis derogat.

§ 6. Non obstantibus, quatenus opus sit, nostrâ et cancellariae apostolicae regulâ de non tollendo iure quaesito, aliisque apostolicis, ac in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, necnon quorumvis Ordinum et congregationum, societatum ac institutorum, aliisve quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, eisdem Ordinibus, congregationibus, societatibus et institutis, illorumque superioribus et personis, et aliis, sub quibuscumque verborum tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis, irritantibus et aliis decretis, in genere vel in specie, vel aliàs quomodolibet in contrarium concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huius-

1 Potius lege *diaconos* (R. T.).

modi, ac si de verbo ad verbum insererentur, praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides.

§ 7. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem ubique fides in iudicio et extra adhibeatur, quae praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XI aprilis MDCLXVIII, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 11 aprilis 1668, pontif. anno I.

LVIII.

Damnatio et prohibitio libri versionis gallicae Novi Testamenti Montibus Hannoniae et Lugduni (ut inscribitur) impressi[1].

Clemens Papa IX,
ad futuram rei memoriam.

Exordium.

Debitum pastoralis officii, quo Ecclesiae Catholicae per universum orbem diffusae regimini divinâ dispositione praesidemus, exigit ut sacras scripturas in eâ puritate, in qua per tot saecula ingenti divinae bonitatis beneficio conservatae fuerint[2], illibatas custodire, omni studio atque vigilantiâ satagamus.

Damnatio ut in rubricâ.

§ 1. Cum itaque, sicut ad aures nostras pervenit, liber quidam versionis gallicae Novi Testamenti, cui titulus est *Le Nouveau Testament de Nostre Seigneur Jesus Christ, traduit en françois selon l'édition vulgate avec les différences du grec*, Montibus Hannoniae et Lugduni (ut inscribitur) typis impressus ac in lucem editus fuerit: nos, librum huiusmodi nonnullis venerabilibus fratribus nostris S. R. E. cardinalibus, aliisque viris pietate, doctrinâ atque sapientiâ praestantibus, mature, quantum rei gravitas postulat[1], discutiendum atque examinandum commisimus; quorum sententiis auditis, atque consideratis, eumdem librum versionis gallicae Novi Testamenti ut supra et ubicumque impressum sive imposterum imprimendum tamquam temerarium, damnosum, a vulgatâ editione praedictâ difformem, et offendicula simplicium continentem, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, damnamus et prohibemus, ita ut nemo deinceps cuiuscumque gradus et conditionis existat, etiam speciali et specialissimâ notâ dignus, sub poenâ excommunicationis latae sententiae ipso facto incurrendae, illum legere, retinere, vendere aut imprimere vel imprimi facere audeat vel praesumat; sed, sub eâdem poenâ, quicumque illum habent, locorum Ordinariis seu inquisitoribus, statim atque praesentis prohibitionis notitiam habuerint, exhibere teneantur. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque.

Affigi Constitutionem mandat.

§ 2. Ut autem praesentes litterae ad omnium notitiam facilius deveniant, volumus et auctoritate praedictâ decernimus illas ad valvas basilicae Principis Apostolorum et cancellariae apostolicae ac in acie Campi Florae de Urbe per aliquem ex cursoribus nostris publicari, ac illarum exempla ibidem affixa relinqui, illasque, sic publicatas, omnes et singulos quos concernunt, in Italiâ quidem post mensem, extra Italiam vero

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

2 Aptius lege *fuerunt* (R. T.).

1 Forsan legendum *postulabat* (R. T.).

post quatuor menses a die publicationis hîc in Urbe faciendae numerandos, perinde afficere et arctare ac si illorum unicuique personaliter notificatae et intimatae fuissent;

Transumptis fides praestanda.

§ 3. Ipsarum vero litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eamdem fidem in iudicio et extra illud haberi, quae eisdem praesentibus haberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XX aprilis MDCLXVIII, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 20 aprilis 1668, pontif. anno I.

LIX.

Donativum ordinarium regni Siciliae pro rege catholico[1].

Venerabili fratri episcopo Cephaludensi,
Clemens Papa IX.

Venerabilis frater,
salutem et apostolicam benedictionem.

Expositio.

§ 1. Exponi nobis nuper fecit carissimus in Christo filius noster Carolus Hispaniarum rex catholicus, quod (cum dilecti filii tres hominum status, seu tria brachia ecclesiasticum, militare et demaniale nuncupata regni Siciliae ultra Pharum, cuius ipse Carolus etiam rex existit, quibusdam rationabilibus de causis eorum animos moventibus, de mense februario proxime praeterito de offerendo eidem Carolo regi, ac dicti regni proregi tunc existenti, certas pecuniarum summas, donativum ordinarium nuncupatas, sub certis terminis, modoque et formâ exigendas, inter se tractaverint, ipsique status obtulerint ac respective prorogaverint eidem Carolo regi subsidium ordinarium huiusmodi, scilicet scuta centum quinquaginta millia solvenda spatio trium annorum, a fine ultimae concessionis seu prorogationis similis subsidii incipiendorum, ad rationem quinquaginta millium quolibet anno, pro defensione et manutentione dicti regni; alia scuta quinquaginta millia infra praedictum triennium solvenda pro muniendis civitatibus et terris dicti regni; alia viginti quatuor millia scuta pro constructione et reparatione pontium eiusdem regni solvenda infra idem triennium; alia viginti millia scuta infra idem triennium solvenda pro restauratione palatiorum regiorum dictae insulae; alia scuta decem millia pro restauratione et custodiâ turrium in littore maris existentium infra idem triennium solvenda, cum facultate deputatis dicti regni augendi illa usque ad triginta millia scuta in totum, et non ultra, si ita exegerit necessitas; et alios bismille quingentos ducatos monetae Hispaniarum annuatim dicto triennio durante, et sic in totum septem millia et quingentos ducatos monetae huiusmodi, pro solvendis affictibus domorum, quas in oppido Madriti inhabitant ministri consilii Italiae; necnon mille et trecentas uncias monetae dicti regni Siciliae pro unâ vice quando celebratur parlamentum generale pro expensis aliquorum ministrorum, qui assistant et navent operam in directione et dispositione eiusdem parlamenti, solvendas) venerabiles quoque fratres archiepiscopi, episcopi et archimandrita, ac aliae personae ecclesiasticae dicti regni certam ratam non excedentem sextam partem solvendorum, ut praemittitur, sponte suâ in eisdem comitiis, accedente tamen ad hoc nostro et Sedis Apostolicae beneplacito, persolvere obtulerunt, et forsan etiam persolverunt.

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

Petitur confirmatio Pontificis.

§ 2. Cum autem, sicut eadem petitio subiungebat, ex eo praesertim quod per Lateranense concilium novissime celebratum, diversasque alias canonicas sanctiones, sub certis censuris et poenis caveatur expresse, ne reges, principes et alii potentatus ab archiepiscopis, episcopis, abbatibus et aliis personis ecclesiasticis, etiam sponte offerentibus, aliquam pecuniarum summam sive subventionem recipiant, dictus Carolus rex, ac eius regni illius ministri, necnon dictus modernus prorex eiusdem regni dubitent, ratam praedictam ante obtentum beneplacitum apostolicum recipiendo, censuras et poenas huiusmodi incurrere et forsan incurrisse: nobis propterea dictus Carolus rex humiliter supplicari fecit, pro suae et dictorum ministrorum ac proregis praefati conscientiae quiete, quatenus praemissis nostram et huius sanctae Sedis auctoritatem interponere dignaremur.

Confirmat Pontifex prout in rubrica.

§ 3. Nos igitur, Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum, et praesertim felicis recordationis Gregorii XIII, Sixti V, Gregorii XIV, Clementis VIII, Pauli etiam V, Gregorii XV, Urbani etiam VIII, Innocentii X ac Alexandri VII vestigiis hac in re inhaerentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, fraternitati tuae per praesentes committimus et mandamus, ut, constito tibi per legitimas probationes de expresso maioris partis cleri seu archiepiscoporum, episcoporum et aliarum ecclesiasticarum personarum secularium et cuiusvis Ordinis regularium dicti regni consensu, et quod reliqui vel reliquae personae non consentientes vocati et vocatae fuerint, oblationi et promissioni, necnon solutioni per archiepiscopos, episcopos et archimandritam et alias personas ecclesiasticas factis, pro hac vice tantum, nostram et Sedis praedictae auctoritatem vigore praesentium interponas, ipsosque archiepiscopos et episcopos et alias personas huiusmodi, etiamsi sint de illis quae pro minori cleri parte praemissis non consenserint, ad ea tamen vocati et vocatae fuerint, ad solutionem eorum ratae opportunis iuris et facti remediis cogas et compellas; et nihilominus archiepiscopis, episcopis et archimandritae, aliisque ecclesiasticis personis praedictis, ut ratam huiusmodi, per eos, ut praemittitur, oblatam et promissam, persolvere, ac dictus Carolus rex et eius ministri dictusque prorex eam petere et recipere absque conscientiae scrupulo, seu censurarum et poenarum praedictarum incursu, libere et licite valeant, auctoritate nostrâ concedas et indulgeas; ipsosque archiepiscopos, episcopos et archimandritam, aliasque personas ecclesiasticas, et earum singulas, quatenus ipsi dictam ratam iam promiserint et solverint, necnon eumdem Carolum regem eiusque ministros et proregem praedictos, si eamdem ratam iam perceperint, ab omnibus et singulis censuris et poenis propterea quomodolibet incursis eâdem auctoritate absolvas, et absolutas fore censeas et declares; et quod omnes et singuli pensionarii, seu ii quibus, loco pensionum, fructus in totum vel in partem reservati existunt, cuiuscumque dignitatis vel conditionis sint (exceptis tamen S. R. E. cardinalibus, necnon duabus perpetuis pensionibus annuis, unâ quidem bis mille ducentorum super Cataniensis, alterâ vero pensionibus huiusmodi mille octingentorum scutorum monetae dicti regni Siciliae super Mazariensis mensarum episcopalium respective fructibus, redditibus et proventibus ad favorem operis pii per clarae memoriae Philippum IV dum vixit earumdem Hispaniarum regem catholicum, dicti Caroli regis genitorem,

in basilicâ S. Mariae Maioris de Urbe fundati a praedicto Innocentio praedecessore per suas anno Incarnationis Dominicae MDCXLVII, IX octobris, desuper sub plumbo expeditas litteras reservatis) ad huiusmodi ratae solutionem in omnibus et per omnia perinde ac si nominatim ratam eamdem se soluturos obtulissent (clausulis et decretis in litteris apostolicis reservationum, pensionum et fructuum huiusmodi etiam consistorialiter appositis, etiam quod dictae pensiones ab omni decimâ, subsidio charitativo et quovis alio onere tam ordinario quam extraordinario, quavis auctoritate, etiam pro expeditione tam offensivâ quam defensivâ contra Turcas et alios infideles et reipublicae christianae hostes ab illorum conatibus defensione, seu inexcogitabili causâ, a Romano Pontifice pro tempore existente, etiam ad imperatoris, regum, ducum et aliorum instantiam, illorumque contemplatione et intuitu, etiam motu proprio et ex certâ scientiâ impositis et imponendis, aut aliàs qualitercumque exemptae sint, nequaquam obstantibus) teneantur, et efficaciter obstricti sint; ipsique archiepiscopi, episcopi et archimandritae aliaeque personae quarum ecclesiae, monasteria et alia beneficia ecclesiastica annuis pensionibus apostolicâ auctoritate assignatis gravata et onerata sunt, ratam pensionariorum suorum, seu eorum quibus fructus huiusmodi sunt reservati, solvere, et illud, quod pro ipsis pensionariis, seu iis quibus fructus huiusmodi sunt reservati, realiter ac quacumque fictione cessante persolverint, suâ propriâ auctoritate postmodum penes se retinere possint, nec propterea sententias, censuras et poenas in eisdem pensionum reservationibus contentas incurrant, eâdem auctoritate decernas.

Contrariis derogat.

§ 4. Non obstantibus praemissis, ac quibusvis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon ecclesiarum, monasteriorum et beneficiorum huiusmodi, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, exemptionibus, immunitatibus, etiam in corpore iuris clausis, ac litteris apostolicis quibusvis generaliter vel specialiter concessis, necnon litteris reservationum, pensionum et fructuum huiusmodi, ac quibusvis obligationibus, etiam in formâ camerae, etiam cum iuramento, ac censurarum et mandati executivi susceptione, vel aliàs desuper factis, etiamsi de illis eorumque totis tenoribus de verbo ad verbum mentio seu quaevis alia expressio habenda sit, et in eis caveatur expresse quod per huiusmodi clausulas generales, etiam mentionem specialem importantes, eis derogatum esse non censeatur, aut derogari non videatur nisi certis modo et formâ in illis expressis plene observatis; quibus omnibus, eorum tenores praesentibus pro expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Pauperibus ecclesiasticis provident.

§ 5. Ceterum, volentes providere ne pauperes ecclesiastici ad[1] contributionem huiusmodi graventur, te hortamur attente, ac in virtute sanctae obedientiae tibi mandamus, quatenus pauperes ecclesiasticos, qui in redditibus annuis nihil aut parum etiam usque ad valorem decem unciarum, scuta vigintiquinque monetae illius regni constituentium, inclusive habent, ad contributionem praedictam per quoscumque quavis auctoritate fungentes cogi aut compelli nullo modo permittas.

1 Forsan legendum *ob* pro *ad* (R. T.).

Mandat exactionem fieri per deputatos ecclesiasticos.

§ 6. Volumus autem quod exactio pecuniarum huiusmodi ab ecclesiasticis per personas ecclesiasticas a dicto Carolo rege seu prorege praedicto nominandas et per te deputandas fieri debeat, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis; quod si secus in aliquo factum fuerit, qui contravenerint in poenas et censuras incurrant, perinde ac si praesentes litterae non emanassent; quodque etiam praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra in omnibus et per omnia adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Fides transumptorum.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XVI maii MDCLXVIII, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 16 maii 1668, pontif. anno I.

LX.

Privilegia, indulta, gratiae, facultates et exemptiones nonnullis Sanctitatis Suae familiaribus concessa.

Clemens Papa IX,
ad perpetuam rei memoriam.

Venerabilibus fratribus Stephano Ugolino Constantinopolitano, et Iacobo Altovito Antiocheno patriarchis; ac Francisco Nerio Florentino, litterarum nostrarum in formâ Brevis ad principes secretario; Iacobo de Angelis olim Urbinatensi, Francisco Mariae Phoebaeo Tharsensi, et Bernardino Roccio Damasceno archiepiscopis, palatii nostri apostolici, necnon Æmilio Alterio olim Camerinensi, cubiculi nostri, et Ambrosio Landuccio Porphyriensi, episcopis, sacrarii nostri respective praefectis; ac dilectis filiis magistris Francisco Mariae Antaldo Urbinatensi, Ioanni Muto de Papazurris Romano, Bernardino Calasio Romano, Honuphrio de Hippolytis Pistoriensi, Nestori Ritae Reatino, auditori nostro, Iacobo Elephantutio Ravennatensi, camerae nostrae apostolicae commissario generali, Francisco Bonvisio Lucano, Stephano de Augustinis Foroliviensi, eleemosynario secreto, Ioanni Baptistae Rubino Veneto, Savo Millino Romano, et Christophoro ab Auria Ianuensi, in utrâque signaturâ referendariis, praelatis domesticis nostris; necnon Silvestro Vannino Romano, pincernae, Ioanni Vincentio Arata Panormitano, vestiario; Paulo de Strada, clerico coniugato Romano, architriclino; Iordano Hilling Rigensi et Ludovico Lentio Romano, cubiculariis intimis; ac Antonio Capellino Sabinensi, Francisco Polino Camerinensi, Ioanni Nicolao Piccolomineo Senensi, libellorum supplicum nobis porrectorum secretario[1]; Ioanni Angelo ab Altemps Romano, Guilielmo Baroni de Furstembergh Vestphalo, et Mario Spinulae Ianuensi, cubiculariis secretis nostris; ac Theodoro Cellesio Pistoriensi, fratri militi Hospitalis S. Ioannis Hierosolymitani, Armindo Riccio Firmano, subdatario; Ioanni Gualtero Slusio Leodiensi, officiali Brevium nostrorum secretorum; Benedicto Ritae, clerico coniugato Reatino, medico secreto; Riccardo Cruciano Camerinensi, caudatario, Petro Massarino Firmano, crucifero; Gallieno Conocio Hydruntino et Ioanni Bissaiga Vercellensi, cappellanis secretis nostris; ac Æmilio de Cavaleriis et marchioni Autonio Sanctacrucio, Romanis, equitum levis armaturae custodiae corporis nostri capitaneis; Francisco Ceriolo Cremonensi, magistro domus nostrae; Francisco Guilmio Namurcensi, et Blasio Ægidio Sabinensi, respective civitatum vel dioecesum clericis seu presbyteris, ac evangelistae Guidotto Romano, clerico coniugato, cubiculi nostri adiutoribus; et Federico Cavallo, Aretinae dioecesis, subvestiario nostro, familiaribus continuis commensalibus nostris; salutem et apostolicam benedictionem.

Causa concessionis.

§ 1. Circumspecta Romani Pontificis gratiarum dispensatoris providentia devotos et fideles suos, illos praesertim, qui grata familiaritatis obsequia iugiter

1 Forsan *secretariis* (R. T.).

ei impendunt, ac quos ad id aliàs propria virtutum merita commendant, honoris et famae amplioribus praeconiis, ac praeclaris dignitatum titulis decorare et ornare, necnon specialis benevolentiae favoribus amplecti solet, prout personarum qualitatibus conspicit convenire. Hinc est quod nos, ad grata familiaritatis obsequia, quae vos, qui etiam continui commensales nostri existitis, et quilibet vestrum nobis hactenus impendistis, et adhuc sollicitis studiis impendere non desistitis, necnon ad vitae ac morum honestatem, aliaque laudabilia probitatis et virtutum merita, quibus personas vestras etiam familiari experientiâ iuvari percepimus, condignam rationem habentes, ac propterea easdem personas vestras peculiaris favore gratiae ac specialis honoris et excellentiae dignitatis titulo sublimare volentes, vosque et quemlibet vestrum a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodati exististitis, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutos fore censentes,

Notarios creat, § 2. Motu proprio, non ad vestram vel alterius pro vobis super hoc oblatae petitionis instantiam, sed de merâ liberalitate et certâ scientiâ nostris, ac de apostolicae potestatis plenitudine, vos et quemlibet vestrum respective in nostros et Sedis Apostolicae notarios (sine tamen praeiudicio dilectorum filiorum notariorum de numero participantium), apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, recipimus, ac sacri palatii et

Comites et milites. aulae Lateranensis comites, necnon auratae militiae equites, ac nobiles romanos, et Urbis Romae, ac civitatum Avenionensis, Bononiensis, Ferrariensis et Beneventanae, omniumque et singularum aliarum civitatum, terrarum et locorum Romanae Ecclesiae mediate vel immediate subiectorum cives, cum omnibus iuribus, iurisdictionibus, praerogativis et insignibus debitis et consuetis, creamus ac constituimus, ac in numerum et consortium aliorum nostrorum et eiusdem Sedis notariorum, necnon palatii et aulae huiusmodi comitûm, equitum et nobilium romanorum, aliorumque civium civitatum et terrarum praedictarum referimus et conscribimus;

§ 3. Vobisque, etiamsi habitum et rocchettum notariorum dictae Sedis iuxta decreta Lateranensis concilii novissime celebrati non deferatis, aut civitates huiusmodi non incolueritis, nec unquam in eisdem civitatibus domicilium habueritis, ut omnibus et quibuscumque privilegiis, facultatibus, exemptionibus, immunitatibus, libertatibus, favoribus, gratiis et indultis, quibus ceteri omnes notarii nostri, etiam de numero participantium, ac comites, equites, et nobiles (citra tamen exemptiones a sacro Concilio Tridentino sublatas, itaut nedum quoad criminalia, sed etiam quoad civilia subiaceatis Ordinariis, et citra facultates legitimandi, ad gradus promovendi, notarios seu tabelliones creandi, aliaque huiusmodi privilegia a notariis et comitibus praefatis praetensa, ita ut illis nullibi uti valeatis, ac irritum et inane existat quicquid secus per vos aut quemlibet vestrum respective attentari contigerit), necnon cives originarii, etiam dignitatum, beneficiorum et officiorum ecclesiasticorum ac secularium, etiam ex personis romanorum civium originariorum vacantium, assequutione et exercitio tam in Urbe quam in omnibus et singulis civitatibus praedictis, et aliàs ubique locorum et gentium, necnon sessionum et conventuum, utuntur, potiun-

tur et gaudent, ac uti potiri et gaudere poterunt quomodolibet in futurum, non solum ad eorum instar, sed pariformiter, et aeque principaliter ac si privilegia, facultates, exemptiones, gratiae et indulta huiusmodi pro vobis emanassent, uti, potiri et gaudere, ac in omnibus et singulis apostolicis, aliisque litteris, instrumentis et scripturis publicis et privatis, deinceps nomine vestro conficiendis, vos notarios, comites, equites et nobiles, ac de nobili genere ex utroque parente procreatos, necnon romanos, et aliarum civitatum et terrarum cives prout libuerit inscribere, et vos illis subscribere valeatis, ac pro veris et non fictis notariis, comitibus, equitibus et nobilibus ac civibus habeamini, nihilque, qualecumque illud fuerit cum iis subscriptionibus, subreptitium aut obreptitium vel invalidum, sed illud idem efficax in omnibus censeatur, necnon honoris causâ insignia gentis nostrae sive integre sive cum vestris respective composita gestare possitis, prout vobis placuerit, concedimus.

Bona eorum ab oneribus eximit.

§ 4. Et insuper vos vestraque beneficia et officia ecclesiastica quaecumque, quotcumque et qualiacumque, illorum fructus, res et iura ubicumque locorum, regnorum et provinciarum, necnon in Urbe, civitatibus, terris et locis eidem Romanae Ecclesiae mediate vel immediate subiectis consistentia praedia, domos, possessiones, et bona patrimonialia, aliaque temporalia mobilia et immobilia, ac semoventia, necnon actiones et iura praesentia et futura, cuiuscumque qualitatis, quantitatis et naturae, et cuiusvis etiam annui valoris fructus, redditus et proventus huiusmodi sint vel fuerint, ac etiam quaecumque a vobis vendenda, ac pro vestris et familiarum vestrarum usibus emenda, ab omnibus et quibuscumque decimis, quartis et dimidiis partibus, subsidiis, etiam charitativis, necnon vectigalibus, portoriis, tributis, datiis, pedagiis, collectis et quocumque alio nomine nuncupatis angariis, perangariis, ceterisque oneribus et contributionibus, tam urbanis quam rusticis, ordinariis et extraordinariis, realibus, personalibus et mixtis, etiam ratione munitionum moenium et pontium, portarum et moliturarum et mercium cuiuscumque generis transitus seu passus et vecturae, etiam in aliud territorium seu provinciam, terrâ, mari et flumine, necnon equorum mortuorum, stabulationum militum, institutionis seminarii ecclesiastici, aut quacumque aliâ quantumvis gravi et gravissimâ causâ (pro subventione contra infideles dumtaxat exceptâ) nunc et pro tempore impositis, ita quod vos et quilibet vestrum nihil omnino horum aut aliorum similium subire teneamini, nec per camerae apostolicae aut alios commissarios, seu vectigalium et tributorum huiusmodi redemptores, conductores et exactores, quocumque privilegio, exemptione et facultate suffultos, aliàs quam, ut praefertur, valeatis coarctari (quamdiu servitiis nostris instiferitis[1] dumtaxat) eximus et liberamus.

Super residentiâ dispensat.

§ 5. Ad haec vobiscum et cum quolibet vestrum respective, ut quaecumque duo dissimilia vel simplicia similia sub singulis tribus tectis quarumcumque trium cathedralium, etiam metropolitanarum, aut aliarum etiam collegiatarum ecclesiarum consistentia, etiamsi unum ex illis omnibus cum curâ, aut dignitas, etiam maior et principalis, canonicatus et praebenda, personatus, administratio vel officium fuerit, et ad dignitatem, personatum, administrationem vel officium huiusmodi consueverit quis per ele-

1 Edit. Main. legit *insliteris* (B. T.).

ctionem assumi, eique cura etiam iurisdictionalis immineat animarum, si alicui vestrum aliàs canonice conferantur, aut quisque vestrum eligatur, praesentetur, aut aliàs assumatur ad illa, et instituatur in eis, recipere, et, dummodo illa omnia (uno excepto) personalem residentiam non requirant, insimul quoad vixeritis retinere, necnon etiam, quamdiu nobis inservieritis tantum, in beneficiis ecclesiasticis, etiam curatis, non tamen parochialibus, nec curatis curâ animarum parochianorum, per vos pro tempore respective obtentis, etiam de iure, statuto, fundatione, vel privilegio personalem residentiam requirentibus, etiamsi dignitates in cathedralibus etiam metropolitanis maiores[1], ac collegiatis ecclesiis huiusmodi principales fuerint, personaliter residere non teneamini, nec ad id per locorum Ordinarios, aut ecclesiarum earumdem capitula, seu quosvis alios ad residendum interim in illis inviti compelli possitis, omnesque et singulos vestrorum beneficiorum obtentorum fructus, redditus et proventus durante servitio praedicto cum eâ integritate (distributionibus quotidianis dumtaxat exceptis) cum qua illos percipere-tis, si in eisdem ecclesiis sive locis personaliter resideretis, percipere, exigere et levare;

Facultatem recipiendi ordines sacros concedit;

§ 6. Ac interim, vel postmodum, si volueritis, hîc in Romanâ curiâ vel extra eam a quocumque, quem malueritis, catholico antistite gratiam et communionem eiusdem Sedis habente, quem duxeritis eligendum, ad omnes etiam sacros et presbyteratus ordines, aliquibus tribus dominicis vel aliis festivis diebus, etiam extra tempora a iure statuta, proprii Ordinarii aut cuiusvis alterius licentiâ desuper minime requisitâ, si aliàs ad id idonei reperti fueritis, super quo antistitis conscientiam oneramus, promoveri, et promoti in illis etiam in altaris ministerio ministrare.

§ 7. Necnon, etiamsi presbyteri fueritis, ac dignitates et officia obtinueritis, leges et iura civilia etiam publice in scholis et universitatibus studiorum generalium, ad quinquennium dumtaxat, dummodo trigesimum aetatis annum non excesseritis, audire, et, si habiles et sufficientes reperti fueritis, etiam ad doctoratus gradum in huiusmodi facultate vos promoveri facere, ipsaque iura etiam publice docere, atque iudicis advocati et procuratoris officium in causis ecclesiasticis civilibus tantum exercere libere et licite possitis et valeatis, auctoritate et tenore praedictis, de specialis dono gratiae dispensamus.

Licentiam quoque eligendi confessarium.

§ 8. Liceat quoque vobis et cuilibet vestrum aliquem idoneum et approbatum ab Ordinario presbyterum secularem, vel cuiusvis Ordinis regularem, in vestrum eligere confessorem, qui, vitâ cuiuslibet vestrum comite, vos et quemlibet vestrum a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, et per vos incursis, et quibus vos etiam apostolicâ auctoritate illaqueari contigerit; etiamsi absolutio nobis et successoribus nostris Romanis Pontificibus pro tempore existentibus specialiter vel generaliter reservata existat, et quorumcumque votorum et Ecclesiae praeceptorum transgressionibus, homicidio casuali, manuum violentarum in quasvis personas etiam ecclesiasticas (non tamen episcopos vel alios superiores praelatos) de praeterito iniectionibus, seu consilii vel favoris ad id praestationibus, ieiuniorum omissionibus (non tamen recitationis horarum cano-

1 Male edit. Main. legit *maioris* (R. T.).

nicarum aliorumque divinorum officiorum), et denique ab omnibus et quibuscumque aliis vestris peccatis, criminibus et excessibus ac delictis, quantumcumque gravibus et enormibus, etiam talibus, propter quae Sedes praedicta merito consulenda foret, videlicet a contentis in litteris die Coenae Domini publicari consuetis, semel tantum in vitâ et mortis articulo; in reliquis vero dictae Sedi quomodocumque reservatis, aliisve quibusvis casibus, semel in anno, confessionibus vestris diligenter auditis (sine tamen alicuius praeiudicio), auctoritate apostolicâ absolvere, et vobis pro commissis poenitentiam iniungere salutarem; necnon vota quaecumque (ultramarino, visitationis liminum beatorum apostolorum Petri et Pauli, castitatisque et religionis votis dumtaxat exceptis) in alia pietatis opera commutare valeat.

Indultum transferendi pensiones.

§ 9. Vobisque ulterius et cuicumque vestrum respective, ut quicumque loci Ordinarii vel canonici metropolitanarum seu aliarum cathedralium ecclesiarum aut personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae, tam in dictâ curiâ quam extra eam, ad id per vos respective coram notario et testibus fide dignis eligendi seu eligendae, quascumque pensiones annuas vobis super mensarum abbatialium seu capitularium ac episcopalium et archiepiscopalium, ac quorumcumque aliorum beneficiorum ecclesiasticorum, cum curâ et sine curâ, secularium et quorumvis Ordinum et militiarum regularium, etiam hospitalis S. Ioannis Hierosolymitani praedicti, quomodocumque et qualitercumque qualificatorum, fructibus, redditibus, proventibus, iuribus, obventionibus et distributionibus etiam quotidianis, seu illarum loco fructus, redditus, proventus, iura, obventiones, distributiones et emolumenta vobis nunc et pro tempora assignata et reservata, ac reservanda, pro summâ videlicet trecentorum ducatorum auri de camerâ quoad singulos vestrum, quandocumque alicui vestrum respective placuerit, simul vel successive, in toto vel in parte, etiam in cuiuslibet vestrum mortis articulo, cassare et extinguere, ac, postquam cassatae et extinctae fuerint, alias similes pensiones annuas super eisdem fructibus, redditibus, proventibus, iuribus, obventionibus, distributionibus et emolumentis[1] huiusmodi, usque ad summam et quantitatem praedictam, uni vel pluribus aliis personis, etiam per vos nominandis, etiam quaecumque, quotcumque et qualiacumque beneficia ecclesiastica obtinentibus et expectantibus, clericis, seu clericali charactere insigniri volentibus, etiam eis, quoad vixerint, seu eorum procuratoribus ad id speciale ab eis mandatum habentibus, iisdem modo et formâ, quibus vobis assignatae et reservatae, seu assignata et concessa fuerint respective, etiam absque consensu easdem pensiones solvere debentium, etiamsi illas vel illa aliàs cassari et reservari de novo faciendi facultatem non habueritis, ac pensiones et fructus, redditus, proventus, iura et obventiones, ac distributiones et emolumenta huiusmodi etiam pluries cassata et de novo assignata fuerint, usque ad summam et quantitatem praedictam, etiam litteris apostolicis super reservationibus et assignationibus huiusmodi non confectis, ac aliàs cum omnibus et quibuscumque exemptionibus, privilegiis, decretis, clausulis, cautionibus, vinculis, obligationibus et cautelis, ac etiam censuris et poenis in prioribus reservationibus huiusmodi concessis et contentis, necnon cum subrogatione in quibusvis vestris iuribus, etiam quoad quasi possessionem exi-

1 Edit. Main. habet *emolumenta* (R. T.).

gendi, in qua tunc eritis, integre persolvendas, servatâ tamen formâ constitutionis felicis recordationis Urbani Papae VIII praedecessoris nostri quoad excessum medietatis fructuum, reservare, constituere et assignare valeant, auctoritate et tenore praedictis de speciali gratiâ indulgemus.

Facultas testandi.

§ 10. Necnon etiam vobis, ut de omnibus et singulis domibus, praediis, possessionibus, terris et locis, ac iurisdictionibus, ceterisque bonis mobilibus et immobilibus, quae tamen non sint altaris seu altarium ecclesiarum vobis commissarum ministerio seu alicui speciali earumdem ecclesiarum divino cultui seu usui deputata, seque moventibus, cuiuscumque qualitatis, quantitatis, valoris, speciei, pretii et conditionis existentibus, ac iuribus et actionibus ad vos ratione ecclesiarum, etiam cathedralium et metropolitanarum, quibus vos forsan praesse contigerit, necnon monasteriorum, prioratuum, praeposituarum, dignitatum et aliorum quorumcumque beneficiorum ecclesiasticorum, cum curâ et sine curâ, secularium et quorumvis Ordinum regularium, quae etiam ex quibusvis concessionibus et dispensationibus apostolicis in titulum, commendam, administrationem, ac aliàs quomodolibet obtinueritis, obtinetis et obtinebitis, ac fructuum, reddituum et proventuum ecclesiasticorum loco pensionum annuarum super similibus fructibus, redditibus et proventibus vobis reservatorum et assignatarum, ac reservandorum et assignandarum, quos et quas perceperitis, percipitis et percipietis in futurum, necnon emolumentorum quorumcumque Romanae curiae officiorum, et aliàs quomodolibet spectantibus et pertinentibus, ac etiam de dictis proventibus, fructibus, redditibus et pensionibus annuis, necnon vestrâ et cuiuslibet vestrum industriâ et labore quomodolibet et undecumque, licite tamen, acquisitis et acquirendis, ac aliàs etiam de muneribus et officiis quae exercueritis et vos exercere contigerit, et aliâ quavis occasione vel causâ seu contemplatione ad vos perventis et perventuris, etiamsi in pecuniâ numeratâ et iocalibus, gemmis, aliisque pretiosioribus rebus consistant, tam in dictâ curiâ quam extra eam, ubique locorum, etiam penes beneficia ipsa existentibus (quorum omnium qualitates et veros etiam annuos valores, etiamsi talia forent quae generali appellatione bonorum et suppellectilium non venirent, sed specialibus indigerent vocabulis, praesentibus, ac si specifice et singillatim exprimerentur et denominarentur, pro sufficienter expressis ac declaratis haberi volumus) usque ad summam sex millium ducatorum auri de camerâ, ac etiam de ipsis fructibus, redditibus et proventibus et pensionibus debitis et debendis, servatâ tamen formâ constitutionum apostolicarum iam editarum, et si quas deinceps edi contigerit super fructibus inexactis, etiam cumulative, cum quibusvis aliis similibus vel dissimilibus facultatibus habitis et habendis, tam pro decentibus et honestis impensis funebribus, quam etiam pro remuneratione illorum, qui vobis viventibus servierint, etiam ultra servitii meritum, ac in vestrorum consanguineorum et affinium ac quorumcumque piorum locorum favorem et usum, ac aliàs pro arbitrio et voluntate vestris et cuiuslibet vestrum absolutis, testari, et testamento, codicillis, fideicommissis, legatis, donationibus tam inter vivos quam causâ mortis, et aliis quibuscumque modis et titulis, scripturâ etiam minus solenni coram duobus vel tribus testibus, aut etiam cedulâ solâ manu vestrâ scriptâ vel subscriptâ, et aliàs in

omnibus et per omnia prout et quomodolibet vobis videbitur, etiam in ipsâ curiâ et in mortis articulo, etiam nullâ factâ mentione praesentis vel aliarum vobis pro tempore concessarum similium facultatum, aut quod in vim illarum testari seu disponere velitis et intendatis, semel atque iterum aut pluries disponere, statuere et ordinare, ita ut quidquid testatum, gestum aut ordinatum seu aliàs dispositum a vobis fuerit, etiam in vim simplicis distributionis, ac aliàs omni meliori modo valeat, et servari debeat; ipsaque testamenta, codicillos, dispositiones, ordinationes, legata et statuta pluries, ac toties quoties vobis videbitur, moderari, limitare, ac etiam in totum revocare, et alia de novo condere, libere et licite valeatis, auctoritate apostolicâ, earumdem tenore praesentium, plenam et liberam concedimus facultatem.

Supplementum defectuum.

§ 11. Et insuper statuimus et ordinamus, vobisque indulgemus, quod, si vos ab intestato et sine ullâ vel minus validâ bonorum et rerum ac fructuum, reddituum et proventuum praedictorum dispositione in dictâ curiâ vel extra eam, tam continuâ quam interpolatâ inibi cuiuslibet vestrum respective mansione, ac etiam extra beneficia vestra vel alia loca debitae a vobis residentiae personalis, etiam nullâ subsistente causâ, ab humanis decedatis, omnia et singula bona, res et iura, etiam, ut praefertur, qualificata, necnon spolia cuiuscumque quantitatis et valoris existentia, etiam ex praedictis, et aliàs undecumque provenientia, ad cameram apostolicam seu in dictis beneficiis successores non pertineant, sed ad haeredes vestri sanguinis integre deveniant, et, illis deficientibus, inter familiares vestros, arbitrio personae seu personarum quas ad id scripto nominaveritis, distribuantur, nisi de aliâ dispositione vel intentione vestrâ scripturâ etiam minus solemni secus appareret, quam tunc velut efficacem ipsae personae vel alii iudices seu exequutores omnino exequi et adimplere illique sese conformare in omnibus et per omnia debeant. Et nihilominus quaecumque huiusmodi testamenta, legata, donationes, dispositiones, et alia forsan a vobis, etiam nullâ aut minus sufficienti facultate suffultis, de huiusmodi bonis, iuribus et actionibus, fructibus, pecuniis, iocalibus, aliisque rebus supradictis, etiam in favorem consanguineorum et affinium praedictorum et aliàs quomodolibet facta, cum omnibus inde sequutis, ac etiam ea quae per vos in futurum fient, ex nunc, prout ex tunc, et e contra, pro dictâ summâ sex millium ducatorum approbamus et confirmamus, omnesque et singulos iuris et facti ac solemnitatum omissarum et omittendarum necnon substantiales aliosque defectus quoscumque, si qui intervenerint aut intervenerunt in eisdem, etiamsi tales sint vel fuerint quod specialis, specifica et expressa de illis mentio praesentibus habenda esset, supplemus.

Inhibitio contra molestantes.

§ 12. Districtius inhibentes quibusvis archiepiscopis, episcopis, aut aliis ecclesiarum praelatis, necnon camerae praedictae praesidentibus et clericis, ac eorum, necnon fabricae basilicae Principis Apostolorum de Urbe, ac cruciatae sanctae, et aliis collectoribus et subcollectoribus, ceterisque cuiuscumque dignitatis, status, gradus et conditionis existentibus, etiam quavis auctoritate et potestate fungentibus, sub excommunicationis maioris aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, ne universitates, collegia ac loca et legatarios, haeredes et personas, necnon testamentorum, voluntatum et ordinationum huiusmodi exequutores praedictos directe

vel indirecte quovis quaesito colore vel ingenio molestare audeant quoquo modo vel perturbare.

Clausulae praeservativae.

§ 13. Ac decernentes praedicta omnia et singula, praesentesque litteras, et testamenta, donationes, codicillos, fideicommissa, legata, ordinationes, derogationes, dispositiones et alia quaecumque, necnon quae in praemissis facta sunt aut fieri contigerit, tam vigore praesentis quam etiam aliarum concessionum vobis factarum ac deinceps in genere et in specie faciendarum, cum inde sequutis et sequuturis, etiamsi vos intra curiam, aut in quacumque aliâ mundi parte extra ecclesias et beneficia personalem residentiam requirentia qualitercumque qualificata per vos nunc et pro tempore obtenta, etiam pro vestrâ solâ voluntate et nullâ subsistente causâ non residendi, ab humanis decedere contigerit, sub litteris recolendae memoriae Pii Papae IV praedecessoris nostri contra quoscumque episcopos, archiepiscopos et alios praelatos, necnon parochialium ecclesiarum rectores, ceterosque residentiae personali praedictae adstrictos, extra illam quomodocumque decedentes, VII kalendas decembris, pontificatus sui anno V, aut alio veriori tempore, emanatis, et sub quibuscumque aliis constitutionibus aut revocationibus, suspensionibus, limitationibus, modificationibus, decretis, declarationibus apostolicis, cancellariae apostolicae regulis, ex quibuscumque causis, quantumcumque maximis, urgentibus et inexcogitabilibus, etiam in favorem fidei et divini cultus augmentum, ac consistorialiter, etiam a nobis et Sede praedictâ, hactenus vel nunc et pro tempore factis et editis, minime comprehendi, sed semper ab illis excepta, et, quoties emanata fuerint, toties in pristinum et validissimum statum, et etiam sub datâ posteriori, etiam cum derogationibus et clausulis etiam derogatoriarum derogatoriis, irritantibusque et aliis decretis, per vos eligendâ, apponendis et latissime specificandis, reposita, restituta et plenarie reintegrata, ac de novo concessa, validaque et efficacia fore, necnon perpetuâ firmitate subsistere, suosque plenarios et omnes effectus, qui de iure, stylo, consuetudine aut aliàs quomodocumque sortiri poterunt, ac vim veri, legitimi, iurati, stipulati, validi et efficacis contractus inter vos ex unâ ac nos et cameram praedictam ex alterâ partibus habere, nec etiam per promotionem ad ecclesiam cathedralem, etiam metropolitanam, aut translationem, vel aliam status et personae vestrae mutationem, nec per similes vel dissimiles gratias vobis concessas et concedendas confundi, sed ipsis cumulative in omnibus et per omnia uti, et, si quid in unâ ex facultatibus huiusmodi defecerit, per aliam suppleri debere, nec haeredes, legatarios ac loca, ad quos seu quae bona, iura et actiones devenerint, vel quibus relinquentur, aut executores praedictos, ad tertiam seu aliam eorum partem, quam etiam ex nunc vobis ac locis, haeredibus, legatariis ac donatariis praedictis liberaliter concedimus et donamus, camerae vel fabricae aut beneficiis praedictis etiam pro expeditione contra infideles et quibusvis aliis quantumlibet piis usibus solvendum, ac cum iis desuper componendum, vel vos ad aliam particularem licentiam sive indultum aut confirmationem praesentium a nobis vel successoribus nostris Romanis Pontificibus petendum aut impetrandum, vel etiam in aliâ simili gratiâ seu confirmatione illius vobis quomodocumque concedendâ de praesenti mentionem aliquam faciendum minime teneri, nec ad id ullâ unquam necessitate cogi posse.

Clausula sublatâ. § 14. Et sic in praemissis omnibus et singulis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, et eiusdem S. R. E. cardinales, necnon pro tempore existentes dictae camerae camerarium, praesidentes et clericos in quavis causâ et instantiâ, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Exequutores deputat. § 15. Quocirca venerabilibus fratribus nostris Ostiensi et Portuensi cardinalibus episcopis et dilecto filio curiae causarum camerae apostolicae generali auditori per apostolica scripta mandamus motu simili, quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum, per se, vel alium, seu alios, praesentes litteras et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, ac quoties pro parte vestrâ desuper fuerint requisiti, solemniter publicantes, vobisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate nostrâ easdem praesentes litteras et in eis contenta huiusmodi firmiter observari, ac vos illis omnibus pacifice frui et gaudere; non permittentes vos per quoscumque quavis auctoritate fungentes contra earumdem praesentium tenorem quomodolibet indebite molestari, inquietari vel perturbari; contradictores quoslibet et rebelles per sententias, censuras et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postpositâ, compescendo, ac, legitimis super his habendis servatis processibus, censuras et poenas ipsas etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis.

Obstantia tollit. § 16. Non obstantibus praemissis, ac piae memoriae Bonifacii Papae VIII praedecessoris pariter nostri de unâ, et in concilio generali editâ de duabus dietis, dummodo ultra tres dietas aliquis vigore praesentium ad iudicium non trahatur, necnon Lateranensis concilii novissime celebrati de certo notariorum numero, etiamsi ad illum nondum deventum fuerit, cui per hoc aliàs derogare non intendimus, ac de consensu praestando in pensionibus, et quibusvis aliis etiam per nos et Sedem praedictam editis et in posterum edendis cancellariae apostolicae regulis, ac stylo in similibus hactenus observato, ac recolendae memoriae Alexandri Papae VI etiam praedecessoris nostri tertiam partem bonorum ecclesiasticorum camerae praedictae deberi inter alia disponente, necnon eiusdem Bonifacii Papae VIII per quam concessiones fructus in absentiâ percipiendi sine praefinitione temporis fieri prohibentur, ac Pii Papae IV praedecessoris pariter nostri de gratiis qualecumque interesse camerae apostolicae concernentibus in dictâ camerâ intra certum tunc expressum tempus praesentandis et registrandis, ita quod praesentes in eâdem camerâ nullo unquam tempore registrare teneamini, ac similis recordationis Urbani Papae VIII etiam praedecessoris nostri de pensionibus aliàs translatis iterum non trasferendis, ac quorumvis aliorum Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum, et quibusvis aliis apostolicis ac in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, necnon legibus etiam imperialibus et municipalibus, tam Urbis quam aliarum civitatum et locorum, in quibus cives originarii creati existitis, et quarumvis ecclesiarum, monasteriorum, Ordinum et hospitalis praedictorum, necnon quorumvis colle-

giorum et officiorum dictae curiae, et regnorum, provinciarum et Urbis, ac aliarum civitatum et locorum ac camerae praedictorum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, stabilimentis, usibus et naturis, etiamsi de illis servandis, et non impetrandis litteris apostolicis contra ea, nec etiam ab alio vel aliis impetratis aut aliàs quomodolibet concessis utendo, vos per vos vel procuratores vestros praestiteritis forsan hactenus vel vos imposterum praestare contigerit iuramentum, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, dictis ecclesiis, monasteriis, ordinibus et hospitalibus, illorumque praesulibus, seu oratoribus et superioribus ac magistris, praeceptoribus, prioribus, militibus etiam antianis, capitulis, conventibus, civitatibus et locis, aliisque praedictis, illorum communitatibus et universitatibus, aliisque personis, etiam particularibus, necnon archiepiscopis, episcopis et aliis Ordinariis, etiam eisdem cardinalibus, ac dictae curiae officialibus, illorumque collegiis, ac etiam decimarum, pedagiorum, gabellarum et onerum exactoribus et appaltatoribus, et aliorum onerum redemptoribus, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, ac irritantibus et aliis decretis, per quoscumque Romanos Pontifices praedecessores nostros, ac etiam nos et Sedem praedictam, etiam consistorialiter, ac de eorumdem cardinalium consilio, etiam per modum statuti et constitutionis perpetuorum, ac motu et scientiâ similibus, deque apostolicae potestatis plenitudine, vel ad imperatoris, regum, reginarum, ducum, marchionum et aliorum principum instantiam, seu illorum contemplatione, in genere vel in specie, ac aliàs quomodolibet, etiam iteratis vicibus concessis, etiamsi in eis ac statutis et stabilimentis praedictis caveatur expresse vel tacite quod Urbis nisi originariis civibus romanis ac civium eorumdem filiis conferantur, quodque nonnullarum ecclesiarum beneficia nisi per personas illustres vel nobiles ac etiam originarios cives aut aliàs certo modo in illis expresse qualificatos obtineri non possint, et nulli cives Urbis ac civitatum, oppidorum, terrarum et locorum huiusmodi admitti, seu illorum privilegiis uti possint, nisi prius in dictis civitatibus, oppidis, terris et locis per certum tempus habitaverint, seu etiam in illis bona etiam stabilia forsan ad certum valorem ascendentia posseserint, quodque praeceptoriae et alia beneficia quaecumque dicti hospitalis, tam ex eius institutione, quam ex stabilimentorum praedictorum dispositione, pensionibus clericis secularibus et aliis personis etiam apostolicâ auctoritate reservandis gravari non possint, quodque stabilimentis et privilegiis praedictis, etiam vigore implicitae derogationis latissime extendendae, etiam per quascumque litteras apostolicas, et quasvis etiam derogatoriarum derogatorias, efficaciores et insolitas clausulas, derogari non possit, nec derogatum censeatur nisi derogatio huiusmodi de consilio cardinalium eorumdem fiat, et tum demum magistri et conventus praedictorum ad id accedat assensus, sintque litterae derogationis huiusmodi etiam per dictum magistrum subscriptae, ac illi et praefato conventui, per diversas in formâ Brevis aut alias litteras diversis temporibus cum certis intervallis praesentatas, intimatae, et non aliàs, nec alio modo, et semper in omnibus quae sic fient etiam de simili consilio derogationis sit apposita clausula quod illorum effectum

sortiantur de consensu magistri et conventus praedictorum, et non aliàs, nec alio modo, quodque ipsi exactores et appaltatores decimas, pedagia et onera huiusmodi etiam ab exemptis exigere, et illos ad solutionem seu contributionem cogere et compellere possint seu debeant; quibus omnibus, illorum omnium tenores, ac si de verbo ad verbum insererentur, praesentibus pro expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, in genere et in specie, ad effectum praesentium, sufficienter et expresse derogamus, ac derogatum esse decernimus; quodque vos primam non feceritis in ecclesiis huiusmodi personalem residentiam consuetam; ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides transumptorum.

§ 6. Volumus autem, quod, antequam gratiâ creationis in nostros et Sedis Apostolicae notarios vobis ut supra factâ perfrui valeatis, in manibus alicuius personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae professionem fidei iuxta articolos pridem a Sede praedictâ propositos expresse emittere et solitum fidelitatis iuramentum praestare omnino teneamini, quodque praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique adhibeatur in iudicio et extra, quae praesentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXIII maii MDCLXVIII, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 23 maii 1668, pontif. anno I.

LXI.

Confirmatio resolutionis a particulari congregatione per Alexandrum VII deputatâ emanatae, quod munus protectoris cappellae ad Praesepe Domini in basilicâ S. Mariae Maioris de Urbe spectaret ad bonam memoriam cardinalem Pallottum, tamquam ex provinciâ Marchiae Anconitanae oriundum, in concursu domini cardinalis Ursini, qui tamquam de parentelâ Sixti V oriundus illud praetendebat[1].

Clemens Papa IX, ad futuram rei memoriam.

Recensentur litterae Sixti V.

§ 1. Dudum felicis recordationis Sixtus Papa V praedecessor noster, in suis super erectione cappellae ad Praesepe Domini nostri Iesu Christi in basilicâ S. Mariae Maioris de Urbe sub plumbo expeditis litteris, inter alia, ut eiusdem cappellae illiusque fabricae et sacristiae ac collegii felici et prospero regimini, gubernio et conservationi opportune consuleretur, utque promptum et paratum esset eius auxilium, bonae memoriae Alexandrum, dum vixit, S. Mariae in Cosmedin diaconum cardinalem de Montealto nuncupatum, suum ex sorore germanâ secundum carnem pronepotem, et, eo vitâ functo, antiquiorem S. R. E. cardinalem ex ipsius Sixti praedecessoris familiâ et parentelâ, vel, in eius defectum, ex provinciâ Marchiae Anconitanae oriundum, seu, si nullus eorum foret, primum presbyterum cardinalem pro tempore existentem, eiusdem cappellae, illiusque personarum, rerum, bonorum et iurium protectorem ac defensorem, cuius consilio et ope omnia in dictis litteris expressa et quaecumque alia in his et circa ea quomodolibet necessaria agerentur, statuerentur et ordinarentur, constituit et deputavit. Ac voluit et declaravit, quod, licet, nullo existente sanguinis eiusdem Sixti praedecessoris cardinale, alius ad id ut praefertur vocatus

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

cardinalis munus protectoris huiusmodi subire et exercere incepisset, nihilominus, si postquam[1] contingeret aliquem dictae familiae et parentelae ad cardinalatus honorem assumi, is in eiusdem muneris functione praeferri deberet, et constitutio et deputatio de cuiusvis alterius personâ in protectorem huiusmodi factae, eo ipso cessare et expirare censerentur, et aliàs prout in praefatis Sixti praedecessoris litteris, quarum tenorem praesentibus pro plene et sufficienter expresso ac de verbo ad verbum inserto haberi volumus, uberius continetur.

Controversia exorta.

§ 2. Cum autem, sicut pro parte dilectorum filiorum communitatum et universitatum et hominum provinciae nostrae Marchiae Anconitanae praefatae nobis nuper expositum fuit, sub pontificatus recolendae memoriae Alexandri Papae VII, praedecessoris pariter nostri, dilectus filius noster Virginius S. R. E. cardinalis Ursinus nuncupatus, tamquam de parentelâ praefati Sixti praedecessoris per quondam Flaviam Perettam Ursinam oriundus, bonae memoriae Ioannem Baptistam, dum vixit, eiusdem S. R. E. cardinalem Pallottum nuncupatum, ex dictâ provinciâ Marchiae oriundum, a munere protectoris cappellae huiusmodi excludere praetenderit, ortâque inter eosdem Virginium ex unâ et Ioannem Baptistam cardinales ex alterâ partibus super eâ re, ad quem scilicet ex eis dictum munus protectoris spectaret, controversiâ, dictus Alexander praedecessor negocium huiusmodi commiserit particulari congregationi dilectorum filiorum nostri Giberti S. R. E. cardinalis Borromaei nuncupati et quatuor Romanae curiae praelatorum, nempe Angeli nunc eiusdem S. R. E. cardinalis Celsi nuncupati, tunc in minoribus constituti et auditoris causarum palatii apostolicii munere fungentis, ac magistri Flaminii Taia, causarum eiusdem palatii auditoris, et Armindi Riccii, subdatarii nostri, ac quondam Lazari Botti, dum vixit, in utrâque signaturâ referendarii, qui rationes et iura partium extraiudicialiter considerarent; praefati vero Gibertus cardinalis et praelati, auditis pluries earumdem partium informationibus et motivis, in eâ fuerint sententiâ, quod praefatum munus protectoris ad memoratum Ioannem Baptistam cardinalem tamquam ex dictâ provinciâ Marchiae Aconitanae oriundum spectaret; idque post factam dicto Alexandro praedecessori totius rei relationem a praefato Giberto cardinale per epistolam die VIII augusti MDCLXI scriptam significatum fuerit eidem Ioanni Baptistae cardinali, qui subinde munus protectoris huiusmodi pacifice exercuit, ac in pacificâ et quietâ illius possessione, praefato Virginio cardinale nunquam in contrarium reclamante, defunctus est: nobis propterea dicti exponentes, ne resolutionis huiusmodi super intellectu praenarrati articuli dictarum Sixti praedecessoris litterarum praeviâ maturâ discussione emanatae memoria progressu temporis obliteretur, humiliter supplicari fecerunt ut in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Congregatio super eâ re deputata.

Congregationis resolutio.

Supplicatio.

§ 3. Nos igitur, specialem ipsis exponentibus gratiam facere volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dum-

Pontifex confirmat resolutionem congregationis.

[1] Videtur legendum *postea* (R. T.).

taxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, ac dictae epistolae tenorem praesentibus pro plene et sufficienter expressis et et insertis[1] habentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, praenarratam resolutionem, quod scilicet munus protectoris cappellae supradictae, in concursu dicti Virginii cardinalis, ad memoratum Ioannem Baptistam cardinalem tamquam ex supradictâ provinciâ Marchiae Anconitanae oriundum spectaret, a particulari congregatione praefatâ emanatam, ut praefertur, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, approbamus et confirmamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus.

Decretum irritans et clausula *sublatâ*.

§ 4. Decernentes easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, sicque et non aliter in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac eiusdem S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos, et alios quoslibet quacumque praeeminentiâ et potestate fungentes et functuros, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariorum derogatio.

§ 5. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXV maii MDCLXVIII, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 25 maii 1668, pontif. anno I.

1 Edit. Main. legit *inserto* (R. T.).

LXII.

Confirmatio Brevis Gregorii XV, ab Urbano VIII confirmati, per quod hospitali B. Mariae Theutonicorum concessa fuerunt privilegia hospitalis S. Ioannis Hierosolymitani [1].

Clemens Papa IX, ad perpetuam rei memoriam.

Ad pastorale fastigium meritis licet imparibus divinâ dispositione evecti, eâ, quae de Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum et Apostolicae Sedis benignitate in favorem militiarum et hospitalium quorumcumque, ad omnipotentis Dei gloriam, Ecclesiae praesidium, christianaeque religionis et fidei catholicae tuitionem et propagationem, pie salubriterque erectorum et institutorum, ac personarum in eis Altissimo famulantium, processerunt, apostolici muniminis nostri patrocinio, cum id a nobis petitur, libenter constabilimus.

Proœmium.

Gregorius XV concedit privilegia prout in rubricâ.

§ 1. Dudum siquidem felicis recordationis Gregorius Papa XV praedecessor noster omnia et singula privilegia, indulta, facultates, exemptiones, immunitates, libertates et gratias, tam per se, Sedemque Apostolicam, quam per recolendae memoriae Leonem X, Clementem VII, Paulum III, Pium IV, Pium V, Gregorium XIII, Sixtum V, Gregorium XIV, Clementem VIII et Paulum V, Romanos Pontifices similiter praedecessores nostros, dilectis filiis magno magistro et conventui hospitalis S. Ioannis Hierosolymitani, illiusque prioribus, baiulivis, praeceptoribus, commendatariis, fratribus militibus, subditis, vassallis, colonis et presbyteris curam animarum exercentibus concessa et respective confirmata, hospitali domus Beatae Mariae Theutonicorum, eiusque magistro, prio-

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

ribus, baiulivis, praeceptoribus, commendatariis, fratribus, militibus, subditis, vassallis, colonis ac presbyteris curam animarum exercentibus concessit; decernens hospitale Beatae Mariae Theutonicorum, illiusque magistrum, priores, baiulivos, praeceptores, commendatarios, fratres milites, subditos, vassallos, colonos et presbyteros nullis aliis privilegiis, gratiis et indultis, quatenus in huiusmodi concessione non comprehenderentur, quovis praetextu et ex quacumque causâ, uti, frui et gaudere posse nec debere, quinimo illa omnia cessare, ac irrita et nulla, nulliusque roboris et momenti esse et fore, prout in dictis Gregorii praedecessoris in formâ Brevis desuper sub die XXIII decembris MDCXXII expeditis litteris, quarum tenorem praesentibus pro expresso haberi volumus, plenius continetur. Et subinde piae memoriae Urbanus Papa VIII, etiam praedecessor noster, per suas pariter in formâ Brevis die XIX ianuarii MDCXXIV expeditis litteris, quarum tenorem praesentibus itidem haberi volumus pro expresso, iam dictas Gregorii praedecessoris litteras sub certis modo et formâ tunc expressis confirmavit et approbavit.

Petitur confirmatio apostolica.

§ 2. Cum autem, sicut pro parte dilecti filii moderni magni magistri dicti hospitalis Beatae Mariae Teutonicorum nobis nuper expositum fuit, praedictae quidem Gregorii XV et Urbani praedecessorum litterae in viridi sint observantiâ, firmiora tamen et stabiliora sint ea, quibus saepius Apostolicae Sedis praedictae accedit auctoritas, cupiatque propterea idem magnus magister litteras huiusmodi apostolicae comfirmationis nostrae praesidio roborari:

Annuit Pontifex.

§ 3. Nos, ipsius magni magistri votis, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere, eumque specialis favore gratiae prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de congregationis nonnullorum venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibuse piscoporum et regularium praepositorum consilio, praedictas Gregorii XV et Urbani VIII praedecessorum[1] litteras, omniaque et singula in eis contenta, tenore praesentium, perpetuo approbamus et confirmamus, illisque perpetuae et inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus.

Decretum irritans.

§ 4. Decernentes praesentes litteras ullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrae vel quopiam alio defectu, etiam ex eo quod locorum Ordinarii ad hoc vocati non fuerint, notari, impugnari, vel invalidari minime posse, minusque sub quibusvis similium vel dissimilium gratiarum revocationibus, limitationibus, restrictionibus et derogationibus comprehendi posse, sed semper ab illis exceptas, et, quoties illae emanabunt, toties in pristinum statum restitutas, repositas et plenarie reintegratas esse, sicque ab omnibus censeri, et ita per quoscumque iudices et commissarios quavis auctoritate fungentes, etiam causarum palatii apostolici auditores ac sanctae Romanae Ecclesiae cardinales, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

1 Edit. Main. legit *praedecessoris* (R. T.).

Contra inobedientes poenae.

§ 5. Quocirca venerabilibus fratribus Moguntino et Pragensi archiepiscopis, ac dilecto filio causarum curiae camerae apostolicae generali auditori, per praesentes committimus et mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum, per se, vel alium, seu alios, praesentes litteras et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit[1], et quoties pro parte eorumdem magistri et militum ac fratrum dicti hospitalis Beatae Mariae Theutonicorum fuerint requisiti, solemniter publicantes, eisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate nostrâ eos praesentium litterarum commodo et effectu pacifice frui et gaudere; non permittentes eos per Ordinarios praedictos, aut quoscumque alios, contra praesentium tenorem quomodolibet molestari, perturbari, aut inquietari; contradictores quoslibet et rebelles per sententias, censuras et poenas ecclesiastics, aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postpositâ, compescendo, legitimisque super his habendis servatis processibus, sententias, censuras et poenas huiusmodi incurrisse declarando, illasque etiam iteratis vicibus aggravando, interdictumque ecclesiasticum apponendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis.

Derogatio contrariorum.

§ 6. Non obstantibus omnibus illis, quae dicti Gregorius et Urbanus praedecessores in suis litteris praedictis respective voluerunt non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque;

§ 7. Aut si aliquibus communiter vel divisim ab eâdem sit Sede indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ad de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

1 Edit. Main. legit *fuerint* (R. T.).

Clausulae restitivae.

§ 8. Eorumdem autem praedecessorum nostrorum vestigiis inhaerentes, volumus, quod, Pii V, XXII septembris anno VI, ac Gregorii XIII, sub annulo Piscatoris, XXV novembris anno IX, necnon Gregorii XV, praedecessorum nostrorum, sub datum nonis februarii, anno II, pontificatuum suorum, expeditis litteris in suo robore et efficaciâ permanentibus, praesentes litterae non comprehendant neque ecclesias neque personas in his quae ad curam animarum pertinent, in quibus decreta Concilii Tridentini ac in praedictâ Gregorii XV constitutione contenta omnino servari debeant;

Transumptorum fides.

§ 9. Ac quod praesentium litterarum transumptis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, in iudicio et etiam extra illud ubique locorum plena et indubitata eademque prorsus fides adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die IX iunii MDCLXVIII, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 9 iunii 1668, anno I.

LXIII.

Commissio nuncio Florentiae super subsidio ab ecclesiasticis Status Senensis conferendo pro expensis fluminum, fossatorum et aggerum ac viarum, aquaeductuum et aquarum decursionum districtus et Status Senensis[1].

Dilecto filio nostro et Apostolicae Sedis apud dilectum filium nobilem virum Ferdinandum Etruriae sibi subiectae magnum ducem nuncio,

Clemens Papa IX.

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

Dilecte fili noster, salutem et apostolicam benedictionem.

Exordium. In supremâ apostolicae servitutis speculâ, meritis licet imparibus, constituti, non ad illa tantum quae personarum ecclesiasticarum commoda et privilegia, verum etiam quae laicorum christifidelium, uti unius ac eiusdem Ecclesiae membrorum, onera sublevanda respiciunt, praesertim cum de publicâ et communi omnium utilitate agitur, uti communis ac providus omnium pater considerationis nostrae intuitum interdum dirigere debemus.

Motiva. § 1. Cum itaque, sicut accepimus, redditus publici, pro expensis fluminum, fossatorum et aggerum, necnon viarum, aquaeductuum et aquarum decursionum seu diversionum in territoriis, districtu et Statu Senensi, aliisque locis ad quae magistratus conservatorum Status Senensis iurisdictio extenditur, etiamsi essent membra seu pars dioecesum episcoporum extra eumdem Statum Senensem constitutorum, assignati, expensis huiusmodi non sufficiant, nec ei rei per impositiones super bonis laicorum provideri possit, attento quod bona huiusmodi bonam partem in potestatem personarum ecclesiasticarum transierunt; dilecti vero filii magistratus conservatorum praefatorum ecclesias, monasteria et alia loca pia, ac clericos aliasque personas ecclesiasticas, tam seculares quam regulares, etiam exemptas, etiam religionis militiae S. Stephani ratione benficiorum illi unitorum, ac etiam hospitalis S. Ioannis Hierosolymitani ratione commendarum pro ratâ bonorum ad eos in civitatibus, districtibus et territoriis dicti Status Senensis, et quousque iurisdictio dicti magistratus extenditur, consistentium, et per eos possessorum, ad contribuendum unâ cum laicis in expensis pro fluminibus, aggeribus, fossatis, viis, aquaeductibus et aquarum decursionibus sive diversionibus huiusmodi, ex eo quod id publicam et communem tam laicorum quam clericorum utilitatem respiciat, teneri et obligatos esse, ac forsan etiam in iudicio, licet de facto, praetendant: nos, considerantes explorati iuris esse clericos et ecclesiasticas personas ob communes utilitates et necessitates, etiamsi laicorum facultates non suppetant, ad huiusmodi contributionem nec cogi, nec aliàs etiam sponte concurrere posse, nisi episcopus et clerus tantam necessitatem et utilitatem inveniant, ut, consulto etiam prius Romano Pontifice pro tempore existente, aliquod subsidium per clericos et ecclesiasticas personas conferendum fore duxerint, motu proprio, non ad cuiusquam nobis desuper oblatae petitionis instantiam, sed ex merâ deliberatione et certâ scientiâ nostris, discretioni tuae per praesentes committimus et mandamus, quatenus de praemissis te diligenter informes, et, si inveneris tantam adesse necessitatem vel utilitatem, neque laicorum facultates ad id suppetere, ac propterea existimes per clericos ac ecclesiasticas personas aliquod subsidium conferendum, tunc, cognito quantum supra redditus publicos ad faciendas dictas expensas deficit, pro eo quod deficiet, summam per ecclesias, monasteria et alia pia loca, ac clericos aliasque ecclesiasticas personas, tam seculares quam regulares, etiam exemptas, etiam per religionem S. Ioannis Hierosolymitani ratione commendarum, ac militiae S. Stephani huiusmodi ratione beneficiorum ei unitorum, singulis annis conferendam, apostolicâ auctoritate nostrâ arbitreris et taxes; ita tamen ut etiam ad ratam bonorum possessorum et eorum fructuum clerici et aliae personae ecclesiasticae supradictae sponte conferant. Et successive summam a te,

Nuncio apostolico committitur taxa subsidii prout in rubrica.

ut praefertur, taxandam remediis opportunis per aliquem seu aliquos a te deputandum seu deputandos exigi, et exactam pro subsidio ut supra cui seu quibus opus fuerit consignari cures ac facias, et insuper, pro faciliori huiusmodi negocii expeditione, tibi unum seu plures super recognitione praemissorum, non tamen quoad taxam praefatam, quam per te ipsum ut supra fieri volumus, deputandi et substituendi licentiam, facultatem et auctoritatem concedimus et impartimur.

Contrariis derogat.

§ 2. Non obstantibus praemissis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon quarumvis ecclesiarum vel monasteriorum et regularium locorum, aut congregationum seu militiarum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, eisdem ecclesiis, monasteriis, regularibus locis, ordinibus, ac militiis, illorumque praesulibus, capitulis, canonicis, superioribus, magnis magistris, aliisque personis, sub quibuscumque tenoribus et formis, etiam per viam statuti proprii, aut legis universalis, seu contractus, vel quasi, ex quibusvis causis et occasionibus, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis, necnon irritantibus et aliis decretis, per quoscumque Romanos Pontifices praedecessores nostros et Sedem Apostolicam, ac etiam per nos, etiam motu pari et consistorialiter, in genere vel specie, concessis hactenus et imposterum concedendis; quibus omnibus et singulis, etiamsi de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica et expressa mentio in praesentibus facienda foret, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Pro expensis iam factis clerum pro rata teneri mandat.

§ 3. Volumus autem, et motu simili decernimus, quod pro expensis ex dictâ causâ factis in praeteritum ab octo annis usque in praesentem diem decursis clerici et personae ecclesiasticae supradictae subsidium huiusmodi, per te, ut praefertur, taxandum, nempe ratam octo annorum decursorum huiusmodi, quolibet ex infrascriptis quindecim annis similiter praestare, ac in dictis expensis pro ratâ concurrere teneantur; quodque praesens subsidium ad quindecim annos proximos dumtaxat praestari possit et debeat; quibus elapsis, illud omnino cesset et cessare censeatur eo ipso, neque ad illius praestationem clerici aut personae ecclesiasticae huiusmodi ulterius teneantur, aut obligati existant, et id quod per clericos et ecclesiasticas personas conferetur, a laicis humiliter et cum gratiarum actione recipiatur, praestatioque subsidii huiusmodi quoad expensas pro ornatu fontium et fortalitiorum reparatione non intelligatur, neque de illis in taxâ per te aut possessores[1] faciendâ ratio aliqua habeatur.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XI iunii MDCLXVIII, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 11 iunii 1668, pontif. anno I.

LXIV.

Moderatio constitutionis Clementis VIII locum ciborum paschalium pro fratribus sancti Francisci de Paula ad infirmarias conventuum restringentis.

Clemens Papa IX,
ad perpetuam rei memoriam.

Proœmium.

Iniuncti nobis caelitus pastoralis officii ratio postulat, ut, paternam religiosorum virorum Altissimi obsequiis sub au-

1 Vide an *successores* pro *possessores* legendum (R. T.).

sterioris vitae regulâ mancipatorum curam gerentes, illorum necessitatibus, quantum cum Domino possumus, benignâ salubrique moderatione consulere studeamus.

Constitutio Clementis VIII refertur.

§ 1. Exponi siquidem nobis nuper fecit dilectus filius Petrus de Consentia, zelosus seu procurator generalis Ordinis fratrum sancti Francisci de Paula Minimorum nuncupatorum, quod dudum, videlicet anno MDXCVI, felicis recordationis Clemens Papa VIII praedecessor noster peculiari constitutione fratribus dicti Ordinis prohibuit, sub poenâ privationis vocis activae et passivae per triennium, ne, durantibus eorum infirmitatibus, in quibus dumtaxat eisdem licitum est vesci cibis paschalibus, conventibus egrederentur.

Motiva illam modificandi.

§ 2. Verum quotidiano experimento comprobatum est ex constitutionis huiusmodi, optimo licet consilio emanatae, observatione multa oriri incommoda, cum fratres praedicti talibus saepissime corripiantur corporis infirmitatibus, ut ad aquas minerales vel potandas, vel earum balneis utendi ergo, se conferre cogantur; quae remedia nullatenus adhiberi valent, nisi cibis paschalibus iuxta medicinae regulas utantur, atque ita constitutionem praedictam infringant, ac poenis per eam latis sese exponant, si mortis periculum evadere velint.

Concedit prout in rubricâ.

§ 3. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, praemissis attentis, Ordo praedictus zeloso seu procuratori generali ipsius Ordinis pluries iniunxerit ut memoratae constitutionis moderationem ad hac sanctâ Sede impetrare curaret: nobis propterea dictus Petrus, eiusdem Ordinis nomine, humiliter supplicari fecit ut in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolicâ dignaremur [1].

1 Edit. Main. legit *dignamur* (R. T.).

§ 4. Nos igitur, eiusdem Petri votis favorabiliter annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium tantum consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, de nonnullorum Romanae curiae praelatorum a nobis super negotio huiusmodi specialiter deputatorum consilio, praedictam Clementis praedecessoris constitutionem, per quam locus esus ciborum paschalium pro fratribus dicti Ordinis ad infirmarias conventuum restringitur, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, ita moderamur, ut eisdem fratribus liceat etiam extra infirmarias huiusmodi cibis paschalibus vesci durante necessitate accessus, recessus et morae ad balnea, de consilio medici et cum licentiâ superiorum, quorum conscientiam oneramus; ita tamen ut in reliquis nihil relaxatum intelligatur disciplinae regularis.

Decretum irritans.

§ 5. Decernentes easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari; non obstante praedictâ Clementis praedecessoris aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Derogatio contrariorum.

Fides dand transumptis.

§ 6. Volumus autem ut earumdem

praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem ubique fides adhibeatur, quae praesentibus adhiberetur si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XIX iunii MDCLXVIII, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 19 iunii 1668, pontif. anno 1.

LXV.

Confirmatio privilegii Ordini S. Antonii Viennensis a Bonifacio VIII concessi, ut illius religiosi regulam sancti Augustini servarent et canonici regulares eiusdem S. Antonii vocarentur[1].

Clemens Papa IX, ad perpetuam rei memoriam.

Exordium. Pastoralis officii, quod auctore Deo gerimus, sollicitudo nos admonet ut religiosorum virorum in Ecclesiâ Dei strenue laborantium statui, quieti et felicibus progressibus, quantum nobis ex alto conceditur, consulere iugiter studeamus.

Expositio. § 1. Exponi siquidem nobis nuper fecit dilectus filius procurator generalis Ordinis canonicorum regularium sancti Antonii Viennensis sub regulâ sancti Augustini, quod, cum religiosi dicti Ordinis, a primaevâ illius erectione anno MV, sub pontificatu felicis recordationis Urbani Papae II praedecessoris nostri factâ, servitio hospitalitatis et praesertim curae infirmorum morbo qui ignis sacer S. Antonii vulgo vocatur laborantium operam semper impenderint, horum consideratione nonnulli Romani Pontifices praedecessores nostri eosdem religiosos multis privilegiis decorarunt, et inter hos

Bonifacius VIII Ordini qualitatem canonicorum regularium concessit. recolendae memoriae Bonifacius PP. VIII per suas anno MCCXCVII emanatas litteras prioratum S. Antonii Viennensis in Franciâ in abbatiam erexit, illiusque priorem instituit abbatem generalem Ordinis praedicti, ac regulam sancti Augustini eidem Ordini concessit, et servandam praescripsit illius religiosis, quos in futurum canonicos regulares sancti Augustini Ordinis sancti Antonii Viennensis haberi et vocari debere declaravit.

Privilegium ab aliis Pontificibus confirmatum. § 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, licet hoc Bonifacii praedecessoris privilegium a piae memoriae Innocentio VI, Ioanne XXII, Martino V, Eugenio IV, Calisto III, Sixto IV, Leone X, Clemente VII, Paulo III, Gregorio XV et Urbano VIII Romanis Pontificibus praedecessoribus pariter nostris confirmatum fuerit, prout in eorum litteris desuper expeditis dicitur contineri, dictusque Ordo, privilegii huiusmodi ac antiquitatis suae institutionis vigore, in processionibus publicis aliisque congregationibus debitâ praecedentiâ semper gavisus sit, nihilominus religiosi eiusdem Ordinis in aliquibus eorum praeceptoriis et domibus S. Antonii desuper contra omnem iustitiam molestentur: nobis propterea dictus procurator generalis humiliter supplicari fecit ut privilegium praefatum, ac qualitatem canonicorum regularium, religiosis dicti Ordinis, ut praefertur, concessam, apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communire de benignitate apostolicâ dignaremur.

Annuit Pontifex et confirmat. § 3. Nos igitur, procuratoris generalis votis hac in re favorabiliter annuere, eumque specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat conse-

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

quendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositorum consilio, petitam confirmationem, ad limites litterarum memorati Urbani VIII praedecessoris idibus iunii MDCXXIV expeditarum, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, concedimus.

Decretum irritans.

§ 4. Decernentes easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 5. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon omnibus et singulis illis, quae in praefatis Urbani praedecessoris litteris concessa sunt non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides.

§ 6. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique tam in iudicio quam extra adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXV iunii MDCLXVIII, pontificatus nostri anno I[1].

Dat. die 25 iunii 1668, pontif. an. I.

1 Ab electione anno II (R. T.).

LXVI.

Indultum ut religiosus sacerdos professus Congregationis monachorum sancti Hieronymi in regnis Hispaniarum, specialiter ab eâdem congregatione deputandus, notarii munere, ad effectum capiendi informationes super puritate sanguinis monachorum ad professionem in eâdem congregatione admittendorum tantum, fungi possit.

Clemens Papa IX, ad futuram rei memoriam.

Expositio.

§ 1. Exponi nobis nuper fecit dilectus filius Iosephus a Toleto minister generalis congregationis monachorum S. Hieronymi in regnis Hispaniarum, quod, cum dicta congregatio, tum propter exactam regularis disciplinae observantiam, virosque doctrinâ atque pietate conspicuos qui in eâ semper floruerunt, tum propter propensam regum earumdem Hispaniarum catholicorum, quorum cadavera in ecclesiâ monasterii de Escuriali dictae congregationis sepeliri solent, erga ipsam congregationem voluntatem, in illis partibus semper fuerit in magnâ hominum existimatione atque veneratione, ad hanc tuendam iam dudum factum fuit in eâdem congregatione statutum, a felicis recordationis Alexandro Papa VII praedecessore nostro confirmatum, ut nemo in eamdem admittatur qui ad christianam religionem fidemque catholicam recenter sit conversus, aut ex aliquâ sectâ per Sedem Apostolicam reprobatâ originem trahat; et pro huius statuti observatione, quando aliquis ad professionem in aliquo eiusdem congregationis monasterio admittendus est, deputari solet de consensu capituli illius monasterii monachus ad capiendas debitas informationes super puritate sanguinis aliisque supradictis; qui monachus, cum nullam habeat iu-

Statutum congregationis.

risdictionem, cogitur pro capiendis informationibus huiusmodi rogare iudices laicos ut facultatem tribuant notario capiendi in praesentiâ eiusdem monachi et testium unâ cum iuramento debitas informationes praedictas. Sed multorum annorum experientiâ compertum est maxima oriri incommoda ex eo quod in huiusmodi rebus ecclesiasticos[1] ad iudices laicos recurri et notariis laicis uti necesse sit, cum testes, veriti ne eorum secretae depositiones a notario laico revelentur, quandoque veritatem occultent, et, quod peius est, aliquando contra illam deponant; unde, ultra graves impensas quae in praemissis fiunt, memoratae congregationis candor interdum contaminatur.

Postulatio

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, dictus Iosephus minister generalis plurimum cupiat monachos Congregationis praedictae ad effectum faciendi probationes necessarias, ac recipiendi iuramenta et depositiones testium super puritate sanguinis, aliisque, ut praefertur, requisitis, notarii munere fungi posse; nobis propterea humiliter supplicari fecit ut in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Indulget ut monachus deputandus notarii munere fungatur.

§ 3. Nos igitur, ipsum Iosephum ministrum generalem specialis favore gratiae prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, ut notarii munere, ad effectum tamen de quo agitur tantum, fungi possit alius[1] religiosus sacerdos professus eiusdem congregationis pietate et fide probatus, specialiter ab eisdem deputandus a quibus enarratus monachus ad assumendas informationes deputatur, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, concedimus et indulgemus.

Decretum irritans.

§ 4. Decernentes easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 5. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon, quatenus opus sit, dictae congregationis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides.

§ 6. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides

1 Edit. Main. legit *eeclesiasticis* pro *ecclesiasticos* (R. T.).

1 Forsan *aliquis* pro *alius* legendum (R. T.).

ubique tam in iudicio quam extra adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die III iulii MDCLXVIII, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 3 iulii 1668, pontif. anno II.

LXVII.

Confirmatio privilegiorum quorumdam collegio Germanico et Hungarico, ac cardinalibus illius protectoribus, a Iulio III, Gregorio XIII et Clemente VIII, circa iurisdictionem privativam dictis cardinalibus in causis eiusdem collegii, eiusque ecclesiarum, et monasteriorum illi unitorum competentem, concessorum, et a Gregorio XV confirmatorum, declaratorum et extensorum, cum declaratione quod dicti cardinales uti possint superioritate et iurisdictione privativâ huiusmodi quoad monasteria et ecclesias ut praefertur unita, quae in praesentibus exprimuntur[1].

Clemens Papa IX,
ad perpetuam rei memoriam.

Proœmium. Ad pastorale fastigium divinâ dispositione evecti, illis, quae a Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris, catholicae fidei conservationi et propagationi apostolicae charitatis zelo laudabiliter studentibus, pro perpetuâ conservatione salubrique directione seminariorum et collegiorum quorumcumque praesertim in hac almâ Urbe verae religionis arce erectorum, ex quibus uberes in Ecclesiâ Dei fructus benedicente Domino assidue proveniunt, pie prudenterque decreta atque constituta esse noscuntur, ut firmiora semper atque stabiliora persistant, apostolici muniminis nostri libenter adiungimus firmitatem.

1 Ex Regest. in Secret. Brevium.

Recensentur privilegia collegii et praesertim litterae Gregorii XV.

§ 1. Dudum siquidem felicis recordationis Gregorius Papa XV, praedecessor noster, nonnulla privilegia, facultates et indulta collegio Germanico et Hungarico de Urbe[1], necnon tunc et pro tempore existentibus S. R. E. cardinalibus ipsius collegii eiusque personarum, rerum et bonorum quorumcumque protectoribus, a recolendae memoriae Iulio III, Gregorio XIII et Clemente VIII Romanis Pontificibus praedecessoribus pariter nostris concessa, confirmavit et approbavit, nonnullasque declarationes, super eorumdem cardinalium protectorum superioritate et iurisdictione privative ad alios quoscumque iudices eis in causis ipsum collegium eiusque personas, res et bona ac ecclesias, monasteria et beneficia illi unita quomodolibet concernentibus competente, fecit, aliaque disposuit, decrevit et ordinavit, prout uberius continetur in ipsius Gregorii praedecessoris litteris sub plumbo desuper expeditis tenoris qui sequitur, videlicet:

Gregorius episcopus, servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. In supremo militantis Ecclesiae solio et apostolicae potestatis plenitudine summâ Redemptoris nostri benignitate constituti, ea, quae pro seminariorum quorumlibet praesertim in almâ Urbe nostrâ per Romanos Pontifices praedecessores nostros ad christianae iuventutis piam et religiosam educationem ac in ecclesiasticis aliisque salutaribus disciplinis instructionem proinde institutorum conservatione et manutentione[2] a diversis Romanis Pontificibus etiam praedecessoribus nostris concessa et ordinata fuerunt,

1 De collegio huiusmodi vide supra, pag. 15 huius tomi (R. T.).

1 Male edit. Main. legit *conservationem et manutentionem* (R. T.).

ut perpetuo firma et illibata persistant, libenter apostolico praesidio communimus, necnon dubia, si qua[1] circa ea temporum incuriâ insurgere comperimus, ne exinde litium dispendia prorumpant, dilucidamus et declaramus, ac aliàs disponimus, prout rerum et temporum ratio postulat, nosque conspicimus in Domino salubriter expedire. Dudum siquidem, per felicis recordationis Clementem Papam VIII praedecessorem nostrum accepto quod Iulius III et Gregorius XIII, etiam praedecessores nostri, motu proprio et ex certâ eorum scientiâ ac de apostolicae potestatis plenitudine ad divinum ubique cultum et[2] ecclesiasticam disciplinam restaurandum et augendum, animarumque salutem procurandum, ac ad Dei omnipotentis laudem, in dictâ Urbe collegium Germanicum et Ungaricum appellatum respective erexerant et instituerant, ipsumque collegium, ac illius scholares et ministros pro tempore existentes, eorumque bona omnia, cuiuscumque qualitatis et quantitatis, in dictâ Urbe vel extra eam et aliàs ubique locorum consistentia, ab omni iurisdictione, correctione, visitatione, dominio, superioritate et potestate pro tempore existentis vicarii, senatoris et conservatorum ac reformatorum eiusdem Urbis, necnon rectoris studii generalis Urbis praedictae, aliorumque quorumcumque iudicum et officialium in ipsâ Urbe vel aliàs ubilibet constitutorum prorsus liberos, immunes et exemptos, ac libera, immunia et exempta respective fecerant et constituerant, necnon eos et ea sub beati Petri et Sedis Apostolicae protectione susceperant; et insuper idem Gregorius praedecessor tunc in humanis agentes bonae memoriae Ioannem Moronum Ostiensem et Alexandrum Farnesium Praenestinensem, et Ptolomaeum Comensem Sabinensem episcopos, necnon Marcum Siticum S. Mariae Transtyberim ab Altemps, et Ludovicum S. Honuphrii titulorum S. R. E. presbyteros Madruccium nuncupatum, cardinales, dicti collegii et illius collegialium et personarum ac bonorum quorumcumque protectores constituerat et deputaverat, illisque omnes et singulas etiam obligationes in formâ camerae, ac super iure congruo, et quascumque alias causas civiles et criminales, meras et mixtas dicti collegii, illiusque collegialium, scholarium, rectorum, aliorumque ministrorum et officialium pro tempore existentium huiusmodi in rebus et negociis collegium praefatum et illius res, iura et actiones ac bona concernentibus, tam active quam passive per se ipsos, aut alium, seu alios, qui eis viderentur, etiam summarie, simpliciter et de plano, ac sine strepitu et figurâ iudicii, necnon manu regiâ, nullâque telâ iudiciariâ servatâ, sed solâ facti veritate inspectâ, ac etiam omni[1] et quacumque appellatione remotâ, audiendas[2], cognoscendas, decidendas, fineque debito terminandas, vel etiam delegandas, et, quatenus opus foret, citandi et inhibendi, ceteraque omnia opportuna faciendi et exequendi liberam concesserat facultatem, decernens irritum quidquid secus super his, scienter vel ignoranter, contingeret attentari, prout in quibusdam Iulii sub datum pridie kalendas septembris, pontificatus sui anno III, ac etiam Gregorii, praedecessorum praefatorum, sub datum VIII idus augusti, II, et sub datum idibus iulii, III, et sub datum kalendis martii, VII, et sub datum idibus aprilis, VIII, et aliis diversis litteris et commissionibus diversis sui

1 Edit. Main. legit *si quae* (R. T.).
2 Coniunctionem *et* nos addimus (R. T.).

1 Edit. Main. legit *omnia* (R. T.).
2 Aptius forsan *audiendi*, etc. (R. T.).

pontificatus annis et temporibus expeditis continetur; et, stantibus praemissis, minime dubitari posset aut deberet, quod nullus alius iudex, quacumque potestate et auctoritate munitus, tam ecclesiasticus quam secularis, et tam ordinarius quam delegatus, tam in dictâ Urbe quam extra eam, in causis et negotiis dicti collegii Germanici et Ungarici se intromittere posset; nihilominus ab aliquibus id, ut idem Clemens praedecessor etiam acceperat, in dubium vertebatur, ac nonnullis in causis concernentibus collegium et illius personas, res et bona quaecumque huiusmodi, contra mentem et intentionem dictorum praedecessorum, sese intromittere procurabant: dictus Clemens praedecessor, omnem in praemissis dubitandi occasionem tollere volens, ac omnium et singulorum dictorum praedecessorum litterarum et commissionum ac concessionum, et per eas praedictis collegio et scholaribus eorumque ministris et personis necnon bonis, iuribus et rebus quibuscumque concessorum privilegiorum, indultorum, exemptionum et concessionum tenores ac compendia sub quibuscumque verborum expressionibus et formis, ac si de verbo ad verbum inserti forent, pro expressis habens, necnon etiam illas et illa perpetuo approbans et confirmans, motu simili et ex certâ scientiâ suâ ac de apostolicae potestatis plenitudine, dictâ auctoritate, statuit et ordinavit, et ita etiam eorumdem praedecessorum mentem et intentionem fuisse declaravit, quod, praeter praedictos collegii Germanici et Ungarici huiusmodi protectores, nullus alius iudex, quacumque dignitate, auctoritate, privilegio et facultate munitus, tam ecclesiasticus quam secularis, ac tam ordinarius quam delegatus, tam in dictâ Urbe quam extra eam, in causis et negotiis ad collegium praefatum, illiusque personas, res et bona ac iura quomodolibet ex quovis capite spectantibus et pertinentibus, tam praesentibus quam futuris, tam super obligatione in formâ camerae apostolicae, et iure congrui, quam aliàs quomodolibet, et ex quavis causâ terminique iudicialis et censurarum susceptione, ac ac quavis aliâ de necessitate exprimendâ causâ, sive active sive passive, tam in primâ quam secundâ et ulteriori instantiâ, ac in quacumque iudicii et litis parte, tam circa res, bona et iura ipsius collegii, quam illius personas, quomodolibet exercere, sed quod omnis iurisdictio et superioritas in omnibus et singulis causis supradictis, ac quibuscumque aliis civilibus et criminalibus, meris et mixtis, ipsum collegium et illius scholares et ministros ac officiales et personas eorumque bona, res et iura quaecumque aut alia quomodolibet concernentibus, ad praedictos et pro tempore existentes eiusdem collegii protectores, vel eorum iudicem seu iudices deputatum seu deputatos, vel deputandum seu deputandos, pleno iure et in quacumque instantiâ, etiam privative quoad omnes alios quoscumque iudices, etiam quoad illarum finalem et totalem exequutionem, cum facultate illas omnes quomodolibet coram aliis quibuscumque iudicibus introductas et pendentes reassumendi, et illis, sub ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis arbitrio suo imponendis et moderandis, inhibendi, ac, in eventum non paritionis, contradictores sententias, censuras et poenas praedictas incurrisse, servatâ formâ Concilii Tridentini, aggravandi, declarandi, reaggravandi, interdicendi, auxiliumque brachii secularis ad id si opus foret invocandi, attentata et innovata quaecumque revocandi, ac omnia et singula in praemissis et circa ea necessaria et

opportuna faciendi, dicendi et exequendi, spectare et pertinere in omnibus et per omnia perpetuo deberent, ac etiam eisdem et pro tempore existentibus dicti collegii protectoribus et defensoribus eorumque iudicibus denuo indulsit, ac eis amplam, liberam et omnimodam desuper facultatem et auctoritatem impartitus fuit, districte propterea inhibens omnibus et singulis aliis iudicibus supradictis ecclesiasticis et secularibus, quavis auctoritate, dignitate et potestate fungentibus et functuris, tam in almâ Urbe quam extra eam consistentibus, ne, sub nullitate omnium et singulorum actorum, processuum, decretorum, mandatorum et aliorum quorumcumque per eos fiendorum, contra declarationem, indultum et facultatem huiusmodi in dicti collegii, illiusque personarum et rerum, causis, litibus, negotiis et controversiis, tam civilibus quam criminalibus, meris et mixtis, quovis modo seu praetextu, etiam ratione privilegiorum et indultorum ipsis et eorum officiis et tribunalibus etiam per dictam Sedem aut aliàs quomodolibet concessorum, sese ingerere auderent seu praesumerent quoquomodo, ac etiam inane decrevit quidquid secus super iis a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contingeret attentari; non obstantibus litis pendentiis, si quae essent, et quibusvis apostolicis, et in universalibus, provincialibus et synodalibus conciliis editis, specialibus vel generalibus, constitutionibus, privilegiis quoque, indultis, quibusvis tribunalibus et curiis, illorumque iudicibus, et praesertim causarum dictae camerae apostolicae generali auditori, in genere vel in specie, concessis et innovatis, ac concedendis et innovandis, necnon omnibus illis, quae in singulis litteris praedictis expressum fuit non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque; quibus omnibus, etiamsi de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica et expressa, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad id servanda foret, illis aliàs in suo robore permansuris, eâ vice dumtaxat, specialiter et expresse derogavit: prout in eisdem Clementis praedecessoris litteris, sub datum Romae apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die VI martii MDXCII, pontificatus sui anno I expeditis, plenius continetur. Cum autem, sicut accepimus, licet, stantibus ita praemissis, omnis iurisdictio et superioritas in singulis causis huiusmodi protectoribus praefatis competere noscatur, ac etiam idem Gregorius praedecessor per alias suas litteras spiritualem iurisdictionem et animarum curam, quam ecclesiae dicto collegio unitae habent, totam ad ipsius collegii protectores pertinere, et, si quid forte in praedicti collegii constitutionibus desiderari usus rerum magis demonstraret, aut obscurum foret vel ambiguum, id protectores et superiores praedictos, re mature deliberatâ, ex communi omnium consensu supplere et declarare ac ad alia extendere posse voluerit, et desuper collegium, illiusque protectores, collegiales, personae et ministri huiusmodi molestari non debeant; nihilominus nonnulli, ut etiam accepimus, contra mentem et intentionem praedecessorum nostrorum praedictorum sese in iurisdictione huiusmodi aliisque praemissis intromittere praesumant et procurent[1], ac iam forte lites desuper introductae reperiantur: nos propterea, in praemissis omnem dubitandi occasionem tollere volentes, necnon omnium

1 Inchoaerenter edit. Main. legit *praesumant et procurant* (R. T.).

et singulorum praedecessorum nostrorum praedictorum litterarum, commissionum et concessionum, ac per eas collegio et scholaribus praefatis eorumque et ecclesiarum eidem collegio unitarum ministris et personis ac bonis, iuribus et rebus quibuscumque concessorum privilegiorum, indultorum, exemptionum et concessionum tenores et compendia, sub quibuscumque verborum expressionibus et formis, ac si de verbo ad verbum praesentibus inserti forent, eisdem praesentibus pro expressis habentes, motu proprio et ex certâ scientiâ nostris ac de apostolicae potestatis plenitudine similibus, non ad ipsius collegii rectoris et collegialium praedictorum aut quorumcumque aliorum nobis desuper oblatae petitionis instantiam, sed ex merâ nostrâ liberalitate, illas et illa cum omnibus et singulis in eis contentis et inde sequutis et sequendis, dictâ auctoritate, tenore earumdem praesentium, approbamus et confirmamus, ac grata et rata habemus, illisque omnibus et singulis perpetuae et inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos tam iuris quam facti ac solemnitatum quarumcumque de iure, usu vel consuetudine aut aliàs quomodolibet requisitarum vel necessariarum ac quosvis alios etiam quantumvis substantiales defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, etiamsi tales sint qui specialem et expressam requirant mentionem, in eisdem supplemus; decernentes ipsas litteras et in eis contenta quaecumque perpetuo valida et efficacia esse et fore, perpetuoque et inviolabili firmitatis et validitatis robore subsistere, ac suos plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, et ab omnibus, ad quos spectat et spectabit quomodolibet in futurum, perpetuo firmiter et inviolabiliter observari et adimpleri debere, ac ab eis nullo unquam tempore, quovis praetextu, colore vel ingenio recedi aut resiliri posse. Et nihilominus, pro potiori cautelâ, motu, scientiâ ac de apostolicae potestatis plenitudine similibus, omnes et singulas ac quascumque lites, causas, differentias, questiones et controversias inter protectores seu superiores et collegiales aut personas ab eis deputatas ex unâ et quoscumque alios etiam locorum Ordinarios ex alterâ partibus super praemissis aut eorum aliquo introductas etiam in auditorio causarum Rotae palatii apostolici vel alibi coram quibusvis iudicibus, secularibus vel ecclesiasticis, ordinariis vel delegatis, non tamen protectoribus praefatis, in primâ seu aliâ instantiâ pendentes indecisas, in statu et terminis in quibus reperiuntur de praesenti, etiamsi in illis ad calculum ferendae sententiae deventum, dummodo tamen in illis omnino conclusum non sit, ad nos harum serie avocamus; sicque avocatas penitus et omnino supprimimus, extinguimus et annullamus; ac ipsorum protectorum seu superiorum et collegialium aut personarum ab eis ut praefertur deputatarum adversariis, aut quibuscumque aliis in praemissis quomodocumque interesse habentibus vel habere praetendentibus, perpetuum desuper silentium ex nunc imponimus; ac propterea modernis et pro tempore existentibus eiusdem collegii protectoribus ac superioribus, ut, quotiescumque casus evenerit, ipsi omnia et singula eiusdem collegii constitutiones, statuta et decreta, prout eis videbitur et ratio dictaverit, interpretari et dilucidare, atque etiam alia ex integro et de novo facere et condere, ac ab omnibus, ad quos spectat et spectabit quomodolibet in futurum, nullo praevio examine seu approbatione,

sub poenis et censuris eis benevisis, observari facere possint et valeant, pariter concedimus et indulgemus; necnon statuimus et ordinamus, et ita etiam eorumdem praedecessorum et nostrae mentis et intentionis fuisse et esse declaramus, quod, praeter praedictos et pro tempore existentes collegii Germanici et Ungarici huiusmodi protectores, nullus alius iudex, quacumque dignitate, auctoritate, privilegio et facultate munitus, tam ecclesiasticus quam secularis, ac tam ordinarius quam delegatus, tam in dictâ Urbe quam extra eam, in causis et negotiis ad praefatum collegium illiusque personas quascumque, res, bona et iura ex quovis capite spectantibus et pertinentibus, tam praesentibus quam futuris, ac tam super obligationibus in formâ camerae apostolicae, iure congrui, refectione viarum seu pontium, quam super re et negocio concernenti artem agriculturae, ac etiam annonae, doganae, ripae, ripettae, terrae, studii, quam aliàs[1] quomodolibet et ex quavis causâ, terminique iudicialis et censurarum susceptione, ac quavis aliâ de necessitate hîc exprimendâ causâ, sive activâ sive passivâ, tam in primâ quam in secundâ et ulteriori instantiâ, ac cuiuscumque iudicii et litis parte, tam per viam appellationis quam nullitatis et recursus, restitutionis in integrum, vel alio quocumque remedio tam ordinario quam extraordinario, quovis modo se intromittere, vel aliàs actum aliquem iurisdictionis, tam civilis quam criminalis, tam circa res, bona et iura ipsius collegii, quam illius personas, necnon parochiales ac sine curâ ecclesias seu cappellas, cappellanias et beneficia quaecumque dicto collegio quomodolibet unita seu annexa, aut ab eo ratione monasteriorum, prioratuum seu ecclesiarum ipsi incorporatorum quocumque modo dependentiâ, ac presbyteros, vicarios, cappellanos et ministros quomodolibet nuncupatos illis pro tempore etiam in curâ et exercitio parochialibus ac divinis deservientes, ad nutum protectorum vel aliorum superiorum aut collegialium dicti collegii praeviâ tamen Ordinarii approbatione ponendos et amovendos, ac etiam perpetuos quomodolibet exercentes, possit et valeat; curamque omnium et singularum ecclesiarum parochialium et curatarum, ad praedictum collegium quomodolibet spectantium, ab omnimodâ iurisdictione, superioritate et dominio quorumcumque Ordinariorum penitus et omnino, praeterquam in casibus a Concilio Tridentino expressis, perpetuo eximimus et liberamus; et propterea neque coram eodem auditore camerae, ac eiusdem camerae clericis annonae, ripae, ripettae praesidentibus et doganeriis, ac gabellae terrae studii consulibus, magistris viarum, camerario, vicecamerario, senatore et conservatoribus Urbis, minusque coram archipresbyteris seu protectoribus basilicarum et ecclesiarum S. Ioannis Lateranensis, S. Petri, S. Mariae Maioris, seu eorum iudicibus, deputatis, et archiconfraternitatibus SS. Trinitatis peregrinorum et convalescentium, Confalonis et S. Marcelli, hospitalis S. Spiritus in Saxia, S. Iacobi Incurabilium, ac aliarum quarumcumque ecclesiarum, hospitalium, archiconfraternitatum protectoribus, commendatoribus ac rectoribus quibuscumque et aliorum quorumcumque tribunalium tam in Urbe quam extra eam et curiae Burgi existentium iudicibus molestari et inquietari aut quoquo modo in iudicium trahi res, bona, iura et personas supra expressas, possint aut debeant[1]; nec minus

Iurisdictio praedicti collegii quibus committitur.

1 Nescio an *aliàs* vel *aliis* legendum (R. T.).

1 Vel lege *possit aut debeat*, vel paulo ante *personae ... expressae* (R. T.).

possit aut debeat, sub quovis praetextu assertorum privilegiorum, indultorum et exemptionum quibus [1] suprascriptis iudicibus, protectoribus, commendatoribus et aliis quibuscumque expressis et nominatis ac de necessitate exprimendis et nominandis, quin omnis iurisdictio et superioritas in omnibus et singulis causis suprascriptis et aliis quibuscumque civilibus et criminalibus, meris et mixtis ipsum collegium et eius scholares ac ecclesias eidem collegio unitas, ministros, officiales et personas, eorumque bona, res et iura et curam animarum, illiusque exercitium, ac sacramentorum ecclesiasticorum administrationem aut aliàs quomodolibet concernentibus, ad praedictos modernos et pro tempore existentes eiusdem collegii protectores, vel eorum iudicem seu iudices, deputatum seu deputatos, vel deputandum seu deputandos, pleno iure in quacumque instantiâ etiam privative quoad vicarium Urbis ac quoscumque locorum Ordinarios et omnes alios quoscumque iudices praefatos, etiam quoad illarum totalem et finalem executionem, cum facultate illas omnes quomodolibet coram aliis quibusvis iudicibus introductas et pendentes reassumendi, et illis, sub ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis arbitrio suo imponendis, moderandis et applicandis, inhibendi, ac in eventum non paritionis contradictores et inobedientes censuras et poenas ipsas incurrisse servatâ formâ Concilii Tridentini huiusmodi declarandi, aggravandi, reaggravandi, interdicendi, auxiliumque brachii secularis, si opus fuerit, invocandi, attentata et innovata quaecumque revocandi, omniaque alia et singula in praemissis necessaria et opportuna faciendi, dicendi et exequendi, spectare et pertinere in omnibus et per omnia perpetuo debeant; et etiam modernis et pro tempore existentibus dicti collegii protectoribus et defensoribus eorumque iudicibus tenore earumdem praesentium de novo perpetuo indulgemus, eisque liberam, plenam, amplam et omnimodam desuper facultatem et auctoritatem impartimur; districte propterea inhibentes omnibus et singulis suprascriptis iudicibus, archipresbyteris, protectoribus, commendatoribus, consulibus etiam artis agriculturae, et aliis quibuscumque iudicibus ecclesiasticis et secularibus, quavis auctoritate, dignitate etiam episcopali et archiepiscopali seu aliâ maiori potestate fungentibus et functuris, tam in dictâ Urbe quam extra eam consistentibus, ne, sub nullitatis omnium et singulorum actuum, processuum, decretorum, mandatorum et aliorum quorumcumque per eos fiendorum, contra praesentem nostram declarationem, indultum et facultatem in dicti collegii illiusque personarum, ac rerum causis, litibus, negociis et controversiis, tam civilibus quam criminalibus, meris et mixtis, quovis modo seu praetextu, et ratione privilegiorum et indultorum ipsis et eorum officiis et tribunalibus etiam per Sedem praedictam aut aliàs quomodolibet concessorum, sese ingerere audeant seu praesumant quoquo modo; necnon irritum et inane decernimus quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Non obstantibus litis pendentiis, si quae sint, ac quibusvis apostolicis, etiam in universalibus provincialibus et synodalibus conciliis editis, specialibus vel generalibus, constitutionibus et ordinationibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis quibusvis tribunalibus, curiis, illorumque iudicibus, et aliis quibuscumque, et praesertim dictae camerae apostolicae ge-

1 Legerem *quibusvis* pro *quibus* (R. T.).

nerali auditori, in genere vel in specie, clericis, praesidentibus annonae, camerario, magistris viarum, auditoribus causarum rotae eiusdem palatii apostolici, agricolturae et aliis quibusvis consulibus, doganeriis, conservatoribus, senatori et aliis quibuscumque iudicibus et tribunalibus concessis et innovatis, concedendisque et innovandis, non facientibus de praesentibus nostris litteris specialem et individuam mentionem cum illorum insertione de verbo ad verbum non autem per clausulas et verba aequipollentia, ac regulâ de non tollendo iure quaesito, quatenus opus sit, necnon omnibus illis quae in singulis litteris praedictis expressa fuerunt non obstare; quibus omnibus, etiamsi de illis eorumque totis tenoribus, specialis, specifica et expressa, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque; aut si aliquibus communiter vel divisim ab eâdem sit Sede indultum quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae approbationis, confirmationis, adiectionis, suppletionis, decretorum, avocationis, suppressionis, extinctionis, annullationis, impositionis, concessionis, indultorum, statuti, ordinationis, declarationis, exemptionis, liberationis, impartitionis, inhibitionis, voluntatis et derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae, apud S. Petrum, anno Incarnationis dominicae MDCXXI, XII kalendas martii, pontificatus nostri anno II [1].

Confirmantur privilegia.

§ 2. Cum autem, sicut accepimus, praeinsertae quidem Gregorii praedecessoris litterae et in eis contenta [2] hactenus illibate, ut par est, observata fuerint, plenumque vigorem obtineant de praesenti; firmius tamen atque solidius persistant et perennent illa quae Apostolicae Sedis auctoritate saepius corroborantur: hinc est quod nos, praemissorum omnium et singulorum inviolabili robori, firmitati et efficaciae, quantum nobis ex alto conceditur, consulere cupientes, motu simili, ac ex certâ scientiâ et maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, ad abundantiorem cautelam, et quatenus opus sit, omnia et singula privilegia, facultates, iurisdictiones, superioritates, praerogativas, gratias et indulta memorato collegio, eiusque personis, rebus et bonis, ac sanctae Romanae Ecclesiae cardinalibus eiusdem collegii protectoribus, et aliàs quomodolibet a praefatis Iulio III, Gregorio XIII, Clemente VIII et Gregorio XV praedecessoribus, sicut praemittitur, respective concessa et attributa, ac confirmata et approbata, omnesque et singulas eorumdem praedecessorum litteras desuper emanatas, et praesertim praeinsertas dicti Gregorii XV praedecessoris, cum omnibus et singulis in eis contentis et expressis, ac inde legitime sequutis et secuturis quibuscumque, tenore praesentium perpetuo approbamus et confirmamus, ac rata et grata habemus, illisque omnibus et singulis perpetuae atque irrefragabilis

1 Non satis ista cohaerent; vel legendum *an. 1622*, vel *pontif. an. I* (R. T.).

2 Male ed. Main. legit *contentis* (R. T.).

apostolicae firmitatis vim, robur et effi-
Defectus supplet. caciam adiungimus, ac omnes et singulos tam iuris quam facti et solemnitatum quarumcumque, ex iuris communis et constitutionum apostolicarum et decretorum etiam cameralium et consistorialium, necnon Urbis, aliorumque statutorum quorumvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratorum[1], eorumque reformationum et novarum additionum, usuum et consuetudinum etiam immemorabilium praescripto, seu de stylo, aut aliàs quovis modo in similibus etiam de necessitate observandarum, et alios quoslibet, etiam quantumvis magnos, formales et substantiales ac inexcogitatos et inexcogitabiles defectus, si qui in praemissis vel eorum aliquo principaliter vel accessorie antecedenter vel conseguenter aut concomitanter seu aliàs quomodolibet intervenerint, vel intervenisse dici, censeri, intelligi vel praetendi unquam possent, plenissime et amplissime supplemus, ac sanamus, et penitus et omnino tollimus, perimimus et abolemus.

Cardinalibus protectoribus omnem superioritatem in collegio illique annexis confirmat. § 3. Praeterea memoratos cardinales dicti collegii protectores, nunc et pro tempore quandocumque existentes, omnem superioritatem, omnemque iurisdictionem, eis, sicut praemittitur, concessam et attributam, in quibusvis causis, litibus et controversiis tam civilibus quam criminalibus, meris et mixtis, etiam privative quoad omnes et singulos iudices supradictos, et aliàs in omnibus et per omnia prout in praeinsertis Gregorii XV praedecessoris expressum est, circa S. Apollinaris de Urbe et ruralem S. Mariae in Celsano Portuensis dioecesis ecclesias, ac Ss. Sabae et Andreae Urbis, olim Cisterciensium, S. Petri Laudi veteris Laudem.[2], et S. Christinae monasteria S. Benedicti, Mediolanensis sive Papiensis seu nullius dioecesis, ac abbatiam secularem sive monasterium S. Crucis Fontis Avellanae eiusdem S. Benedicti congregationis Fontis Avellanae, nullius seu Eugubinae dioecesis, et monasterium S. Stephani in monte Caelio Urbis, S. Pauli primi eremitae Ordinum respective, eorumque ecclesias, cappellas, cappellanias et beneficia, ac membra, dependentias, bona, praedia, redditus, proventus, iura, obventiones et emolumenta quaecumque dicto collegio dudum apostolicâ auctoritate perpetuo unita, annexa et incorporata, et ab eo quomodolibet dependentia, ac in alia quaecumque monasteria, prioratus, ecclesias et beneficia, quae eidem collegio pari auctoritate in futurum quandocumque uniri, annecti et incorporari contigerit, eorumque respective personas, presbyteros, cappellanos, vicarios et ministros quoslibet, libere ac sine ullo prorsus impedimento exercere, ceteraque omnia eis per praeinsertas litteras quovis modo concessa facere et exequi posse ac debere, motu, scientiâ et potestatis plenitudine paribus, decernimus et declaramus.

Decretum irritans. § 4. Decernentes pariter easdem praesentes litteras et in eis contenta quaecumque, etiam ex eo quod quicumque in praemissis interesse habentes seu habere quomodolibet praetendentes, cuiusvis status, gradus, ordinis, praeeminentiae et dignitatis, seu aliàs specificâ et individuâ mentione et expressione digni existant, illis non consenserint, nec ad ea vocati, citati et auditi, seu causae, propter quas ipsae praesentes emanarint, adductae, verificatae et iustificatae ullatenus fuerint, aut ex aliâ quacumque quantumvis iustâ, piâ, legitimâ et privilegiatâ causâ, colore, praetextu et capite, etiam in corpore iuris clauso,

1 Male edit. Main. legit *roboratis* (R. T.).
2 Ita edit. Main.; quid sit nescio (R. T.).

etiam enormis, enormissimae et totalis laesionis, nullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrae aut interesse habentium consensus, aliove quolibet etiam quantumvis magno et formali et substantiali defectu notari, impugnari, invalidari, infringi, retractari, ad terminos iuris reduci, seu adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque iuris, facti vel gratiae remedium intentari vel impetrari, aut impetrato, seu etiam motu, scientiâ et potestatis plenitudine paribus concesso vel emanato, quempiam in iudicio vel extra illud uti seu se iuvare quoquo modo posse, sed easdem praesentes litteras semper firmas, validas, efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, sicque et non aliter in praemissis omnibus et singulis censeri, atque ita per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici et curiae camerae apostolicae generalem auditorem[1], ac S. R. E. praedictae camerarium seu procamerarium, et alios cardinales, etiam de latere legatos, necnon dictae camerae praesidentes clericos, aliosve quoslibet officiales et ministros, ceterosve quoscumque qualibet praeeminentiâ et potestate fungentes et functuros, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, continerit attentari.

Derogat contrariis.

§ 5. Non obstantibus, quatenus opus sit, piae memoriae Pii Papae IV praedecessoris pariter nostri de gratiis quacumque interesse camerae praedictae concernentibus in eâdem camerâ intra certum tunc expressum tempus praesentandis et registrandis, ita ut easdem praesentes litteras ibidem praesentari et registrari nunquam necesse sit, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon omnibus et singulis quae dictus Gregorius praedecessor in suis litteris praeinsertis voluit non obstare; ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides.

§ 6. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique tam in iudicio quam extra adhibeatur, quae praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XIV iulii MDCLXVIII, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 14 iulii 1668, pontif. anno II.

1 Edit. Main. legit *auditores* (R. T.).

LXVIII.

Indultum, priori generali fratrum Ordinis Beatae Mariae de Monte Carmelo concessum, conferendi lauream doctoratus in collegio S. Mariae Transpontinae de Urbe fratribus eiusdem Ordinis qui titulo magisterii sunt insigniti.

Clemens Papa IX,
ad futuram rei memoriam.

Prooemium.

Dudum felicis recordationis Urbano Papae VIII praedecessori nostro pro parte quondam Theodorii Stratii tunc temporis prioris generalis fratrum Ordinis Beatae Mariae de Monte Carmelo exposito, quod ipse, iuxta regularia dicti Ordinis instituta apostolicâ auctoritate confirmata, Ordinis huiusmodi profes-

sores, qui eos cursus, lecturas vel exercitia litterarum peregerant, quae secundum eorumdem regularium institutorum formam et tenorem requirebantur, eiusdem Ordinis magistros in sacrâ theologiâ creandi et instituendi facultatem habebat, dummodo tamen iidem professores magisterii sive doctoratus in eâdem sacrâ theologiâ lauream in aliquâ approbatâ studii generalis universitate susciperent;

Motiva. § 1. Quia vero in suscipiendâ magisterii sive doctoratus in universitate generali huiusmodi laureâ intolerabiles pecuniarum summae expendendae erant in magnum pauperrimae inter Mendicantes religionis detrimentum, et collegium S. Theresiae Salamantinae eiusdem Ordinis semper habuerat et imposterum habiturum sperabatur regentes et in eâdem sacrâ theologiâ magistros doctos et in litterarum exercitiis maxime versatos, per eumdem Theodorum priorem generalem praefato Urbano praedecessori supplicato, ut, quo debitus virtutis honos eiusdem Ordinis provinciarum Hispaniae et Lusitaniae professoribus, qui in artibus et sacrae theologiae huiusmodi studiis cursum perfecissent, et aliàs digni et idonei essent, sublatis expensis huiusmodi, haberetur, super praemissis opportune providere de benignitate apostolicâ dignaretur [1]:

Constitutio Urbani VIII. § 2. Idem Urbanus praedecessor, huiusmodi supplicationibus inclinatus, praefato Theodoro et pro tempore existenti priori generali dicti Ordinis, [2] omnibus et singulis eiusdem Ordinis et provinciarum praefatarum professoribus, quos, absolutis per eos cursu, lecturis vel exercitiis litterarum a regularibus dicti Ordinis institutis, ut praefertur, requisitis, et servatis aliàs servandis, magistros in eâdem sacrâ theologiâ crearet et instituere, quod illi in praefato collegio Salamantino S. Theresiae cum rigoroso examine et approbatione regentium et aliorum magistrorum eiusdem collegii, ac servatis aliis conditionibus iuxta regularia instituta huiusmodi necessariis, a superiore eiusdem collegii magisterii sive doctoratus in eâdem sacrâ theologiâ lauream suscipere libere et licite possent et valerent, concedendi et indulgendi facultatem, auctoritate apostolicâ concessit, et aliàs prout in ipsius Urbani praedecessoris litteris desuper in simili formâ Brevis die XXVI augusti MDCXXXIV expeditis, quarum tenorem praesentibus pro plene et sufficienter expresso et insertô haberi volumus, uberius continetur.

Supplicatio et motiva novae concessionis. § 3. Cum autem, sicut pro parte dilectorum filiorum Matthaei de Orlando ac Andreae Lao prioris et procuratoris generalium dicti Ordinis respective nobis nuper expositum fuit, maiori parti fratrum eiusdem Ordinis valde incommodum sit, laureae doctoralis huiusmodi consequendae ergo, ad memoratum conventum Salamantinum accedere; nobis propterea dicti exponentes humiliter supplicari fecerunt ut in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Confirmat prout in rubricâ. § 4. Nos igitur, dictos exponentes specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, huiusmodi supplicationibus

1 Male ed. Main. legit *dignaremur* (R. T.).

2 Coniunct. *et* importune hîc interiectam delemus (R. T.).

inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositorum consilio, praefato Matthaeo moderno et pro tempore existenti priori generali Ordinis praefati petitam facultatem conferendi lauream doctoralem illis fratribus qui ex praescripto constitutionum Ordinis huiusmodi magisterio insigniti fuerint, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, concedimus: ita tamen ut illâ extra collegium Salamantinum nonnisi in collegio S. Mariae Transpontinae de Urbe eiusdem Ordinis uti possit, ac salvâ semper in praemissis auctoritate congregationis eorumdem cardinalium.

Decretum irritans. § 5. Decernentes ipsas praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum. § 6. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac, quatenus opus sit, dicti Ordinis eiusque provinciarum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die xx iulii MDCLXVIII, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 20 iulii 1668, pontif. anno II.

LXIX.

Erectio congregationis sive unionis matronarum et virginum nobilium et illustrium sub denominatione Cruciferarum in ecclesiâ seu cappellâ per episcopum Viennensem designandâ[1].

Clemens Papa IX, ad perpetuam rei memoriam.

Exordium. Redemptoris et Domini nostri Iesu Christi, qui humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis, vices, quamquam immeriti, gerentes in terris, pia fidelium praesertim sublimium personarum, quae non minus eximiae devotionis, spiritualiumque rerum studiis, quam secularium bonorum splendore fulgent, vota, ad augendam vivificae Crucis, ex qua salus nostra pependit, venerationem tendentia, favoribus et gratiis libenter prosequimur opportunis.

Expositio. § 1. Exponi siquidem nobis nuper fecit carissima in Christo filia nostra Eleonora Romanorum regina illustris, clarae memoriae Ferdinandi III dum vixit eorumdem Romanorum regis in imperatorem electi relicta vidua, quod, cum particula ligni dominicae Crucis (ut pie creditur) in cappellâ palatii imperialis civitatis Viennensis debitâ cum veneratione asservaretur, et ante aliquot menses palatium praedictum formidabili incendio, quo etiam muri ipsi consumpti

1 Ex regest. in secret. Brev.

fuerunt, conflagrasset, nihilominus particula praedicta, quam clarae pariter memoriae Maximilianus I dum vixit eorumdem Romanorum imperator semper augustus et memoratus Ferdinandus rex semper eximie coluerunt, post quinque dies intacta inter extinctos carbones et cineres reperta fuit.

Motiva et supplicatio.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, dicta Eleonora regina, peculiari suâ erga SS. Crucem praefatam devotione, hocque etiam tam insigni miraculo, quod Dominus noster Iesus Christus ad gloriam eiusdem vivificae Crucis patrare dignatus est, mota, unam matronarum et virginum illustrium Cruciferarum nuncupandarum, quae sub aeterni Regis gloriosissimae scilicet Crucis vexillo militare debeant, congregationem sive unionem ex[1] ipsâ Eleonorâ reginâ, ac dilectissimis in Christo filiabus nobilibus puellis Mariâ Eleonorâ et Mariâ unâ[2] archiducissis Austriae eius filiabus, aliisque matronis et virginibus nobilibus et illustribus tam palatii imperialis quam aliarum partium, in eam adscribi volentibus, constaturam in civitate praedictâ Viennensi a nobis erigi et institui, ac spiritualibus indulgentiarum muneribus decorari summopere desideret; nobis propterea supplicari fecit ut in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Facultatem erigendi congregationem Cruciferarum concedit Pontifex.

§ 3. Nos igitur, qui devotionis et piorum operum, divinique cultus incrementum, ac animarum salutem paternae charitatis studio libenter promovemus, eximiam memoratae Eleonorae reginae pietatem plurimum in Domino commendantes, ac laudabili eius desiderio, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere cupientes, huiusmodi supplicationibus inclinati, in cappellâ palatii imperialis Viennensis, sive aliâ cappellâ seu ecclesiâ per venerabilem fratrem episcopum Viennensem designandâ, unam congregationem sive unionem principissarum ex inclytâ domo Austriacâ, aliarumque matronarum et virginum illustrium et nobilium, sub titulo seu denominatione Cruciferarum, cuius consorores processionaliter incedere, divina officia celebrare, sese congregare, et cetera, quae per confratres et consorores aliarum similium congregationum sive confraternitatum fieri solent, facere libere et licite possint et valeant, accedente tamen ad id memorati episcopi Viennensis consensu, et miraculo praedicto coram illo verificato, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, perpetuo sine cuiusquam praeiudicio erigimus et instituimus. Ac ipsius congregationis sive unionis sic erectae et institutae consororibus pro tempore existentibus, ut quaecumque capitula, statuta, decreta et ordinationes pro salubri earum et dictae congregationis seu unionis gubernio et directione necessaria et opportuna, licita tamen et honesta, ac sacris canonibus et constitutionibus apostolicis, necnon Concilii Tridentini decretis minime contraria, et per praedictum episcopum Viennensem examinanda et approbanda, facere et edere, illaque pro tempore, prout eis videbitur et expediens fuerit, praeviâ tamen examinatione et approbatione eiusdem episcopi pro tempore existentis, mutare, alterare, corrigere et in melius reformare, ac insuper omnia et singula legata, relicta, res et bona quomodolibet qualificata, mobilia et immobilia, per quoscumque christifideles eidem congregationi sive unioni per viam testamenti, dotationis, aut aliàs quomodolibet pro tempore data, relicta,

1 Coniunct. *ex* nos addimus (R. T.).

2 Aliquid deesse videtur, ex. g. *et alterâ*, vel aliter legendum, ex. g. *Piâ* pro *unâ* (R. T.).

donata et elargita, ac danda, relinquenda, donanda et elargienda recipere, illaque per earum officiales et ministros regere, gubernare et administrare, ac in eiusdem congregationis sive unionis eiusque piorum operum usus et necessitates ac utilitatem convertere, ita tamen ut de receptis et administratis praedicto episcopo Viennensi iuxta decreta Concilii Tridentini rationem reddere teneantur, libere et licite possint et valeant, auctoritate et tenores praedictis, concedimus et indulgemus.

Consororibus praeinsertis indulgentias concedit.

§ 4. Insuper, ut consorores praedictae in piorum operum exercitio magis confoveantur, et ad illa imposterum exercenda peramplius invitentur[1], dictaque congregatio sive unio maiora in dies benedicente Domino suscipiat incrementa, de omnipotentis Dei misericordiâ ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus et singulis mulieribus, matronis et virginibus, quae congregationem seu unionem huiusmodi imposterum ingredientur, die primo earum ingressus, si vere poenitentes et confessae sanctissimum Eucharistiae sacramentum sumpserint, plenariam, ac eisdem in cuiuslibet earum mortis articulo, si vere etiam poenitentes et confessae ac sacrâ communione refectae, vel, quatenus id facere nequiverint, saltem contritae, nomen Iesu ore, si potuerint, sin minus, corde devote invocaverint, etiam plenariam; necnon praedictis consororibus in eâdem congregatione sive unione pro tempore descriptis, principissis quidem ex inclytâ domo Austriacâ ortis, seu in eâ pro tempore nuptis, quae semel in hebdomadâ, ceteris vero, quae quinque vicibus quolibet anno, vere poenitentes et confessae sanctissimum Eucharistiae sacramentum in ecclesiâ seu cappellâ ipsius congregationis sive unionis sumpserint, ibique pro christianorum principum concordiâ, haeresum extirpatione, ac sanctae matris Ecclesiae exaltatione supplices ad Deum preces effuderint, qua vice praedictarum id egerint respective similiter plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus.

§ 5. Praeterea omnibus et singulis consororibus praedictis in eâdem congregatione sive unione pro tempore descriptis, quoties aliquod christianae charitatis vel pietatis opus exercuerint, toties centum dies de iniunctis eis aut aliàs quomodolibet debitis poenitentiis in formâ Ecclesiae consuetâ relaxamus. Demum, ut ecclesia seu cappella in qua praedicta particula ligni SS. Crucis pro tempore asservabitur, congruis frequentetur honoribus, et christifideles eo libentius devotionis causâ ad illam confluant, quo ex hoc ibidem spiritualium gratiarum donis uberius noverint se refectos, omnibus et singulis utriusque sexus christifidelibus vere poenitentibus et confessis ac sacrâ communione refectis, qui ecclesiam seu cappellam huiusmodi in Inventionis et Exaltationis eiusdem SS. Crucis festis diebus a primis vesperis usque ad occasum solis utriusque festi huiusmodi singulis annis devote visitaverint, et ibi pro christianorum principum concordiâ, haeresum extirpatione, ac sanctae matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, quo die praedictorum id egerint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus.

Et aliis fidelibus.

§ 6. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque: praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris,

Derogat contrariis.

1 Forsan *incitentur* (R. T.).

§ 7. Volumus autem, ut, si aliàs dictis consororibus praemissa peragentibus aliqua alia indulgentia perpetuo vel ad tempus concessa fuerit, aut si dicta congregatio sive unio alicui archiconfraternitati unquam aggregetur, praesentes et quaevis aliae litterae apostolicae quoad indulgentias et peccatorum remissiones praedictas illi nullatenus suffragenter, sed ex tunc eo ipso prorsus nullae sint.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die II augusti MDCLXVIII, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 2 augusti 1668, pontif. anno II.

LXX.

Commissariatus pro sublevandis communitatibus et universitatibus Status Ecclesiastici [1].

Dilecto filio magistro Ioanni Francisco Nigrono, in utraque signaturâ nostrâ referendario,

Clemens Papa IX.

Dilecte fili,
salutem et apostolicam benedictionem.

Prooemium. Paterna nostra erga huius sanctae Sedi subditos charitas facit ut eorum sublevamini, commodis et utilitati, quantum cum Domino possumus, libenter consulamus.

Deputatio commissariatus ad visendas communitates, exceptis illis quatuor Legationum. § 1. Hinc est quod nos, felici communitatum et universitatum Status nostri Ecclesiastici, quas nonnullis indebitis oneribus gravari, ex eorum recursibus ad congregationem nonnullorum S. R. E. cardinalium ac dilectorum filiorum Romanae curiae praelatorum super illarum sublevamine a nobis deputatam habitis, intelleximus, statui et levamento opportune prospectum esse cupientes, ac de tuâ fide, prudentiâ et integritate plurimum in Domino confisi, te pro rebus ad annonam spectantibus, necnon pro revidendis rebus Montium pietatis, hospitalium et aliorum locorum piorum, quorum administratio ad communitates et universitates quarumcumque civitatum (non tamen Beneventanae), terrarum, oppidorum et locorum Status Ecclesiastici praedicti extra quatuor Legationes, ac districtum almae Urbis nostrae consistentium, spectat, ad easdem civitates, terras, oppida et loca visitandum, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, destinamus et deputamus.

Facultates collatae. § 2. Dantes tibi, privative quoad omnes alios, liberam, amplam et absolutam facultatem et auctoritatem omnes et singulos redditus, expensas et debita cuiuslibet communitatis ac universitatis, civitatum, terrarum, oppidorum et locorum praefatorum, et annonae, necnon rationes et computa illorum qui redditus et bona earumdem communitatum et universitatum atque annonae ac dictorum Montium pietatis et aliorum locorum piorum praefatorum quovis modo administraverint, etiamsi aliàs revisa et solidata fuerint, revidendi, quoscumque debitores, tam seculares quam ecclesiasticos, etiam regulares utriusque sexus, ac omnes privilegiatos, etiam fratres hospitalis S. Ioannis Hierosolymitani, et alios etiam in ecclesiasticâ, episcopali, patriarchali, ac etiam maiori dignitate constitutos, illorumque famulos, ministros, oblatos et colonos ad eorum debita persolvenda, manu regiâ et solâ facti veritate inspectâ, cogendi, necnon omnes lites et controversias super praemissis exortas eâdem auctoritate concordandi, seu prout de iure terminandi, expensas, quae tibi superfluae videbuntur, resecandi, quascumque collectas seu gabellas, quae tibi pro faciliori et celeriori rerum praedictarum redemptione

[1] Ex Regest. in Secret. Brev.

necessariae sive quomodolibet opportunae visae fuerint, imponendi, taxas cancellariarum tam tribunalium gubernatorum quam communitatum et universitatum praedictarum in causis tam civilibus quam criminalibus et mixtis, necnon taxas exactionum gabellarum et cuiusvis generis gravaminum, pondera quoque et mensuras revidendi, illaque ad debitum et convenientem iustitiae modum reducendi, etiam quatenus ad appaltatores camerales spectat, iuxta tabellas eiusdem camerae (ita tamen ut quantum ad hos procedas cum facultatibus dilecti filii camerae nostrae apostolicae tesaurarii generalis, quas tibi ad hunc effectum communicamus), ac cum eisdem facultatibus recognoscendi omne genus gravaminum, quae iidem appaltatores vel subcollectores spoliorum, sive alii ministri et officiales, aut commissarii, tam civiles quam criminales, aliique quilibet per litteras patentes dictae camerae deputati [1], quovis modo forsan inferant, et signanter per gabellas quae noviter introductae asseruntur absque beneplacito apostolico et facultate necessariâ, et observantiam edicti Aldobrandini nuncupati aliarumque ordinationum et mandatorum variis temporibus datorum et factorum et nuper innovatorum procurandi, rationes et computa solidandi, ac controversias, inter communitates et universitates necnon appaltatores sive alios ministros et officiales ac commissarios seu deputatos huiusmodi respective vertentes, componendi et decidendi, repartitiones quoque, quae pro reparatione viarum et pontium fiunt, revidendi, atque, si quid in his inordinatum repereris, damnum iniuste gravatis [2] refici curandi, ac providendi ut repartitiones huiusmodi in futurum debitâ rectitudine et quantum fieri poterit minori cum subditorum nostrorum detrimento fiant, et pro praemissorum omnium executione contra quascumque personas etiam quovis privilegio et exemptione suffultas procedendi, abusus et inconvenientia quaecumque circa exactiones onerum publicorum, tam cameralium, quam communitativorum, necnon in ceteris omnibus, quae servitium et sublevamen camerae et communitatum ac universitatum subditorumque nostrorum praedictorum concernunt, quomodolibet introductos et emanata respective tollendi, perimendi et abolendi, ac denique omnia et singula alia, commodum annonae et camerae necnon communitatum et universitatum subditorumque huiusmodi concernentia, ad instar congregationis super bono regimine communitatum et universitatum Status nostri Ecclesiastici praedicti deputatae, faciendi, dicendi, mandandi et exequendi, praescribendi etiam in eis regulas et ordinationes, quibus, ut abusus huiusmodi de cetero non committantur subditique nostri ab indebitis gravaminibus immunes serventur, opportune provideri possit.

Ab eius decretis non admittitur appellatio, nisi ad congregationem deputatam.

§ 3. Volumus autem ut a decretis et ordinationibus per te vigore praesentium faciendis nulla ad quoscumque iudices admittatur appellatio, sed recursus tantum habeantur ad memoratam congregationem super sublevamine deputatam.

Derogatio contrariorum.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac civitatum, terrarum, oppidorum et locorum praefatorum, aliisque quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet con-

1 Ed. Main. legit *deputari* pro *deputati* (R. T.)
2 Male item ed. Main. legit *gravaris* pro *gravatis* (R. T.).

cessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die v augusti MDCLXVIII, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 5 augusti 1668 pontif. an. II.

LXXI.

Nova concessio Bullae cruciatae Portugalliae ad triennium, à die quo Ulyssiponae, quoad Portugalliam, et, quoad loca ultramarina, a die quo in illis respective publicabitur, computandum.

Clemens Papa IX,
ad futuram rei memoriam.

Concessiones cruciatae Portugalliae recensentur.

§ 1. Indulgentias et gratias illas spirituales et temporales, ad certum tempus publicandas et duraturas, per Sedem Apostolicam concedi consuetas omnibus et singulis christifidelibus in Portugalliae et Algarbiorum regnis ac eorumdem regnorum insulis in Indiis Orientalibus et ultramarinis conquisitis terris et locis eorumdem regnorum Portugalliae et Algalbiorum huiusmodi dominio temporali subiectis commorantibus et ad illa declinantibus, necnon regnorum praedictorum subditis in alieno dominio in dictis Indiis mercimonii causâ (non tamen animo in alieno dominio huiusmodi permanendi) degentibus, qui certa numera adimplevissent, a felicis recordationis Gregorio XIV die VI aprilis, pontificatus sui anno I, et deinde a Clemente VIII die IX februarii MDXCII, et XVI iannuarii MDXCVIII, et die VIII octobris MDCIII, necnon die XXIII aprilis MDCIV, et postea a Paulo V die XXII iunii MDCV ad triennium, et die XVI decembris MDCIX ad sexennium, et die XXIII decembris MDCXV ad aliud sexennium, et postmodum a Gregorio XV die XVI septembris MDCXXI, et subinde ab Urbano VIII die X iunii MDCXXV ad sexennium, et die XI februarii MDCXXXI ad aliud sexennium, ac die ultimâ ianuarii MDCXXXVII ad aliud item sexennium, necnon die XV ianuarii MDCXLIII pariter ad sexennium, ac ab Innocentio X die XXII iunii MDCLII etiam ad sexennium, et novissime ab Alexandro VII[1], Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris, die XX octobris MDCLX, seu aliis verioribus temporibus, per suas in simili formâ Brevis litteras, ad aliud etiam sexennium respective pariter publicandas[2] et duraturas, concessas, et seu, ut praefertur, extensas et prorogatas, finitasque et terminatas, quarum omnium tenores praesentibus pro expressis haberi volumus, iustis et gravibus causis adducti, motu proprio et ex certâ scientiâ maturâque deliberatione nostris, ac de apostolicae potestatis plenitudine, omnibus christifidelibus praedictis, cum omnibus et quibuscumque indultis, facultatibus, concessionibus, declarationibus, extensionibus, conditionibus, clausulis et decretis in litteris eiusdem Urbani praedecessoris contentis, ad triennium a die quo praesentes nostrae litterae in civitate Ulyssiponensi quoad praedicta regna Portugalliae et Algalbiorum, quo vero ad loca ultramarina praedicta, a die quo in singulis locis huiusmodi respective publicabuntur, computandum, apostolicâ auctoritate, earumdem tenore praesen-

Novam cruciatam imponit prout in rubricâ.

1 Edit. Main. legit *VIII* (R. T).

2 Forsan *publicatas* pro *publicandas* (R. T).

tium, modo et formâ infrascriptis, de novo concedimus et indulgemus.

Cassat privilegia locis piis concessa.

§ 2. Ac insuper omnia et quaecumque privilegia et facultates, quibuscumque ecclesiis, monasteriis, ordinibus, confraternitatibus et aliis locis piis, et personis quibuslibet, ut praetenditur, quacumque etiam forsan apostolicâ auctoritate quandocumque etiam per viam communicationis ac etiam motu simili et aliàs quomodolibet concessa, seu ab illis praetensa, praedictis indulgentiis et gratiis sive spiritualibus sive temporalibus similia, vel in earum defectum pro illis et illarum vice valitura et profutura, etiamsi speciali indigerent mentione, auctoritate et tenore praedictis, perpetuo revocamus, cassamus, abolemus et annullamus, neminique in posterum suffragari posse aut debere decernimus.

Deputat commissarium.

§ 3. Quamobrem, de fide, industriâ et probitate dilecti filii Antonii de Mendoza canonici doctoralis ecclesiae Portalegrensis multam in Domino fiduciam habentes, eumdem Antonium indulgentiarum et gratiarum spiritualium et temporalium praedictarum in regnis, terris et locis supradictis, cum omnibus et singulis indultis, facultatibus, concessionibus, declarationibus, extensionibus, clausulis et decretis in ultimodictis Pauli praedecessoris praedicti litteris expressis, executorem commissarium generalem, auctoritate et tenore praedictis, deputamus, eidemque plenam et liberam in praemissis facultatem et auctoritatem tribuimus, per se, vel alium, seu alios, quos ad id idoneos duxerit, eligendos, ad executionem praemissorum et aliàs iuxta facultates concessas, omni et quacumque appellatione postpositâ, procedendi, aliaque faciendi et exequendi, quae in praemissis et circa ea necessaria fuerint et quomodolibet opportuna.

Contrariis derogat.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac ecclesiarum, monasteriorum, conventuum, et Ordinum quorumcumque, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, indulgentiis, facultatibus et litteris apostolicis, quibusvis ecclesiis, etiam cathedralibus et metropolitanis, necnon monasteriis et conventibus tam virorum quam mulierum, etiam Mendicantium, etiam quae *mare magnum* appellantur, et quorumvis Ordinum, etiam militiarum, illorumque superioribus et personis, universitatibus etiam studiorum generalium, collegiis[1] secularium et regularium personarum, confraternitatibus et aliis locis piis, sive in causam et pro expeditione contra Turcas et alios fidei hostes, necnon pro fabricâ basilicae Principis Apostolorum de Urbe, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis clausulis et decretis, etiam motu, scientiâ, deliberatione et potestatis plenitudine similibus, et aliàs quomodolibet concessis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro sufficienti illorum derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda esset, tenores huiusmodi praesentibus pro expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, motu, scientiâ et potestatis plenitudine paribus, praeterquam quoad facultates concessas Mendicantium Ordinum superioribus quoad suorum Ordinum fratres, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

1 Edit. Main. legit *collegii* (R. T.).

Aliqua quoad eleemosynarum usus statuit.

§ 5. Volumus autem ut eleemosynae, quae causâ et occasione dictarum indulgentiarum et gratiarum erogabuntur, in usus in praecedentibus litteris apostolicis praedictis ordinatos dumtaxat convertantur, et non aliis usibus applicentur; quodque eleemosynae sexaginta millium ducatorum auri de camerâ fabricae praedictae basilicae Principis Apostolorum de Urbe pro quolibet sexennio hactenus solvi consuetae medietas ex eleemosynis praedictis, videlicet decem millia ducatorum huiusmodi quolibet anno durante dicto triennio per praesentes concesso inchoando a die publicationis praesentium in civitate Ulyssiponensi respectu solutionis integrae eleemosynae huiusmodi, respectu vero fruitionis indulgentiarum huiusmodi a die illarum publicationis ut supradictum est faciendae (unâ cum terminis et residuis praecedentium sexenniorum decursis, et non solutis, si qui extant), fabricae praedictae, et, pro eâ, personae ad hoc a congregatione venerabilium fratrum nostrorum

Exequutorem deputat.

S. R. E. cardinalium negotiis dictae fabricae praepositorum deputatae, et pro tempore deputandae, omnino solvantur, utque pro solutione huiusmodi idem Antonius et pro tempore existens gratiarum praedictarum executor et commissarius generalis, antequam praesentes publicentur, et ad illarum exequutionem quomodolibet procedatur, sese in ampliori formâ camerae apostolicae in favorem fabricae praedictae obliget; decernentes irritum et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Decretum irritans.

Aliqua addit de monetis.

§ 6. Quoniam vero non reperiuntur in illis partibus ducati auri de camerâ huiusmodi, quorum singuli constant ex scuto uno auri in auro de stampis aequivalente mediae duplae aureae Hispaniae ac ex uno iulio baiocchorum decem monetae romanae aequivalente regali ulyssiponensi iuxta pondus et intrinsecam bonitatem antiquam: idcirco volumus ut pro unoquoque ducato auri de camerâ huiusmodi, pro triennio per praesentes concesso, solvatur fabricae praedictae media dupla aurea hispanica et unus regalis Ulyssiponensis secundum pondus et intrinsecam bonitatem antiquam, vel saltem verus dictae mediae duplae aureae nunc et pro tempore currens et regalis huiusmodi valor, alioquin aliter facta solutio ab obligatione non liberet, eoque casu, ac etiam in eventum non factae, ut supra, per dictum commissarium obligationis ante praesentium publicationem, praesens concessio nulla sit eo ipso, neminique suffragetur; pro terminis vero et residuis praecedentium sexenniorum decursis et non solutis, si qui extent, solvantur ducati huiusmodi ad rationem eius valoris, ad quam hactenus fuit consuetum solvi; utque fabrica, seu illius congregatio praedicta, pro damno quod ratione solutionis eleemosinae praedictae in minori quantitate quam veri valoris unius scuti aurei et unius iulii praedicti pro sexenniis praeteritis factae passa est, nihil omnino petere, neque damnum huiusmodi sibi refici et resarciri praetendere ullatenus possit; imponentes illi eâ super re perpetuum silentium.

Transumpti fides danda.

§ 7. Demum, ut praesentes litterae ad omnium notitiam deduci possint, decernimus quod earum exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides tam in iudicio quam extra adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Ma-

iorem, sub annulo Piscatoris, die XIV augusti MDCLXVIII, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 14 augusti 1668, pontif. anno II.

LXXII.

Licentia duci et senatui Reipublicae Venetorum vendendi quaedam bona ecclesiae S. Marci Venetiarum, eorumque pretium convertendi in usus praesentis belli contra Turcas [1].

Dilecto filio nostro Ioanni S. R. E. cardinali Delphino nuncupato, patriarchalis ecclesiae Aquileiensis ex concessione et dispensatione apostolicâ praesuli, ac venerabili fratri Laurentio archiepiscopo Cartaginensi, nostro et Apostolicae Sedis in dominio Venetorum nuncio,

Clemens Papa IX.

Dilecte fili noster, ac venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

Motiva praesentis Constitutionis.

§ 1. Exponi nobis nuper fecerunt dilecti filii viri dux et senatus Reipublicae Venetiarum, quod (cum eiusdem Reipublicae facultates, ex causâ belli quod contra Turcarum tyrannum, eius ditionem iamdiu et nunc acrius atque formidabilius quam antheac infestantem, gerit, plurimum accisae sint, promptoque ad ipsius Reipublicae tuitionem opus sit pecuniarum subsidio, quod in praesentibus rerum angustiis parari vix potest; ad ecclesiam vero ducalem ac seminarium ducalem S. Marci Venetiarum legitime spectent quaedam bona stabilia in agro seu ditione Bergomensi ad confinia Status Mediolanensis posita, et eidem ecclesiae dudum a felicis recordationis Sixto IV, Innocentio VIII et Clemente VIII Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris perpetuo unita, quae antehac septem millia et septingentos ducatos monetae illarum partium, vel circiter, annuatim reddebant, sed de praesenti, cum, propter conductorum defectum, maiorem partem publicitus ad culturam dentur, supra modum diminutus reperitur pristinus eorum proventus, cui etiam multum decedit propter impensas et onera ipsorum bonorum ac utilitatem [1] pretii frugum, et interdum etiam propter alterationem cursus monetarum, qui in illis regionibus limitrophis non semper in iusto aequilibrio contineri potest) ipsi dux et senatus bona praefata, meliori qua fieri poterit conditione, vendere et alienare, pretiumque inde proventurum in usus praesentis belli contra Turcas erogare, ac memoratae ecclesiae S. Marci redditus annuos, perpetuos, tutos et securos, ad rationem quatuor annuatim pro quolibet centenario pretii huiusmodi, Venetiis prompte atque accurate solvendos, unde ecclesiae et seminarii huiusmodi necessitatibus, onerumque illis incumbentium adimplemento expeditius consuletur, praestare et assignare intendunt, si nostra et huius Sanctae Sedis sibi super hoc licentia suffragetur et facultas. Nobis propterea dux et senatus praedicti, asserentes praemissa, si fiant, non minus in evidentem dictae ecclesiae utilitatem, quam in Reipublicae praefatae opportunam subventionem esse cessura, humiliter supplicari fecerunt ut sibi desuper opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Concedit Pontifex ut in rubricâ.

§ 2. Nos igitur, ipsorum ducis et senatus desiderio hac in re favorabiliter, quantum cum Domino possumus, annuere volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

1 Videtur legendum *vilitatem* pro *utilitatem* (R. T.).

ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, circumspectioni tuae, fili Ioannes cardinalis et praesul, ac fraternitati tuae, frater Laurenti archiepiscope et nuncie, per praesentes committimus et mandamus, quatenus, si et postquam, vocatis qui fuerint evocandi, ac praedictis bonis et illorum confiniis, vocabulis ac denominationibus prius coram vobis specificatis, de veritate narratorum, quodque venditio et assignatio huiusmodi, si fiant, in evidentem memoratae ecclesiae S. Marci sint cessurae utilitatem, vobis coniunctim procedentibus legitime constiterit, super quo conscientiam vestram oneramus, eisdem duci et senatui praedicta bona, meliori qua fieri poterit conditione, vendendi et alienandi, pretiumque inde redactum in usus praesentis belli contra Turcas convertendi et erogandi licentiam auctoritate nostrâ apostolicâ concedatis; ita tamen ut, loco eorumdem bonorum, in formâ iuris validâ, unico contextu, assignentur ipsi ecclesiae redditus annui perpetui, tuti et securi iuxta quantitatem pretii dictorum bonorum ad rationem quatuor pro centenario, super datiis et gabellis perpetuis et tutis, ac nulli alteri obnoxiis, previâ super hoc ipsius Reipublicae obligatione, qui quidem redditus integre ac libere ab iis ad quos pertinet solvantur Venetiis ipsi ecclesiae S. Marci, seu illius ministris, de semestri in semestre.

Contrariis derogat.

§ 3. Non obstantibus recolendae memoriae Pauli II et aliorum Romanorum Pontificum praedecessorum pariter nostrorum de rebus Ecclesiae non alienandis, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon dictae ecclesiae S. Marci, aliisve quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XVIII augusti MDCLXVIII, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 18 augusti 1668, pontif. anno II.

LXXIII.

Concedit regi christianissimo eiusque successoribus ius nominandi ad ecclesiam Tornacensem [1].

Carissimo in Christo filio nostro Ludovico, Francorum regi christianissimo. Clemens Papa IX.

Carissime in Christo fili noster, salutem et apostolicam benedictionem.

Exordium.

Praeclara maiestatis tuae ac progenitorum et maiorum tuorum regum christianissimorum, principum longe clarissimorum, invictissimorumque Christi atletarum, ac egregiorum Sedis Apostolicae cultorum, promerita exigunt, ac praecipuus, quo eamdem maiestatem tuam, filiali erga nos et eamdem Sedem observantiâ ac pietate, orthodoxae fidei conservandae et propagandae zelo, aliisque rege christianissimo dignis virtuti-

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

bus atque decoribus multipliciter praefulgentem, prosequimur, paternae charitatis affectus nos urget atque impellit ut tibi tuisque successoribus regibus christianissimis luculenta pontificiae nostrae benignitatis dona largiamur, firmâ spe atque fiduciâ in Domino freti fore ut tam tu quam successores tui reges praefati, viae antecessorum regum vestigiis impressae inhaerentes, populos ditioni vestrae creditos in fide catholicâ ac vetere erga Sedem praedictam obedientiâ continere pari laude conaturi, constitutionesque apostolicas in universis dominiis vestris debitae semper exequutioni mandari ac Sedis eiusdem honorem et auctoritatem illibatos conservari omni studio sitis curaturi.

Ius nominandi ad ecclesiam Tornacensem.

§ 1. Volentes itaque tibi, qui, ut accepimus, civitatem Tornacensem, maiestati tuae a carissimo in Christo filio nostro Carolo Hispaniarum rege catholico per tractatum pacis inter utriusque vestrum plenipotentiarios in oppido Aquisgrani, Leodiensis dioecesis, die 11 maii proxime praeteriti initum, et subinde utrinque ratificatum, in perpetuum cessam et renunciatam, de praesenti possides, tuisque successoribus regibus Francorum christianissimis, quo regiam benevolentiam erga personas benemeritas vobisque gratas et acceptas exercere valeatis, gratiam facere specialem, ac sperantes te ac illos in nominandis ad ecclesiam Tornacensem nunc et pro tempore pastoris solatio destitutam personis, quae vitae integritate, religione, fide et doctrinâ praestent, ac episcopalis muneris praerogativâ dignae sint, summum studium summamque diligentiam semper adhibituros, nec conscientiam vestram hac in re ullo modo laedi passuros esse, motu proprio ac ex certâ scientiâ nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, tibi tuisque successoribus regibus Francorum christianissimis, qui pro tempore eamdem civitatem Tornacensem possederint, ius nominandi personam idoneam in theologiâ magistrum, aut in decretis doctorem, seu licentiatum nobilium universitatum more diligenti examine praecedente promotum, ad ecclesiam Tornacensem praedictam nunc vacantem, et quotiescumque illam vacare contigerit, nobis et Romano Pontifici, qui pro tempore fuerit, per nos et eumdem Pontificem in episcopum Tornacensem ad nominationem huiusmodi instituendam, tenore praesentium, in perpetuum reservamus atque concedimus, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, decernimus.

Decretum irritans.

§ 2. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac praedictae ecclesiae Tornacensis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis etiam eidem ecclesiae, eiusque capitulo, ac quibusvis aliis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis, etiam motu proprio, ac ex certâ scientiâ, ac consistorialiter concessis, ac etiam iteratis vicibus confirmatis et innovatis; quibus omnibus, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum insererentur et exprimerentur,

Derogatio contrariorum.

praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, illaque adversus praemissa suffragari nullomodo posse seu debere decernimus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXVII augusti MDCLXVIII, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 27 augusti 1668, pontif. an. II.

LXXIV.

Ampliatio iuris nominandi ad dignitates abbatiales et regimina monasteriorum, prioratus, praeposituras seu praepositatus conventum habentes, in quibusdam ditionibus Belgicis consistentia, regi christianissimo antehac concessi, ad similia beneficia consistentia in aliis ditionibus Belgicis, ei per nuperum tractatum pacis a rege catholico concessis et renunciatis [1].

Carissimo in Christo filio nostro Ludovico, Francorum regi christianissimo, Clemens Papa IX.

Carissime in Christo fili noster, salutem et apostolicam benedictionem.

Prooemium. § 1. Praeclara maiestatis tuae, ac progenitorum et maiorum tuorum regum christianissimorum, principum longe clarissimorum, invictissimorumque Christi athletarum, ac egregiorum Sedis Apostolicae cultorum, promerita exigunt, ac praecipuus, quo eamdem maiestatem tuam, filiali erga nos et eamdem Sedem observantiâ ac pietate, orthodoxae fidei conservandae et propagandae zelo, aliisque rege christianissimo dignis virtutibus atque decoribus multipliciter praefulgentem, prosequimur, paternae charitatis affectus nos urget atque impellit ut tibi uberiora pontificiae nostrae benignitatis dona largiamur; firmâ spe atque fiduciâ in Domino freti fore ut tu, viae eorumdem maiorum tuorum vestigiis impressae inhaerens, populos ditioni tuae creditos in fide catholicâ, ac vetere erga Sedem praedictam obedientiâ continere pari laude conaturus, constitutionesque apostolicas in universis dominiis tuis debitae semper executioni mandari ac Sedis eiusdem honorem et auctoritatem illibatos conservari omni studio sis curaturus.

Ius nominandi ad dignitates abbatiales aliàs regi ad vitam Pontifex concesserat.

§ 2. Aliàs siquidem nos, tuis supplicationibus inclinati, tibi, tuâ tantum vitâ durante, et quamdiu in sinceritate fidei et unitate S. R. E., necnon obedientiâ et devotione nostris et successorum nostrorum Romanorum Pontificum canonice intrantium persisteres, ius et facultatem nominandi nobis et Romano Pontifici pro tempore existenti tam ad dignitates abbatiales aut quorumcumque monasteriorum regimina, etiam per priores aut praepositos regi et gubernari solitorum, quam etiam ad quoscumque prioratus, praeposituras aut praepositatus conventum habentes intra urbes Atrebatum, Hesdinum, Bapalmam, Bethuniam, Lilerium, Lentiacum, comitatum S. Pauli, Teruanam, Passium, earumque balliviatus, aliosque balliviatus et castellanias agri Atrebatensis, necnon Rentiacum, urbes itidem arcesque Gravelingam, arcem Philippeam, Slusam, Hannuinum, Burburgum et urbem S. Venantii in Flandria, Landreceium et Quercetum in Hannonia, Avennam quoque, Mariaeburgum et Philippopolim, insuper in agro Lucemburgico Theodonis villam, Malmedium, Damuillerium, urbem Ivodium,

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

eiusque praeposituram, castrum Chavanciacum eiusque praeposituram[1], et Marvillam, earum balliviatus, castellanias, praefecturas, praeposituras, territoria, dominia, ditiones, accessiones, appendices et adiuncta, a te tunc et per totum annum MDCLXVI possessa, dumtaxat, consistentes et consistentia, dummodo intra septa illorum existerent, etiamsi sub temporali dominio aliorum procerum consisterent, vel temporalem iurisdictionem haberent, ac etiamsi prioratus, praepositurae aut praepositatus et non monasteria nuncuparentur, pro tempore vacantes seu vacantia, per nos et Romanos Pontifices successores nostros ad nominationem tuam infra decem menses a die cuiuslibet vacationis faciendam, ac nobis et Romano Pontifici pro tempore existenti praesentandam, conferendos et conferenda, auctoritate apostolicâ, de speciali dono gratiae concessimus et indulsimus; itaut de dictis dignitatibus abbatialibus, aut quibuscumque monasteriis, prioratibus, praeposituris et praepositatibus praedictis, pro tempore vacantibus, absque nominatione tuâ praedictâ, de aliis vero sub nominatione huiusmodi non comprehensis, et absque illâ libere conferendis, dignitatibus videlicet secularibus principalibus et regularibus actu non conventualibus infra praedictos districtus consistentibus, nonnisi de locis tuae ditioni subiectis aut tibi gratis et acceptis personis per nos et successores nostros Romanos Pontifices et Sedem eamdem pro tempore disponi et respective provideri minime posset, et aliàs prout in nostris desuper in simili formâ Brevis die IX aprilis proximi praeteriti expeditis litteris[2], quarum tenorem praesentibus pro plene et sufficienter expresso ac de verbo ad verbum inserto haberi volumus, uberius continetur.

Ampliat tale ius ad alias civitates cessas ut in rubrica.

§ 3. Cum autem, sicut accepimus, carissimus in Christo filius noster Carolus Hispaniarum rex catholicus nonnullas alias civitates, oppida, arces, regiones, districtus et loca, in Belgicis ditionibus consistentia, maiestati tuae per tractatum pacis inter utriusque vestrum plenipotentiarios in oppido Aquisgrani, Leodiensis dioecesis, die II maii proxime praeteriti initum, et subinde utrinque ratificatum, in perpetuum cesserit et renunciaverit: nos, maiestatem tuam, quo regiam benevolentiam erga personas benemeritas tibique gratas et acceptas uberius exercere valeas, amplioris gratiae favore prosequi volentes, ac sperantes te in nominandis ad infrascripta beneficia personis, quae vitae integritate, religione, fide et doctrinâ praestent, summum studium summamque diligentiam semper adhibiturum, nec conscientiam tuam hac in re nullo modo laedi passurum esse, iteratis tuis hac in parte supplicationibus inclinati, tibi, tuâ tantum vitâ durante, et quamdiu in sinceritate fidei et unitate S. R. E. necnon obedientiâ et devotione nostris et successorum nostrorum Romanorum Pontificum canonice intrantium perstiteris[1], concessionem iuris et facultatis nominandi nobis et Romano Pontifici pro tempore existenti ad supradictas dignitates abbatiales et regimina monasteriorum, etiam per priores et praepositos regi et gubernari solitorum, necnon prioratus et praeposituras aut praepositatus conventum habentes, tibi a nobis per litteras nostras praedictas factam, ut praefertur, ad quascumque similes

1 Pericopes ista supra in loc. parall. pag. 652 *b* deest (R. T.).

2 Quas vide supra pag. 651 (R. T.).

1 Male edit. Main. legit *praestiteris* pro *perstiteris* (R. T.).

dignitates abbatiales ac regimina quorumcumque monasteriorum etiam per priores et praepositos regi et gubernari solitorum, necnon quoscumque prioratus, praeposituras aut praepositatus conventum habentes, in civitatibus, oppidis, arcibus, regionibus, districtibus et locis tibi a memorato Carolo rege per praedictum tractatum pacis cessis et renunciatis, et quae de praesenti possides, et in futurum vigore tractatus pacis huiusmodi in Belgio pacifice possidebis, dumtaxat, consistentes et consistentia, servatâ tamen in reliquis supradictarum litterarum formâ et dispositione, ac cum omnibus et singulis clausulis, decretis, declarationibus et indultis in eisdem litteris quomodolibet contentis et expressis, eâdem auctoritate, tenore praesentium, extendimus et ampliamus.

Derogatio contrariorum.

§ 1. Non obstantibus quibuscumque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac singulorum prioratuum, praeposituratum et praepositatuum praedictorum, ac Ordinum quorum illa sunt, seu a quibus dependent, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis clausulis et decretis, in genere vel in specie, ac aliàs in contrarium quomodolibet concessis, approbatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua mentio seu quaevis alia expressio habenda foret, illorum tenores praesentibus pro expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXVII augusti MDCLXVIII, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 27 augusti 1668, anno II.

LXXV.

Super contributione ecclesiasticorum Castellae et Legionis in novo subsidio duodecim millionum, et tercentorum millium ducatorum pro rege catholico[1].

Carissimo in Christo filio nostro Carolo, Hispaniarum regi catholico, Clemens Papa IX.

Carissime in Christo fili noster, salutem et apostolicam benedictionem.

Exordium.

Orthodoxae fidei conservandae et propagandae zelus, ac singularis in hanc Sanctam Sedem devotio, aliaque multiplicia merita, quibus clarae memoriae reges Hispaniarum catholici progenitores tui eximie claruerunt, necnon praeclara, quae in istâ tenerâ aetate tuâ elucet ad virtutem indoles, ex qua firmam concepimus in Domino spem atque fiduciam fore ut, succedentibus tibi cum Dei benedictione annis, maiorum tuorum vestigiis inhaerendo, non minori regiarum virtutum fulgore resplendeas, plane exigunt ut subsidia pro eiusdem fidei dominiorum tuorum praesertim adversus haereticorum conatus defensione, a tuis subditis prompte tibi oblata, quantum cum Domino possumus, ac prout postulare videtur temporum conditio, adiuvemus.

Motiva huius Constitutionis.

§ 1. Cum itaque, sicut maiestatis tuae nomine nobis nuper expositum fuit, laici subditi tuorum regnorum Castellae et Legionis in eorum comitiis sive curiis (praeter et ultra subsidium novemdecim millionum cum dimidio alterius

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

millionis ducatorum monetae Hispaniae durante sexennio a die 1 augusti proxime praeteriti incipiendo solvendum mediante impositione quarumdam gabellarum sive sisarum, ad quarum solutionem sive contributionem clerum ac personas ecclesiasticas seculares et regulares eorumdem regnorum Castellae et Legionis pro eorum ratâ ad instar laicorum dicto sexennio durante teneri per quasdam nostras in simili formâ Brevis die xx martii proxime praeteriti expeditas litteras[1], quarum tenorem praesentibus pro plene et sufficienter expresso et verbatim inserto haberi volumus, sub certis modo et formâ tunc expressis, decrevimus et concessimus) aliud subsidium infrascriptum pariter durante sexennio a dictâ die 1 augusti proxime praeteriti incipiendo solvendum eidem maiestati tuae praestare prompte obtulerint, et ad hunc effectum consenserint impositioni quatuor morapetinorum super qualibet mensurâ vini *arroba* vulgariter nuncupatâ, necnon unius morapetini super qualibet librâ carnis, ac unius regalis monetae praedictae super quolibet animali mactato, ad hoc ut exinde trecenta vel circiter millia ducatorum eiusdem monetae pro solvendis stipendiis octo millium militum annuatim conficiantur; praeterea praestationi duorum millionum ducatorum parium, qui vulgariter vocantur *milliones de quiebras* sive supplementi dictorum novemdecim et dimidii millionum eo quod concedantur pro supplendo eo quod minus exigitur ex gabellis impositis pro solutione eorumdem novemdecim et dimidii millionum, quae summa duorum millionum distribuitur inter civitates et oppida proportionatim, permissâ illis electione mediorum magis congruentium pro illorum exactione; et quia in aliquibus partibus eligitur impositio super carnibus, vino et oleo, in aliis vero ei rei consulitur per repartitionem personalem super laicis, sive per licentiam proscindendi et excolendi terras communitatum, ac per caesionem arborum et silvarum, aliaque similia media, ecclesiasticos id solum contingit, quod super speciebus, vini, carnis et olei imponitur; item duorum millionum cum dimidio alterius millionis ducatorum similium solvendorum mediante impositione octo morapetinorum super qualibet librâ piscis recentis marini vel fluvialis (exceptis tamen sardis salitii, halecibus et mugilibus, *albures* vulgariter vocatis, ex quibus pauperes sustentantur), et septem regalium super qualibet mensurâ *arroba* nuncupatâ sacchari quod in regno Granatae conficitur, necnon quatuor super mascavato, et duorum regalium dictae monetae super illo quod de spumâ, panelâ et coguzos vulgariter vocant, ac viginti quatuor morapetinorum super illo de melaza et melle de spumâ nuncupato; insuper praestationi aliorum sex millionum ducatorum parium in spatio eiusdem sexennii solvendorum, nempe trium millionum per impositionem quatuor morapetinorum super qualibet librâ sexdecim unciarum carnis vevercinae, bubulae, caprinae, hircinae et porcinae, ac quatuor regalium pro quolibet animali in locis publicis ac privatorum aedibus mactando, vel ex regnis praedictis exportando, ac reliquorum trium millionum ducatorum monetae huiusmodi per impositionem triginta duorum morapetinorum super qualibet mensurâ *cantara* nuncupatâ vini, aceti et olei in eisdem regnis consumendorum seu inde extrahendorum respective, quae omnia sint exigenda ac percipienda durante sexennio incipiendo a praedictâ die 1 au-

1 Quas habes supra pag. 633 (R. T.).

gusti proxime praeteriti, nempe pro sextâ illorum parte quolibet anno eiusdem sexennii, ac solvantur ex praedictis gabellis sive oneribus super praedictas rerum species, ut praefertur, impositis; ita ut omnes tam laici quam ecclesiastici praedictorum regnorum, non solum ementes et vendentes, sed etiam illi qui praedictas rerum species percipiunt ex propriis terrenis vel affictibus, aut respective emunt in uvis vel olivis, seu colligunt pro decimis, aut etiam dono accipiunt, seu aliàs ex quovis alio reditu et introitu habent et consumunt, laici quidem omnes cuiuscumque status, gradus et conditionis ac praeeminentiae (nemine illorum immuni aut exempto) ad id subsidium contribuere, ac gabellas seu impositiones huiusmodi solvere, ecclesiastici vero eorumdem regnorum, si et postquam nostra et huius Sanctae Sedis licentia et approbatio accederet, in subsidio huiusmodi, scilicet in praedictis gabellis super eisdem speciebus impositis, contribuere, et gabellas seu impositiones praedictas iuxta litterarum nostrarum in formâ Brevis super licentiâ seu approbatione huiusmodi expediendarum formam, continentiam et tenorem persolvere deberent respective: idcirco pro parte maiestatis tuae nobis fuit humiliter supplicatum pro approbatione oneris cleri, ecclesiarum, locorumque piorum, ac personarum ecclesiasticarum ad contribuendum in praedicto sexennio, a praedicto mense augusti currentis anni MDCLXVIII et ut sequitur usque ad mensem augusti MDCLXXIV finiendo, in praedictis gabellis et oneribus iam ut praefertur impositis pro solutione quantitatum supra expressarum, attento quod (ut maiestas tua asserit) agatur de communi defensione et interesse tam laicorum quam cleri, ecclesiarum, locorum piorum et personarum ecclesiasticarum praedictorum regnorum, quodque facultates laicorum ad praedictas summas novi subsidii huiusmodi conficiendas eâ qua expedit celeritate intra tempus opportunum non sufficerent.

Concedit Pontifex et exactores deputat.

§ 2. Nos igitur, nedum promptam et obsequentem eorumdem laicorum subditorum tuorum erga te oblationem, sed etiam maiestatis tuae tuorumque progenitorum erga fidem catholicam zelum commendantes, et ad ingentes sumptus, quibus maiestas tua gravatur ob assidua bella quae pro defensione fidei catholicae tuorumque regnorum et dominiorum iugiter in pluribus orbis partibus tu tuique praedecessores reges sustinuistis bella[1], accisasque aerariorum tuorum vires ac urgentissimas necessitates tuas paternae dirigentes considerationis intuitum, motu proprio, ac ex certâ scientiâ et maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, volentes maiestatem tuam favore prosequi gratioso, clerum, omnesque et singulas ecclesias, loca pia, personasque ecclesiasticas, tam seculares quam cuiusvis Ordinis, etiam exempti, etiam Societatis Iesu, et Apostolicae Sedi immediate subiecti regulares, necnon monasteria utriusque sexus, conventus ac collegia et capitula quarumcumque ecclesiarum regnorum Castellae et Legionis praedictorum, ac in eisdem regnis commorantes et commorantia, et respective consistentes et consistentia, ad conferendum et contribuendum pro eorum ratâ ad instar laicorum in dictis gabellis seu impositionibus, quoad supra expressas novi subsidii quantitates dumtaxat, mediante scilicet solutione praedictarum gabellarum seu impositionum in praedictis quantitatibus tantum et super praedictis rerum speciebus dumtaxat in di-

1 Vox *bella* iam praecessit (R. T.).

ctis regnis colligendis et consumendis vel inde exportandis ut praefertur impositarum durante sexennio dumtaxat a praedicto mense augusti proxime praeterito ut praemittitur incipiendo et ut sequitur finiendo, et non ultra, teneri et obligatos esse, non tamen quoad praedictas rerum species, quas clerus, ecclesiae, locaque pia praedicta et personae ecclesiasticae praedictae ex propriis terrenis seu decimis et aliis quibuscumque redditibus propriis per se vel alios, etiam affictuarios suos, vel etiam ex eleemosynis, sive ostiatim sive aliquovis modo pro tempore datis et erogatis ac ipsis traditis, percipiunt, et pro divino cultu seu propriis vel familiarum suarum usibus, iuxta taxationem, ubi super his partes discordes fuerint, ad instantiam cuiuslibet earum, expensis tamen perperam contradicentis, per Ordinarios locorum ecclesiasticos seu ab eis deputatos faciendam, consumunt, pro quibus omnino immunes et exempti sint, et, elapso praedicto sexennio, exactio respectu ecclesiasticorum cesset, et nullatenus quovis praetextu vel causâ continuari possit, etiamsi integra summa quantitatum novi subsidii huiusmodi supra expressa non fuisset exacta, quodque, si ante finem sexennii praedicti eadem summa confecta fuerit, ecclesiastici praedicti amplius contribuere, et dictas gabellas sive impositiones, ut praefertur, solvere non debeant, sed praesens gratia expiret, nullaque sit eo ipso, quodque clerus, ecclesiae, loca pia et personae ecclesiasticae praedictae durante praedicto sexennio non possint gravari ratione cuiusvis novi augmenti praedictarum gabellarum et impositionum super eisdem, ac novae impositionis, aliarumque gabellarum et impositionum super quibusvis rerum speciebus, nec etiam pro portionibus *iuros* nuncupatis, de laicorum tantum consensu aliàs erectis et impositis, eorumque fructibus, nisi si et postquam beneplacitum nostrum seu a successoribus nostris concessum fuerit (aliàs, in quolibet casu contraventionis, contraveniens eo ipso absque aliâ monitione et declaratione sententiam excommunicationis maioris, reservatâ illius, ut infra exprimitur, absolutione, incurrat, et ad restitutionem illius, in quo excesserit, teneatur) tenore earumdem praesentium decernimus et declaramus: volentes etiam, quod omnes et singuli ecclesiastici praedicti, solvere recusantes, opportunis iuris et facti remediis per Ordinarios locorum, ecclesiasticos tantum, ad solutionem huiusmodi cogantur, non autem coram iudicibus laicis sive exactoribus earumdem gabellarum sive impositionum, neque coram quibusvis aliis iudicibus laicis aut ministris, sub poenâ excommunicationis maioris et aliis poenis per sacros canones et constitutiones apostolicas inflictis et comminatis ipso facto sine aliâ monitione et declaratione incurrendis, a quibus a nemine praeterquam a nobis et Romano Pontifice pro tempore existente absolvi, etiam vigore quorumcumque privilegiorum apostolicorum, etiam cruciatae sanctae, nequeant, conveniri nullo modo possint seu debeant, sed a praedictis Ordinariis ecclesiasticis tantum ad solutionem huiusmodi compelli valeant; quibus Ordinariis, sub interdicti ingressus ecclesiae et suspensionis a divinis, necnon omnibus et singulis maiestati tuae officialibus et ministris cuiuscumque status, gradus, conditionis, dignitatis et praeeminentiae fuerint, ac aliis quibuscumque etiam speciali notâ dignis, etiam Apostolicae Sedis delegatis et commissariis etiam cruciatae praedictae, ceterisque aliis ad quos quomodolibet spectat et pro tempore spectabit, sub praedictâ excommu-

nicationis maioris poenâ ut praefertur eo ipso incurrendâ, eius absolutione itidem ut supra reservatâ, ac sub obtestatione divini iudicii et interminatione maledictionis aeternae, districte praecipiendo mandamus, ne ecclesias et loca praedicta, ac clerum et ecclesiasticos, aliosque praedictos, indebite, neque ultra, praeter aut contra continentiam et tenorem praesentium nostrarum litterarum, gravent quomodolibet, nec a quoquam gravari permittant; et nedum contra quoscumque contravenientes et quomodolibet inobservantes ad sententiarum et poenarum praedictarum promulgationem et declarationem respective, sed etiam contra eosdem ecclesiasticos seculares et regulares, etiam exemptos, nobisque et Sedi Apostolicae immediate subiectos, etiam Societatis Iesu, solvere recusantes, ad quamcumque simplicem eorumdem exactorum requisitionem, etiam exequutive, et quacumque appellatione remotâ, auctoritate nostrâ procedant.

Usus pecuniarum.

§ 3. Volumus autem ut pecuniae, ex praedictis subsidiis et gabellis sive impositionibus, ut praefertur, a dictis ecclesiasticis exigendae, in praedictos defensionis catholicae fidei ac regnorum et dominiorum tuorum, et non in alios usus, convertantur, super quo maiestatis tuae eiusque ministrorum et officialium quorumcumque conscientiam oneramus.

Clausula *sublatâ* et decretum irritans.

§ 4. Decernentes praesentes litteras validas, firmas et efficaces existere et fore, sicque, et non aliter, quovis praetextu, ratione vel causâ, per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, sublatâ quacumque omnibus et singulis cuiuscumque gradus, status, conditionis, qualitatis, praeeminentiae et dignitatis etiam ecclesiasticae, etiam individuâ mentione dignis quomodolibet in contrarium iudicandi, definiendi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari, interpretari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogat contrariis.

§ 5. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, etiam in generalibus conciliis editis, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, ecclesiis, regnis, personis, capitulis, monasteriis, conventibus, collegiis et aliis praedictis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis, in genere vel in specie, ac aliàs in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, approbatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro sufficienti illorum derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda esset, illorum tenores, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, exprimerentur, praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides.

§ 6. Ut autem praesentes nostrae litterae, cum opus fuerit, ad omnium notitiam facilius devenire possint, decernimus ut earum exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae sigillo munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XII septembris MDCLXVIII, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 12 septembris 1668, pontif. anno II.

LXXVI.

Concessio indulgentiarum pro confraternitatibus Beatae Mariae de Mercede redemptionis captivorum, cum indulto erigendi, instituendi et aggregandi similes confraternitates.

Clemens episcopus,
servus servorum Dei,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium

In supereminenti apostolicae dignitatis speculâ, meritis licet imparibus, a Domino sublimati, ad universos in vineâ Domini, quae est eius Ecclesia curae nostrae divinitus commissa, ad animarum salutem provide consitos, et Sedis Apostolicae benigno favore alitos religiosorum hominum Ordines aciem mentis nostrae inflectentes, et inter eos Ordinem fratrum Beatae Mariae de Mercede nuncupatae, sicut nomine et professione captivorum, quos ex Christi fidelibus dura immanium christiani nominis hostium servitus miseros premit, redemptioni addictum, ita in redimendis huiusmodi captivis fratrum suorum pietatis studio et vigilantiâ singulari cum fructuum ubertate pari coruscare contemplantes, nos ei ea, per quae non solum confoveri, sed multis cum incrementis sese efferre, et elatos ramos charitatis et pietatis in miserorum huiusmodi sublevamen, pro talento sibi a Domino, qui omnibus dat prout vult, commisso, latius diffundere et expandere valeat, eo libentius et liberaliori manu, apertis spiritualium gratiarum, quarum dispensatores facti sumus, thesauris, elargimur et erogamus, quo magis id ad Dei gloriam et animarum salutem iudicamus in Domino successurum.

Expositio.

§ 1. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte dilectorum filiorum Matthiae Cubels, antiquae observantiae, et Andreae a S. Ioseph, familiae reformatae, Ordinis Beatae Mariae de Mercede nuncupatae redemptionis captivorum procuratorum generalium petitio continebat, quod, cum a nonnullis Romanis Pontificibus, praedecessoribus nostris, religiosis et fratribus dicti Ordinis diversas confraternitates seu congregationes personarum secularium utriusque sexus erigendi, seu praefato Ordini vel eius singulis respective domibus regularibus uniendi et incorporandi, seu eidem Ordini aggregandi, ipsisque et eorum secularibus personis sibi competentia privilegia, indulgentias et gratias spirituales, facultates et indulta sibi concessa communicandi attributa sit facultas, seu similes erigendi confraternitates et congregationes consuetudo usu recepta fuerit, et non solum religiosi praefati Ordinis, sed utique etiam confraternitates et congregationes ac seculares earum personae huiusmodi captivorum sub duro barbarorum iugo languentium redemptioni et libertati sedulo incumbant: quare, ut religiosi Ordinis ac confraternitatum seu congregationum huiusmodi seculares personae ad opus tam pium et necessarium efficacius incitentur, et ne indulgentiae ipsi Ordini, et facultates ut praefertur erigendi et aggregandi, de cetero, propter aliquas limitationes seu revocationes aliquorum Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum, in dubium aliquando revocari possint, pro parte dictorum Matthiae et Andreae nobis fuit humiliter supplicatum quatenus in praemissis opportune providere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Quae omnia confirmantur.

§ 2. Nos igitur, qui pia singulorum Ordinum religiosorum in Ecclesiâ Dei recte institutorum vota, quibuscumque cum Domino possumus, modis omnibus promovere studemus, eosdem Matthiam et Andream ac Ordinis et singularum confraternitatum huiusmodi singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodati et innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutos et absolutas fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, ex voto venerabilium fratrum nostrorum sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium super indulgentiis sacrisque reliquiis concedendis praepositorum, religiosis praefati Ordinis, ac singularum confraternitatum seu congregationum eidem Ordini seu alicui ex eius domibus regularibus aggregatarum, illarumque personis utriusque sexus, qui captivorum huiusmodi redemptioni incumbunt, ubicumque degentibus, ceterisque utriusque sexus christifidelibus vere poenitentibus et confessis, qui aliquam ex confraternitatibus praedicto Ordini seu alicui eius domui regulari annexam, aggregatam seu unitam de cetero ingredientur, die primâ eorum ingressus, si SS. Eucharistiae Sacramentum sumpserint;

Largitur indulgentiam confratribus.

§ 3. Ac nunc et pro tempore existentibus dictarum confraternitatum confratribus ubilibet decedentibus, etiam vere poenitentibus et confessis, ac sacrâ communione, si id commode fieri poterit, refectis, vel saltem contritis, in eorum mortis articulo nomen Iesu corde, si ore nequiverint, devote invocantibus; praeterea ipsis confratribus, etiam vere poenitentibus et confessis, ac eâdem sacrâ communione refectis, qui aliquam Ordinis vel confraternitatum huiusmodi ecclesiam seu oratorium ultimâ dominicâ mensis iulii a primis vesperis usque ad occasum solis diei dominicae huiusmodi annis singulis devote visitaverint, quive scapularii, quae singulis mensibus, ac duabus aliis solemnibus processionibus, quarum prima tempore publicationis missionis religiosorum ipsius Ordinis pro redimendis captivis, altera vero post eorumdem captivorum redemptionem de more celebrantur, devote interfuerint, et pias ad Deum preces pro sanctae Matris Ecclesiae exaltatione, inter christianos principes conciliandâ et fovendâ pace, haeresum extirpatione, infidelium conversione, ac Romani Pontificis salute effuderint; qua dominicâ seu aliis diebus huiusmodi id pro tempore fecerint; quive ad partes eorumdem infidelium pro miseris christifidelibus inibi sub misero servitutis iugo deservientibus redimendis progredientur, si ante illorum discessum, ac post illorum reditum; iis vero qui e barbarorum servitute redimentur, si infra mensem, a die illorum redemptionis computandum, idem SS. Eucharistiae Sacramentum sumpserint, et ut praesertur oraverint: plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, concedimus et elargimur. Ac etiam eisdem confratribus habitum dictarum confraternitatum deferentibus, si vere poenitentes et confessi, semel in mense vel in Domini nostri Iesu Christi, aut Beatissimae Virginis Mariae, vel Sanctorum ipsius Ordinis festivitatibus idem SS. Eucharistiae Sacramentum sumpserint; quive quotidie per annum integrum ter orationem dominicam, et toties salutationem angelicam, vel symbolum apostolorum pro impetrandâ fortitudine ac patientiâ iis, qui apud barbaros detinen-

tur in captivitate, ne nomen Domini Iesu Christi negent, sed fortiores in fidei confessione persistant, ac quantocitius ab eâdem servitute liberentur, recitaverint; praeterea eisdem confratribus etiam confessis, vel confitendi firmum propositum habentibus, habitum praefatum deferentibus, qui singulis diebus septies orationem dominicam et toties salutationem angelicam praefatas, ad ipsius Deiparae Virginis Mariae gloriam et honorem; aut ipsum SS. Eucaristiae Sacramentum, dum ad aliquem infirmum defertur, associaverint; vel qui hoc facere impediti, campanae ad id dato signo, genibus flexis septies orationem dominicam et toties salutationem angelicam huiusmodi pro eodem infirmo recitaverint; seu pauperes e captivitate redemptos hospitio receperint, illosve ad ecclesiam Ordinis vel oratorium confraternitatis locorum, in quibus degunt, associaverint: septem annos et totidem quadragenas. Postremo eisdem confratribus, qui in vigiliis festivitatum Domini nostri Iesu Christi, aut Deiparae Virginis Mariae, vel Sanctorum eiusdem Ordinis, sive singulis sextis feriis ac diebus sabbati cuiuslibet hebdomadae, ad Dei omnipotentis et Deiparae Virginis Mariae laudem et gloriam ieiunaverint[1], quive sepeliendis mortuis officiose, aut missis et aliis divinis officiis in ecclesiis seu cappellis Ordinis et confraternitatum huiusmodi more confratrum celebrandis aut congregationibus publicis vel privatis earumdem confraternitatum pro quocumque opere pio exercendo devote interfuerint, aut pauperes peregrinos vel religiosos ipsius Ordinis hospitio exceperint, aut pacem cum inimicis propriis vel alienis composuerint, seu devium aliquem ad viam salutis reduxerint, vel ignorantes Dei praecepta et quae ad salutem sunt necessaria docuerint, aut quinquies orationem dominicam et toties salutationem angelicam praefatas pro animabus confratrum dictarum confraternitatum in Christi charitate defunctorum recitaverint, aut pauperes puellas de suo proprio, non autem aliquo particulari legato pio ad id relicto vel relinquendo, matrimonio collocaverint: toties pro quolibet praemissorum posteriorum operum piorum exercitio tres annos et totidem quadragenas de iniunctis eis aut aliàs quomodolibet debitis poenitentiis misericorditer in Domino, perpetuo, dictâ apostolicâ auctoritate, earumdem tenore praesentium, relaxamus. Ac eisdem confratribus ut indulgentias et peccatorum remissiones praefatas fidelium in Christi charitate defunctorum animabus per modum suffragii possint applicare;

Indulget erectionem confraternitatum.

§ 4. Ac ipsius Ordinis magistro et familiae reformatae praefatae vicario, necnon ambarum familiarum huiusmodi procuratoribus generalibus, nunc et pro tempore existentibus, ut utriusque sexus confraternitates, tam sub praefatae Beatae Mariae de Mercede quam aliâ quacumque invocatione et denominatione, ubivis locorum erigere[1] et instituere, illasque sic erectas et institutas illius archiconfraternitatibus, servatâ tamen formâ constitutionis felicis recordationis Clementis Papa VIII praedecessoris nostri super dictarum confraternitatum erectionibus et aggregationibus editae, aggregare possint et valeant, eâdem auctoritate, etiam perpetuo, earumdem tenore praesentium, indulgemus.

Contrariis derogat.

§ 5. Non obstantibus praefatâ Clementis ac piae memoriae Pauli Papa V etiam praedecessoris nostri similium gratiarum revocatoriâ seu moderatoriâ, necnon nostrâ de indulgentiis ad instar non

1 Ed. Main. legit *ieiunaverunt* (R. T.).

1 Edit. Main. legit *eligere* (R. T.).

concedendis, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Sanctio poenalis. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae absolutionis, concessionis, elargitionis, relaxationis et indulti infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae, apud S. Petrum, anno Incarnationis dominicae MDCLXVIII, VII idus septembris, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 7[1] septembris 1668, anno II.

LXXVII.

Concessio privilegiorum pro suis capellanis communibus.

Clemens Papa IX, ad futuram rei memoriam.

Proœmium. Grata familiaritatis obsequia, quae dilecti filii Michaëlangelus Lualdus Romanus, canonicus secularis, et collegiatae ecclesiae S. Marci de Urbe, Hieronymus Mainerius Aquensis, Nicolaus Nocetus Romanus, Ioannes Guadagnolus Aretinus, Paulus Blanconius Romanus, clericus beneficiatus in Basilicâ Principis Apostolorum, et Franciscus Agnellus Ripanensis, canonicus secularis, et collegiatae ecclesiae Ss. Celsi et Iuliani de eâdem Urbe presbyteri, moderni cappellani, familiares nostri, nobis et Apostolicae Sedi hactenus impenderunt, et adhuc sollicitis studiis impendere non desistunt, necnon vitae ac morum honestas, aliaque laudabilia probitatis et virtutum merita, quibus eorum personas tam familiari experientiâ etiam quam fide dignorum testimoniis iuvari percepimus, nos inducunt ut illis reddamur ad gratiam liberales.

Cappellanos suos Sedis Apostolicae notarios, comites, nobiles et cives creat. § 1. Hinc est quod nos, volentes illos specialibus favoribus et gratiis prosequi, eosque a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, et absolutos fore censentes, motu proprio, et non ad supradictorum Michaëlisangeli, Hieronymi, Nicolai, Ioannis, Pauli et Francisci, vel alicuius ipsorum, aut aliorum pro eis nobis super hoc oblatae petitionis instantiam, sed de merâ nostrâ deliberatione, ac certâ scientiâ, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, Michaëlemangelum, Hieronymum, Nicolaum, Ioannem, Paulum et Franciscum praedictos, et illorum singulos, in nostros et Sedis Apostolicae notarios recipimus ac sacri palatii et aulae Lateranensis comites (sine tamen dilectorum filiorum notariorum de numero participantium praeiudicio), necnon nobiles Romanos et urbis Romae, omniumque et singularum aliarum civitatum, terrarum et locorum S. R. E. mediate vel immediate subiectorum, cives creamus et constituimus, ac in numerum et consortium nostrorum et eiusdem Sedis notariorum, necnon palatii et aulae comitum, ac nobilium Romanorum, aliorumque civium civitatum et oppidorum praedictorum, referimus et conscribimus, ipsisque, etiamsi habitum et rocchettum notariorum dictae Sedis iuxta decretum Lateranensis Concilii novissime celebrati non deferant, aut civitates huiusmodi non incoluerint, nec unquam in eisdem civitatibus domicilium habuerint, ut omnibus et

1 Male ed. Main. ad marg. habet *13* (R. T.).

quibuscumque privilegiis, facultatibus, exemptionibus, immunitatibus, libertatibus, favoribus, gratiis et indultis, quibus ceteri omnes notarii nostri, etiam de numero participantium, necnon comites et nobiles ac cives originarii, etiam in dignitatum et beneficiorum ecclesiasticorum et secularium etiam ex personis Romanorum originariorum vacantium assecutione et exercitio, tam in Urbe quam civitatibus praedictis, ac aliàs ubique locorum et gentium, necnon sessionum et conventuum, utuntur, potiuntur et gaudent, ac uti, potiri et gaudere poterunt quomodolibet in futurum, non solum ad illorum instar, sed pariformiter et aeque principaliter ac si privilegia, facultates, exemptiones, gratiae et indulta pro ipsis emanassent (citra tamen exemptiones a Concilio Tridentino sublatas, ita ut nedum quoad criminalia, sed etiam quoad civilia subiaceant Ordinariis, ac citra facultates legitimandi, ad gradus promovendi, ac notarios seu tabelliones creandi, aliaque huiusmodi privilegia a notariis Sedis Apostolicae et comitibus palatinis praetensa, ita ut illis supra memorati cappellani familiares nostri nullibi uti valeant, ac irritum et inane existat si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari), uti, potiri et gaudere, ac in omnibus et singulis apostolicis, aliisque litteris, instrumentis et scripturis publicis et privatis deinceps eorum nomine conficiendis, sese notarios, comites et nobiles, ac de nobili genere ex utroque parente procreatos, necnon Romanae et aliarum civitatum cives, ut libuerit, inscribere, et se illis subscribere valeant, ac pro veris et non fictis notariis, comitibus, nobilibus et civibus habeantur, nihilque, qualecumque illud fuerit, cum iis expressionibus, subreptitium, obreptitium, aut invalidum, sed illud idem efficax in omnibus et per omnia censeatur, concedimus et indulgemus.

Beneficia eorum ab omnibus oneribus eximit.

§ 2. Et insuper illos, eorumque beneficia et officia ecclesiastica quaecumque, quotcumque et qualiacumque, illorum fructus, res et iura, ubicumque locorum, regionum et provinciarum, necnon in Urbe, civitatibus, terris et locis eidem Romanae Ecclesiae mediate et immediate subiectis consistentia, praedia, domos, possessiones et bona patrimonalia, aliaque temporalia mobilia et immobilia et se moventia, necnon actiones et iura praesentia et futura, cuiuscumque qualitatis, quantitatis et naturae, et cuiusvis etiam annui valoris fructus, redditus et proventus huiusmodi sint vel fuerint, ac etiam quaecumque ab illis vendenda, ac pro illorum familiarumque suarum usibus emenda, ab omnibus et quibuscumque decimis, quartis et dimidiis partibus, subsidiis, etiam charitativis, necnon vectigalibus, portoriis, tributis, datiis, pedagiis, collectis et quocumque alio nomine nuncupatis angariis, perangariis, ceterisque oneribus et contributionibus, tam urbanis quam rusticis, ordinariis et extraordinariis, realibus et personalibus et mixtis, etiam ratione munitionum moenium et pontium, portarum et moliturarum, et mercium cuiuscumque generis transitus seu passus et vecturae etiam in aliud territorium seu provinciam, terrâ, mari et flumine, necnon equorum mortuorum, stabulationum militum, institutionis seminarii ecclesiastici, aut ex quacumque aliâ quantumvis gravi et gravissimâ causâ (pro subventione contra infideles dumtaxat exceptâ) nunc et pro tempore impositis, ita quod illi et quilibet eorum nihil omnino horum aut aliorum similium subire teneantur, nec per camerae apostolicae aut alios commissarios seu ve-

ctigalium et tributorum huiusmodi redemptores, conductores et exactores, quocumque privilegio, exemptione et facultate suffultos, aliàs quam ut praefertur valeant coarctari, quamdiu servitiis nostris institerint dumtaxat, eximimus et liberamus.

Dispensat ad plura beneficia.

§ 3. Ad haec cum eisdem, ut quaecumque duo dissimilia vel simplicia similia sub singulis tribus tectis quarumcumque trium cathedralium, etiam metropolitanarum, aut aliarum ecclesiarum consistentia, etiamsi unum ex illis omnibus cum curâ, aut dignitas etiam maior et principalis, canonicatus et praebenda, personatus, administratio vel officium fuerit, et ad dignitatem, personatum, administrationem vel officium huiusmodi consueverit quis per electionem assumi, eisque cura etiam iurisdictionalis immineat animarum, si eis aliàs canonice conferantur aut eligantur, praesententur, aut aliàs assumantur ad illa et instituantur in eis, recipere, et, dummodo illa omnia uno excepto personalem residentiam non requirant, insimul quoad vixerint retinere.

Etiam a residentiâ.

§ 4. Necnon etiam, quamdiu nobis inservierint tantum, in beneficiis ecclesiasticis, non tamen parochialibus vel curam animarum parochianorum habentibus, per eos pro tempore obtentis, etiam de iure, statuto, fundatione vel privilegio personalem residentiam requirentibus, etiamsi dignitates in metropolitanis vel cathedralibus maiores, et in collegiatis ecclesiis huiusmodi principales fuerint, personaliter residere non teneantur, nec ad id per locorum Ordinarios, seu ecclesiarum earumdem capitula, aut quosvis alios, ad residendum interim in illis inviti compelli possint, omnesque et singulos illorum beneficiorum obtentorum fructus et redditus, durante servitio praedicto, cum eâ integritate (distributionibus quotidianis dumtaxat exceptis) cum qua illos perciperent si in eisdem ecclesiis sive locis personaliter residerent, percipere, exigere et levare, proviso tamen per eos ut onera eisdem dignitatibus et beneficiis quovis modo iucumbentia congrue supportentur.

Alia indulta.

§ 5. Necnon, etiamsi presbyteri fuerint, ac dignitates et officia obtinuerint, leges et iura civilia etiam publice in scholis ac universitatibus studiorum generalium ad quinquennium dumtaxat, dummodo iidem trigesimum aetatis annum non excesserint, audire, ac, si habiles et sufficientes reperti fuerit, etiam ad doctoratus gradum in huiusmodi facultate se promoveri facere, ipsaque iura etiam publice docere, atque iudicis, advocati et procuratoris officium in causis ecclesiasticis et civilibus tantum exercere libere et licite possint et valeant, de specialis dono gratiae dispensamus.

Confessarium eligere possint.

§ 6. Liceat quoque ipsis et eorum singulis aliquem idoneum et ab Ordinario loci approbatum presbyterum secularem vel cuiusvis Ordinis regularem in suum eligere confessorem, qui vitâ eis comite eos et ipsorum singulos a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, et per eos incursis, et quibus ipsos pro tempore illaqueari contigerit, etiamsi absolutio nobis et successoribus nostris Romanis Pontificibus pro tempore existentibus specialiter vel generaliter reservata existat, ac quorumcumque votorum et ecclesiae praeceptorum transgressionibus, homicidio casuali, manuum violentarum in quasvis personas etiam ecclesiasticas, non tamen episcopos vel alios superiores praelatos, de praeterito iniectionibus, seu consilii vel

favoris ad id praestationibus, ieiuniorum omissionibus necnon recitationis horarum canonicarum aliorumque divinorum officiorum, ac denique ab omnibus et quibuscumque aliis eorum peccatis, criminibus, excessibus et delictis, quantuncumque gravibus et enormibus, etiam talibus, propter quae Sedes praedicta merito consulenda foret, videlicet a contentis in litteris die Coenae Domini publicari consuetis, semel tantum in vitâ et mortis articulo, in reliquis vero dictae Sedi quomodolibet reservatis, aliisque quibusvis casibus, semel in anno, confessionibus illorum diligenter auditis, sine tamen alicuius praeiudicio, praedictâ auctoritate apostolicâ absolvere, et illis pro commissis poenitentiam pro modo culpae iniungere salutarem, necnon vota quaecumque (ultramarino, visitationis liminum beatorum Petri et Pauli apostolorum, castitatisque et religionis votis dumtaxat exceptis) in alia pietatis opera commutare possit.

Indultum transferendi pensiones.

§ 7. Ac etiam eisdem[1], eorumque singulis, ut quicumque locorum Ordinarii, vel canonici metropolitanarum seu aliarum cathedralium ecclesiarum, aut personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae, tam in dictâ curiâ quam extra eam, etiam ad id per eos aut eorum singulos coram notario et testibus fide dignis eligendi seu eligendae, quascumque pensiones annuas eis et eorum singulis super mensarum abbatialium seu episcopalium aut archiepiscopalium, et quorumcumque aliorum beneficiorum ecclesiasticorum, cum curâ et sine curâ, secularium, et quorumcumque Ordinum regularium, etiam hospitalis S. Ioannis Hierosolymitani, quomodocumque et qualitercumque qualificatorum, fructibus, redditibus, proventibus, iuribus, obventionibus et distributionibus, etiam quotidianis, seu illorum[1] loco fructus, proventus, iura, obventiones, distributiones et emolumenta sibi nunc et pro tempore assignata et reservata, quandocumque, simul vel successive, in toto vel in parte, usque ad summam centum ducatorum auri de camerâ, de eorumdem cappellanorum vel cuiuslibet ipsorum consensu, in toto vel in parte, etiam in mortis articulo, cassare et extinguere, ac, postquam cassatae et extinctae fuerint, alias similes pensiones annuas super fructibus, redditibus, proventibus, iuribus, obventionibus, distributionibus, seu illorum[2] loco fructus, redditus, proventus, iura et obventiones et emolumenta huiusmodi, etiam usque ad summam praedictam, uni vel pluribus aliis personis etiam per eosdem cappellanos et eorum singulos nominandis, etiam quaecumque, quotcumque et qualiacumque beneficia ecclesiastica obtinentibus et expectantibus, [3]seu clericali charactere insigniri volentibus, similiter eis, quoad vixerint, vel eorum legitimis procuratoribus, eisdem modo et formâ quibus eisdem cappellanis assignatae[4], aut reservari vel assignari concessae seu concessi fuerint, etiam absque consensu easdem pensiones et fructus, redditus, proventus, iura, obventiones, ac distributiones et emolumenta huiusmodi solvere debentium, etiamsi pluries cassatae et de novo assignatae fuerint, usque ad summam et quantitatem praedictam, ac aliàs cum omnibus et quibuscumque exemptionibus et privilegiis, decretis et clausulis, cautionibus, vinculis, obligationibus, cautelis, ac etiam censuris et poenis in prioribus reservationibus huiusmodi concessis et contentis, integre

1 Confer supra pag. 520 *b* (R. T.).

1 Videtur legendum *illarum* (R. T.).
2 Iterum lege *illarum* pro *illorum* (R. T.).
3 Deest vox *clericis* aut *ecclesiasticis* (R. T.).
4 Deest *aut reservati* (R. T.).

persolvendum reservare, constituere et assignare.

Facultas testandi.

§ 8. Necnon ut iidem cappellani, et eorum quilibet, de omnibus et singulis domibus, praediis, possessionibus, terris et locis etiam iurisdictionalibus, ceterisque bonis immobilibus et mobilibus, quae tamen non sint altaris seu altarium ecclesiarum ipsis cappellanis nostris praedictis commissarum ministerio seu alicui speciali earumdem ecclesiarum divino cultui vel usui deputata, seque moventibus, cuiuscumque qualitatis, quantitatis, valoris, speciei, pretii et conditionis existentibus, ac iuribus et actionibus ad eos ratione ecclesiarum etiam cathedralium et metropolitanarum, monasteriorum, prioratuum, praeposituarum, dignitatum et aliorum quorumcumque beneficiorum ecclesiasticorum, cum curâ et sine curâ, secularium et quorumvis Ordinum regularium, quae ex quibusvis concessionibus et dispensationibus apostolicis in titulum, commendam, administrationem, ac aliàs quomodolibet obtinuerint et obtinent ac obtinebunt, ac fructuum, reddituum et proventuum ecclesiasticorum loco pensionum annuarum, pensionumque annuarum super similibus fructibus, redditibus et proventibus eis reservatarum et assignatorum, ac reservandorum et assignandarum, quos et quas perceperint, percipiunt et percipient in futurum, necnon emolumentorum quorumcumque Romanae curiae officiorum, ac aliàs quomodolibet spectantibus et pertinentibus, ac etiam de dictis fructibus, redditibus, proventibus, ac pensionibus annuis, necnon eorum industriâ et labore quomodolibet et undecumque, licite tamen, acquisitis et acquirendis, ac aliàs etiam de muneribus et officiis quae exercuerint, ac eos exercere contigerit, et aliâ quavis occasione vel causâ seu contemplatione ad eosdem perventis et perventuris, etiamsi in pecuniâ numeratâ, ac iocalibus, gemmis, aliisque pretiosioribus rebus consistant, tam in dictâ curiâ quam extra eam ubique locorum etiam penes beneficia ipsa existentibus, quorum omnium qualitates et veros annuos valores, etiamsi talia forent quae in generali appellatione bonorum et suppellectilium non venirent sed specialibus indigerent vocabulis, praesentibus, ac si specifice et singillatim exprimerentur et denotarentur, pro sufficienter expressis ac declaratis haberi volumus, ac etiam de ipsis proventibus ac pensionibus debitis ac debendis, ac nondum perceptis et exactis, etiamsi eorum solutionis aut perceptionis terminus nondum advenerit, pro illâ ratâ quae illis debita erit, constitutione declaratoriâ super fructibus et pecuniis non exactis quae forsan ad successores in ipsis beneficiis spectare et pertinere debeant non obstante, etiam accumulative cum quibusvis aliis similibus vel dissimilibus facultatibus habitis et habendis, usque ad summam ducentorum ducatorum auri similium dumtaxat, tam pro decentibus et honestis impensis funebribus, quam etiam pro remuneratione illorum qui eis viventibus inservierint, etiam ultra servitii meritum, ac in ipsorum consanguineorum et affinium, ac quorumcumque piorum locorum favorem et usum, et aliàs pro eorum arbitrium et voluntate absolutis, testari, ac testamento, codicillis, fideicommissis, legatis, donationibus, tam inter vivos quam causâ mortis, et aliis quibuscumque modis et titulis, scripturâ etiam minus solemni, etiam coram duobus vel tribus testibus, aut etiam cedulâ solâ eorum manu scriptâ vel subscriptâ, ac aliàs in omnibus et per omnia, prout et quemadmodum eis videbitur, etiam in ipsâ curiâ (non ta-

men extra residentiam), etiam in mortis articulo, et non factâ mentione praesentis vel aliarum eis pro tempore concessarum similium facultatum, aut quod in vim illarum testari seu disponere velint et intendant, semel atque iterum et pluries disponere, statuere et ordinare, ita ut quidquid testatum, gestum, aut ordinatum, seu aliàs ab ipsis dispositum fuerit, etiam in vim simplicis distributionis, ac aliàs, omni meliori modo valeat et servari omnino debeat; ipsaque testamenta, codicillos, dispositiones, ordinationes, donationes, legata et statuta, etiam pluries, et toties quoties eis videbitur, moderari, limitare, ac etiam in totum revocare, et alia de novo condere, etiam libere et licite valeant, plenam et liberam concedimus facultatem.

Successio ab intestato.

§ 9. Statuentes nihilominus et ordinantes, eisque pariter indulgentes, quod, si contigerit ipsos ab intestato, et sine ullâ vel cum minus validâ bonorum et rerum ac fructuum, reddituum et proventuum praedictorum dispositione, in dictâ curiâ vel extra eam, ac etiam extra sua beneficia aut alia loca debitae ab eis residentiae personalis, etiam nullâ subsistente causâ, ab humanis decedere, omnia et singula eorum bona, res et iura, etiam, ut praefertur, qualificata, necnon spolia pro dictâ summâ etiam ex praedictis et aliàs undecumque provenientia, ad cameram apostolicam seu in dictis beneficiis successores non pertineant, sed ad haeredes sanguinis eorumdem integre deveniant, et, illis deficientibus, inter eorum familiares, arbitrio personae seu personarum quas ad id ipsi scripto nominaverint, distribuantur, nisi de aliâ dispositione vel intentione eorumdem scripturâ etiam minus solemni secus appareret, quam tunc velut efficacem ipsae personae vel alii iudices seu executores omnino exequi et adimplere illique sese conformare in omnibus et per omnia debeant. Et nihilominus quaecumque huiusmodi testamenta, donationes, legata, dispositiones et alia forsan aliàs ab ipsis, etiam nullâ aut minus sufficienti facultate suffultis, de huiusmodi bonis, iuribus, actionibus, fructibus, pecuniis, iocalibus, aliisque rebus supradictis, etiam in favorem consanguineorum et affinium praedictorum, et aliàs quomodolibet facta, cum omnibus inde secutis, ac etiam ea, quae per ipsos in futurum quomodolibet fient, ex nunc prout ex tunc et e contra, pro dictâ summâ ducentorum ducatorum dumtaxat, approbamus et confirmamus, omnesque et singulos iuris et facti ac solemnitatum omissarum et omittendarum, necnon substantiales aliosque defectus quoscumque, si qui intervenerint in eisdem, etiamsi tales sint vel fuerint quod specialis et specifica de ipsis mentio habenda esset, supplemus.

Omnes defectus supplet.

§ 10. Non obstantibus praemissis, ac Lateranensis concilii novissime celebrati de certo notariorum numero, etiamsi ad illum nondum deventum fuerit, cui per hoc aliàs derogatum non intendimus; ac de consensu praestando in pensionibus, et quibusvis aliis etiam per nos et Sedem praedictam quomodolibet editis et imposterum edendis cancellariae apostolicae regulis, et stylo in similibus hactenus servato, et piae memoriae Alexandri Papae VI, etiam praedecessoris nostri, tertiam partem bonorum ecclesiasticorum camerae praedictae deberi inter alia disponentibus, necnon eiusdem memoriae Bonifacii Papae VIII, etiam praedecessoris nostri, per quam concessiones de fructibus in absentiâ percipiendis sine praefinitione temporis fieri prohibentur, ac quorumvis aliorum Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum, et quibusvis aliis apostolicis

Contrariis derogat.

ac in universalibus conciliis editis, specialibus vel generalibus, constitutionibus et ordinationibus, necnon legibus imperialibus, et aliis etiam municipalibus tam Urbis quam quarumvis aliarum civitatum et locorum in quibus cives originarii creati sunt, ac quarumvis ecclesiarum, monasteriorum, Ordinum et hospitalis praedicti, necnon quorumvis collegiorum et officiorum dictae curiae, ac regnorum, provinciarum, et Urbis ac aliarum civitatum et locorum, ac praedictae camerae, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, stabilimentis, usibus et naturis, etiamsi de illis servandis, et non impetrandis litteris apostolicis contra ea, nec etiam ab alio vel aliis impetratis aut aliis [1] quomodolibet concessis utendo, ipsi cappellani per se vel eorum procuratores praestiterint forsan hactenus vel in posterum eos praestare contigerit iuramentum, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, dictis ecclesiis, monasteriis, Ordinibus et hospitali S. Ioannis Hierosolymitani, illorumque praesulibus seu administratoribus, et superioribus ac magistris, praeceptoribus, prioribus, militibus etiam antianis, capitulis et conventibus, civitatibus et locis, aliisque personis etiam particularibus, necnon archiepiscopis, episcopis et aliis locorum Ordinariis, etiam eiusdem S. R. E. cardinalibus, ac dictae camerae officialibus, illorumque collegiis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis, per quoscumque Romanos Pontifices praedecessores nostros, ac nos et Sedem praedictam, etiam consistorialiter, et de eiusdem S. R. E. cardinalium consilio, ac per modum statuti et constitutionis perpetuorum, ac motu et scientiâ paribus, deque apostolicae potestatis plenitudine, ac ad imperatoris, ac regum et reginarum, ducum et marchionum, ac aliorum principum instantiam, seu illorum contemplatione, in genere vel specie, aut aliàs quomodolibet etiam iteratis vicibus concessis, confirmatis et innovatis, et imposterum concedendis, confirmandis et innovandis, etiamsi in iis ac statutis et stabilimentis praedictis caveatur expresse vel tacite quod Urbis nonnisi originariis civibus Romanis ac civium eorumdem filiis, aliarum vero partium beneficia nisi per personas illustres seu nobiles ac etiam originarios cives aut aliàs certo modo in illis expresse qualificatos obtineri aut conferri possint, et nullus in civem Urbis aut civitatum, oppidorum, terrarum et locorum huiusmodi admitti, seu illorum privilegiis uti possit, nisi prius in dictis civitatibus, oppidis et locis per certum tempus habitaverit, seu etiam in illis bona etiam stabilia forsan ad certum valorem ascendentia possideat, quodque praeceptoriae et alia beneficia quaecumque dicti hospitalis S. Ioannis Hierosolymitani tam ex eius institutione quam ex stabilimentorum praedictorum dispositione non in titulum perpetuorum beneficiorum conferri, sed in commendam ad vitam commendatariorum revocabiliter concedi debeant, et sic pensionibus ecclesiasticis secularibus aut aliis personis apostolicâ auctoritate reservandis gravari non possint, quodque stabilimentis et privilegiis praefatis, etiam vigore clausulae implicitae derogationis latissime extendendae, etiam per quascumque litteras apostolicas, et quasvis etiam derogatoriarum derogatorias, efficacioresque et insolitas clausu-

1 Potius lege *aliàs* pro *aliis* (R. T.).

las, derogari non possit, nec derogatum censeatur, nisi derogatio huiusmodi de consilio dictorum cardinalium fiat, et tum demum ad id magistri et conventus praefatorum expressus accedat assensus, sintque litterae derogationis huiusmodi etiam per dictum magnum magistrum subscriptae, ac ei et praefato conventui per diversas in formâ Brevis aut aliàs diversas litteras diversis temporibus cum certis intervallis praesentatas intimatae, et non aliàs, nec alio modo, et semper in huiusmodi litteris, quae sic fient, etiam de simili consilio derogationis, sit apposita clausula quod illarum effectum sortiantur de consensu magistri et conventus praefatorum, et non aliàs, aliter, nec alio modo; quibus omnibus et eorum singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica et expressa ac individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, et in eis caveatur expresse quod illis nullatenus derogari possit, quodque clausula implicitae derogationis in rescripto etiam motu proprio emanato apposita aliter in litteris exprimi vel extendi nequeat, illorum omnium tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore et firmitate permansuris, hac vice dumtaxat, harum serie, in genere et in specie, ad effectum praemissorum, specialiter et expresse, motu et scientiâ similibus, derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides.

§ 11. Volumus autem quod praesentium transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus ubique fides tam in iudicio quam extra illud adhibeatur, quae praesentibus ipsis adhiberetur et adhiberi posset, si forent exhibitae vel ostensae,

Iuramentum praestandum.

§ 12. Quodque praefati, antequam gratiâ notariatus perfrui possint et valeant, in manibus alicuius personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae professionem fidei iuxta articulos pridem a Sede praefatâ propositos emittere, et solitum fidelitatis iuramentum omnino praestare teneantur, et quilibet ipsorum teneatur.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XIX septembris MDCLXVIII, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 19 septembris 1668, pontif. anno II.

LXXVIII.

Suspensio Brevis Innocentii X decernentis generalem congregationem in Societate Iesu singulo quovis novennio[1] *celebrandam iniungentis.*

Clemens Papa IX,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Religiosorum virorum Ordines, quos tamquam fertilia agri dominici cultorum plantaria sapiens Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum pietas instituit, in visceribus paternae gerentes charitatis, Societatem Iesu viris pietate, religione, sacrarum, eiusque ancillantium bonarum litterarum scientiâ, ac propriae alienaeque salutis studio eximie praeditis fulgentem, singularibusque in hanc sanctam Sedem meritis conspicuam, peculiari apostolicae dilectionis affectu prosequimur. Et propterea felici illius regimini religiosaeque tranquillitati libenter consulimus, sicut, omnibus debite consideratis, pietati atque prudentiae censemus esse consentaneum.

1 Male in rubr. ed. Main. legit *triennio* (R. T.)

Tenor Brevis Innocentii X.

§ 1. Aliàs siquidem (postquam felicis recordationis Innocentius Papa X praedecessor noster per quasdam suas in simili formâ Brevis die primâ ianuarii MDCXLVI expeditas litteras, quarum tenorem praesentibus haberi volumus pro expresso, statuerat, mandaverat, praeceperat et ordinaverat ut perpetuis futuris temporibus congregatio generalis in praedictâ Societate Iesu singulo quoque novennio computando semper a celebratione ultimae congregationis generalis haberi et celebrari omnino deberet, ita ut illius celebratio nullo modo, nec ex quavis causâ, sive per praepositum generalem pro tempore existentem sive per quamcumque congregationem particularem vel generalem impediri, vel ultra novennium huiusmodi differri seu prorogari posset; utque, quotiescumque haberetur et celebraretur congregatio generalis huiusmodi, toties novi assistentes ab illis plane diversi, qui praecedente novennio assistentium muneribus functi fuissent, eligi seu assumi et deputari:

§ 2. Ac demum, ut omnes et singuli eiusdem Societatis provinciales, visitatores, praepositi, rectores, superiores locales et alii officiales iurisdictionem seu superioritatem habentes, quomodolibet nuncupati, exceptis magistris novitiorum, in eorum respective muneribus, superioritatibus, ministeriis, administrationibus et officiis quomodocumque nuncupatis per triennium dumtaxat durare deberent, eaque, elapso triennio huiusmodi, eo ipso vacarent et vacare censerentur, ipsique ad alia quaevis eiusdem Societatis munera, superioritates, ministeria, administrationes et officia praedicta quomodolibet nuncupata, etiam viceprovincialis, seu vicepraepositi, vel vicerectoris, nullatenus eligi seu assumi vel deputari valerent, nisi per annum cum dimidio saltem a fine dicti triennii computandum a praedictis muneribus, superioritatibus, ministeriis, administrationibus et officiis cessavissent) recolendae memoriae Alexander Papa VII, pariter praedecessor noster, certis ex causis tunc expressis adductus, statutum et ordinationem dicti Innocentii praedecessoris circa triennalem tantum durationem munerum, superioritatum, ministeriorum, administrationum et officiorum praedictorum, necnon sesquianni ab illis vacationem huiusmodi (firmâ tamen et illaesâ ac in suo robore in reliquis omnibus remanente earumdem Innocentii praedecessoris litterarum dispositione) perpetuo revocavit et abrogavit, et aliàs prout in ipsius Alexandri praedecessoris litteris desuper in simili formâ Brevis die 1 ianuarii MDCLXIII emanatis, quarum tenorem praesentibus itidem pro expresso ac de verbo ad verbum inserto haberi volumus, uberius continetur.

Et Alexandri VII.

§ 3. Cum autem, sicut dilectus filius Ioannes Paulus Oliva praepositus generalis dictae Societatis nobis nuper exponi fecit, postrema congregatio generalis eiusdem Societatis, anno MDCLXI celebrata, inter alia unanimi plane consensu decreverit infimis[1] precibus ab hac sanctâ Sede petendam fore abrogationem praedictarum Innocentii praedecessoris litterarum, non solum in eâ parte in qua memoratus Alexander praedecessor, huiusmodi decreti conscius, illam subinde, ut praemittitur, concessit; sed etiam in reliquâ celebrationem congregationis generalis quolibet novennio novorumque assistentium a praecedentibus diversorum electionem seu deputationem concernente, quippe quae et constitutionibus Societatis praedictae a sancto Ignatio illius fundatore editis, quas quinque Ro-

Motiva mutationis.

1 Ita etiam legit edit. Cherub. (R. T.).

mani Pontifices praedecessores nostri approbarunt, conformis non sit, et adversetur sensui sex congregationum generalium ipsius Societatis quae contrarium magno consensu expedire Societati iudicarunt; accedit quod abunde iam est prospectum in Societate cuicumque necessitati ob quam congregatio generalis cogi debeat, ideoque novennalis illa plane inutilis futura sit, cum singulis trienniis celebrari soleat et debeat congregatio procuratorum electorum ex omnibus provinciis cum facultate convocandi congregationem generalem si sit opus; tum etiam deterrent ingentes sumptus, quos necesse est fieri in convocandâ quolibet novennio, et quidem sine necessitate, congregatione illâ generali; deterrent quoque frequentia vitae pericula quibus exponuntur primarii religiosi omnium provinciarum eiusdem Societatis, iique plerumque senes, quorum aliqui paucis ab hinc annis sublati naufragio, alii extincti febribus in itinere, alii in captivitatem ab hostibus abducti fuere; quibus incommodis adiungitur relaxatio disciplinae religiosae in provinciis, dum inde absunt provinciales et alii praecipui religiosi, qui praesentes conservando illius vigori invigilarent: nobis propterea memoratus Ioannes Paulus praepositus generalis humiliter supplicari fecit ut in praemissis opportune providere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Ad quae examinanda congregationem cardinalium deputat Pontifex.

§ 4. Nos igitur, ipsius Ioannis Pauli praepositi generalis desiderio, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, ac prospero felicique statui atque incremento Societatis praedictae de catholicâ religione multis nominibus optime meritae animum nostrum pastorali providentiâ intendentes, ad suprascriptas preces eiusdem Ioannis Pauli praepositi generalis examinandas specialem congregationem nonnullorum ex venerabilibus fratribus nostris sanctae Romanae Ecclesiae cardinalibus prudentiâ et zelo praestantium deputavimus. Cuius congregationis auditâ sententiâ, et nobiscum reputantes valde ad rem facere ut per secreta suffragia constet quid circa petitam abrogationem sentiat in Domino Societas universa, quae per graviores religiosos eius instituto optime imbutos rerumque illius usu atque experientiâ praeditos in congregatione generali coadunatos repraesentatur:

Decretum.

§ 5. Ideo, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, iubemus atque decernimus ut in congregatione generali praedictae Societatis, quae prima ex praescripto illius constitutionum celebrabitur, praeviâ inter praedictos religiosos maturâ rei discussione et consultatione, per secreta postmodum suffragia disquiratur an bono dictae Societatis expediat ut terminus novennalis ad celebrandas congregationes generales in allegatis Innocentii praedecessoris litteris statutus abrogetur; quae quidem disquisitio, si dicta congregatio generalis pro electione praepositi generalis celebranda sit, ante illius electionem fiat. Postquam autem huiusmodi disquisitio peracta fuerit, illico ad nos vel ad Romanum Pontificem pro tempore existentem distincte referatur quo numero suffragiorum ipsa congregatio generalis dicti novennalis termini vel abrogationem vel observantiam expetiverit, ut,

quid circa illum deinde observari debeat, Sedis Apostolicae iudicio statuatur.

Suspensio de qua in rubricâ.

§ 6. Propterea exequutionem dictarum Innocentii praedecessoris litterarum in eâ parte, cui per supradictas Alexandri praedecessoris litteras derogatum non fuit, auctoritate et tenore praedictis interim suspendimus, illamque, usque ad congregationem generalem, ex praescripto constitutionum Societatis praedictae iuxta praedicta primo celebrandam, effectu carere volumus atque decernimus.

Clausula *sublatâ* et decretum irritans.

§ 7. Decernentes pariter easdem praesentes litteras firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, inviolabiliter observari, sicque et non aliter in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac eiusdem S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos, et alios quoslibet quacumque praeeminentiâ et potestate fungentes et functuros, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariorum derogatio.

§ 8. Non obstantibus praedicti Innocentii praedecessoris litteris, necnon omnibus et singulis illis quae memoratus Alexander praedecessor in suis litteris supradictis voluit non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides.

§ 9. Volumus autem ut ipsarum praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici vel secretarii dictae Societatis subscriptis, et sigillo praepositi generalis eiusdem Societatis seu alterius personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra adhibeatur, quae praesentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die xx septembris MDCLXVIII, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 20 septembris 1668, pontif. anno II.

LXXIX.

Iubilaeum pro regno Poloniae aliisque provinciis et ditionibus regi Poloniae subiectis ad implorandum divinam opem pro prosperis eiusdem regni successibus.

Clemens Papa IX,
ad perpetuam rei memoriam.

Procemium.

De salute dominici gregis curae nostrae divinitus commissi paternae charitatis studio solliciti, inter tot tantasque angustias quibus sancta Mater Ecclesia his calamitosissimis temporibus premitur, gravissima quae in inclito Poloniae regno de praesenti aguntur negocia assidue volvimus animo, et illis, quantum Dominus donare dignatur, consulere satagimus.

Preces iterandae.

§ 1. Hoc consilio, et privatis nostris sacrificiis atque precibus accedimus ad sacram misericordiarum Domini aram, et publicas in almâ Urbe nostrâ orthodoxae fidei arce orationes indiximus, ut clementissimus Dominus noster, fidelium suorum precibus exoratus, religionem christianam fidemque catholicam ubique et praesertim in memorato regno Poloniae tueri atque protegere, pacem atque animorum publico Ecclesiae regnique bono unice studentium concordiam firmiter stabilire atque solidare, prosperosque rerum successus benigne largiri dignetur. Id ipsum ut et fideles eiusdem regni, quos negotia huiusmodi

eorumque eventus propius tangunt, depositâ per veram poenitentiam sarcinâ peccatorum, auctisque per eleemosynas atque ieiunia viribus orationis, flagrantissimo cordis affectu faciant, eos omnes et singulos paterne adhortandos et monendos, eorumque pietatem, erogatis Ecclesiae thesauris quorum dispensationem nobis credidit Deus, incitandam atque fovendam esse censuimus.

Iubilaeum concedit ut in rubricâ.

§ 2. Itaque, de omnipotentis Dei misericordiâ ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, ex illâ ligandi atque solvendi potestate, quam nobis Dominus licet indignis contulit, universis et singulis utriusque sexus christifidelibus in praefato Poloniae regno aliisque omnibus et singulis provinciis et ditionibus carissimo in Christo filio nostro Ioanni Casimiro Poloniae et Sveciae regi illustri subiectis degentibus, qui ecclesias ab Ordinariis locorum vel eorum vicariis seu officialibus, aut de eorum mandato, et, ipsis deficientibus, per eos qui ibi curam animarum exercent, postquam ad eorum notitiam hae nostrae pervenerint, designandas, vel ecclesiarum huiusmodi aliquam, spatio duarum hebdomadarum a publicatione designationis per Ordinarios vel eorum vicarios seu officiales vel alios, ut praefertur, faciendae decursarum, saltem semel visitaverint, ibique per aliquod temporis spatium pro prosperis regni praefati successibus devote Deum oraverint, ac quartâ et sextâ feriis ac sabbato alterius ex hebdomadis huiusmodi ieiunaverint, et peccata sua confessi in die dominicâ immediate sequenti vel aliâ die intra eamdem hebdomadam sanctissimâ communione refecti fuerint, et pauperibus aliquam elemosynam, prout unicuique suggeret devotio, erogaverint, plenissimam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem, sicut in anno iubilaei visitantibus certas ecclesias intra et extra Urbem praedictam concedi consuevit, tenore praesentium concedimus et elargimur.

Providet navigantibus, iter agentibus, aliisque impedimento detentis.

§ 3. Navigantes vero et iter agentes, ut, cum primum ad sua sese domicilia receperint, suprascriptis peractis, et visitatâ ecclesiâ cathedrali, vel maiore, aut parochiali loci eorum domicilii, eamdem indulgentiam consequi possint et valeant; regularibus autem personis utriusque sexus etiam in claustris perpetuò degentibus, necnon aliis quibuscumque, tam laicis quam ecclesiasticis, secularibus vel regularibus, etiam in carcere aut captivitate existentibus, vel aliquâ corporis infirmitate seu alio quocumque impedimento detentis, qui supra expressa vel eorum aliqua praestare nequiverint, ut illa confessarius ex iam approbatis a locorum Ordinariis ante praesentium publicationem, seu approbandis, in alia pietatis opera commutare, vel in aliud proximum tempus prorogare possit, eaque iniungere, quae ipsi poenitentes efficere poterunt, pariter concedimus et indulgemus. Insuper omnibus et singulis christifidelibus utriusque sexus, tam laicis quam ecclesiasticis secularibus et[1] cuiusvis Ordinis, congregationis et instituti regularibus[2], in memoratis regno, provinciis et ditionibus ut praefertur degentibus, licentiam concedimus et facultatem, ut sibi ad hunc effectum eligere possint quemcumque presbyterum confessarium tam secularem quam cuiusvis Ordinis et instituti regularem ex approbatis, ut praemittitur, a locorum Ordinariis, qui eos ab omnibus excommunicationis, suspensionis et aliis ecclesiasticis sententiis et censuris, a iure vel ab homine, quavis causâ latis seu infli-

1 Coniunct. *et* nos addimus (R. T.).

2 Vocem *regularibus* nos addimus (R. T.).

ctis, necnon ab omnibus peccatis, excessibus, criminibus et delictis, quantumvis gravibus et enormibus, etiam locorum Ordinariis sive nobis et Sedi Apostolicae etiam in litteris die Coenae Domini legi solitis contentis, et aliàs per quascumque nostras aut Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum constitutiones, quarum tenores praesentibus haberi volumus pro expressis, quomodocumque reservatis, in foro conscientiae, et hac vice tantum, absolvere et liberare valeant; et insuper vota quaecumque (religionis et castitatis exceptis) in alia pia et salutaria opera commutare, iniunctâ tamen eis et eorum cuilibet in supradictis omnibus casibus poenitentiâ salutari, aliisque eiusdem confessarii arbitrio iniungendis. Quapropter tenore praesentium in virtute sanctae obedientiae districtè praecipimus atque mandamus omnibus et quibuscumque venerabilibus fratribus archiepiscopis, episcopis et aliis ecclesiarum praelatis ac quibuscumque Ordinariis locorum in praedicto regno Poloniae ac provinciis et ditionibus existentibus, eorumque vicariis et officialibus, vel, iis deficientibus, illis qui curam animarum exercent, ut, cum praesentium litterarum transumpta aut exempla etiam impressa acceperint, illa statim absque ullâ morâ, retardatione vel impedimento per suas ecclesias et dioceses, provincias, civitates, oppida, terras et loca publicent et publicari faciant, ecclesiamque seu ecclesias visitandas designent. Non intendimus autem per praesentes super aliquâ irregularitate publicâ vel occultâ, notâ, defectu, incapacitate seu inhabilitate quoquo modo contractâ dispensare, vel aliquam facultatem tribuere dispensandi seu habilitandi, et in pristinum statum restituendi, etiam in foro conscientiae, neque etiam easdem praesentes iis, qui a nobis et Apostolicâ Sede vel ab aliquo praelato seu iudice ecclesiastico excommunicati, suspensi, interdicti, seu aliàs in sententias et censuras incidisse declarati vel publice denunciati fuerint, nisi intra tempus dictarum duarum hebdomadarum satisfecerint, aut cum partibus concordaverint, ullo modo suffragari posse aut debere.

Derogat contrariis.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, praesertim quibus facultas absolvendi in certis tunc expressis casibus ita Romano Pontifici pro tempore existenti reservatur, ut nec etiam similes vel dissimiles indulgentiarum et facultatum huiusmodi concessiones, nisi de illis expressa mentio aut specialis derogatio fiat, cuiquam suffragari queant, necnon regulâ nostrâ de non concedendis indulgentiis ad instar, ac quorumcumque Ordinum et congregationum sive institutorum regularium, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, eisdem Ordinibus, congregationibus et institutis, illorumque personis, quomodolibet concessis, approbatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores praesentibus pro sufficienter expressis ac formam in eis traditam pro servatâ habentes, hac vice, specialiter, nominatim et expresse, ad effectum praemissorum, derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumpti credi iubet.

§ 5. Ut autem praesentes nostrae, quae ad singula loca deferri non possunt, ad omnium notitiam facilius deve-

niant, volumus ut earumdem praesentium transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, ubique locorum et gentium, eadem prorsus fides habeatur, quae haberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXII septembris MDCLXVIII, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 22 septembris 1668, pontif. anno II.

LXXX.

Concessio indulgentiarum pro christifidelibus Status Ecclesiastici divinam opem implorantibus pro tuitione civitatis et regni Cretae contra Turcas ac pro felici directione negotiorum regni Poloniae.

Clemens Papa IX, ad futuram rei memoriam.

Causae Constitutionis. § 1. Cum nos dominicâ proxime praeteritâ processioni[1] ab ecclesiâ S. Stanislai nationis Polonorum ad ecclesiam S. Marci de Urbe a nobis institutae, ac missae solemni, quae in eâdem ecclesiâ S. Marci subinde celebrata fuit, unâ cum venerabilibus fratribus nostris S. R. E. cardinalibus, necnon patriarchis, archiepiscopis et episcopis, aliisque praelatis et officialibus capellae nostrae pontificiae interfuerimus, ac omnibus christifidelibus vere poenitentibus et confessis et sacrâ communione refectis, qui processioni et missae praedictis interessent, vel utramque ecclesiam huiusmodi eo die visitarent, ibique divinum auxilium, tam pro defensione atque tuitione civitatis et regni Cretae contra oppressiones Turcarum, quam pro praesentibus necessitatibus felicique directione negotiorum regni Poloniae implorarent, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concesserimus, ac eiusmodi indulgentiae participes quoque fieri voluerimus regulares utriusque sexus in clausurâ vigentes, qui ad divinam opem similiter confugerent,

SS. Eucharistiae expositio. § 2. Et in diversis eiusdem Urbis ecclesiis SS. Eucharistiae Sacramentum publicae fidelium venerationi exponi curaverimus, piasque ad Deum preces his diebus indixerimus, ut pater misericordiarum et Deus totius consolationis Ecclesiam suam sanctam protegere, eiusque hostium impetus et vires virtutis suae potentiâ reprimere atque confringere, prosperosque rerum eventus benigne largiri dignetur:

Concedit indulgentias ut in rubricâ. § 3. Hinc est quod nos, alios quoque christifideles ad similia christianae pietatis opera spiritualium gratiarum muneribus incitare cupientes, venerabilibus fratribus archiepiscopis et episcopis, aliisque ecclesiarum praelatis et Ordinariis civitatum et dioecesum, oppidorum, terrarum et locorum nobis et Apostolicae Sedi in temporalibus mediate vel immediate subiectorum, seu eorum vicariis in spiritualibus generalibus, per praesentes committimus et mandamus, ut, statim atque ipsarum praesentium litterarum transumpta seu exempla etiam impressa ad eos pervenerint, processiones pariter in suis respective civitatibus, oppidis, terris et locis instituant, ac memoratum SS. Eucharistiae Sacramentum in ecclesiis per eos respective designandis fidelium venerationi per totum mensem octobrem proxime venturum similiter exponi curent, publicasque preces indicant; nos enim omnibus et singulis

1 Edit. Main. legit *processionis* (R. T.).

utriusque sexus christifidelibus vere poenitentibus et confessis, ac sacrâ communione refectis, qui processionibus huiusmodi respective interfuerint, vel ecclesias, a qua et ad quam aliqua processionum huiusmodi fiet, eo die devote visitaverint, ibique divinum auxilium, ut praemittitur, imploraverint, necnon regularibus utriusque sexus in clausurâ viventibus, qui similiter confessi et sacrâ communione refecti pias ad Deum preces in suis respective ecclesiis seu monasteriis pariformiter fuderint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem concedimus similiter et elargimur. Ac praefatis, et aliis christifidelibus, qui ante SS. Sacramentum, ut praefertur exponendum, per aliquod temporis spatium pie orando divinam opem, ut supra, invocaverint, quoties id egerint, toties septem annos et totidem quadragenas de iniunctis eis aut aliàs quomodolibet debitis poenitentiis in formâ ecclesiasticâ consuetâ relaxamus.

Transumptorum fides.

§ 4. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra adhibeatur, quae praesentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXVI septembris MDCLXVIII, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 26 septembris 1668, pontif. anno II.

LXXXI.

Commissio episcopis Caturcensi, Lemovicensi et Sarlatensi, ut monasteria monialium de Bel Loco *et loci de* Fieux *ab hospitali S. Ioannis Hierosolymitani dependentia, Caturcensis dioecesis, visitent*[1].

Venerabilibus fratribus episcopis Lemoviensi, Caturcensi, et Sarlatensi, ac eorum cuilibet,

Clemens Papa IX.

Venerabiles fratres,
salutem et apostolicam benedictionem.

Exordium.

Onerosa pastoralis officii cura nullo suffragio meritorum nobis ex alto commissa postulat ut ad ea vigilantiae nostrae partes propensius intendamus, per quae monasteriorum quorumlibet praesertim sanctimonialium felici statui ac prospero personarum in eis Altissimo famulantium regimini et quieti opportune provideatur, ac in illâ pristinae regularis observantiae norma iuxta sacrorum canonum praescripta introducatur, et quantum in Domino fieri potest restituatur, prout conspicimus in Domino salubriter expedire; vobis itaque et vestrum cuilibet, de quorum prudentiâ, fide, integritate et religionis zelo plurimum in Domino confidimus, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negociis et consultationibus episcoporum et regularium praepositorum consilio, per praesentes committimus et mandamus, quatenus vos, vel duo, aut unus vestrum, de *Bel Loco* nuncupatum et illi unitum loci de *Fieux* monialium monasteria a prioratu S. Ægidii hospitalis S. Ioannis Hierosolymitani ut asseritur dependentia, Caturcensis seu alterius dioecesis, quamprimum fieri poterit, auctoritate nostrâ visitetis, ac tam in capite quam in membris reformetis et corrigatis, ac in singularum monialium huiusmodi vitam, mores, ritus et disciplinam diligenter inquiratis,

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

Visitationem monasteriorum committit ut in rubricâ.

necnon, evangelicae et apostolicae doctrinae sacrorumque canonum et generalium conciliorum et praesertim Tridentini decretis ac sanctorum Patrum traditionibus et regularibus dictorum monasteriorum institutis inhaerendo, quaecumque reformatione, mutatione, correctione, renovatione, ac etiam ex integro editione indigere cognoveritis, reformetis, mutetis, corrigatis, et etiam de novo condatis, condita, sacris canonibus et Concilii Tridentini decretis et regularibus dictorum monasteriorum institutis non repugnantia, confirmetis, abusus quoscumque tollatis, pristinam regularis observantiae normam et disciplinam, ac reformationem et clausuram, necnon bonas ac laudabiles consuetudines, modis congruis restituatis, monialesque, reformationem et clausuram admittere recusantes, ad reformationem et clausuram huiusmodi recipiendas moneatis, non autem cogatis, neque propterea expellatis, sed in posterum in ipsis monasteriis nullas alias moniales, nisi prius illae reformationem et clausuram huiusmodi se servaturas promittant, recipi prohibeatis, ac denique omnia et singula, quae dictorum monasteriorum visitationem, correctionem, ac in illis reformationis et clausurae introductionem quomodolibet concernunt, faciatis, dicatis, geratis et exequamini, super quibus omnibus et singulis plenam, liberam et amplam facultatem et auctoritatem, dictâ auctoritate, tenore praesentium, vobis concedimus et impertimur.

Poenae contra inobedientes.

§ 2. Mandantes propterea omnibus et singulis dictorum monasteriorum monialibus et superioribus quibuscumque ut vobis omnibus et singulis in praemissis prompte pareant et obediant, vestraque salubria monita et mandata suscipiant humiliter et efficaciter adimplere procurent, alioquin sententiam sive poenam, quam rite tuleritis seu statueritis in rebelles, ratam habebimus, et faciemus, auctore Domino, usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari.

§ 3. Volumus autem ut, si graviora in visitatione huiusmodi repereritis, ea, necnon informationes omnes in huiusmodi visitatione sumendas, sub vestris sigillis clausas, ad nos quamprimum transmittere curetis, ut quod in illis statuendum sit, maturâ consultatione adhibitâ, decernamus.

Derogatio contrariorum.

§ 4. Non obstantibus apostolicis, ac in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, ac monasteriorum, et Ordinis cuius fuerint, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, eisdem monasteriis, illorumque superioribus, monialibus et personis quibuscumque, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis clausulis et decretis, in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, eorum omnium tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis et ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permnsuris, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die 1 octobris MDCLXVIII, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 1 octobris 1668, pontif. an. II.

LXXXII.

Concessio indulgentiarum pro christifidelibus Italiae divinam opem implo-

rantibus pro tuitione civitatis et regni Cretae contra Turcas ac pro felici directione negotiorum regni Poloniae.

Clemens Papa IX,
ad futuram rei memoriam.

Causa huius Constitutionis.

§ 1. Cum nos nuper, videlicet die XXIII septembris proxime praeteriti, processioni ab ecclesiâ S. Stanislai nationis Polonorum ad ecclesiam S. Marci de Urbe a nobis institutae, ac missae solemni, quae in eâdem ecclesiâ S. Marci subinde celebrata fuit, unâ cum venerabilibus fratribus nostris S. R. E. cardinalibus, necnon patriarchis, archiepiscopis et episcopis, aliisque praelatis et officialibus cappellae nostrae pontificiae interfuerimus; ac omnibus christifidelibus vere poenitentibus et confessis, ac sacrâ communione refectis, qui processioni et missae praedictis interessent, vel utramque ecclesiam huiusmodi eo die visitarent, ibique divinum auxilium tam pro defensione et tuitione civitatis et regni Cretae contra oppressiones Turcarum quam pro presentibus necessitatibus felicique directione negotiorum regni Poloniae implorarent, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concesserimus; ac eiusmodi indulgentiae participes quoque fieri voluerimus regulares utriusque sexus in clausurâ viventes, qui ad divinam opem similiter confugerent; et in diversis eiusdem Urbis ecclesiis SS. Eucharistiae Sacramentum publicae fidelium venerationi exponi curaverimus, piasque ad Deum preces his diebus indixerimus;

Preces indictae in Statu Ecclesiastico.

§ 2. Ac similia christianae pietatis opera, tam in universo Statu Ecclesiastico nobis mediate vel immediate subiecto, quam in dominio Reipublicae Venetorum, erogatis pariter indulgentiarum muneribus, fieri voluerimus, ut pater misericordiarum et Deus totius consolationis Ecclesiam suam sanctam protegere, eiusque hostium impetus et vires virtutis suae potentiâ reprimere, atque confringere, prosperosque rerum eventus benigne largiri dignetur:

Processiones et preces per totam Italiam fieri mandat.

§ 3. Hinc est quod nos, divini favoris praesidium in aliis quoque Italiae civitatibus et locis pariformiter invocari atque coniunctis fidelium precibus postulari cupientes, venerabilibus fratribus archiepiscopis et episcopis, aliisque ecclesiarum praelatis et Ordinariis civitatum et dioecesum, oppidorum, terrarum et locorum reliquae Italiae, seu eorum vicariis in spiritualibus generalibus, per praesentes committimus et mandamus ut, statim atque ipsarum praesentium litterarum transumpta seu exempla etiam impressa ad eos pervenerint, processiones pariter in suis respective civitatibus, oppidis, terris et locis instituant, ac memoratum SS. Eucharistiae Sacramentum in ecclesiis per eos respective designandis fidelium venerationi per quindecim dies similiter exponi curent, publicasque preces indicant.

Concedit prout in rubricâ.

§ 4. Nos enim omnibus et singulis utriusque sexus christifidelibus vere poenitentibus et confessis, ac sacrâ communione refectis, qui processionibus huiusmodi respective interfuerint, vel ecclesias, a qua et ad quam aliqua processionum ipsarum fiet, eo die devote visitaverint, ibique divinum auxilium, ut praemittitur, imploraverint, necnon regularibus utriusque sexus in clausurâ viventibus, qui similiter confessi et sacrâ communione refecti pias ad Deum preces in suis respective ecclesiis seu monasteriis pariformiter fuderint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem concedimus similiter et elargimur. Ac praefatis et aliis christifidelibus, qui ante SS. Sacramen-

tum, ut praefertur exponendum, per aliquod temporis spatium pie orando divinam opem, ut supra, invocaverint, quoties id egerint, toties septem annos et totidem quadragenas de iniunctis eis aut aliàs quomodolibet debitis poenitentiis in formâ Ecclesiae consuetâ relaxamus.

Transumptis fides datur.

§ 5. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra adhibeatur ubique, quae praesentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die III octobris MDCLXVIII, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 3 octobris 1668, pontif. anno II.

LXXXIII.

Confirmatio privilegiorum congregationi Hispaniae fratrum Carmelitarum Discalceatorum concessorum super facultate erigendi novas domos de solâ licentiâ Ordinariorum, et non obstante distantiâ.

Clemens Papa IX, ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

Ecclesiae catholicae regimini meritis licet imparibus divinâ dispositione praesidentes, illa, quae a Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris ad divini cultus ac religionis piorumque operum incrementum et propagationem provide emanasse noscuntur, ut firma semper atque stabilia persistant, apostolici muniminis, cum id a nobis petitur, patrocinio libenter constabilimus.

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

Paulus V concessit fratribus de Monte Carmelo Discalceatis ut monasteria de solâ licentiâ Ordinariorum ubique fundare possent.

§ 1. Dudum siquidem, postquam felicis recordationis Paulus Papa V praedecessor noster superioribus Ordinis fratrum beatae Mariae de Monte Carmelo Discalceatorum nuncupatorum, ipsisque fratribus Discalceatis, ut ubique locorum quolibet in districtu suo domos et monasteria iuxta Concilii Tridentini decreta, de solâ licentiâ Ordinariorum, nullo aliarum personarum cuiusvis Ordinis etiam regularium requisito consensu, condere, fundare et erigere valerent, licentiam et facultatem, sub certis modo et formâ tunc expressis, auctoritate apostolicâ concesserat, recolendae memoriae Gregorius Papa XV, etiam praedecessor noster, eisdem superioribus et religiosis, ut ubique locorum quilibet in districtu suo domos et monasteria praefata, etiamsi illa aliis domibus regularibus Ordinum Mendicantium magis vicina essent quam in privilegiis Ordinibus Mendicantibus huiusmodi concessis praescriptum est, dummodo tamen Ordinariorum locorum expressus ad hoc accederet assensus, fundare et erigere possent, dictâ auctoritate concessit et indulsit, et aliàs prout uberius continetur in eorumdem Pauli et Gregorii praedecessorum litteris desuper in simili formâ Brevis expeditis, tenorum qui sequuntur, videlicet:

Hoc privilegium Gregorius XV ampliavit.

Gregorius Papa XV ad perpetuam rei memoriam. Aliàs a felici recordationis Paulo Papa V, etc. *(reliqua omittuntur quia erunt in suo loco sub die* VIII *novembris* MDCXXI, *anno* I[1]).

Supplicatio pro confirmatione privilegii huiusmodi.

§ 2. Cum autem, sicut dilectus filius Ioannes a Visitatione procurator generalis congregationis Hispaniae fratrum Discalceatorum dicti Ordinis nobis nuper exponi fecit, fidelium pietas erga religionem eorumdem fratrum Discalceato-

1 At sub hoc dato non reperitur in Bullario. Similis argumenti habetur pro Discalceatis Minoritis in tom. XII, pag. 650 (R. T.).

rum in dies crescat, et in multis locis praesertim regnorum Hispaniae novos domos et monasteria fratrum huiusmodi erigi et fundari desideretur, verum non desint qui tam pium opus impedire conentur, non attentis privilegiis super eiusmodi fundatione eisdem fratribus per litteras praeinsertas concessis: nobis propterea dictus Ioannes procurator generalis humiliter supplicari fecit ut in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Pontifex confirmat.

§ 3. Nos igitur, ipsum Ioannem procuratorem generalem specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus etiam dilecti filii nobilis viri moderni marchionis de Astorga pro carissimo in Christo filio nostro Carolo Hispaniarum rege catholico apud nos et Sedem Apostolicam oratoris nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, praeinsertas Pauli et Gregorii praedecessorum litteras, cum omnibus et singulis in eis respective contentis, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, approbamus et confirmamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus.

Decretum irritans.

§ 4. Decernentes easdem praesentes et praeinsertas litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 5. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon omnibus et singulis illis quae in praeinsertis Pauli et Gregorii praedecessorum litteris concessa sunt non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides.

§ 6. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, sive exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio vel extra adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die VI octobris MDCLXVIII, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 6 octobris 1668, pontif. anno II.

LXXXIV.

Confirmatio reductionis novennalis praestationis octingentorum quinquaginta scutorum ratione quorumdam bonorum ad directum dominium camerae apostolicae spectantium, ab hospitali Avenionensi debitae, ad centumocto scuta quolibet novennio praestanda, ita tamen ut milites Sedis Apostolicae aegroti et convalescentes perpetuis futuris temporibus gratis in dictum hospitale recipi ibique curari debeant[1].

Clemens Papa IX,
ad perpetuam rei memoriam.

Supplicatio.

§ 1. Exponi nobis nuper fecerunt dilecti filii administratores hospitalis

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

maioris S. Marthae, sive Bernardi Rascassis nuncupati, civitatis nostrae Avenionensis, quod aliàs, videlicet anno MDCXLI, cum dictum hospitale bona valoris in proprietate novemdecim millium scutorum monetae, emptionis vel haereditatis seu fideicommissi titulo, acquisivisset, et ratione bonorum huiusmodi, quippe ad directum dominium camerae nostrae apostolicae spectantium, quatuor scuta cum dimidio pro quolibet centenario, atque ita octingenta quinquaginta scuta paria, vel circiter, singulis novenniis eidem camerae praestare deberet; tunc existentes administratores hospitalis praefati sibi a tunc existente in dictâ civitate et comitatu Venayssino vicelegato de licentiâ venerabilis fratris nostri Antonii Barberini episcopi Praenestini S. R. E. cardinalis Antonii nuncupati tunc temporis in eisdem civitate et comitatu Sedis Apostolicae de latere legati moderationem seu reductionem novennalis octingentorum quinquaginta vel circiter scutorum huiusmodi praestationis ad centum et octo scuta similia dictae camerae quolibet novennio praestanda concedi obtinuerunt, et secundum hanc moderationem sive reductionem subinde factae fuerunt eidem camerae de novennio in novennium solutiones usque ad annum proxime praeteritum MDCLXVII; quo tempore dilecti filii camerae praefatae ministri in comitatu supradicto residentes litem desuper contra dictum hospitale moverunt, et a dilecto pariter filio iudice eiusdem camerae per sententiam declarari obtinuerunt gratiam eidem hospitali tempore legationis praefati Antonii cardinalis sicut praemittitur factam cum ipsâ legatione expirasse.

Concedit Pontifex reductionem praestationis ut in rubrica.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, nostri et dictae Sedis milites aegroti in hospitale praefatum gratis recipi ibique curari solent cum notabili utilitate dictae camerae, quae alioquin eorumdem militum curationi providere deberet; dicti vero exponentes a sententiâ quidem praefatâ appellaverint, sed potius ex nostrâ et dictae Sedis benignitate eidem hospitali opportune in praemissis a nobis provideri et ut infra indulgeri plurimum desiderent: nos, specialem ipsis exponentibus gratiam facere volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, ac dictae litis statum et merita, nominaque et cognomina, ac qualitates iudicum et colligantium, ac alia quaecumque etiam specificam et individuam mentionem et expressionem requirentia, praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes, supplicationibus eorumdem exponentium ac etiam dilectorum pariter filiorum communitatis et hominum dictae civitatis Avenionensis nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, moderationem seu reductionem dictae novennalis praestationis octingentorum quinquaginta vel circiter scutorum ad centum et octo scuta paria quolibet novennio camerae supradictae praestanda, memorato hospitali factam, ut praefertur, ita tamen ut nostri et dictae Sedis milites aegroti et convalescentes perpetuis futuris temporibus in hospitale praedictum gratis recipi ibique absque ullius mercedis praestatione curari debeant, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, perpetuo confirmamus et approbamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur

adiicimus, ac omnes et singulos tam iuris quam facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Decretum irritans.

§ 3. Decernentes easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac dicto hospitali in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab illis, ad quos spectat et pro tempore spestabit, inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac camerae praefatae praesidentes clericos, aliosque officiales et ministros iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 4. Non obstantibus praemissis, ac felicis recordationis Pauli III et aliorum Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum de rebus Ecclesiae et camerae praefatae non alienandis, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon dictae camerae et aliis quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die x novembris MDCLXVIII, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 10 novembris 1668, pontif. anno II.

LXXXV.

Committitur nuncio Sabaudiae ut audiat recursus subditorum principatus Masserani et marchionatus Crevacorii [1].

Venerabili fratri Angelo archiepiscopo Damatiensi, nostro et Apostolicae Sedis apud dilectum filium nobilem virum Carolum Emanuelem Sabaudiae ducem nuncio,

Clemens Papa IX.

Venerabilis frater,
salutem et apostolicam benedictionem.

Motiva praesentis Constitutionis.

§ 1. Cum dilecti filii consules [2], consiliarii et homines principatus Masserani et marchionatus Crevacorii aliorumque locorum annexorum, ob magnam eorum ab Urbe distantiam, non facile nec sine notabili incommodo et impensâ valeant accedere ad Apostolicam Sedem, eique suos recursus et querelarum causas proponere, si quando a dominis, quibus ab eâdem Sede commissi sunt, vel eorum iudicibus sentiant se in aliquo praegravari; indeque saepius contigerit illos, praesto neminem habentes qui eos audiat et praesidio sit, animis concitatis prosiluisse in varios excessus, maximo etiam cum detrimento praedictorum dominorum loca ipsa obtinentium in feudum: nos, ex munere nobis iniuncto volentes omnium tranquillitati ac etiam commoditati et indemnitati prospicere, motu proprio ac ex certâ scientiâ nostrâ, deque apostolicae potestatis plenitudine, te, de cuius probitate, prudentiâ, ac in rebus agendis dexteritate et experientiâ plurimum in Domino confidimus, constituimus et deputamus ut recursus, si quos a quibusvis gravaminibus per dilectum filium nobilem virum principem Masserani et marchionem Crevacorii, sive eius iudices, praedictis

Nuncio apostolico committit recursus ut in rubricâ.

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

2 Vide aliam similem supra pag. 428 (R. T.).

consulibus, consiliariis et hominibus, tam uti universis, quam uti singulis, illatis seu inferendis, per eosdem consules, consiliarios ac homines ad nos et Sedem praedictam haberi contigerit, auctoritate nostrâ, ac uti a nobis deputatus, audias, et quid[1] circa illos et illa sit agendum, eidem principi eiusque iudicibus rescribendo praescribas, et quomodo ab illis procedendum sit dirigas; in arduis vero, et iis quae bonum regimen ac statum dictorum locorum concernunt, informationes suscipias et ad nos transmittas, ut quid magis expedire censuerimus, decernere et mandare valeamus; plenamque tibi in praemissis et ceteris, quae circa illa et eorum occasione duxeris necessaria et opportuna, providendi atque statuendi et ordinandi auctoritatem concedimus et delegamus.

Poenae contra inobedientes statuit.

§ 2. Mandantes propterea moderno et pro tempore existenti principi Masserani et marchioni Crevacorii, necnon universis et singulis aliis, sub nostrae indignationis aliisque nostro arbitrio imponendis poenis, ut tibi in praemissis pareant, et quidquid mandaveris exequantur, nec sub quovis praetextu aut quaesito colore vel causâ te in praedictis audeant vel praesumant directe vel indirecte impedire seu molestare, sed imo tibi in omnibus assistant, suoque adiuvent auxilio; decernentes irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Decretum irritans.

Derogatio contrariorum.

§ 3. Non obstantibus praemissis, ac felicis recordationis Bonifacii Papae VIII praedecessoris nostri de unâ, et concilii generalis de duabus dietis, ac quibusvis aliis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon, quatenus opus sit, principatus, marchionatus et locorum praedictorum, et aliis quibuslibet, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, sub quibuscumque verborum tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, ac irritantibus et aliis decretis, in genere vel in specie, aut aliàs in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum insererentur et exprimerentur, praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XII novembris MDCLXVIII, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 12 novembris 1668, anno II.

LXXXVI.

Decretum ad favorem magistrorum caeremoniarum non participantium exigendi a singulis cardinalibus in promotione ad cardinalatus honorem triginta sex ducatos auri de camerâ, et post eorum obitum, ab eorum haeredibus viginti quinque.

1 Edit. Main. legit *quod* (R. T.).

Clemens Papa X,
ad futuram rei memoriam.

Tenor Brevis Pauli V.

Dudum felicis recordationis Paulus V praedecessor noster motu suo proprio ac ex certâ scientiâ magistris coeremoniarum centum, ac secretario et clerico ac computistae sacri S. R. E. cardinalium collegii septuagintaquinque, a singulis cardinalibus in promotione ad cardinalatus honorem, necnon eisdem magistris quinquaginta, ac secretario, clerico et computistae similiter septuagintaquinque ducatos auri de camerâ, post obitum singulorum cardinalium, etiamsi ad cardinalatus honorem promoti Romam nondum venissent, et sive illos in Romanâ curiâ vel extra eam et ubicumque decedere contingeret, in supplementum mercedis ordinariae eorumdem officialium seu ministrorum deberi, illisque coniunctim per pro tempore existentes cardinales praedictos seu eorum agentes et haeredes respective absque morâ solvi et eis consignari debere, sine tamen praeiudicio quorumcumque iurium camerae apostolicae quomodolibet debitorum ac solvendorum, auctoritate apostolicâ perpetuo statuit et ordinavit, et aliàs prout in ipsius Pauli praedecessoris litteris desuper in simili formâ Brevis die III ianuarii MDCXIX expeditis, quarum tenorem praesentibus pro plene et sufficienter expresso et inserto haberi volumus, uberius continetur.

Magistri caeremoniarum qui sint.

§ 2. Cum autem praeter praedictos magistros caeremoniarum, qui duo sunt et participantes vocantur, alii sint caeremoniarum cappellae nostrae pontificiae magistri interdum duo, et quandoque, prout de praesenti, tres, qui non participantes nuncupantur; ipsique magistri caeremoniarum non participantes in quasi possessione accipiendi et exigendi a singulis cardinalibus in promotione ad cardinalatus honorem trigintasex, et post eorum obitum ab eorum haeredibus vigintiquinque ducatos auri de camerâ pares ex laudabili consuetudine (ut accepimus) reperiantur:

Decretum de quo in rubricâ.

§ 3. Nos, attendentes venerabiles fratres nostros eiusdem S. R. E. cardinales horum quoque magistrorum caeremoniarum officio atque ministerio egere et uti, dictaque emolumenta eis tamquam mercedem seu pro eorum mercede praestari consuevisse, et propterea illorum indemnitati consulere volentes, motu simili, ac ex certâ scientiâ nostrâ, praedictis caeremoniarum magistris non participantibus trigintasex in promotione ad cardinalatus honorem, et vigintiquinque ducatus auri de camerâ praedictos inter eos pro aequis portionibus respective dividendos post obitum singulorum cardinalium huiusmodi, etiamsi ad cardinalatus honorem promoti Romam nondum venerint, et sive in Romanâ curiâ sive extra eam et ubique illos decedere contigerit, in supplementum mercedis ordinariae eorumdem magistrorum caeremoniarum non participantium, pariter deberi, illisque coniunctim per existentes pro tempore cardinales praedictos seu eorum agentes et haeredes respective absque morâ solvi et eis consignari debere, sine ullo tamen quorumcumque iurium camerae praedictae quomodolibet debitorum et solvendorum, ac anterioritatis et potioritatis caeremoniarum magistrorum participantium, et trium sacri collegii officialium supradictorum praeiudicio, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, itidem perpetuo statuimus similiter et ordinamus.

Exequutores deputat.

§ 4. Iniungentes propterea dilectis filiis nostro eiusdem S. R. E. collegii cardinalium moderno et pro tempore existenti camerario, necnon causarum curiae camerae praedictae generali au-

ditori, quatenus intra mensem a die promotionis eorumdem cardinalium computandum, etiamsi iidem cardinales nondum, ut praefertur, Romam venerint, per dicti collegii depositarium, vel aliàs prout melius expedire videbitur, triginta sex, in obitu autem, seu post obitum praedictorum cardinalium, sive in dictâ curiâ seu extra eam et ubicumque eos decedere contingerit, vigintiquinque ducatos auri de camerâ huiusmodi memoratis magistris caeremoniarum non participantibus ab haeredibus eorumdem cardinalium, quibusvis appellationibus, subterfugiis et cavillationibus remotis, ut praefertur, persolvi curent, et cum effectu faciant, ac summarium et expeditum ius illis administrent, omnibusque remediis opportunis sibi benevisis, etiam cum invocatione auxilii brachii secularis, cogant et compellant.

Contrariis derogat.

§ 5. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon omnibus et singulis illis quae memoratus Paulus praedecessor in suis litteris praedictis voluit non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXII novembris MDCLXVIII, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 22 novembris 1668, anno II.

LXXXVII.

Suppressio et extinctio congregationum canonicorum S. Georgii in Algâ Venetiarum ac fratrum S. Hieronymi Iesuatorum, et fratrum S. Hieronymi de Fesulis.

Clemens Papa IX,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Romanus Pontifex agri dominici curae more seduli patrisfamilias iugiter invigilans, ad evellendas inde religiosorum Ordinum atque congregationum plantas, quae, deficiente primaevo religiositatis vigore atque spiritu, nullam seu valde modicam in Ecclesiâ Dei utilitatem praestant, nonnunquam adducitur, sicut publico eiusdem Ecclesiae bono conducibile in Domino arbitratur.

Suppressio trium congregationum.

§ 1. Hac consideratione, aliisque gravissimis et rationabilibus causis nobis notis adducti, motu proprio, ac ex certâ scientiâ et maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, congregationes canonicorum S. Georgii in Alga Venetiarum, ac fratrum Iesuatorum S. Hieronymi, et fratrum eiusdem S. Hieronymi de Fesulis sub regulâ S. Augustini, unâ cum omnibus earum respective dignitatibus, officiis ac ministeriis, omnique conventualitate, collegialitate, titulo, essentiâ ac denominatione, tenore praesentium, perpetuo extinguimus, supprimimus et abolemus.

Bona earum in opera pia convertenda.

§ 2. Ac universa earumdem congregationum sic suppressarum respective bona mobilia et immobilia, tam sacra quam profana, conventus, collegia, monasteria, domos, vineas, praedia, canones, responsiones, fructus, introitus et iura quaecumque, ubicumque locorum existant, nostrae et Sedis Apostolicae dispositioni, in usus et opera pia per eos quibus id a nobis et Sede praefatâ commissum fuerit convertenda, reservamus.

§ 3. Praeterea canonicis et fratribus dictarum congregationum suppressarum, qui nunc vivunt et in eisdem congregationibus respective professionem emiserunt, facultatem transeundi ad aliam quamcumque religionem ab eâdem Sede approbatam, in qua benevolos invenerint receptores, aut remanendi in seculo in habitu clerici secularis, sub iurisdictione et obedientiâ Ordinariorum locorum ubi eos morari contigerit, cum provisione

ipsorum singulis pro alimentis, clericis quidem in summâ quadraginta scutorum monetae romanae, laicis vero, seu conversis, in summâ viginti scutorum parium, annis singulis, donec vixerint seu aliunde sufficienter eis provisum fuerit, super certis bonis aut redditibus congregationum suppressarum huiusmodi respective per eosdem Ordinarios assignandâ, tribuimus et impartimur.

De ecclesiis suppressis provident.

§ 4. Postremo, ne ecclesiae earumdem congregationum suppressarum debito destituantur servitio, sed sartae tectae custodiantur, praedictis Ordinariis locorum, in quibus ecclesiae ipsae sunt sitae, per praesentes committimus et mandamus, ut cappellanos deputent cum competenti mercede etiam super re certâ de bonis praedictis assignandâ, per quos missis et aliis oneribus satisfiat, ac ipsis ecclesiis debitus cultus et veneratio conservetur; utque dicti Ordinarii inventarium tam sacrae quam profanae supellectilis ad congregationes suppressas huiusmodi respective spectantis accurate conficiant, ac provideant ne a quoquam occultari, occupari aut inde amoveri ullatenus possit, nisi et donec a nobis seu Sede praedictâ aliter provideatur.

Clausulae praeservativae.

§ 5. Decernentes easdem praesentes litteras etiam ex eo quod superiores et alii canonici et fratres seu religiosi congregationum suppressarum praefatarum, et ceteri quicumque in praemissis interesse habentes, seu habere quomodolibet praetendentes, illis non consenserint, nec ad ea vocati et auditi, neque causae, propter quas eaedem praesentes emanarunt, adductae, verificatae, aut iustificatae ullatenus fuerint, nullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis, nullitatis aut invaliditatis vitio, seu intentionis nostrae aut alio quovis defectu, etiam quantumvis magno, inexcogitato et substantiali, sive etiam ex eo quod in eisdem praemissis solemnitates et quaevis alia servanda et adimplenda, servata et adimpleta non fuerint, vel ex quocumque alio capite a iure vel facto, aut statuto vel consuetudine aliquâ resultante, etiam in corpore iuris clauso, sive etiam enormis, enormissimae et totalis laesionis, et quovis alio praetextu, occasione vel causâ, etiam quantumvis iustâ, rationabili et privilegiatâ, etiam tali, quae ad effectum validitatis praemissorum necessario exprimenda foret, notari et impugnari, invalidari, retractari, in ius vel controversiam revocari, aut ad terminos iuris reduci, vel adversus illas restitutionis in integrum, aperitionis oris, reductionis ad viam et terminos iuris, facti vel gratiae remedium impetrari, seu quomodolibet concesso aut impetrato quempiam uti seu se iuvare posse, sed ipsas praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab omnibus et singulis, ad quos spectat et quomodolibet spectabit in futurum, inviolabiliter observari,

Clausula sublatâ.

§ 6. Sicque et non aliter in praemissis omnibus et singulis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac sanctae Romanae Ecclesiae cardinales, etiam de latere legatos et dictae Sedis nuncios, aliosve quoslibet quacumque praeeminentiâ et potestate fungentes et functuros, in quavis causâ et instantiâ, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si quid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 7. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, etiam in

conciliis generalibus editis, et, quatenus opus sit, de iure quaesito non tollendo, ac de exprimendo vero valore in suppressionibus perpetuis, illisque committendis ad partes, vocatis quorum interest, et aliis nostris et cancellariae apostolicae regulis, necnon congregationum supressarum praedictarum, earumque respective conventuum, collegiorum, monasteriorum et ecclesiarum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roborâtis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, eisdem congregationibus, illarumque superioribus, canonicis, fratribus, religiosis, et personis quibuslibet, sub quibuscumque verborum tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis, in genere vel in specie, etiam motu simili et consistorialiter, ac aliàs quomodolibet concessis, confirmatis et pluries innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica expressa et individua, ac de verbo ad verbum non autem per clausulas generales idem importantes, mentio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium et singulorum tenores, formas et occasiones praesentibus pro plene et sufficienter expressis, insertis et servatis respective habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides transumptorum.

§ 8. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum trasumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra adhibeatur, quae praesentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die VI decembris MDCLXVIII, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 6 decembris 1668, pontif. anno II.

LXXXVIII.

Applicatio bonorum trium congregationum suppressarum in Statu Venetorum existentium ipsi Reipublicae in subsidium contra Turcas[1].

Venerabili fratri Laurentio archiepiscopo Carthaginensi, moderno et pro tempore existenti nostro et Apostolicae Sedis in dominio Venetorum nuncio,

Clemens Papa IX,

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

Motiva huius constitutionis.

§ 1. Cum nos, gravissimis et rationabilibus causis nobis notis adducti, congregationes canonicorum S. Georgii in Alga Venetiarum, ac fratrum Iesuatorum S. Hieronymi, et fratrum eiusdem S. Hieronymi de Fesulis sub regulâ S. Augustini, unà cum omnibus earum respective dignitatibus, officiis et ministeriis, omnique conventualitate, collegialitate, titulo, essentiâ et denominatione, perpetuo extinxerimus et suppresserimus, ac universa earumdem congregationum sic suppressarum respective bona, mobilia et immobilia, tam sacra quam profana, conventus, collegia, monasteria, domos, vineas, praedia, canones, responsiones, fructus, introitus et iura quaecumque, ubicumque locorum existerent, nostrae et Sedis Apostolicae dispositioni in usus

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

et opera pia per eos, quibus id a nobis et Sede praedictâ commissum foret, convertenda reservaverimus; praeterea canonicis et fratribus dictarum congregationum suppressarum, qui nunc vivunt et in eisdem congregationibus respective professionem emiserunt, facultatem transeundi ad aliam quamcumque religionem ab eâdem Sede approbatam, in qua benevolos invenerint receptores, aut remanendi in seculo in habitu clerici secularis sub iurisdictione et obedientiâ Ordinariorum locorum ubi eos morari contigerit, cum provisione ipsorum singulis pro alimentis, clericis quidem in summâ quadraginta scutorum monetae romanae, laicis vero seu conversis in summâ viginti scutorum parium, annis singulis, donec vixerint seu aliunde sufficienter eis provisum fuerit, super certis bonis aut redditibus congregationum suppressarum huiusmodi respective per eosdem Ordinarios assignandâ tribuerimus et impertiti fuerimus; ac demum, ne ecclesiae earumdem congregationum suppressarum debito destituantur servitio, sed sartae tectae custodiantur, praedictis Ordinariis locorum, in quibus ecclesiae ipsae sunt sitae, commiserimus et mandaverimus ut cappellanos deputent cum competenti mercede etiam super re certâ de bonis praedictis assignandâ, per quos missis et aliis oneribus satisfiat, ac ipsis ecclesiis debitus cultus et veneratio conservetur, utque dicti Ordinarii inventarium tam sacrae quam profanae suppellectilis ad congregationes suppressas huiusmodi respective spectantis accurate conficiant, ac provideant ne a quocumque occultari, occupari aut inde amoveri ulterius possit, nisi et donec a nobis et Sede praedictâ aliter provideatur, et aliàs prout in nostris desuper in simili formâ Brevis die VI currentis mensis decembris expeditis litteris, quarum tenorem praesentibus pro plene et sufficienter expresso ac de verbo ad verbum inserto haberi volumus, uberius continetur;

Supplicatio Reipublicae pro applicatione bonorum congregationum suppressarum.

§ 2. Et, sicut pro parte dilectorum filiorum nobilium virorum ducis et Reipublicae Venetorum nobis nuper expositum fuit, ipsi atrocissimum sibi a Turcarum tyranno illatum bellum a viginti tribus annis pro suarum ditionum tuitione sustineant, eorumdemque Turcarum civitatem Candiae iamdiu vehementi obsidione prementium impetus pro viribus propulsare satagant, sed eiusdem Reipublicae facultates tot sumptibus in causam dicti belli factis adeo attritae de praesenti reperiantur, ut bello huiusmodi in posterum sustinendo impares sint, manifestumque proinde instet periculum amissionis dictae civitatis totiusque regni Cretae, nisi Respublica ipsa praesentaneo aliunde auxilio sublevetur:

Concedit Pontifex.

§ 3. Hinc est quod nos, qui ab ipso pontificatus nostri primordio omnia divinae humanaeque opis praesidia atque auxilia in subventionem rei christianae contra infensissimos illius hostes assiduis pontificii zeli studiis conciliare, conquirere, atque pro viribus conferre non destitimus, Reipublicae praefatae in praesentibus rerum angustiis, quantum nobis ex alto conceditur, subvenire, dictosque ducem et Rempublicam pro peculiari paternae nostrae in eos charitatis affectu specialis favore gratiae prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplica-

tionibus eorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, omnia et singula memoratarum trium congregationum, ut praemittitur, suppressarum bona (exceptis sacris), in Statu dictae Reipublicae Venetorum existentia, in subsidium atque subventionem civitatis Candiae et regni Cretae praefatorum ac expeditionis contra Turcas supradictos, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, perpetuo applicamus. Ac tibi per easdem praesentes committimus et mandamus, ut per te ipsum vel per commissarios a te specialiter deputandos bona huiusmodi quamprimum ecclesiis, monasteriis et aliis locis piis dumtaxat, ita ut ecclesiasticae iurisdictioni semper subiaceant et subiecta atque ecclesiastica perpetuo remaneant, ac ad ecclesias, monasteria et loca pia huiusmodi, illa respective empturas et emptura, cum omnibus et singulis libertatibus, immunitatibus, exemptionibus, privilegiis, iuribus et indultis, cum quibus ad congregationes, ut praefertur, suppressas ante suppressionem huiusmodi spectabant et ab illis possidebantur, pariformiter perpetuo spectare et ab illis possideri et retineri debeant, auctoritate nostrâ apostolicâ vendas, detractis tamen prius detrahendis, tam pro alimentis nunc viventium canonicorum et fratrum seu religiosorum congregationum suppressarum praefatarum, iuxta supradictas nostras litteras, quam pro servitio et manutentione ecclesiarum earumdem congregationum atque onerum illis respective incumbentium supportatione, ac pretium inde redactum deponi facias penes aedem sacram vel personam fide et facultatibus idoneam, ita ut inde extrahi seu amoveri minime possit, nisi cum mandatis propriâ tuâ manu subscriptis, cum expressione causae et usus, in quem pecunia erit eroganda, qui quidem usus non sit alius, quam pro subsidio et subventione ac expeditione antedictis.

§ 4. Ut autem ecclesiis, monasteriis et aliis locis piis praefatis pecuniae ad emenda bona huiusmodi necessariae supperant, rectoribus, curatoribus, administratoribus, oeconomis, ac superioribus, seu procuratoribus earumdem ecclesiarum, monasteriorum et locorum piorum respective, vel aliis ad quos ea res spectat seu pro tempore spectabit, census et alias praestationes seu iura annua ad ipsas ecclesias, monasteria et loca pia respective spectantes et spectantia, qui tamen et quae, vel ex naturâ contractus, vel ex conventione in ipsis contractibus appositâ, sint redimibiles et redimibilia, quantum opus fuerit, meliorique fieri poterit conditione, vendendi et alienandi, vel pecunias ad censum seu aliud licitum interusurium vel interesse super ecclesiarum, monasteriorum et locorum piorum praefatorum respective bonis capiendi, ac pecunias inde proventuras in emptionem bonorum stabilium eis respective per te seu commissarios tuos ut praefertur vendendorum, et non in alios usus, unico contextu integre convertendi et erogandi, necnon instrumenta quaecumque cum obligationibus, clausulis et cautelis in similibus apponi solitis, seu aliis[1] necessariis et opportunis, celebrandi, seu celebrari aliaque desuper necessaria et opportuna faciendi et exequendi, quamcumque necessariam atque opportunam facultatem et licentiam dictâ auctoritate concedas et impartiaris.

Providet quo ad venditionem et emptionem bonorum supradictorum ut in rubricâ.

§ 5. Decernentes easdem praesentes litteras, firmas, validas et efficaces existere et fore, neque sub quibusvis similium applicationum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, aliisque contrariis

Clausulae praeservativae.

1 Forsan *aliàs* pro *aliis* legendum (R. T.).

dispositionibus unquam comprehendi, aut comprehensas censeri, sed semper ab illis exceptas, et, quoties illae emanabunt, toties in pristinum et validissimum statum restitutas, repositas et plenarie reintegratas, ac etiam sub posteriori datâ per praefatos ducem et rempublicam quandocumque eligendâ de novo concessas intelligi, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac eisdem duci et Reipublicae, ac aliis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos, et Sedis praedictae nuncios, aliosve quoslibet quacumque praeeminentiâ et potestate fungentes et functuros, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariis derogat.

§ 6. Non obstantibus, quatenus opus sit, de iure quaesito non tollendo, ac de exprimendo vero valore in similibus applicationibus, illisque committendis ad partes, vocatis quorum interest, aliisque nostris et cancellariae apostolicae regulis, necnon felicis recordationis Pauli II et aliorum Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum de rebus Ecclesiae non alienandis, ac illarum alienationibus committendis, aliisque apostolicis, ac in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, ac omnibus et singulis illis quae in praedictis litteris voluimus non obstare, necnon ecclesiarum, monasteriorum et locorum piorum huiusmodi, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter ex expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die VII decembris MDCLXVIII, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 7 decembris 1668, pontif. anno II.

LXXXIX.

Confirmatio quorumdam decretorum congregationis de Propagandâ Fide circa studium linguae arabicae et controversiarum in conventu S. Petri in Monte Aureo de Urbe institutum emanatorum [1].

Clemens Papa IX, ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Crediti nobis caelitus sacrosancti apostolatus officii ratio exigit, ut illis, quae pro felici studiorum christianae religionis propagandae catholicaeque fidei tuendae consilio sapienter institutorum statu atque progressu provide constituta esse noscuntur, quo firmius subsistant et serventur exactius, apostolici muniminis adiungamus firmitatem.

Decreta congregationis de Propagandâ Fide.

§ 1. Aliàs siquidem emanarunt a congregatione venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negociis Pro-

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

pagandae Fidei praepositorum pro felici prosperoque studii linguae arabicae et controversiarum in conventu S. Petri in Monte Aureo de Urbe Ordinis fratrum Minorum sancti Francisci de Observantiâ Reformatorum nuncupatorum instituti regimine et gubernio, ac ad studiosorum animos, ut sedulam litteris operam navando in bonos atque aptos ad laborandum in vineâ Domini operarios evadere satagant, congruis laborum praemiis incitandos, nonnulla decreta et ordinationes tenoris qui sequitur, videlicet:

Decreta sacrae congregationis de Propagandâ Fide circa studium linguae arabicae et controversiarum in conventu S. Petri in Monte Aureo.

« Peractâ ab eminentissimo Brancatio, a sacrâ congregatione ad id specialiter deputato, visitatione studii arabicae linguae in conventu S. Petri in Monte Aureo, eâque per eiusdem sacrae congregationis secretarium relatâ, eminentissimi Patres ex eâ colligentes non modicum illud esse collapsum, et a primaevis exercitiis defecisse, censuerunt opportune providendum ut infra:

Decem religiosi ad studium designantur.

Cum, ex duodecim ad minus religiosis, qui memorato studio, ut olim consueverat, operam navare deberent, quatuor dumtaxat ad praesens illi incumbentes fuerint reperti, et ex iis aliquis ex scientiarum defectu parum idoneus ad finem intentum assequendum, patri generali sive vicario generali Ordinis pro tempore existenti stricte iniungitur ut decem saltem in posterum religiosos Strictioris Observantiae arabicae linguae ac controversiis vacantes ibi collocet, curetque ut eorum denarius numerus indiminutus semper remaneat.

Aliaque statuuntur ut in rubricâ.

Cum vero praedicti studii finis eo dirigatur ut sacra congregatio necnon religio in promptu habeat viros ad missionum munus exercendum idoneos, et in iis, quae ad huiusmodi ministerium pertinent, excultos, generalis conscientia graviter oneratur ut nonnisi fratres regulari disciplinâ, probitate morum ac zelo gloriae Dei praeditos eligat, quique lectores aut concionatores sint, saltem in morali theologiâ bene versati, utque validius labores missionum sustinere possint, nec minores sint annis vigintiquinque, nec trigesimum quintum excedant, firmâque gaudeant corporis valetudine.

Quo vero apostolicus missionum spiritus in totum praedictum Ordinem diffundatur, non ex solâ Italiâ, sed ex omnibus reformatae familiae provinciis eos accersere curet.

Ultra vero decem praedictos conceditur provinciae Romanae ministro, ut duos alios ex hac provinciâ possit adiungere, dummodo praefatis conditionibus sint praediti.

Post octo dierum lapsum a primo eorum in praefatum studium ingressu, intra quos ipsis e conventu egredi minime liceat, in manibus patris generalis, aut, eo absente, ipsius vicarii, vel alterius ab eo deputandi, iuramentum emittant iuxta formulam in calce praesentium decretorum appositam, illudque ad sacram congregationem transmittant.

In hoc studio ultra duos annos non morentur, nisi fortasse cum aliquo, ob insignis spem profectus, censuerint lectores protrahendam esse moram ad triennium, idque cum dispensatione in scriptis patris generalis et sacrae congregationis.

Habeatur de studentibus, dum in studio permanserint, eadem ratio, ac si huius provinciae fratres essent, tum circa praecedentiam iuxta susceptionem habitus, tum circa reliqua eorumdem religiosis necessitatibus convenientia, de quibus guardianus non secus ac reliquos sui conventus fratres eos providere te-

nebitur sub eisdem poenis, quae contra guardianos idipsum suis fratribus praestare negligentes a statutis generalibus reformationis decretae sunt: vestiarium vero curet generalis a propriis provincialibus eis tempore debito subministrari.

Restituantur studentibus duodecim cellae aliàs ipsis assignatae, videlicet decem quae sunt in dormitorio quod respicit Aquam Paulam, loco autem primae et ultimae eiusdem dormitorii, quae ob obscuritatem studio minus aptae sunt, aliae duae idoneae assignentur, praedictis, quo fieri poterit, propinquiores.

Concedat guardianus studentibus parvum hortum cum suâ serâ, ubi seiuncti ab aliis fratribus honeste refici, ac invicem in linguâ cum lectoribus exercere[1] queant.

Duo semper adsint in hoc studio lectóres, alter arabicae linguae, controversiarum alter, a generali vel eius vicario electi, ita ut nonnisi praevio examine et confirmatione sacrae congregationis admittantur. Serio autem iniungitur iisdem sedulitas et assiduitas in lectionibus, repetitionibus et exercitiis.

Fruantur lectores sic electi et confirmati praecedentiâ, praeeminentiâ ac privilegiis, quibus lectores actuales theologiae potiuntur.

Lector controversiarum binas singulis hebdomadibus tradat in scriptis lectiones controversiarum orientalium, et post vesperas earumdem habeat conferentias, frequentibusque exercitiis studentes instituat; singulis vero mensibus traditae doctrinae disputationes habeantur.

Lector vero linguae arabicae ter in hebdomadâ legat, et rerum, quas studentes docuerit, repetitionem ab eisdem exigat; singulis diebus, quibus legere tenetur, per horam post vesperas auditores suos exerceat.

Prohibetur aeque lectoribus ac studentibus diebus lectionum e conventu egredi quacumque ex causâ, etiam sub praetextu alium fratrem, tametsi superior sit, associandi, nisi expletis integre lectionibus ac exercitiis eâ die, quae fieri debebant aut consueverat. Quod si guardianus viderit, vel minimum eâ de causâ iis detrahi, aut minus diligenter peragi, prohibeat prorsus egressum e conventu per totum diem lectionum.

Diebus vero festis aut vacationum liceat guardiano studentes, devotionis aut aliâ honestâ causâ, si ita expedire videbitur, foras mittere, dummodo eâ die theses non habeantur, nec omnibus eâdem die licentia concedatur. Poterit itidem guardianus aliquando etiam diebus lectionis, si necessitas urgeat, eosdem studentes ad celebrandum extra propriam ecclesiam mittere, dummodo non omnes, sed aliqui tantum mittantur, nec frequenter fiat, nec ullo modo lectionis aut exercitiorum tempore; eo autem casu illico expletâ functione redire teneantur.

Ut lectores distractionibus submotis diligentius suis incumbant studio ac lectionibus, prohibetur iisdem visitatoris aut cuiusvis alterius muneris onus assumere, aut quadragesimalium concionum tum intra tum extra Urbem cursus aggredi, quod etiam studentibus, durante studio, interdicitur, tametsi non idcirco prohibeatur eisdem sermonem aliquem aut concionem interdum infra annum habere ob aliquam occurrentem festivitatem aut quadraginta horarum orationem.

A lectionibus, repetitionibus ac exercitiis utriusque studii nemo prorsus ex studentibus quocumque titulo aut colore eximatur, aut unquam permittatur abesse, et si quis neglexerit, a guardiano

1 Vel *se exercere* vel *exerceri* legend. (B.T.).

corrigatur, idemque fiat si praetermiserit exscribere ea, quae a lectoribus traduntur; utque omnis plane tollatur excusationi locus, tempore, quo scholae et exercitiis intersunt, nemini liceat eos inde evocare, et si aliquis evocetur, eum lector abire non permittat.

Lectiones tum controversiarum tum arabicae linguae fiant de mane ad primam per integram horam iuxta morem religionis.

Senis quibuscumque mensibus theses theologiae arabico ac latino idiomate habeantur, uti prius consueverat, quibus sicut et controversiarum thesibus conventus guardianus interesse teneatur ad animos studentibus addendos, dignoscendosque eos qui proficiunt, utque generalem Ordinis monere possit de iis qui forsan minus studio eiusmodi vacaverint, quo valeat, eis submotis, alios subrogare.

Removeatur omnino e conventu studium theologicum nuper illuc invectum, sub eiusmodi vero prohibitione minime intelligatur comprehensum artium studium, quod pro clericis inibi antea viguisse supponitur.

Quoniam vero parum prodesset [1] alumnis linguam ipsam addiscere, nisi in eisdem missionum ac pietatis spiritus foveatur; ideo religiosus aliquis magni spiritus ac zeli deputetur, qui ad ipsos eorum [2] aliis fratribus singulis mensibus concionem habeat de missionariorum muneris praestantiâ, deque peculiaribus eiusdem functionibus, quo spiritus apostolicus in eis succendatur ac maneat, et erudiantur in iis omnibus, quae ad illud congrue et cum Dei gloriâ peragendum pertinent.

Generalis Ordinis, vel eius vicarius, vel commissarius generalis, singulis quatuor mensibus saltem studium istud omnino visitet, et, si studentem aliquem minime proficientem invenerit, aliquâ poenitentiâ iniunctâ, qua alii ab assumpto munere negligendo deterreantur [1], eum ad propriam provinciam redire iubeat, et eamdem sacram congregationem de remotione moneat, aliumque in remoti locum quamprimum subroget. Ultra vero praedictam generalis visitationem, secretarius itidem sacrae congregationis, eiusdem nomine, idem studium omnino visitet bis in anno, se solo, absque superiorum interventu, quo visitandi liberius queat statum et necessitates collegii exponere, adhibito secum dumtaxat aliquo arabicae linguae perito, per quem possit alumnos examinare et de eorum progressu certiorari.

Completo studio abeant studentes quò a sacrâ congregatione destinati fuerint, quod si nullus tunc temporis sit in promptu missionis locus, mittantur a generali ad inserviendum Terrae Sanctae, quo magis firmentur in arabicâ linguâ, parati, cum opus fuerit, sacrae congregationi inservire, si eadem illos legitime impeditos non existimaverit.

Qui vero propriâ ipsorum culpâ submovebuntur a studio, remittantur ad suas provincias cum privatione utriusque vocis, quae nonnisi per sacram congregationem remitti poterit.

Ad hanc tamen poenam non procedatur, nisi habitâ [2] ipsius culpae causarum prudenti ac discretâ consideratione.

Discedentium vero post completum studium, aut quavis aliâ de causâ, teneatur guardianus infra dies octo notulam ad sacram congregationem transmittere, sicut etiam eorum qui de novo advenerint et iuramentum emiserint cum ex-

1 Ed. Main. legit *prodent* pro *prodesset* (R. T.)
2 Legendum *coram* pro *eorum* (R. T.).

1 Edit. Main. legit *deterrantur* (R. T.).
2 Male ut puto ed. Main. legit *habitae* (R. T.).

pressione diei ac loci ad quem diriguntur.

Ut autem huius Ordinis religiosi aliquo etiam temporali praemio alliciantur, animosque fortius intendant ad libentius semetipsos dicandos sacro missionum ministerio, et consequenter etiam studio praedicto, veluti ad missiones ipsas directo, missionarii, ac respective studentes, iis, quae sequuntur, potiantur privilegiis:

Studio arabicae linguae peracto, si studentes, lectorum suorum aliorumque sacrâ congregatione deputandorum iudicio, profecisse compertum fuerit, nec tunc temporis pro eis missionis occasio sese obtulerit, aut ob aliquam momenti causam Loca Sancta petere nequiverint, ad proprias remeant[1] provincias, ibique morentur, donec sacrae congregationis servitio adhibeantur, et interim minister provincialis eos collocet in principali aliquo provinciae conventu eisdem grato, ex quo, ipso generali inconsulto, dimoveri nequeant;

Quod si interim a sacrâ congregatione missioni alicui destinati fuerint, vel a superiore generali missi ad Loca Sancta, illico vigore iuramenti parere teneantur; aliàs plectantur arbitrio sacrae congregationis.

Iis vero, qui in missione aliquâ praefecti munere per sexennium laudabiliter perfuncti fuerint, liceat in reditu aliquem ex principalibus propriae provinciae conventibus sibi deligere, ac inter exprovinciales praecedentiam habere, dummodo, saltem per duos annos ante, vel in eâdem missione, vel in aliâ, in statu simplicis missionarii inservierint.

Liceat pariter iis, qui commendabiliter duodecim annorum spatio sacrae congregationi in missionibus inservierint, post reditum, unum ex principalibus propriae provinciae conventibus sibi deligere, eorumque locus sit post ultimum definitorem ceterosque (si ibi adfuerint) qui aliàs missionis alicuius praefecti extiterint.

Facultate demum eligendi sibi conventum in reditu gaudeant insuper fratres ii, qui per annos quindecim Terrae Sanctae inservierint.

Missionarii autem eiusdem Ordinis, qui, cum licentiâ sacrae congregationis vel praefecti, ex locis missionum discedentes, ad Urbem se conferunt propter negocia earumdem missionum, remaneant in conventu S. Petri in Monte Aureo, in quo habeantur tamquam si essent fratres de familiâ, quoadusque per sacram congregationem expediti fuerint, quod quamprimum fieri curabit.

In eodem conventu commoretur procurator missionum durante eius officio, qui habeat duos socios sibi gratos, ut eum adiuvent in gerendis negociis missionum, cum facultate illos mittendi extra conventum propter ipsarum missionum negocia, petitâ prius solitâ benedictione a superiore locali.

Ad munus autem procuratoris missionum imposterum nemo eligatur[1], nisi prius in eisdem missionibus laudabiliter inservierit per sexennium completum cum titulo praefecti, vel per decennium cum titulo missionarii.

Quibus omnibus, sacrae congregationis iussu, sanctissimo domino nostro per eiusdem secretarium relatis, Sanctitas Sua, ad maioris firmitatis robur adiiciendum, Breve desuper expediri mandavit in audientiâ sub die IX iunii MDCLXVIII».

Formula iuramenti praestandi ab alumnis linguam arabicam addiscentibus in conventu S. Petri in Monte Aureo

1 Aptius lege *remeent* (R. T.).

1 Edit. Main. legit *aligatur* (R. T.).

de Urbis Ordinis Minorum Strictioris Observantiae.

« Ego frater N. de N., Ordinis Minorum, provinciae vero reformatae N., iuro et promitto in manibus paternitatis vestrae reverendissimae N. ab hoc seminario non discessurum, neque discedere procuraturum, mediate vel immediate, per me, vel per interpositam personam, nisi ex legitimâ causâ admittendâ a paternitate vestrâ reverendissimâ, vel a vestris successoribus canonice intrantibus, et non aliàs, etc. Insuper pro fidei catholicae propagandae causâ, ac salute infidelium procurandâ, ad eum locum, provinciam, seu regnum sine aliquâ repugnantiâ aut exceptione quandocumque iturum, ad quam seu quod a paternitate vestrâ reverendissimâ ero destinatus et missus. Sic me Deus adiuvet et haec sancta Dei Evangelia. Ego N. de N. affirmo ut supra, manu propriâ ».

A. card. Barberinus.

Locus † sigilli.

I. archiepisc. Caesareae, secretarius.

Pontifex confirmat decreta praeinserta.

§ 2. Cum autem firmiora sint atque stabilius persistant illa, quae apostolicae confirmationis praesidio roborantur: hinc est quod nos, inviolabili omnium et singulorum decretorum et ordinationum huiusmodi robori et efficaciae salubriter, quantum cum Domino possumus, providere volentes, praeinserta decreta et ordinationes, cum omnibus et singulis in eis contentis, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, approbamus et confirmamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos iuris et facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus; salvâ tamen semper in[1] praemissis auctoritate memoratae congregationis cardinalium.

1 Vocem *in* nos addimus (R T.).

Decretum irritans.

§ 3. Decernentes easdem praesentes litteras ac decreta et ordinationes huiusmodi semper firma, valida et efficacia existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, plenissime suffragari, et ab illis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariorum derogatio.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac, quatenus opus sit, praefatorum conventus et Ordinis, aliisve quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et pluries innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides transumptorum.

§ 5. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides tam in iudicio et extra habeatur, quae ipsis praesentibus haberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die x de-

cembris MDCLXVIII, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 10 decembris 1668, pontif. anno II.

XC.

Applicatio bonorum trium congregationum supressarum in regno Siciliae ultra Pharum duci et Reipublicae Venetorum in subsidium contra Turcas[1].

Venerabili fratri episcopo Mazarensi, Clemens Papa IX.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

Causa constitutionis. § 1. Cum nos, gravissimis et rationabilibus causis nobis notis adducti, congregationes canonicorum S. Georgii in Alga Venetiarum, ac fratrum Iesuatorum S. Hieronymi, et fratrum eiusdem S. Hieronymi de Fesulis sub regulâ S. Augustini, unâ cum omnibus earum respective dignitatibus, officiis ac ministeriis, omnique conventualitate, collegialitate, titulo, essentiâ ac denominatione, perpetuo extinxerimus ac suppresserimus; ac universa earumdem congregationum sic suppressarum respective bona mobilia et immobilia, tam sacra quam profana, conventus, collegia, monasteria, domos, vineas, praedia, canones, responsiones, fructus, introitus et iura quaecumque, ubicumque locorum existerent, nostrae et Sedis Apostolicae dispositioni, in usus et opera pia per eos quibus id a nobis et Sede praedictâ commissum foret convertenda, reservaverimus; praeterea canonicis et fratribus dictarum congregationum suppressarum, qui nunc vivunt et in eisdem congregationibus respective professionem emiserunt, facultatem transeundi ad aliam quamcumque religionem ab eâdem Sede approbatam, in qua benevolos invenerint receptores, aut remanendi in seculo in habitu clerici secularis sub iurisdictione et obedientiâ Ordinariorum locorum ubi eos morari contigerit, cum provisione ipsorum singulis pro alimentis, clericis quidem in summâ quadraginta scutorum monetae romanae, laicis vero seu conversis in summâ viginti scutorum parium, annis singulis, donec vixerint seu aliunde sufficienter eis provisum fuerit, super certis bonis aut redditibus congregationum suppressarum huiusmodi respective per eosdem Ordinarios assignandâ, tribuerimus et impartiti fuerimus; ac demum, ne ecclesiae earumdem congregationum suppressarum debito destituantur servitio, sed sartae tectae custodiantur, praedictis Ordinariis locorum, in quibus ecclesiae ipsae sunt sitae, commiserimus et mandaverimus ut cappellanos deputent cum competenti mercede etiam super re certâ de bonis praedictis assignandâ, per quos missis et aliis oneribus satisfiat, ac ipsis ecclesiis debitus cultus et veneratio conservetur, utque dicti Ordinarii inventarium tam sacrae quam profanae suppellectilis ad congregationes suppressas huiusmodi respective spectantis accurate conficiant, ac provideant, ne a quoquam occultari, occupari, aut inde amoveri ullatenus possit, nisi et donec a nobis et Sede praedictâ aliter provideatur, et aliàs prout in nostris desuper in simili formâ Brevis die VI currentis mensis decembris expeditis litteris, quarum tenorem praesentibus pro plene et sufficienter expresso ac de verbo ad verbum inserto haberi volumus, uberius continetur; et, sicut pro parte dilectorum filiorum nobilium virorum ducis et Reipublicae Venetorum nobis nuper expositum fuit, ipsi atrocissimum sibi a Turcarum tyranno illatum bellum a viginti tribus annis pro suarum ditionum tuitione sustineant, eorumdemque Turcarum

Supplicatio Reipublicae.

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

civitatem Candiae iamdiu vehementi obsidione prementium impetus pro viribus propulsare satagant, sed eiusdem Reipublicae facultates tot sumptibus in causam dicti belli factis adeo attritae de praesenti reperiantur, ut bello huiusmodi in posterum sustinendo impares sint, manifestumque proinde instet periculum amissionis dictae civitatis, totiusque regni Cretae, nisi Respublica ipsa praesentaneo aliunde auxilio sublevetur:

Annuit Pontifex.

§ 2. Hinc est quod nos, qui ab ipso pontificatus nostri primordio omnia divinae humanaeque opis praesidia atque auxilia in subventionem rei christianae contra infensissimos illius hostes assiduis pontificii zeli studiis conciliare, conquirere, atque pro viribus conferre non destitimus, Reipublicae praedictae in praesentibus rerum angustiis quantum nobis ex alto conceditur, subvenire, dictosque ducem et Rempublicam pro peculiari paternae nostrae in eos charitatis affectu specialis favore gratiae prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et penis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, huiusmodi supplicationibus eorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, omnia et singula memoratarum trium congregationum ut praemittitur suppressarum bona (exceptis sacris), in regno Siciliae ultra Pharum existentia, in subsidium atque subventionem civitatis Candiae et regni Cretae praefatorum, ac expeditionis contra Turcas supradictos, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, perpetuo applicamus; ac tibi per easdem praesentes committimus et mandamus, ut per te ipsum, vel per commissarios a te specialiter deputandos, bona huiusmodi quamprimum, meliori qua fieri poterit conditione, auctoritate nostrâ apostolicâ vendas, detractis tamen prius detrahendis tam pro alimentis nunc viventium canonicorum et fratrum seu religiosorum congregationum suppressarum praefatarum iuxta supradictas nostras litteras, quam pro servitio et manutentione ecclesiarum earumdem congregationum, atque onerum illis respective incumbentium supportatione, ac pretium inde redactum deponi facias penes aedem sacram vel personam fide et facultatibus idoneam, ita ut inde extrahi seu amoveri minime possit nisi cum mandatis venerabilis fratris Laurentii, archiepiscopi Carthaginensis, moderni seu pro tempore existentis nostri et Apostolicae Sedis in dominio Venetorum nuncii manu subscriptis cum expressione causae et usus in quem pecunia erit eroganda, qui quidem usus non sit alius quam pro subsidio et subventione ac expeditione antedictis.

Aliaque statuit ut in rubricâ.

Clausulae praeservativae.

§ 3. Decernentes easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, neque sub quibusvis similium applicationum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, aliisque contrariis dispositionibus unquam comprehendi aut comprehensas censeri, sed semper ab illis exceptas, et quoties illae emanabunt, toties in pristinum et validissimum statum restitutas, repositas et plenarie reintegratas, ac etiam sub posteriori datâ per praefatos ducem et Rempublicam quandocumque eligendâ de novo concessas intelligi, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac eisdem duci et Reipublicae, ac illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, in omnibus et

omnia plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos, et Sedis praefatae nuncios, aliosque quoslibet quacumque praeeminentiâ et potestate fungentes et functuros, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 4. Non obstantibus, quatenus opus sit, de iure quaesito non tollendo, ac de exprimendo vero valore in similibus applicationibus, illisque committendis ad partes, vocatis quorum interest, aliisque nostris et cancellariae apostolicae regulis, necnon felicis recordationis Pauli II et aliorum Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum de rebus Ecclesiae non alienandis et illarum alienationibus committendis, aliisque apostolicis, ac in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, ac omnibus et singulis illis, quae in praedictis litteris voluimus non obstare; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XVII decembris MDCLXVIII, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 17 decembris 1668, pontif. anno II.

XCI.

Renovatio ad viginti annos variarum indulgentiarum et gratiarum spiritualium pro conversione infidelium Indiarum[1].

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

Clemens Papa IX, ad futuram rei memoriam.

Supplicatio.

§ 1. Animarum saluti paternâ charitate intenti, supplicationibus dilecti filii Ioannis Pauli Olivae Societatis Iesu praepositi generalis nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, ac multorum praedecessorum nostrorum Romanorum Pontificum vestigiis inhaerentes, de omnipotentis Dei misericordiâ ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus christifidelibus in quibuscumque Oceani Indiis, aut Sinarum regione, vel Brasilia constitutis, praesentibus et futuris, vere poenitentibus et confessis, ac sacrâ communione refectis, quoties aliquam[1] ex infidelitate et idololatriâ ad veri Dei cognitionem reduxerint, plenariam; necnon eisdem etiam vere poenitentibus et confessis S. Thomae apostoli in Indiis praedictis vel aliquam ex certis dilectorum filiorum presbyterorum Societatis Iesu ecclesiis illarum partium Deo vel in honorem Sanctorum erectis, necnon omnes et singulas huiusmodi ecclesias collegiorum, domorum et residentiarum eiusdem Societatis regionum praefatarum, saltem inter se per centum milliaria distantes, ut supra erectas, singulis annis quatuor diebus festis Domini nostri, B. Mariae Virginis, aut Sanctorum praedictae Societatis, per[2] praepositum generalem designandis, visitantibus et inibi sanctissimum Eucharistiae Sacramentum sumentibus, ac pro gentilium et haereticorum conversione pias ad Deum preces fundentibus, etiam plenariam; omnibus etiam et singulis tam presbyteris quam aliis de dictâ Societate existentibus, quos in qualibet utriusque Indiae regione vel Oceani insulâ aut navigatione pro fidei negocio eundo vel redeundo mori contigerit, in cuiuslibet eorum mortis

Concedit Pontifex renovationem indulgentiarum ut in rubrica.

1 Videtur legendum *aliquem* (R. T.).
2 Praep. *per* nos addimus (R. T.).

articulo, saltem contritis et confessis, si communicare nequiverint, plenariam pariter; scholaribus vero in utrâque India existentibus, ac confraternitati B. Mariae Virginis ibi canonice institutae adscriptis, qui in Annunciationis et Assumptionis ipsius B. Mariae Virginis festis dictum sanctissimum Eucharistiae Sacramentum sumpserint, et coronam vel tertiam partem rosarii recitaverint, necnon utriusque sexus christifidelibus aliquam ex confraternitatibus canonice erigendis ingressis, qui in festivitate SS. Corporis Christi et illius octavâ poenitentes similiter et confessi sanctissimum Eucharistiae Sacramentum sumpserint, et in cuiuslibet eorum utriusque sexus christifidelium mortis articulo, etiam poenitentibus et confessis ac sacrâ communione refectis, aut saltem contritis si confiteri et communicare non potuerint, plenariam similiter omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus. Insuper dictis scholaribus huiusmodi confraternitati adscriptis qui in singulis eiusdem Beatae Mariae Virginis, ac Resurrectionis, Pentecostes et Nativitatis Domini Nostri Iesu Christi festivitatibus, si confessi et contriti praemissa peregerint, decem annorum de iniunctis eis seu aliàs quomodolibet debitis poenitentiis; eis quoque qui in singulis diebus veneris cuiuslibet quadragesimae devote processionibus publicis in partibus et locis transmarinis ad orandum pro conversione gentilium et haereticorum praefatorum iuxta ritum Ecclesiae Romanae institutis interfuerint, trium annorum; reliquis vero omnibus eisdem processionibus praesentibus contritis et confessis unius anni indulgentiam elargimur; quodque[1] pro animabus eorum christifidelium, qui in praefatis utriusque Indiae navigationibus pro negocio fidei instituendo ab humanis in charitate Christo coniuncti decesserint, confessi ac sacrâ communione refecti, tertiam partem rosarii aut unam coronam recitaverint, quoties id agent, toties per modum suffragii unam ex dictorum animabus a poenis purgatorii liberare valeant; quodque scholares utriusque Indiae huiusmodi, qui in scholis presbyterorum dictae Societatis dant operam litteris, in presbyterorum eorumdem ecclesiis missas vel alia divina officia tempore interdicti et cessationis a divinis, ipsique presbyteri, iisdem scholaribus praesentibus, ianuis clausis et non pulsatis campanis, et dummodo ipsi causam huiusmodi interdicto non dederint, ac interdictis et excommunicatis exclusis, audire et celebrare respective possint, concedimus et indulgemus. Insuper praefatis omnibus et singulis utriusque sexus christifidelibus in Indiis et regionibus praedictis existentibus, qui contriti et confessi quamlibet ecclesiam et cappellam in eisdem partibus dictorum presbyterorum Societatis Iesu curâ et operâ ut supra erectam aut in futurum erigendam devote visitaverint et ut supra oraverint, quadraginta dies, et semel, quolibet anno, aliquo die festo Domini Nostri Iesu Christi, Beatae Mariae Virginis aut Sanctorum, quem provincialis dictae Societatis constituerit, septem annos et totidem quadragenas; eisdem, qui aliquam ex praedictis ecclesiis dictorum presbyterorum Societatis Iesu quadragesimae et aliis temporibus stationum Urbis dominicis et feriâ sextâ diebus visitaverint, easdem omnes et singulas indulgentias concedimus, quas consequerentur si ecclesias et basilicas Urbis in diebus stationum huiusmodi devote visitarent; illisque, qui singulis

1 Vel addendum *qui* vel legendum *quod qui* pro *quodque* (R. T.).

diebus feriae sextae primae hebdomadae cuiusque mensis easdem ecclesias devote visitaverint, et ibi quinquies orationem dominicam et toties salutationem angelicam pro exaltatione fidei catholicae recitaverint, septem annos; in festis vero Domini Nostri Iesu Christi, ac Beatae Virginis, Apostolorum, sub cuius titulo ecclesia constet, decem annos; his autem, qui aliquam ex [1] dictis ecclesiis, postquam confessi sanctissimum Eucharistiae sacramentum sumpserint, visitaverint, toties viginti annos; ac eisdem christifidelibus utriusque Indiae et transmarinorum limitum, qui processionibus et precibus iuxta ritum S. R. E. a praedictis presbyteris de Ordinariorum licentiâ instituendis et agendis, Indorum et Æthiopum seu quorumvis aliorum neophytorum et aliorum christianorum, interfuerint et eas associaverint, christianam doctrinam cum eisdem presbyteris vel ab eis deputatis recitaverint vel privatim docuerint, quoties id fecerint, septem annos et totidem quadragenas; invisentibus autem infirmos, et praesertim Indorum hospitalia, xenodochia et alia similia loca pia, ipsis etiam infirmis per se vel per alium ministrando, singulis diebus, quibus id fecerint, vigintiquinque; qui vero ad infirmos accedentes ibi pernoctaverint, quinquaginta; eis etiam, qui coram Beatae Mariae Imagine ab almâ Urbe ad collegium civitatis Limae in Perû, ut asseritur, delatâ, tertiam rosarii partem vel coronam recitaverint, centum similiter dies de iniunctis eis seu aliàs quomodolibet debitis poenitentiis in formâ Ecclesiae consuetâ relaxamus, ac respective concedimus et indulgemus.

Facultates concessas patribus Societatis Iesu.

Praeterea eiusdem Societatis Iesu provincialibus vel ab eis deputandis presbyteris, cum neophytis provinciarum utriusque Indiae, aliarumque maris Oceani regionum, in quibus inter infideles fideles existunt, et non adsunt Ordinarii similem facultatem habentes, vel ultra duas dietas, iuxta constitutionem felicis recordationis Pauli III editam, existunt, in quocumque seu quibusvis, non tamen in primo consanguinitatis vel affinitatis, gradibus, vel aliàs, coniunctis seu se attinentibus, ut matrimonium inter se contrahere, seu in eo etiam scienter contracto remanere valeant, in foro conscientiae tantum, gratis tamen, dispensandi; et insuper ibidem locorum Ordinariis, ut de presbyterorum eorumdem tamquam adiutorum et assessorum suorum in locis praedictis, et ubi eorum commodè potuerit haberi copia, consilio, et cum illis, etiam in iudiciali foro, in reliquis autem provinciis praefatis Ordinariorum praesentiâ destitutis, vel ab eis ultra duas dietas praedictas non minus ducentis millibus passuum remotis, provincialibus et deputatis presbyteris praedictis cum eisdem neophytis, non tamen in primo gradu, in utroque foro gratis dispensandi, et eos, qui in gradibus prohibitis huiusmodi etiam scienter contraxerint, ab excessibus et excommunicationis aliisque censuris et poenis ecclesiasticis in utroque foro gratis pariter absolvendi, ac prolem inde susceptam legitimam decernendi; necnon ipsis presbyteris in iisdem Indiis et locis praedictis constitutis, quibus aliqua Eucharistiae fragmenta seu minutiae pro tempore interciderint, etiam post peractum sacrificium, absque ullo conscientiae scrupulo, iuxta rubricas missalis romani reverenter sumendi; insuper presbyteris eiusdem Societatis Iesu, quos in Saracenorum et aliorum infidelium terras et alias utriusque Indiae et transmarinas regiones maris Oceani, ad quas

1 Praeposit. *ex* nos addimus (R. T.).

Hispani et Lusitani penetrant, ac provincias remotissimas, ubi non est inquisitio, et fideles inter infideles degunt, neque Ordinarii saltem infra duas dietas existunt huiusmodi facultatem habentes, praepositus generalis miserit, christianos in eisdem provinciis, Indiis et regionibus commorantes ab omnibus peccatis, sententiis et censuris, etiam in bullâ Coenae Domini contentis et reservatis, etiam gratiose, absolvendi facultatem; eisdemque, ut, semel ab aliquo illarum partium episcopo approbati[1] ad praedicandum, confessiones audiendas et missas celebrandas in ecclesiis et oratoriis Societatis Iesu praedictae, pro ministeriorum huiusmodi exercitio ulterius licentiam et approbationem ab illis episcopis, quatenus distent ultra duas dietas, petere seu habere minime teneantur, sed absque illis praemissa facere possint; si vero episcopus ab ecclesiâ vel loco ubi praedicatur vel confessiones audiuntur non distet ultra praedictas duas dietas, tunc licentia etiam alterius Ordinarii ita vicini prius obtineri debeat, quae tamen per epistolam etiam impetrari possit; possint etiam extra ecclesias consecratas super altaribus portatilibus, in loco tamen decenti, ubi non est commoditas ecclesiarum, et in casu necessitatis tantum, etiam per horam ante lucem, vel etiam post meridiem, in eisdem regionibus, cum opus fuerit, celebrare, et in Maluco, Iappone et aliis insularum, terrarum, provinciarum et locorum praedictorum partibus et locis, a quibus valde remoti sunt episcopi, oleis sanctis per duas vel tres aut quatuor annos ante consecratis libere uti possint; necnon, ut quicumque ex praedictis presbyteris Societatis praefatae tantum sacrosanctum missae sacrificium defunctorum pro animabus christifidelium, qui ex hac vitâ in charitate Christo coniuncti decesserunt, in singulis ecclesiis Societatis Iesu, ad unum illorum superiorum arbitrio semel deputandum altare, celebraverint, per modum suffragii iisdem animabus possint[1]; postremo iisdem presbyteris, a praeposito generali et dictâ Societate deputandis, ut in praedictis regionibus, provinciis et locis, in quibus similiter fideles cum infidelibus vivunt, et non adsunt Ordinarii qui huiusmodi facultatem habeant, qui[2] distant ultra duas dietas, cum neophytis aliisque ad fidem reductis ex rationabili causâ et legitimâ super voto castitatis, non tamen solemni quomodolibet etiam per ordinis sacri susceptionem vel professionis regularis in religione per Sedem Apostolicam approbatâ emissionem facto, et super matrimonio de facto et in facie Ecclesiae sive scienter sive ignoranter contracto, et quovis occulto impedimento, praeter primi gradus, propter quod tale matrimonium in conscientiâ esset invalidum, et contrahentes sine scandalo separari non possent, dispensandi, gratis tamen, et in foro conscientiae tantum, ac super bonis male acquisitis, ad quae restituenda ipsi neophyti et alii praefati in certis personis obligati extiterint, cum eis ad opera pia componendi, vel, si ipsi indigerent, in toto vel in parte remittendi, necnon cum Indis, in foro conscientiae tantum, et cum neophytis in utroque foro super ieiuniis, gratis tamen, dispensandi, necnon ab onere petitionis debiti matrimonialis, quando non esset licitum illud ratione voti castitatis vel aliâ rationabili causâ petere, in foro conscientiae tantum et gratis, liberandi, licentiamque legendi libros infidelium de licentiâ sui provin-

1 Ed. Main. legit *approbari* pro *approbati* (R. T.).

1 Vel lege *prosint* pro *possint*, vel antea *celebrare* pro *celebraverint* (R. T.).

2 Forsan *quia* pro *qui* legendum (R. T.).

cialis personis dignis concedendi licentiam et facultatem apostolicâ auctoritate tenore praesentium respective concedimus et impartimur; missas quoque per horam ante auroram ipsi patres Societatis celebrare possint, ac cum suis regularibus, ut ad sacros etiam presbyteratus ordines per annum ante legitimam aetatem promoveri possint, dispensare valeant, similiter concedimus. Et insuper, quia a nonnullis dubitatum seu haesitatum fuit an omnes indigenae illarum regionum oriundi et naturales et christianorum indigenarum etiam baptizatorum filii etiam in eorum infantiâ baptizati iure neophyti appellari possint: idcirco tenore earumdem praesentium decernimus et declaramus omnes oriundos seu naturales supradictarum omnium tam orientalium quam occidentalium partium, imo etiamsi Æthiopes Angulani vel quarumvis aliarum transmarinarum regionum, etiamsi christianorum filii et in infantiâ baptizati, vel etiam inter se vel cum Europaeis mixtim progeniti sint, ad concessionis huiusmodi effectum, esse et intelligi debere neophytos; dictosque presbyteros cum huiusmodi, ut vel matrimonio coniungi vel in iam contracto remanere possint, sive eorum alter tantum sive etiam uterque inde oriundus ac proprie indigena sit in locis, et aliàs ut supra, in quibuscumque consanguinitatis vel affinitatis gradibus iure divino ut supra non prohibitis, primo excepto, et aliàs ut praefertur, gratis tamen, dispensare posse concedimus et indulgemus. Quin etiam, quia de mixtim progenitis, quos *mestisos* vocant, maius dubium esse accepimus, cum eisdem mestisis, quos similiter ad hunc effectum neophytos censendos esse decernimus, in gradibus et matrimoniis contractis et contrahendis praedictis, gratis tamen, dummodo non ita facile id fiat, dispensare, eisdemque [1] presbyteris facultatem desuper concedimus opportunam.

§ 3. Decernentes presbyteros dictae Societatis super praemissis, et aliis iuxta facultates praedictas et illarum vigore, servatâ tamen illarum formâ, exequendis, ex quovis alio praetextu vel quovis colore per quoscumque loci Ordinarios, seu alios superiores et iudices ecclesiasticos et saeculares, quavis auctoritate fungentes, molestari, perturbari vel inquietari nullatenus posse; sicque in praemissis per quoscumque iudices, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Clausulae praeservativae.

§ 4. Non obstantibus praemissis, ac quibusvis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac, quatenus opus sit, nostrâ de non concedendis indulgentiis ad instar, statutis et consuetudinibus, ceterisque contrariis quibuscumque. Praesentibus ad viginti annos, a fine aliorum viginti annorum ad quos similes gratiae a felicis recordationis Innocentio Papa X praedecessore nostro concessae fuerunt inchoandos, tantum valituris. Contrariis derogat.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die VIII ianuarii MDCLXIX [2], pontificatus nostri anno II.

Dat. die 8 ianuarii 1669, anno II.

XCII.

Confirmatio statutorum pro felici regimine hospitalis pauperum septuagenariorum ab archiconfraternitate S. Io-

1 Potius lege *eisdem* (R. T.).
2 Male edit. Main, habet *an. 1668* (R. T.).

sephi civitatis Bononiensis erecti factorum [1].

Clemens Papa IX,
ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium. In supremo militantis Ecclesiae solio meritis licet imparibus per ineffabilem divinae bonitatis abundantiam constituti, illa, quae pro felici prosperoque locorum piorum quorumcumque ad exercenda christianae charitatis opera institutorum provide constituta esse noscuntur, ut firma semper atque inviolata persistant, apostolici muniminis nostri praesidio libenter roboramus.

Expositio. § 2. Exponi siquidem nobis nuper fecerunt dilecti filii confratres archiconfraternitatis S. Iosephi civitatis nostrae Bononiensis, quod ipsi hospitale pauperum septuagenariorum, pro cuius manutentione quondam Antonius Bondi in suo ultimo testamento omnia bona sua reliquerat, in aedibus oratorio dictae archiconfraternitatis contiguis erexerunt et aperuerunt, ac pro illius felici regimine nonnulla capitula seu statuta fecerunt, seu fieri curaverunt, tenoris qui sequitur, videlicet:

Regole del pio ospedale de' poveri settuagenarî eretto nella archiconfraternita di S. Giuseppe di Bologna.

Proemio. Così mirabili sono l'opere di Dio, che in ogni momento dalla sua benefica mano vediamo con modi impensati compartire le grazie più necessarie e disposti gli ordini a beneficio più urgente. Questi sono gli effetti del suavissimo suo impero, ed i segni di quel paterno amore, che, per sua benignità, si degna mantenere verso dell'uomo. Esempio più mirabile e manifesto non potria desiderarsi, quanto che in avere S. D. M. con spirito celeste acceso il fuoco della carità in un cuore, che, riguardando pietosamente que' poveri uomini, i quali già settuagenarî sono in doppio stato di miseria per gli anni e per la povertà, ha procurato per maggior gloria di Dio, per benefizio proprio, et onore di questa città, di sovvenirli con i mezzi stimati più opportuni.

Avendo dunque il signor Antonio Bondi ordinato per suo testamento dell'anno 1642, li 12 agosto, che le sue facoltà fossero erogate in alimentare, vestire e provvedere di ogni altra cosa necessaria, finchè viveranno, tanti poveri cittadini settuagenarî, quanti ne comporterà annualmente la rendita della sua eredità, quali però abbiano le seguenti condizioni, che sieno cittadini di nascita Bolognesi, settuagenarî, non ammogliati, veramente poveri, di buona vita, opinione e fama, o almeno per quarant'anni avanti il settuagesimo tenuti e reputati non morbosi o incurabili, ma solo aggravati dalla età predetta; ordinando che la sua casa ove abitava e le contigue, conforme il bisogno, debbano servire per erigervi l'ospedale ed ospizio per questo suo divoto instituto, nominato da lui il *Pio Ospedale de' poveri settuagenarî*, volendo, che l'elezione ed accettazione di detti poveri sia fatta per li signori priori, officiali ed altri professi dell'archiconfraternita di S. Gioseffo di Bologna, come amplamente ne apparisce nel detto testamento rogato per il q. f. Peregrino Aretusi notaro, mentre viveva, di Bologna, al quale, etc.

Inoltre, essendosi degnato S. D. M. ispirare nell'animo di monsignore Francesco Ratta, Bolognese, sensi di simile carità e devozione, egli lasciò suo erede proprietario la suddetta archiconfraternita di S. Gioseffo, obbligando li beni di detta eredità nel fabbricare l'ospe-

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

dale per i suddetti poveri settuagenarî, conformandosi pienamente alla volontà del suddetto signor Antonio Bondi, con questa condizione però, che se nel termine di dieci anni dopo la morte della sua erede usufruttuaria non si fosse adempita la sua volontà, ogni frutto già percetto o maturato, e depositato, come dispone, nel sacro Monte di Pietà, solo spettare a detta archiconfraternita, ma tutti li beni e capitale fossero devoluti alla compagnia ed ospedale de' convalescenti della SS. Trinità di Bologna, sostituita, come per testamento suo rogato per il q. f. Giovanni Cesare Manolesi li 30 luglio 1660.

Ora, essendosi benignamente degnata la Santità di nostro signore Papa Alessandro VII per suo Breve delli 5 settembre 1662 di commutare la disposizione del detto già signor Antonio Bondi in quanto al luogo, dove doveva formarsi l'ospedale per questi settuagenarî, concedendoci, che sia eretto nelle case proprie ed annesse all'archiconfraternita di S. Gioseffo, volendo che in tal commutazione di casa s'intenda adempito, e pienamente soddisfatto alla volontà e disposizione del testatore, nè perciò s'incorra in caducità, devoluzione, o altre pene imposte nel suddetto testamento:

Per eseguire la pia mente di questi così singolarî benefattori, la suddetta archiconfraternita di S. Gioseffo, erede, ha deliberato di formare l'infrascritte regole e capitoli, acciò con maggior ordine e diligenza possibile s'incammini e governi questo pio ospedale a gloria di Dio, di Maria sempre Vergine Immacolata, e del patriarca S. Gioseffo suo protettore, sotto la protezione del quale se ne sperano ogni giorno più maggiori frutti di devozione e carità.

Degli officiali e amministratori dell'ospedale, e suo governo.

I. Essendo cosa chiarissima e per ragione e per esperienza che in ogni congregazione di persone fa bisogno sieno e capi ed officiali e ministri acciocchè sia buon governo, e le cose si facciano non confusamente, nè a caso, ma con ordine e ragioni; pertanto si ordina e statuisce che per buon governo di detto ospedale e de' suoi poveri ci siano sempre gl'infrascritti capi, amministratori e ministri, li quali si debbano eleggere di tutto il corpo della compagnia dell'archiconfraternita suddetta di S. Gioseffo, ed imbussolare, ed estrarre secondo la forma che di sotto in questi capitoli si dirà a' suoi luoghi: un direttore, quale s'intenda esser sempre il priore *pro tempore* di detta archiconfraternita, a sei mesi; quattro amministratori a sei mesi; quattro sindaci perpetui, decano professo della compagnia *pro tempore*, due visitatori, per sei mesi, un depositario de'denari dell'ospedale, un procuratore per le ragioni dell'ospedale, un notaro, un fattore. Ora a tutti li soprannominati ed officiali e ministri, ed altri forse che nel tempo avvenire, secondo i varî accidenti, s'istituirânno, debbasi aver riguardo che nelli esercizî e ministerî loro non sieno inquietati, molestati e turbati, nemmeno fra loro s'inquietino, molestino o turbino, se non quando a loro o ad alcun di loro per mantenimento dell'opera degl'infrascritti capitoli è concesso.

Della congregazione del governo di detti poveri settuagenari e della sua autorità.

II. Per dar compimento et esecuzione alle cose partenenti al governo di detto ospedale e suoi poveri, si statuisce e dichiara che la detta congregazione in sufficiente numero s'intenda esser quella nella quale saranno adunati almeno dieci delli officiali suddetti, fra' quali vi sia il signor direttore, o in suo luogo il più anziano di detti officiali; la qual congregazione, così adunata, si determina che abbia piena autorità e potestà di

trattare ed espedire tutti li negozî occorrenti al bisogno ed al governo di detto ospedale; quali negozî così spediti e conclusi s'intendano aver quell'efficacia e fermezza, che avrebbero se tutti gli offiziali ed uomini di detta archiconfraternita li avessero spediti, purchè i partiti sieno ottenuti almeno con li due terzi de'voti de'congregati; quali partiti si debbano proporre dal direttore, ed in sua assenza dall'officiale anziano alla presenza di tutti chiaramente, con rogito del nòtaro della congregazione, eccettuati però sempre alcuni partiti di cose leggiere e di poca importanza, ne' quali si possono dare i voti a viva voce, concorrendovi il consenso dei più; e se il partito sia o non sia di cosa leggiera e poco importante, se ne abbia da stare alla dichiarazione del direttore, ed in assenza sua all'anziano degli offiziali; salvo però se si trattasse d'alienazione de' beni o mobili o immobili di detto ospedale e suoi poveri, che in tal caso tutti i partiti di qualunque cosa, ancorchè leggiera, si debbano avere per gravi ed importanti.

Dell'elezione o imborsazione delli offiziali e della loro estrazione.

III. Si ordina, che l'archiconfraternita suddetta, come di sopra legittimamente adunata, quando si avrà da fare l'elezione ed imborsazione de' nuovi offiziali, la qual cosa si avrà da fare ogni sei mesi, debba eleggere e deputare quella quantità di uomini professi di detta archiconfraternita che sarà di bisogno per fare tale imborsazione; che sieno di perfetta età, di buona vita e fama, amorevoli e pratici di detto ospedale; la qual elezione far si debba per partito legittimamente ottenuto per li due terzi dei voti, avvertendo di eleggere persone idonee ed atte secondo la qualità delli officî, ed occorrendo impedimento di causa legittima in alcuno (giudicata tale dalla congregazione) sia rimborsato per estraerlo di nuovo; e fatto questo, aggiungeranno alle palle, che si dovranno fare per gli offiziali ordinarî, una particolare imborsazione di soprannumerarî, quanti a loro parerà per ciascun offizio, i quali abbiano a supplire in difetto di quelli ordinarî, che essendo estratti, non potranno, o per morte, o per altro legittimo impedimento, esercitare gli offizî loro; dichiarandosi che l'estrazione di detti offiziali si debba fare nell'istesso tempo che si farà l'estrazione delli officiali dell'archiconfraternita suddetta di sei mesi in sei mesi; fatte che saranno dette estrazioni, si debbano intimare quanto prima a ciascuno degli estratti, con pregarli si contentino venire ad accettar l'offizio suo nella prima seguente congregazione, dichiarando che la prima imborsazione de'suddetti officiali spetti e spettar debba a tutto il corpo della compagnia suddetta legittimamente a ciò congregata da farsi per tre anni, toltone li sindici a vita, e le altre volte alla detta congregazione ed offiziali *pro tempore* di detto ospedale.

Del direttore e suo officio

IV. Essendo il capo la più nobile e necessaria parte di tutto il corpo, si è giudicato che alla detta congregatione ed ospedale sia necessario aver uno che col nome di direttore e capo possa prudentemente reggere e governare detto ospedale e suoi poveri. Si ordina perciò che questo tal direttore sia sempre il priore *pro tempore* di detta archiconfraternita, eletto sarà a[1] tutti gli altri officiali e uomini di detta archiconfraternita direttore e capo, il cui officio sarà di mantenere le regole, le ordinazioni, gli officî e beneficî, le ragioni et onori di detto ospedale e sua congregazione predetta, e d'intervenire con ogni sollecitudine a lui possibile a tutte

1 Forsan *fra* pro *sarà a* legendum (R. T.).

le congregazioni sempre che sia chiamato per bisogno e sovvenimento dell'opera. Terrà anco cura che si viva in pace nell'ospedale de' detti poveri, acquieterà ogni differenza, querela e contesa che mai nascesse, che Dio ne guardi, al tempo del suo offizio fra gli officiali e fra gli uomini di detta archiconfraternita, ed anco fra ministri operarî e servitori, e fra li poveri settuagenarî stessi del detto ospedale. E se accadesse che detti poveri non adempissero le loro obligazioni, o facessero mancamenti per i quali meritassero esser licenziati, potrà esso signor direttore convocare la congregazione, e, conforme il demerito, quelli punire, anco con la privazione, conforme dispone il detto signor Antonio Bondi, riservandosi di poterli reintegrare, ma sempre con il consenso e partito di essa congregazione passato per li due terzi, incaricando la coscienza di ciascuno l'andar molto circospetto in simile affare; ed il simile si servi quanto alli ministri di detto ospedale. Qual direttore, siccome terrà il primo luogo nella precedenza, come si è detto, e nell'autorità, così anco doverà tenerlo nella diligenza e sollecitudine, acciochè questo santo instituto vada ogni giorno di bene in meglio aumentando a gloria di Dio e sollievo del prossimo.

Delli amministratori e loro giuramento.

V. Si provvede ed ordina che li quattro amministratori, che dureranno sei mesi, di detto ospedale, da estraersi come sopra, debbano essere obbedienti al direttore; che ogni volta saranno chiamati per occorrenza del detto ospedale, se non saranno da giusta causa impediti, interverranno alle congregazioni consigliando, ammonendo, ed operando quanto più potranno in servizio di detto ospedale e suoi poveri, e così giureranno di osservare le presenti regole nelle mani del signor direttore, o di chi sedesse in suo luogo, le quali gli debbano esser lette publicamente innanzi che entrino nell'offizio dal notaro di detto ospedale.

Dei sindici perpetui e loro giuramento.

VI. E conoscendo quanto sia necessario un officio perpetuo di uomini provetti per difesa, governo et accrescimento di detto ospedale, come si costuma per inveterato stile di molte congregazioni di questa città, quindi è che si statuisce, ordina e provvede che continuamente il detto ospedale abbia quattro uomini dell' archiconfraternita predetta professi, i quali siano sindici perpetui, e sinchè duri la vita loro, maggiori di età di anni trenta, di buona fama, condizione e consiglio, li quali si debbano estraere a sorte dal borsello fatto per simile imborsazione, e detti sindici abbiano a consigliare a loro coscienza al detto signor direttore sopra tutte quelle cose che di giorno in giorno accaderanno, e debbano intervenire (non essendo per giusta causa impediti) a tutte le congregazioni che si faranno per servizio di detto ospedale. E quando vacasse alcun luogo di detti sindici perpetui, o per morte, o per volontaria rinuncia, si statuisce che in luogo del morto, o di quello avesse rinunciato, quanto prima se ne debba estrarre dal borsello solito un altro, il quale debba alla prima congregazione publicamente accettare l'uffizio, e nelle mani del signor direttore, e di chi sedesse in suo luogo, giurare di osservare quanto nel presente capitolo si contiene, il quale publicamente gli sia letto dal notaro di detto ospedale.

Dell'estrazione de' visitatori e loro officio.

VII. Ancora si statuisce che il signor direttore insieme con tutta la congregazione debba pigliare li nomi, cognomi delli professi di detta archiconfraternita, li quali saranno constituiti in età provetta, di buona vita, condizione

e fama, e porli in un bussolo, ed ogni sei mesi, nel tempo delle solite estrazioni dell'altre, cavarne due. Gli così estratti sieno visitatori de' poveri settuagenarî e delli infermi per il semestre solito, e si pregano *in visceribus Christi* che non manchino di operare tal officio di carità, visitando il più spesso che sarà possibile li detti settuagenarî ed infermi, confortandoli a sopportar pazientemente la vecchiaia e sue malattie e calamità, cercando con ogni diligenza come sieno trattati, curati e governati, così del corpo, come dell'anima, e se li ministri di detto ospedale fanno diligentemente l'officio loro, o se detti vecchi o infermi sieno morbosi o incurabili, o se sieno cibati a debiti tempi di cibi convenienti, e che il dormitorio o simil luogo, nel quale saranno detti settuagenarî o infermi, sia polito e netto, e non ci si senta cattivo odore quanto più si potrà. Debbano poi detti visitatori in fine del suo offizio, ed ancor prima quando occorrerà, riferire pubblicamente in congregazione il parer loro, acciochè mancandogli qualche cosa, se gli possa provvedere, secondo sarà commodo e necessario.

Del depositario.

VIII. Si eleggerà uno del numero dei professi di detta archiconfraternita, maggiore di ogni eccezione, il quale avrà facoltà di riscuotere, pigliare e tenere in consegna tutte le rendite de' beni di detto ospedale, le elemosine e legati pii, che giornalmente saranno fatti al detto ospedale; e quando si troverà aver appresso di sè maggior somma di lire cinquecento, dovrà avvisare il signor direttore e congregazione, acciò, volendo, si faccia deposito sul Monte di Pietà, o altro simile. Avrà per questo effetto il suo libro, ove saranno li debiti e crediti; ed in fine dell'anno, nell'ingresso degli officiali nuovi, aggiustate le partite, ne darà conto in congregazione, ed in fine del suo offizio, avendo fatto il bilancio, lo lascierà al successore. Interverrà alle congregazioni, e porrà il suo voto, conforme gli altri officiali, e durerà detto suo offizio per un anno solo, in fine del quale dovrà rendere li suoi conti, come sopra, tenendo o facendo tenere un libro regolato dell'uscita ed entrata di cassa.

Del decano.

IX. Il decano *pro tempore* dell'archiconfraternita suddetta di S. Gioseffo interverrà alle congregazioni, e, quanto più potrà, si adoprerà per servizio di detto ospedale e suoi poveri, e giurerà in mano del direttore di osservare li presenti statuti.

Del procuratore e sindaco dell'ospedale.

X. E perchè alcuna volta fa di mestieri che in giudizio e fuori di giudizio difendansi le ragioni di detto ospedale e poveri da chiunque opprimer volesse, pertanto si ordina che vi sia un sindico o procuratore, di buona condizione e fama, che eserciti ed abbia esercitato la procura in ogni foro per molti anni, al cui consiglio si commetteranno tutte le cause per difendere e mantener le ragioni dell'ospedale; ed in caso di bisogno di consulta maggiore, se gli aggiungerà un avvocato, col quale meglio si spediscano li negozî con quella sollecitudine e fedeltà, che si desidera e spera. Non mancherà questo tal sindico di ragguagliare dello stato delle cause la congregazione e gli officiali di essa, acciò si possa provedere di quanto farà bisogno, e detto procuratore e sindico avrà voto in congregazione, e ad essa interverrà con gli altri officiali.

Del notaro e suo officio.

XI. Per far rogito e tener memoria di tutte le ordinazioni, conclusioni, partiti, commissioni et assontarie, si istituisce che si debba avere un notaro di buona fama et onesti costumi, e di età di anni venticinque almeno, e che sia

descritto nel collegio de' notari nella città di Bologna. Questo interverrà alle congregazioni, così alle private delli officiali, come alle pubbliche di tutti li governatori di detto ospedale, quando gli sarà intimato, e conforme agli altri officiali porrà il suo voto secretamente. Farà in libro a ciò deputato nota e memoria di tutto quello che in detta congregazione si proporrà e concluderà; rammenterà ancora gli assunti, che a trattar negozî saranno stati fatti nelle precedenti congregazioni, che debbono fare le loro relazioni per compimento delle cose a utile di detto ospedale.

Del fattore e sua elezione.

XII. Ancora si statuisce ed ordina che il detto ospedale debba avere e tenere un fattore, uomo dabbene, fedele, diligente ed intelligente dell'agricoltura, il quale sia obbligato andare ai tempi debiti a tutte le possessioni, prati, boschi, vigne e terre di detto ospedale, e quelle farle lavorare alli coloni parziali dell'ospedale, a tempi opportuni, piantare, coltivare, seminare, e sollecitare che facciano il debito suo, ed insomma fare ed eseguire tutto quello che fanno e sono soliti di fare li fattori dei beni. L'elezione di detto fattore spetti agli officiali di detto ospedale, o maggior parte di loro, essendo, ciascuno che domandasse, posto a partito e scrutiniato a fave bianche e negre, e quello che oltre li due terzi avrà più fave bianche, quello sia fattore, essendo in arbitrio della congregazione l'intercluderlo per mancamento che si conosca in esso.

Della celebrazione dell'officio per gli aggregati settuagenarî defunti.

XIII. In ordine alla pia mente dell'institutore Bondi, si ordina che si debba celebrare ogni anno, in perpetuo, nella chiesa suddetta di S. Gioseffo o in altra chiesa, ad arbitrio dei suddetti officiali confrati, un officio da morto per l'anima dei poveri settuagenarî, morti aggregati al suddetto ospedale, col numero di messe e a spesa che parerà alli officiali *pro tempore*.

Del modo di raccogliere elemosine per la fabrica e mantenimento ed aumento di detto ospedale.

XIV. E perchè, a fondare detto ospedale e mantenere quella quantità di poveri settuagenarî che concorreranno, eccederà di gran lunga la spesa dell'entrata lasciata fin ad ora, perciò si ordina che si debbano deputar persone dabbene, di buona vita e fama, quali debbano cercare elemosina nella città e centà di Bologna con cassette chiuse a chiavi, con votarle a suo tempo alla presenza del signor direttore e depositario *pro tempore*, dovendosi convertire l'elemosina raccolta in sovvenimento solamente di detto ospedale, toltane quella parte che si darà alli detti che cercheranno. Ed acciocchè il popolo di Bologna si disponga volontieri a dar elemosina a questa laudabilissima opera, si ordina che per gli officiali *pro tempore* di detto ospedale si usi diligenza di aver in tempo di quadragesima predicatori i quali raccomandino efficacemennelle loro prediche l'opera suddetta dei poveri settuagenarî.

Conclusione dei presenti capitoli per l'osservanza loro.

XV. E perchè indarno si farebbero gli ordini e le leggi se poi non si osservassero, pertanto si ordina e si statuisce che non sia lecito contraffare nè contraddire in parte alcuna alli presenti capitoli; e quando in alcuna cosa accadesse dubitazione alcuna sopra l'intelligenza di essi, si ordina che debba starsi all'interpretazione e dichiarazione delli officiali di detto ospedale, che *pro tempore* saranno, o della maggior parte, coll'approvazione di monsignor illustrissimo e reverendissimo arcivescovo e suo reverendissimo vicario, ed in evento che occorresse alcun caso non molto importante intorno al quale non si trovasse esser provveduto per li presenti statuti, in tal caso si debba risolvere e fare secondo che alla congregazione delli uo-

mini professi in sufficiente numero congregati, come di sopra, o alla maggior parte di loro parerà o piacerà esser più utile ed espediente per beneficio di detto ospedale e suoi poveri; e così poi si debba osservare per l'avvenire in simil caso. Ma perchè dalla continua esperienza e pratica si vede chiaramente, secondo li nuovi casi ed occasioni che sopravvengono, esser molte volte di bisogno di mutazioni e riforme delli statuti, ed anco di fare nuovi capitoli, perciò si statuisce ed ordina che alli officiali *pro tempore* ed archiconfraternita predetta di S. Gioseffo spetti mutare e riformare gli ordini e capitoli sopraddetti, ed anco fare, secondo le occorrenze, nuovi capitoli, sempre però colla saputa, partecipazione e consenso di monsignor illustrissimo arcivescovo *pro tempore* di Bologna, quali da ciascuno di detta archiconfraternita ed officiali *pro tempore* debbano essere inviolabilmente osservati.

Omnia et singula statuta supra notata a nobis diligenter revisa et ponderata approbamus et confirmamus, servarique mandamus, salvâ tamen facultate addendi et minuendi illustrissimo et reverendissimo domino archiepiscopo, eiusque pro tempore vicario generali, sicuti pro temporis varietate in Domino expedire videretur: In quorum, etc.

Bononiae, ex palatio archiepiscopali hac die XXI mensis novembris MDCLXII.

ANTONIUS RODULPHIUS,
vicarius generalis.

Locus † sigilli.

Gioseffo Bartolotti, uno degli assunti; io Carlo Tibaldi, uno degli assunti; io Giovanni Battista Bussati, uno degli assunti; io Giulio Monti, uno degli assunti; io Gioseffo Comelli, uno degli assunti; io Raffael Erbolani, uno degli assunti; io Antonio Bertolotti, uno degli assunti suddetti; io Carlo Orlandini, uno degli assunti; io Giovanni Battista Dandi per il signor Carlo Lombardi, uno degli assunti; io Giovanni Battista Lucarini, uno degli assunti.

In Dei Nomine. Amen. Anno a Nativitate eiusdem MDCLXII, indictione XV, die vero XXII novembris, tempore, etc., domini nostri D. Alexandri divinâ providentiâ Papae VII, in mei, etc., constituti perillustris et reverendissimus dominus Ioseph filius illustris domini Antonii de Bartolottis perinsignis collegiatae S. Petronii canonicus, dominus Carolus olim domini Ioannis Antonii de Tibaldis cappellae S. Thomae de Mercato, dominus Ioannes Baptista domini Gasparis de Bursatio cappellae S. Blasii, dominus Iulius quondam domini Ioannis Baptistae de Monte cappellae S. Mariae Maioris, dominus Ioseph quondam domini Dominici Mariae de Comellis, dominus Natalis olim domini Pompei de Herbulanis cappellae S. Mariae Magdalenae, excellentissimus causarum patronus ac iuris utriusque doctor Antonius olim magnifici domini Angeli de Bertalottis civis et notarius Bononiensis, dominus Carolus olim domini Alphonsi de Orlandinis cappellae S. Martini maioris, dominus Carolus olim domini Marci Antonii de Lombardis cappellae S. Georgii, et dominus Ioannes Baptista quondam domini Ioannis de Lucarinis cappellae S. Thomae de Mercato, omnes confratres professi archiconfraternitatis S. Iosephi Bononiae, ac assumpti specialiter electi, constituti et deputati, ut asseritur, a dominis priore et officialibus eiusdem archiconfraternitatis super constructione et formatione suprascriptarum regularum et constitutionum; qui omnes et quilibet ipsorum in loco infrascripto visis et per me notario eis ostensis illorum subscriptionibus et quilibet eorum cognovit et recognovit dictas subscriptio-

nes fuisse et esse eorum respective manu propriâ subscriptas, hocque mediante iuramento, prout sic manu, respectu dicti perillustris et reverendissimi domini Iosephi, super eius pectus appositâ, respectu vero aliorum, tactis scripturis ad sancta Dei Evangelia, ipsi omnes et quilibet ipsorum iurarunt et iuravit, ac omni meliori modo, etc. Haeque recognitiones suscriptionum praedictarum factae fuerunt in foro archiepiscopali Bononiensi, ac in mansione iuris reverendissimi domini vicarii generalis.

Et quia ego Ioannes Baptista olim domini Iulii Caesaris de Cavatiis Bononiensis civis publicus apostolicâ, imperiali ac communis eiusdem auctoritate notarius collegialis, ac curiae archiepiscopalis actuarius, praedictis recognitionibus dictarum subscriptionum interfui et de eis rogatus fui, ideo ea omniâ in hanc publicam et authenticam formam redegi. In quorum fidem, robur ac testimonium hîc me cum solito signo subscripsi requisitus, etc.

Locus † signi.

Petitur confirmatio statutorum

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, capitula seu statuta praeinserta a dilecto filio vicario venerabilis fratris archiepiscopi Bononiensis in spiritualibus generali approbata fuerint; dicti vero exponentes illa, quo firmius subsistant et serventur exactius, apostolicae confirmationis nostrae robore communiri summopere desiderent: nos, specialem ipsis exponentibus gratiam facere volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositorum consilio, omnia et singula capitula seu statuta praeinserta, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos iuris et facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus, salvâ tamen semper in praemissis auctoritate congregationis eorumdem cardinalium. Decernentes ipsas praesentes litteras ac capitula seu statuta praeinserta, semper firma, valida et efficacia existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Confirmat Pontifex.

Clausulae praevativae.

§ 3. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac, quatenus opus sit, dictae archiconfraternitatis aliisve quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac

Contrariis derogat.

vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die xv ianuarii MDCLXIX, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 15 ianuarii 1669, pontif. anno II.

XCIII.

Iubilaeum pro regno Galliarum, aliisque provinciis et ditionibus regi christianissimo subiectis, ad implorandam divinam opem contra Turcas, cum praecepto Ordinariis, ut serio invigilent ut eleemosynae, quas occasione iubilaei huiusmodi a christifidelibus pro eorum devotione sponte conferri et in capitulis ecclesiarum reperiri contigerit, in causam belli contra Turcas fideliter erogentur[1].

Clemens Papa IX, ad futuram rei memoriam.

Motiva praesentis Constitutionis.

§ 1. Cum nos iam pluries, inter gravia christianae reipublicae pericula, publicas, tum in almâ Urbe nostrâ orthodoxae religionis arce, tum in universâ Italia supplicationes atque preces, erogatis Ecclesiae thesauris, quorum dispensationem nobis commisit Deus, indixerimus, ut clementissima Domini nostri benignitas infensissimorum christiani nominis hostium Turcarum impetus et vires virtutis suae potentiâ reprimere et conterere, prosperosque rerum christianarum eventus largiri dignaretur, sed effera eorumdem Turcarum impietas obsidionem civitatis Candiae vehementiori in dies rabie urgeat, et res christianas gravi clade involvere pro viribus moliatur; christianissimum ac pietatis et bellicae fortitudinis laude florentissimum Galliarum regnum, unde tot egregii pugiles gloriosa pro Christi honore certamina subituri nuper in Cretam insulam sese contulerunt, ad divinam opem in his urgentissimis sanctae Matris Ecclesiae necessitatibus adversus communes hostes coniunctis pariter precibus implorandam amplissimis spiritualium gratiarum muneribus censuimus esse invitandum. Itaque de omnipotentis Dei misericordiâ ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, ex illâ ligandi atque solvendi potestate, quam nobis Dominus licet indignis contulit, universis et singulis utriusque sexus christifidelibus in universo Galliarum regno aliisque omnibus et singulis provinciis et ditionibus carissimo in Christo filio nostro Ludovico Francorum regi christianissimo subiectis degentibus, qui ecclesias ab Ordinariis locorum, vel eorum vicariis seu officialibus, aut de eorum mandato, et, ipsis deficientibus, per eos qui ibi curam animarum exercent, postquam ad eorum notitiam hae nostrae pervenerint, designandas, vel ecclesiarum huiusmodi aliquam, spatio duarum hebdomadarum a publicatione designationis per Ordinarios vel eorum vicarios seu officiales, vel alios, ut praefertur, faciendâ decursurarum, saltem semel visitaverint, ibique per aliquod temporis spatium pro prosperis christianarum rerum successibus, ac memoratorum Turcarum depressione, aliisque eiusdem sanctae Matris Ecclesiae necessitatibus pias ad Deum preces effuderint, ac quartâ et sextâ feriis ac sabbato alterius ex hebdomadis huiusmodi ieiunaverint, et, peccata sua confessi, in die dominicâ immediate sequenti, vel aliâ die intra eamdem hebdomadam, sanctissimâ communione refecti fuerint, et pauperibus aliquam eleemosynam, prout

Iubilaeum in regno Galliarum indicit.

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

unicuique suggeret devotio, erogaverint, plenissimam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem, sicut in anno iubilaei visitantibus certas ecclesias intra et extra Urbem praedictam concedi consuevit, tenore praesentium, concedimus et elargimur.

Navigantibus, iter agentibus providet, necnon ceteris aliquo impedimento detentis.

§ 2. Navigantes vero et iter agentes, ut, cum primum ad sua sese domicilia receperint, suprascriptis peractis et visitatâ ecclesiâ cathedrali vel maiore aut parochiali loci eorum domicilii, eamdem indulgentiam consequi possint et valeant; regularibus autem personis utriusque sexus, etiam in claustris perpetuo degentibus, necnon aliis quibuscumque tam laicis quam ecclesiasticis, secularibus et regularibus, etiam in carcere aut captivitate existentibus, vel aliquâ corporis infirmitate, seu alio quocumque impedimento detentis, qui supra expressa vel eorum aliqua praestare nequiverint, ut illa confessarius ex iam approbatis a locorum Ordinariis ante praesentium publicationem, seu approbandis, in alia pietatis opera commutare vel in aliud proximum tempus prorogare possit, eâque iniungere quae ipsi poenitentes efficere poterunt, pariter concedimus et indulgemus. Insuper omnibus et singulis christifidelibus utriusque sexus, tam laicis quam ecclesiasticis, secularibus et regularibus cuiusvis Ordinis, congregationis et instituti, in memoratis regnis, provinciis et ditionibus ut praefertur degentibus, licentiam concedimus et facultatem ut sibi ad hunc effectum eligere possint quemcumque presbyterum confessarium tam secularem quam cuiusvis Ordinis et instituti regularem ex approbatis ut praemittitur a locorum Ordinariis, qui eos ab omnibus excommunicationis, suspensionis et aliis ecclesiasticis sententiis et censuris, a iure vel ab homine, quavis causâ latis seu inflictis, necnon ab omnibus peccatis, excessibus, criminibus et delictis quantumvis gravibus et enormibus, etiam locorum Ordinariis, sive nobis et Sedi Apostolicae etiam in litteris die Coenae Domini legi solitis contentis, et aliàs per quascumque nostras aut Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum constitutiones, quarum tenores praesentibus haberi volumus prò expressis, quomodocumque reservatis, in foro conscientiae et hac vice tantum, absolvere et liberare valeant; et insuper vota quaecumque (religionis et castitatis exceptis) in alia pia et salutaria opera commutare, iniunctâ tamen eis et eorum cuilibet in supradictis omnibus casibus poenitentiâ salutari, aliisque eiusdem confessarii arbitrio iniungendis. Quocirca, tenore praesentium, in virtute sanctae obedientiae, districte praecipimus atque mandamus omnibus et quibuscumque venerabilibus fratribus archiepiscopis, episcopis et aliis ecclesiarum praelatis, ac quibuscumque Ordinariis locorum in praefatis Galliarum regno ac provinciis et ditionibus existentibus, eorùmque vicariis et officialibus, vel, iis deficientibus, illis qui curam animarum exercent, ut[1], cum praesentium litterarum transumpta aut exempla etiam impressa acceperint, illa statim absque ullâ morâ, retardatione vel impedimento per suas ecclesias et dioeceses, provincias, civitates, oppida, terras et loca publicent et publicari faciant, ecclesiamque seu ecclesias visitandas designent, ac ipsi archiepiscopi, episcopi et alii Ordinarii serio invigilent, ut eleemosynae, quas occasione iubilaei huiusmodi a memoratis christifidelibus pro eorum devotione sponte conferri et in capitulis ecclesiarum reperiri contigerit, in causam

Facultas eligendi benevisum confessarium.

Publicationem praesentis Constitutionis ubique in Galliis mandat.

Eleemosynas hac occasione sponte collatas pro bello contra Turcas deservire statuit.

1 Male ed. Main. legit *et* pro *ut* (R. T.).

belli contra Turcas praedictos fideliter erogentur, nec in alium quemcumque usum divertantur. Non intendimus autem per praesentes super aliquâ irregularitate publicâ vel occultâ, notâ, defectu, incapacitate seu inhabilitate quoquo modo contractâ dispensare vel aliquam facultatem tribuere dispensandi seu habilitandi et in pristinum statum restituendi, etiam in foro conscientiae, neque etiam easdem praesentes iis, qui a nobis et Apostolicâ Sede vel ab aliquo praelato seu iudice ecclesiastico excommunicati, suspensi, interdicti, seu aliàs in sententias et censuras incidisse declarati vel publice denunciati fuerint, nisi intra tempus dictarum duarum hebdomadarum satisfecerint aut cum partibus concordaverint, ullo modo suffragari posse aut debere.

Clausulae praeservativae.

§ 3. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, praesertim quibus facultas absolvendi in certis tunc expressis casibus ita Romano Pontifici pro tempore existenti reservatur, ut nec etiam similes vel dissimiles indulgentiarum et facultatum huiusmodi concessiones, nisi de illis expressa mentio aut specialis derogatio fiat, cuiquam suffragari queant, necnon regulâ nostrâ de non concedendis indulgentiis ad instar, ac quorumcumque Ordinum et congregationum sive institutorum regularium, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, eisdem Ordinibus, congregationibus et institutis illorumque personis quomodolibet concessis, approbatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium et singulorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis, ac formam in eis traditam pro servatâ habentes, hac vice, specialiter, nominatim et expresse, ad effectum praemissorum, derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides.

§ 4. Ut autem praesentes nostrae, quae ad singula loca deferri non possunt, ad omnium notitiam facilius deveniant, volumus ut earumdem praesentium transumptis, vel exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, ubique locorum eadem prorsus fides habeatur, quae haberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die IV februarii MDCLXIX, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 4 februarii 1669, pontif. anno II.

XCIV.

Indultum Reipublicae Ragusinae vendendi capitalia locorum piorum Ragusinorum in civitate Neapolitanâ fundatorum ad effectum domos construendi in civitate Ragusina[1].

Venerabili fratri archiepiscopo Ragusino, Clemens Papa IX.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

Supplicatio.

§ 1. Exponi nobis nuper fecerunt dilecti filii magistratus Reipublicae Ragusinae, quod, cum super redditibus regiis fundata reperiantur in civitate Neapolitanâ multa capitalia pecuniarum ad varia

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

loca pia civitatis Ragusinae legitime spectantia, quorum fructus propter notabilem redditiuum pro eorum fundo assignatorum deteriorationem notabiliter diminuti existunt et probabiliter timeatur[1] ne maiorem in futurum diminutionem patiantur, in dictâ vero civitate Ragusina utiliter impendi possint dicta capitalia in constructionem domorum: ipsi exponentes legitimis dictorum locorum piorum administratoribus licentiam vendendi eadem capitalia, seu eorum fructus[2] ad vitam vel ad aliud tempus mediante pretio, prout magis expedire videbitur, obligandi et hypothecandi, pecuniasque inde proventuras in fabricam domorum in praefatâ civitate Ragusinâ construendarum convertendi et erogandi a nobis concedi, ac onera pia, a testatoribus seu piis largitoribus super capitalibus huiusmodi iniuncta, in domos, ut praefertur, construendas transferri plurimum desiderant. Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt ut in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Concedit Pontifex ut in rubrica.

§ 2. Nos igitur, dictos exponentes specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium Concilii Tridentini interpretum consilio, fraternitati tuae per praesentes committimus et mandamus, ut, veris existentibus narratis, legitimis praefatorum locorum piorum administratoribus memorata capitalia iustis respective pretiis, ac meliori qua fieri poterit conditione, in perpetuum sive ad emptorum vitam aut aliud tempus prout magis expedire in Domino existimaveris, vendendi et alienandi, seu illa eorumque fructus obligandi et hypothecandi, necnon pecunias inde proventuras in fabricam domorum in dictâ civitate Ragusinâ, ut praefertur, construendarum, et non in alios usus, integre convertendi et erogandi licentiam et facultatem auctoritate nostrâ apostolicâ pro tuo arbitrio et conscientiâ gratis impertiaris, ac onera pia eisdem capitalibus respective iniuncta in domos ut praemittitur construendas eâdem auctoritate transferas et transportes.

Contrariis derogat.

§ 3. Non obstantibus quorumcumque testatorum et piorum largitorum praefatorum etiam ultimis voluntatibus, quas, quoad praemissa, sufficienter et expresse commutamus, ac felicis recordationis Pauli II et aliorum Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum de rebus Ecclesiae non alienandis, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon, quatenus opus sit, dictorum locorum piorum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die v februarii MDCLXIX, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 5 februaii 1669, pontif. anno II.

XCV.

Licentia religiosis monasteriorum Palatinatus superioris solvendi octoginta

1 Aptius lege *timetur* pro *timeatur* (R. T.).

2 Aptius lege ut infra *seu illa eorumque fructus* (R. T.).

millia florenorum in extinctionem debitorum ecclesiae Ratisbonensis[1].

Clemens Papa IX,
ad futuram rei memoriam.

Supplicatio. § 1. Aliàs pro parte dilecti filii nobilis viri Ferdinandi Mariae, Bavariae ducis, S. R. I.[2] principis electoris, nobis exposito quod (cum monasteria de Reichenbach, de Endorff, de Weissenhoc et de Michelfelt virorum Ordinis sancti Benedicti, ac de Walderbach et de Walsassen etiam virorum, et de Selingenpont mulierum, Ordinis Cisterciensis, necnon de Schontal, sive Vallisspeciosae, Ordinis Eremitarum sancti Augustini, ac de Speissart, etiam virorum, Ordinis Praemonstratensis, et de Gnaderbeg nuncupata monialium Ordinis sanctae Brigittae, Ratisbonensis, Bambergensis et Eistettensis dioecesum respective, in Palatinatu superiori existentia, cum omnibus eorum bonis, pertinentiis et iuribus dudum ab haereticis occupata et tamdiu detenta fuissent donec a clarae memoriae Ferdinando II dum vixit Romanorum rege illustri in imperatorem electo, operâ praecipue, ope, consiliis et fortitudine bellicâ bonae memoriae Maximiliani dum vixit etiam Bavariae ducis S. R. I. principis electoris, ipsius Ferdinandi Mariae ducis genitoris, ab illorum manibus vindicata et recuperata fuerant[3]) idem Ferdinandus Maria dux ad catholicam religionem in dicto Palatinatu, qui a memorato Ferdinando rege eidem Maximiliano duci cessus et traditus fuerat, et in cuius possessione dictus Ferdinandus Maria dux uti ipsius Maximiliani ducis haeres et successor existebat, stabiliendam atque augendam plurimum conferre posse existimabat, si praedicta octo virorum monasteria monachis ac canonicis regularibus et fratribus respective dictorum Ordinum, reliqua vero duo monialium monasteria in erectionem novi monasterii pariter monialium in oppido civitate nuncupato Ambergae faciendam respective traderentur, tribuerentur et assignarentur: nos, supplicationibus ipsius Ferdinandi Mariae ducis nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de congregationis a nobis super hoc negocio specialiter deputatae consilio, eidem Ferdinando Mariae duci benigne indulsimus, ut nostrâ et Sedis Apostolicae auctoritate monasteria praedicta respective, cum omnibus et singulis illorum bonis, membris, pertinentiis, redditibus et iuribus universis, sicut praemittitur, perpetuo tradere, tribuere et assignare, cum interventu tamen et assistentiâ dilecti filii nostri et Sedis praedictae nuncii apud carissimum in Christo filium nostrum Leopoldum eorumdem Romanorum regem illustrem in imperatorem electum pro tempore residentis, vel alterius ecclesiasticae personae ab eodem nuncio deputandae, posset et valeret, nullo tamen sibi desuper acquisito aut reservato iurepatronatus, aut alio quocumque iure, ac salvâ remanente conventui fratrum Ordinis sancti Francisci de Paula Minimorum nuncupatorum in oppido civitate nuncupato Neoburgi existentium, pro eorum alimentis, portione bonorum seu reddituum dicti monasterii de Reichenbach penes ipsos existente, quam portionem eisdem fratribus concessimus, et ab eis retineri voluimus donec de aequivalenti annuo redditu et aeque opportuno provisum illis foret;

Alia constitutione provisum fuerat indigentiis secutis ecclesiae Ratisbonensis.

§ 2. Volentes inter cetera tunc in humanis agentem Guidobaldum S. R. E. dum vixit cardinalem de Thun nuncupatum ecclesiae Ratisbonensis ex con-

1 Ex Regest. in Secret. Brev.
2 Ed. Main. legit *Ecclesiae* pro *Imperii* (R.T.).
3 Aptius lege *fuerint* (R. T.).

cessione et dispensatione apostolicâ praesulem accipere per triennium de manu praedictorum monachorum et canonicorum regularium et fratrum eremitarum Ordinis sancti Augustini respective dimidiam partem annuorum fructuum ex praedictorum octo monasteriorum virorum bonis proventurorum, ut in extinctionem debitorum eiusdem ecclesiae Ratisbonensis, cum interventu et assensu dilectorum filiorum capituli et canonicorum ipsius ecclesiae, et non in alios usus, converteretur, et aliàs, cum diversis declarationibus, facultatibus, ordinationibus, expressionibus, clausulis et decretis, prout uberius continetur in nostris desuper in simili formâ Brevis expeditis litteris tenoris qui sequitur, videlicet:

A tergo: Dilecto filio nobili viro Ferdinando Mariae Bavariae duci S. R. I. principi electori;

Intus vero: Clemens Papa IX, dilecte fili, nobilis vir, salutem et apostolicam benedictionem. Sacrosancti apostolatus, etc. (*reliqua ut in suo loco sub die* XXIV *augusti* MDCLXVII, *anno* I[1]).

Nunc aliter providetur indifferentiae praedictae.

§ 3. Cum autem, sicut pro parte tam bonae memoriae Guidobaldi cardinalis et praesulis praedicti quam dicti Ferdinandi Mariae ducis coniunctim nobis subinde expositum fuit, longe magis expediat tam ecclesiae Ratisbonensi quam octo monasteriis virorum supradictis, ut, loco dimidiae partis fructuum eorumdem monasteriorum extinctioni aeris alieni, quo eadem ecclesia Ratisbonensis obstricta est, ad triennium, ut praefertur, applicatae, summa octaginta millium florenorum monetae illarum partium a monachis ac canonicis regularibus et fratribus respective ipsorum octo monasteriorum praestetur, atque ita difficultates et dispendia liquidationis et distractionis eorumdem fratrum evitentur: hinc est quod nos, qui id ipsum ex aliis quoque personis fide dignis et rerum huiusmodi peritis cognovimus, levamento atque utilitati tam ecclesiae Ratisbonensis quam octo monasteriorum praedictorum, quantum nobis ex alto conceditur, providere cupientes, memoratis monachis et canonicis regularibus et fratribus eorumdem octo monasteriorum, ut vice et loco dimidiae partis fructuum ipsorum monasteriorum, quae in extinctionem debitorum dictae ecclesiae Ratisbonensis triennio durante iuxta dispositionem praeinsertarum nostrarum litterarum converti deberet, quamprimum summam octoginta millium scutorum dictae monetae, nempe ratas quique partes sive portiones summae huiusmodi pro modo fructuum et reddituum uniuscuiusque ex iisdem octo monasteriis a praedicto nuncio determinandas vel approbandas, creditoribus supradictae eccclesiae Ratisbonensis a venerabili fratre moderno episcopo Ratisbonensi designandas[1] in extinctionem et dissolutionem debitorum ipsius ecclesiae cum interventu et consensu capituli et canonicorum eiusdem ecclesiae Ratisbonensis realiter et cum effectu praestare et solvere, sive loco solutionis huiusmodi tot debita ecclesiae praedictae Ratisbonensis, ab eisdem episcopo ac capitulo et canonicis designanda, creditorum ad id accedente consensu, in se et dicta monasteria respective suscipere, ac etiam ad computum et in diminutionem dictae summae octoginta millium florenorum bona stabilia etiam iurisdictionalia ad eadem monasteria seu eorum aliquod respective spectantia, dummodo tamen ipsa bona stabilia summam decem millium florenorum parium in to-

1 Vide supra pag. 541 (R. T.).

1 Videtur legendum *designandis* (R. T.).

tum non excedant, praeviâ dicti nuncii licentiâ, eidem ecclesiae Ratisbonensi cedere, ac in ipsam ecclesiam transferre et transportare; ut autem pecuniae eis respective ad solvendas portiones, unumquodque ex dictis monasteriis contingentes, suppetant, pecunias ad censum seu aliud interesse vel interusurium licitum super bonis ipsorum monasteriorum respective, prout opus fuerit, de pari eiusdem nuncii licentiâ, capere, illasque in solutionem portionum contingentium huiusmodi et non in alios usus convertere et erogare libere et licite possint et valeant, ita ut per praemissa, quae saltem intra quinquennium proximum absolvi volumus, ab onere et obligatione praestandi triennio durante praedictam dimidiam partem fructuum penitus et omnino liberi atque immunes remaneant, salvâ tamen in reliquis omnibus et singulis ac in suo robore remanente praeinsertarum litterarum dispositione, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, concedimus et indulgemus.

Derogatio contrariorum. § 4. Non obstantibus, quoad ea quae praesentibus adversantur, praeinsertis nostris litteris, ac recolendae memoriae Pauli II et aliorum Romanorum Pontificum praedecessorum pariter nostrorum de rebus Ecclesiae non alienandis, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon omnibus et singulis illis, quae in litteris praesentibus voluimus non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XVI februarii MDCLXIX, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 16 februarii 1669, pontif. an. II.

XCVI.

Commissio episcopo Ferentino contra interfectores episcopi Nicoterensis[1].

Venerabili fratri moderno episcopo Ferentino,

Clemens Papa IX.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

Motiva. § 1. Cum, sicut ad aures nostras nuper non sine gravissimâ animi nostri molestiâ pervenit, nonnulli iniquitatis filii bonae memoriae Ioannem Franciscum ultimum dum vixit episcopum Nicoterensem in ipsâ suâ civitate Nicoterensi detestabili immanitate trucidaverint: nos, qui in supremo iustitiae throno a Domino constituti sumus, horrendum atque deplorandum facinus huiusmodi minime impunitum remanere, sed condignis poenis et animadversionibus per sacros canones et conciliorum decreta ac constitutiones apostolicas inflictis et promulgatis puniri, coërceri et vindicari volentes, ac de tuâ fide, prudentiâ, diligentiâ, integritate, dexteritate et vigilantiâ, ac omni fortitudine et Dei eiusque ministrorum honoris zelo plurimum in Domino confisi, motu proprio, ac ex certâ scientiâ et maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, fraternitati tuae per praesentes committimus et mandamus ut ad praedictam civitatem Nicoterensem, vel aliò, prout opportunius atque tutius fore iudicaveris, quamprimum te conferas, ac contra omnes et singulos, qui detestandum homicidium huiusmodi in personâ dicti Ioannis Francisci episcopi commiserint, aut illud fieri mandaverint, seu factum ab aliis ratum habuerint, aut socii in hoc fuerint faventium[2], seu

Committitur episcopo Ferentino processus ut in rubricâ.

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

2 Aptius infra in loc. parall. legitur *facientium* (R. T.).

consilium, auxilium, vel favorem quoquo modo etiam indirecte illis dederunt, vel illos scienter defenderunt aut receptarunt, et generaliter contra quoscumque tam execrandi sceleris quomodolibet reos, complices et culpabiles cuiuscumque status, gradus, conditionis, qualitatis, ordinis, praeeminentiae et dignitatis sive ecclesiasticae seu secularis, etiamsi specificâ et individuâ mentione et expressione digni sint, super praemissis diligentes informationes capias, processus formes, testes quoscumque examines, et ad testificandum quascumque personas, cuiuscumque status, gradus, conditionis, ordinis et praeeminentiae existant, etiam ecclesiasticas, seculares et regulares etiam quomodolibet exemptas, per censuras ecclesiasticas et aliàs[1] opportunis iuris et facti remediis cogas et compellas, causamque et causas super iisdem praemissis, tam ex officio quam ad instantiam promotoris fiscalis a te deputandi seu aliàs quòmodolibet movendas, cum earum annexis et connexis, ac dependendentibus et emergentibus quibuslibet, totoque negocio principali usque ad declarationem incursus in anathematis et excommunicationis maioris aliasque poenas quascumque a sacris canonibus, conciliorum generalium decretis, et constitutionibus apostolicis, et speciatim illâ quotannis die Coenae Domini legi solitâ inflictas, ac sententiam, seu sententias, illiusque seu illarum omnimodam executionem inclusive cognoscas, et prout iuris fuerit decidas et termines, etiam omni et quacumque appellatione, recursu, reclamatione, nullitatum etiam ex tribus dictione, praetensae iniustitiae allegatione, in integrum restitutione, aliisque quibusvis iuris remediis ordinariis et extraordinariis penitus et omnino remotis, nos enim tibi contra praedictos, aliosque omnes et singulos in praemissis seu eorum occasione quomodolibet culpabiles, summarie, simpliciter, et de plano, sine strepitu et figurâ iudicii, solâ facti veritate inspectâ, ac omissis omnibus et singulis iuris et styli curiae solemnitatibus, procedendi, illosque omnes et singulos etiam per edictum publicum, constito tibi etiam summarie de non tuto accessu, seu aliàs arbitrio tuo citandi et monendi, ac in ius et iudicium etiam extra suas respective provincias et dioeceses, ac ultra duas et plures dietas evocandi, illisque, ac iudicibus quibuslibet, toties quoties tibi videbitur, inhibendi, reos et culpabiles praedictos, et eorum quemlibet, necnon etiam testes si forsan ad ecclesias et loca immunitate ecclesiasticâ gaudentia confugerint, inde, pro reverentiâ ecclesiis debitâ, quanto minori fieri poterit cum scandalo, extrahendi seu extrahi, et carceribus mancipari faciendi, ac curiae seculari etiam praevià degradatione per te seu tuo mandato faciendâ, prout iuris fuerit, tradendi, ipsos reos et culpabiles repertos publice anathematizatos et excommunicatos nunciandi, ac a venerabilibus fratribus episcopis et archiepiscopis, aliisque locorum Ordinariis in universo regno Siciliae citra Pharum constitutis per suarum respective civitatum, dioecesum, districtuum et locorum ecclesias singulis diebus dominicis et festivis, dum in eis maior populi multitudo ad divina convenerit, pulsatis campanis, et candelis accensis, quousque condignam satisfactionem praestiterint et absolutionis beneficium a nobis seu Romano Pontifice pro tempore existente dumtaxat se obtinuisse docuerint, nunciari faciendi, quodque ab excommunicationis et anathematis huiusmodi sententiis nemo praedictorum

1 Ni *aliis* sit legendum (R. T.).

reorum et culpabilium per alium quam per nos seu Romanum Pontificem pro tempore existentem (praeterquam in mortis articulo constitutus, et tunc nonnisi praestito iuramento de stando mandatis Ecclesiae, ac de satisfaciendo, atque cum reincidentiâ eo ipso quo convaluerit), etiam vigore seu praetextu iubilaei anni sancti, cruciatae sanctae, aliorumque iubilaeorum, indulgentiarum, indultorum, facultatum et privilegiorum, etiam speciali expressione dignorum, quibuscumque ecclesiasticis saecularibus et quorumvis Ordinum etiam Mendicantium ac militiarum regularibus, etiam episcopali vel aliâ maiori dignitate praeditis, ipsisque Ordinibus et eorum monasteriis, conventibus et domibus, ac capitulis, collegiis, confraternitatibus, congregationibus, hospitalibus, etiam S. Ioannis Hierosolymitani, et locis piis, necnon laicis, etiam regali, ducali et aliâ mundanâ praecellentiâ fulgentibus, per nos et Romanos Pontifices praedecessores nostros Sedemque Apostolicam ac cuiusvis concilii decreta verbo, litteris, aut aliâ quacumque scripturâ in genere vel in specie concessorum, ac etiam pluries innovatorum, concedendorumque et innovandorum, absolvi ullatenus possit, declarandi et decernendi, aliaque omnia et singula in praemissis necessaria quomodolibet et opportuna dicendi, agendi, faciendi, gerendi, mandandi et exequendi, etiamsi talia forent, quae magis specialem quam praesentibus sit expressa, imo et individuam requirerent commissionem, ita ut nullam praemissorum omnium et singulorum a te in executione praesentium quomodolibet gerendorum ratione vel occasione irregularitatem aut aliam notam vel impedimentum quodcumque incurras, plenissimam, amplissimam et omnimodam facultatem, potestatem et auctoritatem, harum serie, tribuimus et impartimur.

Derogatio contrariorum.

§ 2. Non obstantibus felicis recordationis Bonifacii Papae VIII praedecessoris nostri de unâ, et concilii generalis de duabus dietis, aliisque apostolicis, ac in universalibus provincialibusque et synodalibus[1] editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus quibuscumque, necnon quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, generalibus vel specialibus, supradictis, vel eorum alicui, seu quibusvis aliis, cuiusvis status, gradus, ordinis, praeeminentiae et dignitatis ecclesiasticae vel mundanae fuerint, sub quibuscumque verborum tenoribus et formis ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus ac insolitis clausulis et decretis, etiam irritantibus, etiam consistorialiter, ac motu, scientiâ et potestatis plenitudine paribus, et aliàs quomodolibet in contrarium praemissorum concessis confirmatis et pluries innovatis, etiamsi in eis caveatur expresse quod sic privilegiati excommunicari et anathematizari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de privilegiis et indultis huiusmodi ac de ordinibus, locis, nominibus propriis, cognominibus et dignitatibus eorum mentionem; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut ali-

1 Deest vox *conciliis* (R. T.).

qua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso et formâ in illis traditâ observatâ, etc. habentes[1], illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, et derogatum esse volumus et decernimus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die xx februarii MDCLXIX, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 20 februarii 1669, pontif. anno II.

XCVII.

Declaratio incursus in excommunicationem et anathema aliasque poenas canonicas, ac excommunicatio et anathematizatio interfectorum bonae memoriae Ioannis Francisci episcopi Nicoterensis.

Clemens Papa IX,
ad futuram rei memoriam.

Publicatio excommunicationis contra interfectores episcopi Nicoterensis.

Cum, sicut non sine gravi animi nostri perturbatione accepimus, bonae memoriae Ioannes Franciscus, dum vixit, episcopus Nicoterensis, in ipsâ suâ civitate Nicoterensi a nonnullis iniquitatis filiis, qui ad praesens ignorantur, nefarie interfectus fuerit:

§ 1. Nos, crimen adeo horrendum, et quod nos sui atrocitate confudit, poenis per sacros canones, conciliorum generalium decreta et constitutiones apostolicas inflictis et promulgatis pro officii nostri debito vindicare et punire volentes: ex parte Dei omnipotentis, Patris et Filii et Spiritus Sancti, auctoritate quoque beatorum apostolorum Petri et Pauli ac nostrâ, omnes et singulos, qui homicidium in personâ dicti Ioannis Francisci episcopi commiserunt, aut illud fieri mandaverunt, seu factum ab aliis ratum habuerunt, vel socii in hoc fuerunt facientium, aut consilium, auxilium vel favorem illis dederunt, seu illos scienter defensaverunt vel receptaverunt, et generaliter quoscumque tam detestandi sceleris quomodolibet complices et culpabiles, cuiuscumque status, gradus, conditionis, qualitatis, ordinis, praeeminentiae et dignitatis, sive ecclesiasticae, sive secularis, etiam specialem et individuam expressionem requirentis, existant, anathematis et excommunicationis maioris aliasque poenas quascumque, a sacris canonibus, conciliorum generalium decretis et constitutionibus apostolicis, et speciatim illâ quotannis die Coenae Domini legi solitâ inflictas, eo ipso damnabiliter incurrisse, tenore praesentium declaramus, ipsosque et eorum quemlibet, et quoscumque scientiam de praedictis delinquentibus habentes et non revelantes anathematizamus et excommunicamus, ac anathematizatos et excommunicatos publicamus et nunciamus.

Reservatio absolutionis a censuris praedictis.

§ 2. Ab excommunicationis autem et anathematis huiusmodi sententiis nemo praedictorum per alium quam nos et Romanum Pontificem pro tempore existentem (praeterquam mortis in articulo constitutus, nec etiam tunc nisi de stando Ecclesiae mandatis et satisfaciendo cautione praestitâ, atque cum reincidentiâ eo ipso quod convaluerit), etiam vigore seu praetextu iubilaei anni sancti, cruciatae sanctae, aliorumque iubilaeorum, indulgentiarum, indultorum, facultatum et privilegiorum, etiam speciali expressione dignorum, quibuscumque ecclesiasticis, secularibus, et quorumvis Ordinum, etiam Mendicantium, ac militiarum

1 Ed. Main. habet *pro servatâ habentes;* ceterum quae desunt suppleat lector scius (R. T.).

regularibus, etiam episcopali vel aliâ maiori dignitate praeditis, ipsisque Ordinibus et eorum monasteriis, conventibus et domibus, ac capitulis, collegiis confraternitatibus, congregationibus, hospitalibus, etiam S. Ioannis Hierosolymitani, et locis piis, necnon laicis, etiam regali, ducali, et aliâ mundanâ praecellentiâ fulgentibus, per nos et Sedem Apostolicam, ac cuiusvis concilii decreta, verbo, litteris, aut aliâ quacumque scripturâ, in genere vel in specie, concessorum, et etiam pluries innovatorum, ac concedendorum et innovandorum, absolvi possit.

Mandatum publicitatis.

§ 3. Et quia eo maior erit ipsorum confusio, quo sua fuerit culpa patentior, quousque dignam satisfactionem praestiterint, et absolutionis beneficium, ut supra, se obtinuisse docuerint, omnibus et singulis patriarchis, primatibus, archiepiscopis, episcopis et locorum Ordinariis ubilibet constitutis per easdem praesentes committimus, et in virtute sanctae obedientiae districte praecipiendo mandamus, ut per se vel per alium seu alios per omnes civitatum et dioecesum suarum ecclesias quibuslibet diebus dominicis et festivis, dum in eis maior populi multitudo ad divina convenerit, pulsatis campanis et candelis accensis, praedictos sic excommunicatos et anathematizatos solemniter publicent seu publicari curent et faciant.

Excommunicantur etiam qui excommunicatos absolvere praesumerent.

§ 4. Quod si forte aliqui contra tenorem praesentium talibus excommunicatione et anathemate illaqueatis, vel eorum alicui, absolutionis beneficium impendere de facto praesumpserint, eos excommunicationis sententiâ innodamus, gravius contra eos spiritualiter et temporaliter, prout expedire noverimus, processuri.

Decretum irritans et clausula *sublatâ*.

§ 5. Decernentes praesentes litteras, etiam ex eo quod praedicti et quicumque alii in praemissis interesse habentes seu habere quomodolibet praetendentes illis non consenserint, nec ad ea vocati, citati et auditi fuerint, de subreptionis et obreptionis aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrae aut alio quovis quantumvis substantiali defectu, vel ex quacumque aliâ causâ, occasione, colore, praetextu et capite, etiam in corpore iuris clauso, notari, impugnari, invalidari, redargui seu rescindi, aut ad terminos iuris reduci, aut adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum vel aliud quodcumque iuris, facti vel gratiae remedium impetrari, aut etiam motu proprio concesso quempiam in iudicio vel extra illud uti seu se iuvare nullo unquam tempore posse; sicque et non aliter in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 6. Non obstantibus quibusvis apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, necnon quibuscumque, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, ac praescriptionibus quantumcumque longissimis et immemorabilibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, generalibus vel specialibus, supradictis, vel eorum alicui, seu quibusvis aliis, cuiuscumque ordinis, status, gradus, conditionis, dignitatis et praeeminentiae fuerint, etiamsi, ut praemittitur,

pontificali, regali, ducali, seu quavis aliâ ecclesiasticâ et mundanâ praefulgeant dignitate, a Sede praedictâ ex quacumque causâ, etiam per viam contractus et remunerationis, etiam intuitu et contemplatione regum, ducum, rerumpublicarum et aliorum quorumcumque, ac sub quibuscumque verborum tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis, in genere vel in specie, etiam motu proprio, ac etiam consistorialiter, et aliàs in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, approbatis et innovatis, etiam continentibus quod excommunicari et anathematizari non possint per litteras non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de privilegiis, indulgentiis et indultis huiusmodi ac de ordinibus, locis, nominibus propriis, cognominibus et dignitatibus eorum mentionem; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum inserererentur, praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, ac derogatum esse decernimus et volumus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Sabinam, sub annulo Piscatoris, die XXIII februarii MDCLXIX, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 23 februarii 1669, pontif. anno II.

XCVIII.

Indultum reginae Magnae Brittaniae recitari et celebrari faciendi officium et missam de beatâ Rosa de S. Maria in cappellâ sua regiâ, in qua missa de Sedis Apostolicae licentia celebratur[1].

Carissimae in Christo filiae nostrae Catherinae, Magnae Britanniae reginae illustri, Clemens Papa IX.

Carissima in Christo filia nostra, salutem et apostolicam benedictionem.

Exordium. Eximia maiestatis tuae in Deum pietas, singulari orthodoxae fidei zelo ac erga nos et hanc sanctam Sedem devotioni coniuncta, promeretur ut piis votis tuis ad augendam in terris caelestis regni incolarum venerationem tendentibus, quantum cum Domino possumus, libentissime annuamus.

Aliàs concesserat Pontifex ut de Beata Rosa officium duplex et missa celebraretur. § 1. Aliàs siquidem nos apostolicâ auctoritate indulsimus ut serva Dei Rosa de S. Maria virgo Limana, tertii Ordinis sancti Dominici, Beatae nomine nuncuparetur, atque de eâ sub ritu duplici recitaretur officium et missa celebraretur de Virgine non Martyre, iuxta rubricas breviarii et missalis romani, singulis annis die XXIX augusti, quae prima est non impedita post diem XXIV eiusdem mensis, qua spiritum Creatori reddidit, et aliàs prout in nostris desuper in simili formâ Brevis die XII februarii MDCLXVIII expeditis litteris, quarum tenorem praesentibus pro plene[2] et sufficienter expresso et inserto haberi volumus, uberius continetur.

Concedit ut officium et missa de Beata Rosa in cappella privata reginae recitari possit. § 2. Cum autem, sicut maiestatis tuae nomine nobis nuper expositum fuit, tu officium et missam de eâdem beatâ Rosa in cappellâ tuâ regiâ, in qua sacrosanctum missae sacrificium de Sedis Apo-

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

2 Edit. Main. legit *pleno* (R. T.).

licae licentiâ celebratur, quo spirituali tuae consolationi ac catholicorum in istis partibus existentium aedificationi consulatur, recitari et celebrari posse plurimum desideres: nos, piis atque devotis maiestatis tuae desideriis favorabilem assensum paterno affectu praebere volentes, supplicationibus tuo nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, eidem maiestati tuae, ut officium et missam de memoratâ beatâ Rosa in cappellâ tuâ praefatâ recitari et celebrari libere et licite possis et valeas, servatâ tamen litterarum nostrarum praefatarum formâ et dispositione, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, concedimus et indulgemus.

Contrariis derogat. § 3. Non obstantibus omnibus et singulis illis quae in eisdem litteris nostris voluimus non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Sabinam, sub annulo Piscatoris, die XXVI februarii MDCLXIX, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 26 februarii 1669, anno I.

XCIX.

Confirmatio decreti a generali Ordinis Carmelitarum Discalceatorum editi, quo prohibetur fratribus provinciae Ianuensis, vel in illâ morantibus, ludus, quem ibi vocant seminarii, *sub excommunicationis aliisque poenis, quarum absolutio summo Pontifici reservatur* [1].

Clemens Papa IX, ad futuram rei memoriam.

Prooemium. Ex iniuncto nobis divinitus apostolicae servitutis officio, superiorum regularium decretis, per quae pravi abusus tolluntur[2], apostolici muniminis libenter adiungimus firmitatem.

1 Ex Regest. in Secret. Brev.
2 Edit. Main. legit *tollentur* (R. T.).

Supplicatio. § 1. Exponi siquidem nobis nuper fecit dilectus filius procurator generalis congregationis Italiae fratrum Ordinis B. Mariae de Monte Carmelo Discalceatorum nuncupatorum, quod dilectus filius praepositus generalis dictae congregationis, ad instantiam dilecti etiam filii superioris provincialis provinciae Ianuensis eiusdem congregationis, ludum, quem ibi vocant *seminarii*, fratribus eiusdem provinciae, vel in illâ morantibus, sub diversis respective poenis vetuit per decretum tenoris qui sequitur, videlicet:

Decretum praepositi generalis. « Frater Philippus a SS. Trinitate, praepositus generalis Carmelitarum Discalceatorum congregationis B. Mariae Virginis de Monte Carmelo eiusdemque S. Matris prior.

Cum ab[1] aliquibus visitatoribus generalibus aliisque superioribus graviter vetitum fuerit religiosis nostris provinciae Ianuensis, ne aliquis eorum ludat ad ludum, quem ibi vocant *seminarii*: constat nihilominus ab aliquibus coloratos[2] praetextus adduci, quibus superiores non possint facile contradicere, ex quo oriri possunt scandala, necnon graves transgressiones voti paupertatis. Quibus rationibus ductus reverendus pater provincialis dictae provinciae firmius remedium a nobis postulavit[3]. Nos, huiusmodi malis obviare volentes, omnibus religiosis nostris dictae provinciae, vel qui in illâ morantur, superioribus et subditis, choristis sive donatis, praecipimus in virtute sanctae obedientiae, et sub praecepto, necnon sub poenâ excommunicationis latae sententiae ipso facto incurrendâ, et superioribus quidem, privationis officiorum quae habent et inhabilitatis perpetuae ad eadem vel

1 Praep. *ab* nos addimus (R. T.).
2 Edit. Main. legit *coloratus* (R. T.).
3 Edit. Main. legit *postulari* (R. T.).

alia imposterum habenda, subditis vero choristis, privationis vocis activae et passivae, donatis autem, privationis loci, super quibus a solo summo Pontifice absolvi et dispensari possint, ne aliquis deinceps ad praefatum ludum seminarii ludat, nec per se, nec per alium, nec pro se, nec pro conventu vel conventibus, sive pro quacumque personâ, etiam speciali expressione dignâ. Mandamusque reverendo patri nostro procuratori generali ut curet hoc nostrum decretum a Sanctissimo approbari, et auctoritate apostolicâ in perpetuum muniri, etc.,

Datum Romae, in conventu nostro S. Mariae de Scala, die XIX februarii MDCLXIX.

Fr. PHILIPPUS a SS. Trinitate praepositus generalis.

Decretum praeinsertum confirmatur a Pontifice.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, dictus procurator generalis decretum huiusmodi, quo firmius subsistat et servetur exactius, apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri summopere desideret: nos, ipsum procuratorem generalem specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, decretum praeinsertum, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos iuris et facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Decretum irritans.

§ 3. Decernentes easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtineri, ac ab illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariorum derogatio.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac, quatenus opus sit, congregationis et provinciae huiusmodi, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die 1 martii MDCLXIX, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 1 martii 1669, anno II.

C.

Nonnullae ordinationes super electione ad abbatias[1] et prioratus congregationis monachorum Caelestinorum[1].

Clemens Papa IX,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Iniunctae nobis caelitus apostolicae servitutis debitum exigit ut felici pro-

1 Perperam edit. Main. legit *abbatissas* (R.T.).
2 Ex Regest. in Secret. Brev.

speroque religiosorum virorum Altissimi obsequiis sub laudabili vitae monasticae iugo mancipatorum regimini et gubernio, quantum nobis ex alto conceditur, providere satagamus.

Expositio. § 1. Exponi siquidem nobis nuper fecit dilectus filius noster Carolus Barberinus S. R. E. cardinalis Carolus nuncupatus, Congregationis monachorum Caelestinorum nuncupatorum apud nos et Sedem Apostolicam protector, quod dicta Congregatio distinguitur in quatuor nationes, seu quarteria, quorum primo decem abbatiae et quinque prioratus, secundo undecim abbatiae et quatuor prioratus, tertio novem abbatiae et unus prioratus, ac quarto novem abbatiae et tres prioratus respective assignati reperiuntur, ac insuper habet eadem Congregatio abbatiam S. Mariae in Posterula nuncupatam de Urbe, apud quam residet eamque gubernat procurator generalis ipsius Congregationis, quae abbatia, tamquam communibus omnium quatuor quarteriorum huiusmodi impensis erecta, nulli illorum specialiter annexa existit.

Supplicatio. § 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, progressu temporis irrepserit, ut, sequutis vacationibus tam abbatiarum quam prioratuum Congregationis praefatae, iustitia distributiva in electione monachorum nationalium uniuscuiusque quarterii, habito respectu ad numerum abbatiarum et prioratuum ipsius quarterii, non fuerit servata: nobis propterea dictus Carolus cardinalis et protector humiliter supplicavit ut in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolicâ dignaremur. Nos igitur, ipsum cardinalem et protectorem specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, de nonnullorum Romanae curiae praelatorum, quibus negotium huiusmodi commisimus, consilio, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, concedimus ut eligantur tot abbates et priores ex unoquoque quarterio, quot sunt abbatiae et prioratus vigore constitutionum dictae Congregationis assignati unicuique quarterio; completo autem numero abbatum ex unoquoque quarterio, ut supra, et deficiente aliquo abbate in quarterio habente abbatem ultra suum numerum propter abbatiam S. Mariae in Posterula Urbis, quae est annexa procuratori generali pro tempore, in tali casu eligatur novus abbas ex quarterio immediate sequenti; atque si contingat in in aliquo quarterio non reperiri habentes requisita ex constitutionibus ad hoc ut in abbates eligi possint, tunc in capitulo generali ipsius Congregationis, iuxta facultatem ei per constitutiones attributam, habilitentur aliqui eiusdem quarterii professione antiquiores, ceteris paribus.

Annuit Pontifex.

§ 3. Decernentes easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, plenissime suffragari et ab iis respective inviolabiliter obeservari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Decretum irritans.

§ 4. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon, quatenus opus sit, dictae Congregationis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et Contrariorum derogatio.

litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides.

§ 5. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides tam in iudicio quam extra illud habeatur, quae ipsis praesentibus haberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die VIII martii MDCLXIX, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 8 martii 1869, pontif. anno II.

CI.

Decretum in quo conventus Liciensis, Grumi, Ripaldae et Caldarolae Ordini fratrum Minorum Conventualium sancti Francisci, cum omnibus bonis, iuribus et pertinentiis, adiudicantur.

Clemens Papa IX, ad futuram rei memoriam.

Procemium.

Ex iniuncto nobis caelitus apostolicae servitutis officio religiosorum virorum statui, quantum cum Domino possumus, salubriter providere cupientes, ac dilectum filium Antonium Latinum ab Ameria, commissarium ac vicarium generalem Ordinis fratrum Minorum sancti Francisci Conventualium nuncupatorum, specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium tantum consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes,

Suppressio congregationis fratrum Conventualium Reformatorum ab Urbano VIII facta.

§ 1. Supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de consilio venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium congregationis super statu regularium deputatae, qui litteras felicis recordationis Urbani Papae VIII praedecessoris nostri die VI februari MDCXXVI super extinctione ac suppressione congregationis fratrum Conventualium Reformatorum eiusdem sancti Francisci emanatas, necnon unas die XVI septembris MDCLXVII super transitu fratrum Minorum Conventualium dicti Ordinis ad praedictos fratres Reformatos conventuum qui in eis post suppressionem remanserant, et alteras nostras in simili formâ Brevis novissime expeditas, quibus (confirmando decretum a congregatione praedictorum cardinalium editum die XV novembris MDCLXVIII, tribuitur facultas antedictis fratribus Reformatis degentibus in conventibus Liciensi et oppidorum Grumi, Ripaldae et Caldarolae, qui soli nunc superesse noscuntur, transeundi ad dictos fratres Minores Conventuales sancti Francisci, aut ad quamcumque aliam religionem parem vel strictiorem a Sede Apostolicâ approbatam, in qua benevolos invenerint receptores) eisque inhibetur ne de cetero quempiam ex Conventualibus antedictis, vel ex aliâ religione, aut ex seculo, ad habitum vel professionem admittant, sub poenis nullitatis actus, et excommunicationis latae sententiae, non obstantibus anterioribus nostris litteris praedictis, aliaque vi-

Breve pro transitu ad Ordinem alium.

denda et consideranda, viderunt et considerarunt,

Declarat ut in rubricâ. § 2. Auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, decernimus et declaramus memoratos conventus Liciensem, Grumi, Ripaldae et Caldarolae, cum omnibus eorum bonis, iuribus et pertinentiis, sacrâque et profanâ supellectili, ad praedictum Ordinem fratrum Minorum Conventualium sancti Francisci spectare et pertinere, eiusque Ordinis superiores per Ordinarios locorum in possessionem conventuum ac bonorum huiusmodi esse immittendos.

Terminum duorum mensium ad aliam religionem transeundi praescribit. §. 5. Fratribus autem Reformatis legitime in eodem Ordine professis, degentibus in dictis quatuor conventibus, per eosdem Ordinarios, auctoritate nostrâ, iniungi volumus ut intra terminum duorum mensium transeant ad dictum Ordinem fratrum Minorum Conventualium, vel ad aliam religionem parem vel strictiorem a Sede Apostolicâ approtam, in qua, ut supra, invenerint benevolos receptores.

Poena contraventionis. § 6. Quod si neutrum praestiterint, elapso termino, per Ordinarios antedictos iuris remediis compellantur a memoratis conventibus discedere, et dimisso habitu Reformatorum ad religionem dictorum fratrum Conventualium transire, eiusque habitum assumere, ut in eo quoad vixerint permaneant, nec inde abscedant sub poenâ apostasiae.

Decretum irritans. § 7. Decernentes pariter easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogat contrariis. § 8. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon omnibus et singulis illis, quae in litteris praedictis concessimus non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die IX martii MDCLXIX, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 9 martii 1669, pontif. anno II.

CII.

Super praecedentiâ procuratoris generalis in concursu aliorum praelatorum Ordinis canonicorum regularium sancti Salvatoris.

Clemens Papa IX,
ad futuram rei memoriam.

Causa Brevis. Exponi nobis nuper fecit dilectus filius Angelus Seravalli, procurator generalis Congregationis canonicorum regularium S. Salvatoris, quod dudum, videlicet anno MDCXXVIII, tunc in humanis agens Andreas Petraccioli, prior generalis dictae Congregationis, a felicis recordationis Urbano Papa VIII praedecessore nostro deputatus, congregationem generalem eorumdem canonicorum regularium in monasterio S. Petri ad Vincula de Urbe eiusdem Congregationis celebravit, in qua visitatores aliique officiales Congregationis huiusmodi electi, et a dilecto filio magistro prospero Fagnano in utrâque signaturâ nostrâ referendario, qui eidem congregationi generali iussu dicti Urbani praedecessoris praesidebat, confirmati fuerunt: ac inter alia factum fuit in dictâ congregatione generali decretum tenoris sequentis, videlicet:

Procuratori generali locus pri- § 1. « Procurator Ordinis, qui pro

mus post priorem assignatur.

universâ laborat Congregatione, unde titulum procuratoris generalis obtinet, in monasteriis Urbis et extra, locum semper teneat immediate post priorem ».

Controversia exorta.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat (vertente inter dictum Angelum procuratorem generalem ex unâ et dilectum pariter filium modernum abbatem dicti monasterii S. Petri ad Vincula ex alterâ partibus lite seu controversiâ de et super praecedentiâ inter ipsos habendâ praesertim in monasterio S. Laurentii extra muros eiusdem Congregationis, quam praefatus quidem Angelus procurator generalis vigore decreti praeinserti, dictus vero abbas in vim constitutionum ipsius Congregationis, auctoritate apostolicâ et usu ipso, ut asseritur, comprobatarum, sibi competere respective praetendebant)

Aliud decretum.

§ 3. Decretum fuerit a dictâ Candianensi dictae congregationis, quod praedictus abbas monasterii S. Petri ad Vincula manutenendus esset in suâ quasi possessione praecedendi dicto procuratori generali in dicto monasterio S. Laurentii extra muros, et ubique in pertinentiis Urbis praefatae, reservato tamen eidem procuratori generali iure probandi supradictum decretum capitulare fuisse et esse munitum confirmatione apostolicâ, ita ut eius sit roboris et momenti, ut vim habeat derogandi praedictis constitutionibus praefatâ auctoritate et usu comprobatis, et aliàs prout in ipso decreto die XXVI aprilis proxime praeteriti in dictâ dietâ edito uberius dicitur contineri; cumque decreti huiusmodi fundamenta minime subsistant, ac proinde primodictum decretum servari debeat: nobis propterea praefatus Angelus procurator generalis humiliter supplicari fecit ut sibi in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Decretum illud primum capitulare confirmatur.

§ 4. Nos igitur, ipsum Angelum procuratorem generalem specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, de nonnullorum Romanae curiae praelatorum super hoc negotio a nobis specialiter deputatorum, qui partes audierunt, consilio, praeinsertum decretum capitulare anni MDCXXVIII, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos iuris et facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Decretum irritans.

§ 5. Decernentes ipsas praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac dicto Angelo procuratori generali et aliis ad quos pro tempore spectabit, plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegâtos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si quid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contraria removet.

§ 6. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon, quatenus opus sit, dictae Congregationis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum

quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XVI martii MDCLXIX, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 16 martii 1669, pontif. anno II.

CIII.

Omnia bona congregationum suppressarum canonicorum S. Georgii in Alga Venetiarum, ac fratrum Iesuatorum, et fratrum sancti Hieronymi de Fesulis (exceptis sacris), in regno Siciliae ultra Pharum existentia, applicat in subsidium civitatis Candiae et regni Cretae ac expeditionis contra Turcas[1].

Venerabili fratri archiepiscopo Panormitano, Clemens Papa IX.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

Narrat tenorem alterius constitutionis.

§ 1. Cum nos, gravissimis et rationabilibus causis nobis notis adducti, etc.[2].

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXIII martii MDCLXIX, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 23 martii 1669, pontif. anno II.

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

2 Tenor huius constitutionis ipsissimus est cum superius relato pag. 748, solo mutato titulo et dato; ideoque eam iterare inutile reputavimus, retentis solum mutationibus praedictis (R. T.).

CIV.

Ut exercitium artis serici in civitate Pisaurensi nobilitati non praeiudicet[1].

Clemens Papa IX. ad perpetuam rei memoriam.

Motiva. Constantis fidei et sincerae devotionis affectus, quem dilecti filii communitas et homines civitatis nostrae Pisaurensis erga nos et Sedem Apostolicam gerere comprobantur, promeretur[2] ut eorum commodis dictaeque civitatis decori paternâ benignitate libenter consulamus.

Expositio. § 1. Cum itaque, sicut dicta communitas et homines nobis nuper exponi fecerunt, ipsi, ut eiusdem civitatis utilitati et levamento consulatur, artem serici in dictam civitatem introducere intendant; ne autem illius exercitium nobilitati civium nobilium ipsius civitatis praeiudicium adferat, opportune a nobis provideri et ut infra indulgeri summopere desiderent: nos, specialem ipsi communitati et hominibus gratiam facere volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, omnibus et singulis memoratae civitatis Pisaurensis civibus nobilibus praesentibus et futuris, ut artem serici praedictam exercere libere et licite possint et valeant, ita ut nullum propterea eorum nobilitati praeiudicium inferatur, aut illatum quoquo modo dici vel prae-

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

2 Edit. Main. legit *promerentur* (R. T.).

tendi possit, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, concedimus et indulgemus.

Clausulae praeservativae. § 2. Decernentes eosdem nobiles dictae civitatis cives, nunc et pro tempore quandocumque existentes, qui artem praefatam exercebunt, in eodem omnino nobilitatis gradu esse, fore, ac remanere, etiam ad effectum consequendi habitum et crucem fratrum militum de Iustitiâ, hospitalis S. Ioannis Hierosolymitani vel S. Stephani, aliarumque quarumvis militiarum, eorumque privilegiis, praerogativis, praeeminentiis, honoribus, iuribus et gratiis fruendi et gaudendi, ac quoad alia omnia et singula, ad quae nobiles dictae civitatis quomodolibet admitti et recipi consueverunt, seu possunt aut debent, non secus ac si artem supradictam nunquam exercuissent; praesentes vero litteras firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis ad quos spectat et pro tempore spectabit plenissime suffragari, sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariis derogat. § 3. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac legibus etiam imperialibus et municipalibus, necnon civitatis ac hospitalis et militiarum huiusmodi, aliisve quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, stabilimentis, usibus et naturis, ac ordinationibus capitularibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die III aprilis MDCLXIX, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 3 aprilis 1669, pontif an. II.

CV.

Concessio indulgentiarum pro christifidelibus Italiae et insularum adiacentium divinum auxilium implorantibus pro felici electione regis Poloniae, ac liberatione Cretae a tyrannide et armis communis hostis.

Clemens Papa IX, ad futuram rei memoriam.

Proœmium. Nuper nos, ad divinam opem in praesentibus Ecclesiae necessitatibus implorandam, in omnibus almae Urbis nostrae patriarchalibus et collegiatis ac parochialibus et aliis quibusvis secularium et regularium utriusque sexus ecclesiis campanam maiorem horâ secundâ noctis quotidie, a die I currentis mensis aprilis, donec aliter ordinaverimus, per spatium octavae partis horae pulsari iussimus. Ac omnibus utriusque sexus christifidelibus, qui durante sono campanae huiusmodi flexis genibus, vel aliter prout valerent, quinquies orationem dominicam et salutationem angelicam in honorem quinque plagarum Domini nostri Iesu Christi devote recitarent, ac divinam clementiam implorarent, ut quietam ac communiter gratam et acceptam Ecclesiaeque Dei utilem novi regis Poloniae electionem benigne largiri, necnon Cretae regnum a tyrannide et armis communis hostis liberare dignetur, sin-

gulis diebus, quibus id agerent, quinque annos et totidem quadragenas de iniunctis eis aut aliàs quomodolibet debitis poenitentiis in formâ Ecclesiae consuetâ relaxavimus. Insuper iisdem christifidelibus, qui praemissa per integrum quindecim dierum curriculum peragerent, ac in uno eorumdem quindecim dierum vere poenitentes et confessi, ac sacrâ communione refecti, S. Marci collegiatam et S. Stanislai nationis Polonorum ecclesias Urbis praedictae devote visitarent, divinamque clementiam ibidem similiter implorarent, plenariam quolibet curriculo quindecim dierum, quibus id egissent, peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concessimus.

Quid faciendum praescribit.

§ 1. Nunc autem, ut, quod feliciter petimus, validiori coniunctarum precum intercessione ab omnipotentis Dei misericordiâ impetremus, divinum auxilium in universâ Italiâ et insulis illi adiacentibus pariformiter invocari cupientes, venerabilibus fratribus patriarchis, archiepiscopis et episcopis, aliisque ecclesiarum praelatis et Ordinariis civitatum et dioecesum, oppidorum, terrarum et locorum universae Italiae et insularum illi adiacentium huiusmodi, seu eorum vicariis in spiritualibus generalibus, harum serie committimus et mandamus, ut, statim atque ipsarum praesentium litterarum transumpta seu exempla etiam impressa ad eos pervenerint, campanas pariter diebus singulis per spatium octavae partis horae, donec aliter ordinandum duxerint, in suarum respective civitatum et dioecesum, oppidorum, terrarum et locorum tam secularium quam regularium utriusque sexus ecclesiis pulsari mandent, ac ecclesias ut infra visitandas designent seu designari curent.

Indulgentiam plenariam concedit.

§ 2. Nos enim omnibus et singulis utriusque sexus christifidelibus, qui, durante sono campanarum huiusmodi, quinquies orationem dominicam et salutationem angelicam pariter recitaverint, divinamque clementiam ut supra imploraverint, quocumque die id egerint, similem poenitentiarum relaxationem; illis vero qui, continuatâ per quindecim dies eiusmodi devotione, in uno eorumdem quindecim dierum, vere poenitentes et confessi ac sacrâ communione refecti, ecclesias per memoratos Ordinarios et praelatos seu eorum vicarios respective sive illorum iussu designandas devote visitaverint, ibique divinam clementiam similiter imploraverint, plenariam itidem omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem, quolibet curriculo quindecim dierum lucrifaciendam, concedimus pariter et elargimur. Ceterum regularibus utriusque sexus in perpetuâ clausurâ viventibus, necnon aliis christifidelibus praedictis in carcere vel corporis infirmitate aliove quolibet impedimento detentis, qui ecclesias, ut praemittitur, designatas vel designandas visitare nequiverint, ut eiusmodi visitationem confessarius ex approbatis seu approbandis ab Ordinariis in alia pietatis opera commutare, vel in aliud proximum tempus differre, eaque iniungere possit, quae ipsi poenitentes adimplere poterunt, concedimus similiter et indulgemus.

Transumptis fides danda.

§ 3. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra habeatur, quae praesentibus haberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die VIII aprilis MDCLXIX, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 8 aprilis 1669, pontif. anno II.

CVI.

Declaratio nullitatis gestorum ab oeconomo Mediolanensi circa apprehensionem possessionis rerum et bonorum ad conventus congregationum suppressarum fratrum Iesuatorum et Fesulanae in Statu Mediolanensi sitos spectantium, et amotionem administratorum ab Ordinariis deputatorum[1].

Clemens Papa IX,
ad perpetuam rei memoriam.

Motiva. § 1. Cum nos, gravissimis et rationabilibus causis nobis notis adducti, congregationes canonicorum S. Georgii in Alga Venetiarum, ac fratrum Iesuatorum S. Hieronymi, et fratrum eiusdem S. Hieronymi de Fesulis sub regulâ sancti Augustini, unâ cum omnibus earum respective dignitatibus, officiis ac monasteriis, omnique conventualitate, collegialitate, titulo, essentiâ ac denominatione, perpetuo extinxerimus et suppresserimus, ac universa earumdem congregationum sic suppressarum respective bona, mobilia et immobilia, tam sacra quam profana, conventus, collegia, monasteria, domos, vineas, praedia, canones, responsiones, fructus, introitus, et quaecumque, ubicumque locorum existerent, nostrae et Sedis Apostolicae dispositioni, in usus et opera pia per eos quibus id a nobis a Sede praedictâ commissum foret convertenda, reservaverimus; ne autem ecclesiae earumdem congregationum suppressarum debito destituerentur servitio, Ordinariis locorum, in quibus ecclesiae ipsae sunt sitae, commiserimus et mandaverimus, ut cappellanos deputarent cum competenti mercede, etiam super re certâ de bonis praedictis assignandâ, per quos missis et aliis oneribus satisfieret, ac ipsis ecclesiis debitus cultus et veneratio conservaretur, utque dicti Ordinarii inventarium tam sacrae quam profanae suppellectilis ad congregationes suppressas huiusmodi respective spectantis accurate conficerent, ac providerent ut a quoquam occultari, occupari aut inde amoveri nullatenus posset, nisi et donec a nobis seu Sede praedictâ aliter provideretur, et aliàs prout in nostris desuper in simili formâ Brevis die VI decembris proxime praeteriti expeditis litteris, quarum tenorem praesentibus pro plene et sufficienter expresso ac verbatim inserto haberi volumus, uberius continetur;

Irritat quidquid oeconomus generalis fecerat in Statu Mediolanensis

§ 2. Verum subinde (sicut ad aures nostras pervenit) dilectus filius Ioannes Paulus Zaccharias, praepositus secularis et collegiatae ecclesiae S. Mariae de Scala nuncupatae Mediolanensis, ac noster et dictae Sedis oeconomus generalis in ducatu Mediolanensi, eiusque Statu et dominio universo, auctoritate apostolicâ deputatus, possessionem domorum regularium et conventuum congregationum fratrum Iesuatorum et sancti Hieronymi de Fesulis, ut praefertur suppressarum, in ducatu, Statu et dominio Mediolanensi praefatis consistentium, rerumque et bonorum ad illos et illas respective spectantium apprehenderit, seu apprehendi curaverit, ac administratores in illis ab Ordinariis locorum auctoritate nostrâ deputatos amoverit tametsi nullum super eâ re a nobis mandatum accepisset: hinc est quod nos, omnium et singulorum a dicto Ioanne Paulo, seu eius nomine a quibusvis aliis in praemissis quomodolibet actorum et gestorum seriem, causas et occasiones, aliave quaecumque etiam specificam et individuam expressionem requirentia, praesentibus pro plene et sufficienter expressis, ac exactissime et accuratissime specificatis habentes, motu

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

proprio, ac ex certâ scientiâ et maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, apprehensionem possessionis domorum regularium et conventuum in ducatu, Statu et dominio Mediolanensi praefatis consistentium, rerumque et bonorum ad illas et illos spectantium quorumcumque, necnon amotionem administratorum a locorum Ordinariis ut praefertur deputatorum, et alia quaecumque a memorato Ioanne Paulo oeconomo generali, seu eius iussu, mandato vel nomine a quibusvis aliis, etiam speciali et individuâ mentione et expressione dignis, in praemissis et circa ea quomodocumque et qualitercumque facta, acta, gesta, disposita et mandata, ac forsan in futurum sine speciali et expresso nostro et dictae Sedis mandato facienda, gerenda, agenda, disponenda et mandanda, cum omnibus et singulis inde sequutis et quandocumque sequuturis, penitus et omnino nulla, indivalida, irrita, frivola, inania, ac a non habente potestatem attentata et de facto praesumpta, nulliusque roboris, momenti et efficaciae esse et ab initio fuisse et perpetuo fore, tenore praesentium decernimus et declaramus; ac, ad maiorem et abundantiorem cautelam, et quatenus opus sit, illa omnia et singula, quatenus de facto processerunt seu procedent in futurum, revocamus, cassamus, irritamus et annullamus, viribusque et effectu penitus et omnino vacuamus in omnibus et per omnia perinde ac si nunquam facta fuissent seu evenissent nec umquam forent vel evenirent.

Clausulae praeservativae.

§ 3. Decernentes pariter easdem praesentes litteras et in eis contenta quaecumque, etiam ex eo quod dictus Ioannes Paulus oeconomus generalis et alii quilibet, cuiuscumque status, gradus, ordinis, praeeminentiae et dignitatis existant, in praemissis forsan interesse habentes seu habere quomodolibet praetendentes, illis non consenserint, nec ad ea vocati, citati et auditi, neque causae, propter quas praesentes emanarunt, adductae, verificatae aut iustificatae fuerint, nullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrae aut interesse habentium consensus, aliove quolibet etiam quantumvis formali et substantiali ac incogitato et inexcogitabili defectu notari, impugnari, infringi, retractari, in controversiam vocari seu ad terminos iuris reduci, aut adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque iuris, facti vel gratiae remedium intentari vel impetrari, seu impetrato, aut etiam motu, scientiâ et potestatis plenitudine paribus concesso vel emanato quempiam in iudicio vel extra illud uti seu se iuvare ullo modo posse, sed ipsas praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab illis, ad quos spectat et spectabit, inviolabiliter et inconcusse observari, sicque et non aliter in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos, aliosve quoslibet quacumque praeeminentiâ et potestate fungentes et functuros, sublatâ eis quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis aucroritate, scienter vel ignoranter, contingerit attentari.

Contraria tollit.

§ 4. Non obstantibus, quatenus opus sit, nostrâ et cancellariae apostolicae regulâ de non tollendo iure quaesito, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel

quavis firmitate aliâ roboratis, statutis, usibus, stylis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, etiam dicto Ioanni Paulo, seu pro tempore existenti oeconomo generali, aliisque personis quibuslibet, sub quibuscumque verborum tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, ac irritantibus et aliis decretis, in genere vel in specie, aut aliàs in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum insererentur et exprimerentur, praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides. § 5. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra adhibeatur, quae praesentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXVII aprilis MDCLXIX, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 27 aprilis 1669, pontif. anno II.

CVII.

Iubilaeum pro dominio Reipublicae Ragusinae ad supplicationem eiusdem Reipublicae [1].

Clemens Papa IX,
ad futuram rei memoriam.

Prooemium. § 1. Ex iniuncti nobis divinitus pastoralis officii debito spiritualibus omnium christifidelium, quorum nobis incumbit sollicitudo, necessitatibus consulere paterno affectu iugiter satagentes, ac christifidelibus in dominio Reipublicae Ragusinae degentibus, qui terraemotus et incendii flagellis graviter afflicti, ac sub potenti Domini manu humiliati [2], corde contrito, ad sacram misericordiarum Domini aram unanimiter accedere, opportunaque caelestis opis auxilia implorare cupiunt, ut id ferventius atque fructuosius faciant, spiritualium gratiarum dispensationi nostrae a Deo creditarum munera largissimâ manu erogare volentes, supplicationibus dilectorum filiorum magistratuum dictae Reipublicae nomine nobis humiliter porrectis benigne inclinati, ac de omnipotentis Dei misericordiâ ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, ex illâ ligandi atque solvendi potestate, quam nobis Dominus licet indignis contulit, universis et singulis utriusque sexus christifidelibus in dominio praedictae Reipublicae Ragusinae degentibus, qui ecclesias ab Ordinariis locorum vel eorum vicariis seu officialibus, aut de eorum mandato, et, ipsis deficientibus, per eos qui ibi curam animarum exercent, postquam ad eorum notitiam hae nostrae pervenerint, designandas, vel ecclesiarum huiusmodi aliquam, spatio duarum hebdomadarum a publicatione designa-

1 Ex Regest. in Secret. Brevium.

2 Male ed. Main. legit *humilitati* pro *humiliati* (R. T.).

tionis per Ordinarios vel eorum vicarios seu officiales vel alios ut praefertur faciendae decursarum[1], saltem semel visitaverint, ibique pro christianorum principum concordiâ, haeresum extirpatione, ac S. M. E. exaltatione pias ad Deum preces effuderint, et quartâ et sextâ feriis ac sabbato alterius ex hebdomadis huiusmodi ieiunaverint, et peccata sua confessi in die dominicâ immediate sequenti vel aliâ die intra eamdem hebdomadam sanctissimâ communione refecti fuerint, et pauperibus aliquam eleemosynam, prout unicuique suggeret devotio, erogaverint, plenissimam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem sicut in anno iubilaei visitantibus certas ecclesias intra et extra almam Urbem concedi consuevit, tenore praesentium concedimus et elargimur.

Certa opera faclentibus indulgentiam concedit ut in rubricâ.

Navigantibus iter agentibus ceterisque impeditis providet.

Navigantes vero et iter agentes, ut, cum primum ad sua sese domicilia receperint, suprascriptis peractis, et visitatâ ecclesiâ cathedrali vel maiore aut parochiali loci eorum domicilii, eamdem indulgentiam consequi possint et valeant; regularibus autem personis utriusque sexus etiam in claustris perpetuo degentibus, necnon aliis quibuscumque, tam laicis quam ecclesiasticis, secularibus vel regularibus, etiam in carcere aut captivitate existentibus, vel aliquâ corporis infirmitate, seu alio quocumque impedimento detentis, qui supra expressa vel eorum aliqua praestare nequiverint, ut illa confessarius, ex iam approbatis a locorum Ordinariis ante praesentium publicationem seu approbandis, in alia pietatis opera commutare, vel in aliud proximum tempus prorogare possit, eaque iniungere quae ipsi poenitentes efficere poterunt, pariter concedimus et indulgemus. Insuper omnibus et singulis christifidelibus utriusque sexus, tam laicis quam ecclesiasticis, secularibus et cuiusvis Ordinis, congregationis et instituti regularibus, in memorato dominio degentibus, licentiam concedimus et facultatem, ut sibi ad hunc effectum eligere possint quemcumque presbyterum confessarium, tam secularem quam cuiusvis Ordinis et instituti regularem, ex approbatis, ut praemittitur, a locorum Ordinariis, qui eos ab omnibus excommunicationis, suspensionis et aliis ecclesiasticis sententiis et censuris, a iure vel ab homine, quavis causâ latis seu inflictis, necnon ab omnibus peccatis, excessibus, criminibus et delictis quantumvis gravibus et enormibus, etiam locorum Ordinariis sive nobis et Sedi Apostolicae, etiam in litteris die Coenae Domini legi solitis contentis, et aliàs per quascumque nostras aut Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum constitutiones, quarum tenores praesentibus haberi volumus pro expressis, quomodocumque reservatis, in foro conscientiae et hac vice tantum absolvere et liberare valeant; et insuper vota quaecumque (religionis et castitatis exceptis) in alia pia et salutaria opera commutare, iniunctâ tamen eis et eorum cuilibet in supradictis omnibus casibus poenitentiâ salutari, aliisque eiusdem confessarii arbitrio iniungendis. Quapropter, tenore praesentium, in virtute sanctae obedientiae, districte praecipimus atque mandamus venerabilibus fratribus archiepiscopo Ragusino, ac episcopis et aliis ecclesiarum praelatis, et quibuscumque Ordinariis locorum in praefato dominio existentibus[1], eorumque vicariis et officialibus, vel, iis deficientibus, illis qui curam animarum exercent, ut, cum praesentium litterarum transumpta aut exempla etiam impressa acceperint, illa sta-

Publicationem transumptorum mandat.

1 Aptius alibi lectum fuit *decursurarum* (R.T.).

1 Edit. Main. legit *in praefatis dominio existentium* (R. T.).

tim, absque ullâ morâ, retardatione vel impedimento, per suas ecclesias et dioeceses, civitates, oppida, terras et loca publicent et publicari faciant, ecclesiamque seu ecclesias visitandas designent.

Facultatem dispensandi super irregularitate denegat.

§ 2. Non intendimus autem per praesentes super aliquâ irregularitate publicâ vel occultâ, notâ, defectu, incapacitate, seu inhabilitate quoquo modo contractâ dispensare, vel aliquam facultatem tribuere dispensandi, seu habilitandi et in pristinum statum restituendi, etiam in foro conscientiae, neque etiam easdem praesentes iis, qui a nobis et Apostolicâ Sede vel ab aliquo praelato seu iudice ecclesiastico excommunicati, suspensi, interdicti, seu aliàs in sententias et censuras incidisse declarati vel publice denunciati fuerint, nisi intra tempus dictarum duarum hebdomadarum satisfecerint, aut cum partibus concordaverint, ullo modo suffragari posse aut debere.

Derogatio contrariorum.

§ 3. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, praesertim quibus facultas absolvendi in certis tunc expressis casibus ita Romano Pontifici pro tempore existenti reservatur, ut nec etiam similes vel dissimiles indulgentiarum et facultatum huiusmodi concessiones, nisi de illis expressa mentio aut[1] specialis derogatio fiat, cuiquam suffragari queant, nec non regulâ nostrâ de non concedendis indulgentiis ad instar, ac quorumcumque Ordinum et congregationum sive institutorum regularium, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, eisdem Ordinibus, congregationibus et institutis, illorumque personis quomodolibet concessis, approbatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores praesentibus pro sufficienter expressis ac formam in eis traditam pro servatâ habentes, hac vice specialiter, nominatim et expresse ad effectum praemissorum derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides.

§ 4. Ut autem praesentes nostrae, quae ad singula loca deferri non possunt, ad omnium notitiam facilius deveniant, volumus ut earumdem praesentium transumptis, vel exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, ubique locorum et gentium eadem prorsus fides habeatur, quae ipsis praesentibus haberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die VI maii MDCLXIX, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 6 maii 1669, pontif. anno II.

1 Edit. Main. legit *ut* pro *aut* (R. T.).

CVIII.

Facultas magno magistro hospitalis sancti Ioannis Hierosolymitani dismembrandi sex millia librarum annuarum ex redditibus prioratus S. Ægidii linguae Provinciae; ex quibus millia scuta applicabuntur expensis victus fratrum dictae linguae, reliquae vero mille librae communi aerario in compensationem damni quod illi per dismembrationem huiusmodi inferri posset[1].

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

Dilecto filio magno magistro hospitalis sancti Ioannis Hierosolymitani,

Clemens Papa IX.

Dilecte fili,

salutem et apostolicam benedictionem.

Ordinatum linguae. § 1. Nuper pro parte dilectorum filiorum fratrum linguae Provinciae istius hospitalis S. Ioannis Hierosolymitani nobis expositum fuit, quod, considerato modico atque miserabili victu qui fratribus militibus dictae linguae valde numerosis in illius albergiâ praebetur, ad sublevandam eiusmodi miseriam sive tenuitatem, ab eâdem linguâ die XXVIII novembris MDCLXVII, ac a te et dilectis filiis consilio dicti hospitalis die IX ianuarii MDCLXVIII ordinatum fuit, ut ex redditibus et proventibus prioratus sancti Ægidii linguae et hospitalis praefatorum, post mortem dilecti filii moderni prioris dicti prioratus, separarentur et dismembrarentur annua sex millia librarum monetae illarum partium, ex quibus quinque millia librarum applicarentur impensis victus fratrum dictae linguae, ultra id, quod pro tempore existens magnus commendatarius baiulivus conventualis eiusdem linguae eam in rem de proprio impendere debet; reliquae vero mille librae huiusmodi communi aerario hospitalis praefati in compensationem damni quod illi per dismembrationem huiusmodi inferri posset, et aliàs prout in decretis desuper diebus praefatis seu aliis verioribus temporibus respective emanatis uberius dicitur contineri;

Approbatio magistri. § 2. Et subinde, cum divisio seu separatio et dismembratio huiusmodi per commissarios in partibus deputatos factae fuissent eâ lege ut demum post mortem dicti moderni prioris effectum habere ac executioni demandari debeant, tu et consilium praefatum illas, iuxta eorumdem commissariorum relationem, die x decembris proxime praeteriti approbastis, prout in decreto approbationis huiusmodi contineri etiam dicitur.

Postulatio. § 3. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, dicti exponentes praemissa, quo firmius subsistant, apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri summopere desiderent; nos, specialem ipsis exponentibus gratiam facere volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, tibi divisionem seu separationem et dismembrationem annuarum sex millium librarum huiusmodi ex redditibus et proventibus memorati prioratus factas, et demum post mortem praefati moderni prioris effectum sortituras, ac a te et consilio supradicto approbatas, ut praefertur, necnon deliberationes seu decreta linguae et consilii huiusmodi desuper emanata, cum omnibus et singulis in eis contentis, aliàs tamen licitis et honestis, auctoritate nostrâ apostolicâ confirmandi et approbandi, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiiciendi, ac omnes et singulos iuris et facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, dictâ auctoritate supplendi, necnon, quatenus opus sit, easdem divisionem seu separationem et dismembrationem de novo auctoritate praefatâ faciendi, plenam et amplam facultatem, eâdem auctoritate, tenore praesentium, tribuimus et impartimur.

Confirmat Pontifex ut in rubricâ.

Obstantia tollit. § 4. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apo-

stolicis, necnon praefatorum hospitalis et linguae ac prioratus, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, stabilimentis, usibus et naturis, ac ordinationibus capitularibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die x maii MDCLXIX, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 10 maii 1669, pontif. anno II.

CIX.

Donatio conventus et ecclesiae Ss. Ioannis et Pauli, suppressae congregationis fratrum Iesuatorum, puellis pauperibus S. Philippi Nerii de Urbe [1].

Clemens Papa IX, ad perpetuam rei memoriam.

Exordium. Commissi nobis divinitus pastoralis muneris ratio postulat, ut puellarum pauperum pudori et commodis quantum nobis ex alto conceditur, secundum prudentiae atque charitatis leges, consulere studeamus.

Motiva. § 1. Cum itaque, sicut accepimus, domus seu conservatorium puellarum pauperum S. Philippi Nerii de Urbe, prope cloacam S. Luciae nuncupatam existens, non solum insalubritate aëris, ac nimiâ angustiâ laboret, sed etiam vicinorum locorum domos contiguas, quibus undique cingitur, inhabitantium inspectui pateant ipsa cubicula earumdem puellarum, non sine aliquo ingressus periculo, nec his incommodis, propter situs qualitatem, satis provideri valeat: nos, praemissa, quae etiam nobis, dum in minoribus constituti et cardinalatus honore fungentes puellarum praefatarum protectionem gerebamus, oculari inspectione innotuerunt, mature considerantes, ac eisdem incommodis pastorali providentiâ occurrere, dictasque puellas paternae nostrae benignitatis largitate prosequi cupientes, et earum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, motu proprio et ex certâ scientiâ ac maturâ deliberatione meràque liberalitate nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, eisdem puellis pauperibus S. Philippi Nerii, pro earum usu et habitatione, conventum suppressae congregationis fratrum S. Hieronymi Iesuatorum nuncupatorum, illique contiguam ecclesiam Ss. Ioannis et Pauli de eâdem Urbe, unâ cum omnibus supellectibilibus sacris in eâ existentibus, et cum tribus hortis eidem conventui adiacentibus, ac insuper cum superficie sive portione vineae triginta duarum cannarum mensurae romanae in longitudinem a fine muri mansionis, quae *il legnaro* vulgariter vocatur, per radices dormitorii seu cellarum, ex quibus in eamdem vineam prospectus datur, protensam [1], et viginti quinque cannarum similium in latitudi-

Donat Portifex conventum alfaque bona suppressae congregationis cum lege ut in rubrica.

1 Ex Regest. in Secret. Brevium.

1 Videtur legendum *protensâ* (R. T.).

nem, quae superficies sive portio vineae, statim atque pro parte ipsarum puellarum absoluti fuerint muri quibus illa claudi debet, eisdem puellis consignanda erit, donatione purâ, perpetuâ et irrevocabili, quae fieri dicitur inter viros, tenore praesentium donamus et elargimur, ac perpetuo concedimus, assignamus et applicamus; eâ tamen lege ut puellae praefatae dictam ecclesiam sartam tectam et in bono statu ac sacris supellectilibus sufficienter instructam perpetuo conservare et manutenere teneantur; liberumque sit illi seu illis, cui seu quibus adimplementum onerum missarum eidem ecclesiae de praemissis incumbentium pro tempore iniunctum fuerit, onera missarum huiusmodi ibidem adimplere, ac ad eum effectum supellectilibus sacris in ipsâ ecclesiâ nunc et pro tempore existentibus uti. Praeterea dominium, liberamque et omnimodam dispositionem domus seu conservatorii dictarum puellarum prope cloacam S. Luciae nuncupatam ut praefertur existentis, omniumque et singulorum illius membrorum et pertinentiarum, statim atque eaedem puellae inde ad conventum eis donatum praefatum migraverint, in nos et Sedem Apostolicam assumimus, ac nostrae et eiusdem Sedis ordinationi reservamus. Volentes ut dilectus filius oeconomus, bonorum dicti conventus administrationi praepositus, administrationem domus seu conservatorii eiusque membrorum et pertinentiarum huiusmodi suscipiat, illaque meliori qua fieri poterit conditione vendere procuret, ac ex pretio inde proventuro annuos perpetuos et redimibiles census, qui desuper legitime impositi reperiuntur omnino extinguat et redimat; interea vero, donec facta fuerit huiusmodi venditio, domum seu conservatorium, eiusque pertinentias et membra praefata meliori itidem qua fieri poterit conditione locet, et ex pensionibus inde proventuris fructus eorumdem censuum solvat; quidquid autem ex pretio post extinctos census et ex pensionibus praedictis post solutos fructus huiusmodi respective superfuerit, id totum nostrae et dictae Sedis liberae dispositioni et ordinationi pariter reservâmus, ac penes Montem Pietatis de Urbe praefatâ ad nostrum et eiusdem Sedis creditum deponi volumus et mandamus; necnon eidem oeconomo quamcumque necessariam et opportunam ad praemissa facultatem harum serie tribuimus et impertimur.

Clausulae praeservativae.

§ 2. Ceterum non intendimus per praesentes litteras titulo cardinalitio in praefatâ ecclesiâ Ss. Ioannis et Pauli existenti ullo modo praeiudicare, sed illum[1] in suo vigore ut prius remanere; ipsas vero praesentes litteras et in eis contenta quaecumque, etiam ex eo quod quilibet, cuiusvis status, gradus, ordinis, dignitatis et praeeminentiae existant, etiam cardinalatus honore fungentes, in praemissis seu eorum aliquo interesse habentes seu habere quomodolibet praetendentes, illis non consenserint, nec ad ea vocati, citati et auditi, neque causae, propter quas eaedem praesentes emanarint, adductae, verificatae et iustificatae fuerint, aut ex aliâ quacumque quantumvis iustâ, piâ, legitimâ et privilegiatâ causâ, colore, praetextu et capite, etiam in corpore iuris clauso, etiam enormis, enormissimae et totalis laesionis, nullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio, aut intentionis nostrae vel interesse habentium consensus, aliove quolibet etiam qaantumvis magno et substantiali ac incogitato et inexcogitabili defectu notari, impugnari, infringi, re-

1 Edit. Main. legit *illius* (R. T.).

tractari, limitari, in controversiam revocari, aut ad terminos iuris reduci, seu adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque iuris, facti vel gratiae remedium intentari vel impetrari, seu impetrato aut etiam motu, scientiâ et potestatis plenitudine paribus concesso vel emanato quempiam in iudicio vel extra illud uti seu se iuvare ullatenus posse; neque ipsas praesentes litteras sub quibusvis similium vel dissimilium donationum et gratiarum revocationibus, limitationibus, restrictionibus, aliisque contrariis dispositionibus, etiam per nos et Sedem praefatam seu Romanos Pontifices successores nostros quandocumque et quomodocumque faciendis, unquam comprehendi, aut comprehensas censeri, sed semper ab illis exceptas, et, quoties illae emanabunt, toties in pristinum et validissimum statum restitutas, repositas et plenarie reintegratas, ac etiam de novo sub quibuscumque posteriori datâ per puellas praefatas seu alios ad quos spectat et pro tempore spectabit eligendâ concessas intelligi, firmasque, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis ad quas et quos spectat et pro tempore spectabit in omnibus et per omnia plenissime suffragari, sicque et non aliter in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. camerarium seu procamerarium, et alios cardinales, etiam de latere legatos, necnon camerae nostrae apostolicae praesidentes, clericos, thesaurarium et commissarium generales, aliosve quoslibet earumdem camerae et Sedis officiales et ministros, et quoscumque alios, quacumque praeeminentiâ et potestate fungentes et functuros, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, decernimus.

Derogatio contrariorum.

§ 3. Non obstantibus quibusvis etiam ultimis voluntatibus et dispositionibus, quas quoad praemissa sufficienter et expresse commutamus, ac de iure quaesito non tollendo, et de exprimendo in unionibus et applicationibus perpetuis vero valore, aliisque nostris et cancellariae apostolicae regulis, necnon Lateranensis concilii novissime celebrati, uniones perpetuas nisi in casibus a iure permissis fieri prohibentis, ac felicis recordationis Symmachi, quae incipit *Ne liceat*, et Pauli II, Pauli IV aliorumque Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum de rebus Ecclesiae ac Sedis et camerae praefatarum non alienandis, necnon recolendae memoriae Pii Papae IV praedecessoris pariter nostri de gratiis, qualecumque interesse dictae camerae concernentibus, in eâdem camerâ intra certum tunc expressum tempus praesentandis et registrandis, ita ut ipsas praesentes litteras ibidem praesentari et registrari nunquam necesse sit, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon camerae et domus, seu conservatorii, conventus et ecclesiae huiusmodi, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, etiam eidem camerae eiusque officialibus et ministris, ac aliis personis et locis quibuslibet, sub quibuscumque verborum tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolitis clau-

sulis, irritantibusque et aliis decretis, in genere vel in specie, etiam consistorialiter, et aliàs quomodolibet in contrarium praemissorum concessis, confirmatis et pluries innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die I iunii MDCLXIX, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 1 iunii 1669, pontif. anno II.

CX.

Declaratio nullitatis capitulationum, sede archiepiscopali Salisburgensi vacante, a capitularibus dictae ecclesiae in praeiudicium iurisdictionis archiepiscopalis et auctoritatis Sedis Apostolicae factarum[1].

Clemens Papa IX, ad perpetuam rei memoriam.

Motiva. § 1. Cum (sicut nobis innotuit) aliàs ecclesia Salisburgensis per obitum bonae memoriae Guidobaldi dum vixit S. R. E. cardinalis de Thun nuncupati, eiusdem ecclesiae Salisburgensis archiepiscopi, solatio destituta pastoris, capitulares eiusdem ecclesiae, successorem vigore indulti eis super hoc ad hac sanctâ Sede concessi electuri, in quasdam ut vocant capitulationes convenerint per futurum electum, quisquis ille foret, observandas, volentes eumdem electum ad praestandum iuramentum de eiusmodi capitulationibus observandis obligatum esse, prout venerabilem fratrem Maximilianum Gandolphum archiepiscopum Salisburgensem iuramentum huiusmodi de facto praestitisse accepimus; in dictis vero capitulationibus iurisdictio et potestas ac iura archiepiscopalia, contra sacrorum canonum et constitutionum apostolicarum dispositionem, nimium circumscribantur, Apostolicaeque etiam Sedis iura et auctoritatem laedi satagatur: hinc est quod nos, considerantes sine dictae Sedis Apostolicae auctoritate nihil omnino in similibus negociis pacisci fas esse, ne autem ex capitulationibus huiusmodi, licet ob licentiae apostolicae defectum ipso iure nullis et invalidis, aliquod cuiquam ius acquisitum, aut ecclesiae Salisburgensi praedictae illiusque archiepiscopo vel capitulo qualecumque gravamen illatum, iurisdictionique et libertati ecclesiasticae quoquo modo praeiudicatum, aut eiusdem Apostolicae Sedis iuri quicquam detractum fuisse, esse vel fore unquam praetendi, dici, vel censeri, neque quovis temporis cursu aut ex quacumque aliâ etiam quantumlibet iuridicâ causâ fuisse per nos et Sedem Apostolicam tacite aut expresse approbatas allegari, et beneplacitum apostolicum desuper accessisse praesumi unquam possit, pro pastorali nostrâ sollicitudine providere volentes, ac earumdem capitulationum tenores, etiam veriores, praesentibus pro expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, motu proprio ac certâ scientiâ et maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, capitulationes praedictas nullas, irritas ac pror-

Capitulationes factas a capitularibus ecclesiae Salisburgensis irritat.

[1] Ex Regest. in Secret. Brev.

sus invalidas nulliusque roboris et momenti fuisse, esse et semper fore, adeo ut nullum omnino sortiri possint aut debeant effectum, perinde ac si conceptae, factae, initae aut iuratae nunquam fuissent, tenore praesentium declaramus, illasque pro non factis haberi volumus, approbationemque nostram et beneplacitum apostolicum quoad ipsas capitulationes denegamus. Ac memorato Maximiliano Gandolpho archiepiscopo iuramentum de servandis capitulationibus huiusmodi ab ipso ut praefertur praestitum, quatenus opus sit, relaxamus.

Clausula *sublatâ* et decretum irritans.

§ 2. Decernentes easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac dicto Maximiliano Gandolpho archiepiscopo, et aliis ad quos spectat et pro tempore spectabit, plenissime suffragari, sicque et non aliter in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos, Apostolicaeque Sedis praedictae nuncios, et quosvis alios quacumque auctoritate fungentes nunc et pro tempore existentes, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 3. Non obstantibus praemissis, necnon apostolicis, ac in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, ac, quatenus opus foret, etiam regulâ nostrâ de non tollendo iure quaesito ac dictae ecclesiae Salisburgensis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et approbatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro sufficienti illorum derogatione de illis eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores, ac si de verbo ad verbum insererentur et exprimerentur, praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die v iunii MDCLXIX, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 5 iunii 1669, pontif. anno II.

CXI.

Erectio novi hospitalis in civitate Neapolitana sub invocatione S. Petri et S. Ianuarii pro usu pauperum mendicantium et otio vacantium[1].

Clemens episcopus,
servus servorum Dei.

Dilecto filio nostro et Sedis Apostolicae nuncio in civitate Neapolitana commoranti, salutem et apostolicam benedictionem.

Exordium.

Sedes Apostolica veluti pia mater de filiorum suorum curâ et salute sollicita, praecipue vero pauperum et miserabilium, qui, ob membrorum mutilationem, aut alium naturae defectum, quotidianum victum per ecclesias et plateas, ac

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

ostiatim sibi quaerere sunt coacti, ne, ob temporaliam rerum caritatem, totam vitam miserabiliter ducere cogantur, pia christifidelium ad fundationem hospitalium pro similibus excipiendis personis tendentia vota opportunis favoribus et gratiis prosequi consuevit.

Expositio. § 1. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte dilectorum filiorum modernorum gubernatorum hospitalis et ecclesiae S. Petri et S. Ianuarii extra moenia civitatis Neapolitanae noviter erigendi petitio continebat, quod aliàs, seu nuper, tunc existentes dilecti similiter filii gubernatores sine curâ et non collativae ecclesiae dicti S. Ianuarii extra praedicta moenia civitatis Neapolitanae et hospitalis dictae ecclesiae pro usu tempore pestis tali morbo affectorum canonice erecta[1] (quibus etiam aliàs hospitalis et ecclesiae[2] huiusmodi bonorum et rerum regimen et gubernium, ac fructuum, etc., distributio et applicatio pro peste laborantium, et, eâ cessante, pauperum civium civitatis Neapolitanae subventione, et aliis eleemosynis eis benevisis, dioecesani loci vel cuiusvis alterius licentiâ desuper minime requisitâ, apostolicâ auctoritate concessa fuerant, prout in litteris apostolicis desuper expeditis plenius continetur), existimantes propterea de bonis et fructibus huiusmodi libere et licite, ut praefertur, disponere posse, reminiscentesque etiam quod dilecti similiter filii communitas et homines dictae civitatis tempore postremae pestis novum hospitale forsan pro usu pauperum mendicantium, qui iugiter et ubique praesertim in ecclesiis christifideles inibi orantes non sine strepitu et importunitate molestabant, et aliarum utriusque sexus personarum otio vacantium, construendi Deo omnipotenti vovebant, quaedam cortilia et aedes seu fabricas praedictae ecclesiae annexa, necnon omnia et quaecumque alia dictae ecclesiae et primodicti hospitalis iura, census, fructus, etc., etiam decursos, ad illa quomodolibet spectantia, pro erectione dicti novi hospitalis sub invocatione S. Petri et S. Ianuarii ac illius fabricâ ac in eo pro tempore degentium sustentatione ac onerum illi incumbentium supportatione, ad instantiam et contemplationem dilecti filii Petri de Aragon, moderni proregis Neapolitani, sub diversis pactis et conditionibus, licitis tamen et honestis, reservato tamen nostro et Sedis praedictae seu alterius superioris, quatenus opus esset, beneplacito, dederunt et concesserunt, ac donatio et concessio sic ut praefertur facta dictis gubernatoribus hospitalis et ecclesiae praesentium vigore erigendorum huiusmodi acceptata fuerunt, prout in scripturis desuper confectis etiam plenius continetur, et successive ipse Petrus prorex in cortilibus et fabricis huiusmodi novas aedes et aedificia ad usum hospitalis cum refectorio, dormitorio, aliisque officinis et commoditatibus, necnon ecclesiâ, sacristiâ, campanili, coemeterio ac congruâ et sufficienti supellectili, tam sacrâ quam profanâ, etiam mediantibus eleemosynis a pluribus piis christifidelibus largâ manu elargitis, construi et aedificari ac instrui respective curavit, et benedicente Domino in dictis novis aedibus et aedificiis quingenti circiter pauperes, non sine spirituali communitatis et hominum huiusmodi consolatione, ad praesens reperiuntur.

Motiva. § 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, donatio et concessio huiusmodi, a congregatione venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum

1 Videtur legendum *erecti* vel *erectae* (R. T.).
2 Edit. Main. legit *ecclesia* (R. T.).

et regularium praepositorum nullae et invalidae declaratae fuerint, ipsaque congregatio, praedicti Petri proregis pietate et zelo ab eâ plurimum commendatis, censuerit, si nobis placuisset, per litteras apostolicas in formâ Brevis sub annulo Piscatoris posse committi nostro et dictae Sedis Apostolicae nuncio in dictâ civitate commoranti ut ipse nuncius, arbitrio et conscientiâ, bona et fructus etiam decursos donata et concessa huiusmodi gubernatoribus hospitalis et ecclesiae sic ut praefertur erigendorum ex integro concederet et assignaret, aliaque infrascripta concedi et ordinari possit, prout in supplici libello pro parte dicti Petri proregis nobis et congregationi praedictae humiliter porrecto, ac resolutione seu decreto eiusdem congregationis desuper, sub datum Romae die XXXI augusti anni Domini MDCLXVIII emanatâ seu emanato similiter plenius continetur;

Supplicatio. § 3. Quare pro parte Petri proregis et gubernatorum ecclesiae et hospitalis sic erigendorum huiusmodi nobis fuit humiliter supplicatum, quatenus eis in praemissis opportune providere de benignitate apostolicâ dignaremur: nos igitur, memores verbi prophetae: *Beatus qui intelligit super egenum et pauperem*, ac cupientes hoc pium opus executioni demandari, proptereaque huiusmodi supplicationibus inclinati, discretioni tuae per apostolica scripta mandamus, quatenus bona, iura, fructus, etc., etiam decursos, aliaque a gubernatoribus primodictis hospitalis et ecclesiae sic erigendorum huiusmodi ut praefertur donata et concessa, cum omnibus et singulis pactis, conditionibus, obligationibus, clausulis et declarationibus in scripturis desuper confectis expressis et contentis quibuscumque, licitis tamen et honestis, pro tuo arbitrio et conscientiâ, auctoritate nostrâ de novo concedas, et in dictis novis aedibus unum hospitale sub invocatione S. Petri et S. Ianuarii cum ecclesiâ aliisque praedictis per pro tempore existentes illorum gubernatores regendum et administrandum, in quo pauperes mendicantes utriusque sexus et aliae personae otio vacantes degere, et in ecclesiâ sic erigendâ huiusmodi sacramenta ecclesiastica suscipere, et in eius sepulturis, tam ipsi quam alii, qui in illis sepeliri voluerint, sepeliri possint, sine alicuius praeiudicio, auctoritate nostrâ praedictâ, erigas et instituas, illique sic erecto et instituto, pro eius dote et congruâ personarum mendicantium et otio vacantium, ac ministrorum, officialium et famulorum illius sustentatione, et onerum ei incumbentium supportatione, et ecclesiae praedictae erigendae huiusmodi manutentione, bona, iura et fructus, etc., etiam decursos huiusmodi, aliaque a quibusvis aliis donata et donanda, ac assignata et assignanda quaecumque, postquam donata et assignata fuerint, ita quod liceat gubernatoribus pro tempore existentibus hospitalis et ecclesiae per te erigendorum huiusmodi, per se, vel alium, seu alios, eorum ac hospitalis et ecclesiae per te erigendorum nominibus, illorum omnium et singulorum realem, corporalem et actualem possessionem propriâ auctoritate libere apprehendere, et apprehensam perpetuo retinere, ac illorum fructus, etc., percipere, exigere et levare, ac in usus et utilitatem hospitalis et ecclesiae per te erigendorum ac pauperum mendicantium huiusmodi convertere, dioecesani loci vel cuiusvis alterius licentiâ desuper minime requisitâ, eâdem auctoritate nostrâ etiam perpetuo applices et appropries. Nos enim, si concessionem, erectionem, institutionem, applicationem et appropriationem praedictas per te vi-

Convalidat Pontifex donationes prout in rubricâ.

Clausulae praeservativae.

gore praesentium fieri contigerit, ut praefertur, easdem praesentes, etiam ex eo quod in praemissis quicumque interesse habentes seu habere praetendentes praemissis non consenserint, nec ad ea vocati vel auditi fuerint, nullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrae aliove quomodolibet quantumvis magno et substantiali ac excogitabili et inexcogitabili defectu notari, impugnari, redargui, infringi, retractari, et in ius vel controversiam vocari, ad viam et terminos iuris reduci, seu adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque iuris, facti vel gratiae remedium impetrari, aut impetrato aut etiam motu proprio concesso[1] nunquam[2] in iudicio vel extra illud uti seu se iuvare posse, nec sub quibusvis similium vel dissimilium gratiarum revocationibus, limitationibus aut aliis contrariis dispositionibus comprehendi, sed semper ab illis exceptas, et quoties illae emanabunt, toties in pristinum et eum in quo antea erant statum restitutas, repositas et plenarie reintegratas, ac etiam de novo sub quacumque posteriori datâ per modernos et pro tempore existentes hospitalis per te erigendi huiusmodi gubernatores quandocumque eligendâ concessas fore et esse, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac gubernatoribus hospitalis per te erigendi huiusmodi plenissime et perpetuo suffragari, et ab omnibus illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, inviolabiliter et inconcusse observari, sicque et non aliter in praemissis omnibus et singulis censeri, atque ita per quoscumque iudices ordinarios et delegatos quavis auctoritate fungentes, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos, vicelegatos et Sedis Apostolicae nuncios, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, et, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, irritum et inane decernimus.

Decretum irritans et clausula *sublatâ*.

§ 4. Non obstantibus nostrâ et cancellariae apostolicae regulis de unionibus committendis ad partes, vocatis quorum interest, ac de exprimendo vero annuo valore, necnon Lateranensis concilii novissime celebrati uniones perpetuas nisi in casibus a iure expressis fieri prohibentis, ac felicis recordationis Pii Papae IV praedecessoris nostri de gratiis interesse camerae apostolicae quomodolibet concernentibus in eâdem camerâ infra certum inibi expressum tempus registrandis, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, etiam in sinodalibus, provincialibus, universalibus et generalibus conciliis editis et edendis, specialibus vel generalibus, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus efficacissimis et insolitis clausulis, ac irritantibus et aliis decretis, in genere vel in specie, etiam iteratis vicibus, etiam contra similia in contrarium praemissorum quovis modo et quomodolibet concessis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, et formâ in illis traditâ

Contraria tollit.

1 Edit. Main. legit *concessa* (R. T.).

2 De more solito lege *quempiam* pro *nunquam* (R. T.).

observatâ, inserti forent, eisdem praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat latissime et plenissime ac specialiter et expresse derogamus, contrariis quibuscumque.

§ 5. Volumus autem quod gubernatores pro tempore existentes ecclesiae et hospitalis per te erigendorum huiusmodi de rebus gestis et administratis tibi iuxta concilii Tridentini dispositionem quotannis rationem reddere omnino teneantur.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, anno Incarnationis Domini MDCLXIX, IX iunii [1], pontificatus nostri anno II.

Dat. die 9 iunii 1669, pontif. anno II.

CXII.

Constitutio prohibens mercaturam et negociationes seculares ecclesiasticis, praesertim religiosis quibuslibet, in Indiis Orientalibus et America nunc et pro tempore existentibus.

Clemens Papa IX,
ad futuram rei memoriam.

Exordium. Sollicitudo pastoralis officii, quo Ecclesiae catholicae per universum orbem diffusae regimini per ineffabilem divinae sapientiae atque clementiae abundantiam praesidemus, nos stimulat ut ea, quae christianae religionis catholicaeque fidei propagationi remoram vel impedimentum iniicere, ac in virorum in sortem Domini vocatorum, et praesertim religiosorum, qui semetipsos abnegarunt et mundana omnia contempserunt ut Christum lucrifacerent eiusque obsequiis mundo corde et mente tranquillâ unice intenderent, honestatis gloriâ maculam ponere possent, salubri sanctione e medio tollere atque radicitus evellere studeamus.

Urbanus VIII prohibuit negociationem ecclesiasticis.

§ 1. Dudum siquidem felicis recordationis Urbanus Papa VIII praedecessor noster, considerans per sacros canones, conciliorum decreta et constitutiones apostolicas omnibus religiosis, ac etiam aliis ecclesiasticis, praesertim in sacris ordinibus constitutis, mercaturam et negociationes seculares districte prohiberi, ac valde damnosum, indecorum et indecens existere huiusmodi personas divino cultui mancipatas, ac praecipue illas quae ad praedicandum sacrosanctum Christi Domini Evangelium destinatae sunt, mercaturae et negotiationibus huiusmodi se immiscere aut operam dare, per quandam suam in simili formâ Brevis die XXII februarii MDCXXXIII emanatam constitutionem, inter alia, religiosis omnibus cuiuscumque Ordinis et instituti, tam non Mendicantium quam Mendicantium, etiam Societatis Iesu, eorumque singulis, tam tunc in insulis, provinciis regionibus et regnis Indiae Orientalis, ac Chinae et Iaponum existentibus, quam in futurum ad illa mittendis, omnem et quamcumque mercaturam seu negotiationem quocumque modo ab eis fieri contingeret, seu per se, sive per alios, sive proprio, sive communitatis nomine, directe, sive indirecte, aut quovis alio praetextu, causâ vel colore, interdixit et prohibuit sub excommunicationis latae sententiae poenâ ipso facto incurrendâ, ac privationis vocis activae et passivae, officiorum ac graduum et dignitatum quarumcumque, et inhabilitatis ad ea, ac insuper amissionis mercium et lucrorum ex eis factorum: quae omnia a superioribus religionum, ex quibus delinquentes existerent, reservanda essent ad usum missionum, quas eaedem religiones habebant et in futurum habiturae erant in

[1] Edit Main. legit *iulii*; at ad marginem habet *iunii* (E. T.).

Indiis praedictis, et non in alios usus: ac eisdem superioribus districte praecepit, sub eisdem poenis, ut in hoc invigilarent, et contra delinquentes ad praedictas poenas procederent, sublatâ eisdem facultate huiusmodi delinquentibus aliquid ex dictis mercibus et lucris quantumvis minimum remittendi aut condonandi, et aliàs prout in dictâ Urbani praedecessoris constitutione, cuius tenorem praesentibus pro plene et sufficienter expresso ac de verbo ad verbum inserto haberi volumus, uberius continetur.

Sed non fuit observatum.

§ 2. Cum autem (sicut non sine gravissimo animi nostri dolore accepimus) multi ex iisdem religiosis et personis ecclesiasticis, propriae professionis iniunctique sibi gravissimi ministerii immemores, ab eiusmodi mercaturâ et negotiationibus secularibus non abstineant, sed sese a debitâ praedictae constitutionis Urbani praedecessoris observatione sub variis praetextibus, coloribus et subterfugiis eximere conati fuerint, et satagant de praesenti, in deplorandam animarum suarum perditionem, perniciosum quoque exemplum et scandalum plurimorum: nos, salutaribus Doctoris Gentium praeceptis edocti, quod nemo militans Deo implicat se negotiis secularibus, ut ei placeat cui se probavit, tam grande tamque exitiosum ab Ecclesiâ Dei malum apostolici zeli vigore propellere, scandalorumque inde nascentium occasiones recidere, ac saluti animarum et christianae religionis catholicaeque fidei propagationi, quantum nobis ex alto conceditur, salubriter consulere, omnemque lucrorum mundanorum spem personis caelesti militiae adscriptis, praesertim ad infidelium conversionem et Evangelii praedicationem destinatis, quas sicut bonos Christi milites laborare et ministerium suum honorificare oportet, ut eo studiosus ac impensius, adspirante superni favoris auxilio, horrea Domini novis semper frugibus locupletare satagant, omnino adimere decrevimus.

Pontifex confirmat et innovat prohibitionem prout in rubrica.

§ 3. Itaque, sacris canonibus ac decretis et constitutionibus praedictis inhaerentes, illaque, et praesertim memoratam Urbani praedecessoris constitutionem, in iis quae praesentibus litteris non adversantur, approbantes et innovantes, et circa praemissa de novo disponentes et statuentes, motu proprio, ac ex certâ scientiâ et maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, omnibus et singulis personis ecclesiasticis, tam secularibus quam regularibus, cuiuscumque status, gradus, conditionis et qualitatis, ac cuiusvis Ordinis, congregationis et instituti, tam Mendicantium quam non Mendicantium, etiam Societatis Iesu, et earum cuilibet, quae ad insulas, provincias, regna Indiarum Orientalium, et praesertim in provinciam Societatis Iesu de Iapone nuncupatam, ac in partes Americae, tam australes quam septemtrionales, a Sede Apostolicâ, vel congregatione venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositorum, aut ab earum superioribus, sub nomine missionariorum, aut quovis alio titulo, pro tempore missae fuerint, aut in illis partibus quomodolibet morabuntur, sub excommunicationis latae sententiae, ac privationis vocis activae et passivae, et officiorum, dignitatum et graduum quorumcumque per eas obtentorum, et inhabilitatis ad illa et alia quaecumque in posterum obtinenda, necnon amissionis mercium et lucrorum omnium ipso facto incurrendis, ac aliis nostro et Romani Pontificis pro tempore existentis vel praedictae cardinalium congregationis arbitrio imponendis poenis, tenore praesentium

districte prohibemus pariter et interdicimus, ne mercaturis et negotiationibus secularibus huiusmodi, quovis praetextu, titulo, colore, ingenio, causâ, occasione et formâ, etiam semel, per se, aut mediantibus ministris, seu aliis personis subsidiariis, directe vel indirecte, tam nomine proprio, quam suarum respective religionum seu congregationum, ac societatum, etiam Iesu, vel aliorum quorumlibet, et aliàs quovis modo et qualitercumque se ingerant vel immisceant. Ac ex nunc, prout ex tunc, et e contra, postquam casus evenerit, merces et lucra quaecumque, quae ex huiusmodi mercaturis et negotiationibus provenerint et provenient, in usus et commodum pauperum, hospitalium, seminariorum ecclesiasticorum ac operariorum (non tamen religionum, congregationum et societatum, etiam Iesu, seu instituti eorum, qui in praemissis vel circa ea deliquerint, sed aliorum non delinquentium) harum serie applicamus, qui teneantur consignare merces et lucra huiusmodi locorum Ordinariis, seu eorum vicariis in spiritualibus generalibus, aut officialibus, vel apostolicis vicariis seu provicariis. Si[1] vero, tamquam dictae Sedis delegati, illa ut praefertur, et non in alios usus, distribuere et erogare debeant; super quibus eorum conscientiam districte oneramus. Et quia in praemissis et circa ea delinquentes ut plurimum praetextu necessitatis pro eorum missionibus se excusare praesumunt, excusationes huiusmodi eis eorumve cuilibet nullo modo suffragari posse vel debere decernimus et declaramus.

Poenam superioribus permittentibus iniungit.

§ 4. Insuper eisdemmet censuris et poenis innodamus et innodatos fore declaramus superiores immediatos, ac provinciales et generales praedictorum Ordinum, congregationum et societatum, etiam Iesu, qui eorum respective subditos in praemissis vel circa ea etiam pro unicâ vice quomodolibet delinquentes, saltem per amotionem illorum a locis commissi per eos delicti, non puniverint; a sententiâ vero excommunicationis huiusmodi per superiores vel alium seu alios quoscumque, etiam quavis facultate suffultos, nemo ex praedictis delinquentibus absolvi possit, praeterquam in mortis articulo constitutus, nisi lucris huiusmodi prius restitutis.

Decretum irritans.

§ 5. Decernentes easdem praesentes litteras et in eis contenta quaecumque, etiam ex eo quod in praemissis interesse habentes seu habere quomodolibet praetendentes, et alii quilibet, cuiuscumque status, gradus, ordinis, praeeminentiae et dignitatis, seu aliàs specificâ et individuâ mentione digni, illis non consenserint, nec ad ea vocati, citati et auditi, neque causae, propter quas ipsae praesentes emanarint, sufficienter adductae, verificatae et iustificatae fuerint, aut ex aliâ quacumque quantumvis iustâ, piâ et privilegiatâ causâ, colore, praetextu et capite, etiam in corpore iuris clauso, etiam enormis, enormissimae et totalis laesionis, nullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrae aut interesse habentium consensus, aliove quolibet etiam quantumvis magno et substantiali ac incogitato et inexcogitabili defectu notari, impugnari, infringi, retractari, in controversiam vocari, aut ad terminos iuris reduci, seu adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque iuris, facti vel gratiae remedium intentari vel impetrari, seu impetrato, aut etiam motu, scientiâ et potestatis plenitudine paribus concesso vel emanato quempiam in iudicio vel extra

1. Potius videtur legendum *Ii* pro *Si* (R. T.).

illud uti seu se iuvare ullo modo posse, sed ipsas praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab omnibus et singulis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia inviolabiliter et inconcusse observari,

Nec aliter iudicari posse decernit.

§ 6. Sicque et non aliter in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum curiae camerae apostolicae generalem et palatii apostolici auditores, ac eiusdem camerae praesidentes, clericos, thesaurarium generalem, commissarium, aliosque officiales et ministros, necnon S. R. E. praedictae camerarium seu procamerarium et alios cardinales, etiam de latere legatos et dictae Sedis nuncios, ceterosque quoslibet, quacumque praeeminentiâ et potate fungentes et functuros, in quavis causâ et instantiâ, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, ubique iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogat contrariis.

§ 7. Non obstantibus, quoad ea quae praesentibus adversantur, praedictâ Urbani praedecessoris, ac recolendae memoriae Bonifacii Papae VIII praedecessoris pariter nostri de unâ, et concilii generalis de duabus dietis, ita ut vigore praesentium etiam ultra duas pluresve dietas quilibet in iudicium trahi possit, piae memoriae Pii IV et Pauli V aliorumque Romanorum Pontificum, etiam praedecessorum nostrorum, super spoliis camerae praedictae applicandis, ac eiusdem Pii IV praedecessoris de gratiis qualecumque interesse dictae camerae concernentibus in ipsâ camerâ intra certum tunc expressum tempus praesentandis et registrandis, ita ut praesentes litteras ibidem praesentari, registrari et insinuari nunquam necesse sit, necnon, quatenus opus sit, de iure quaesito non tollendo, aliisque nostris et cancellariae apostolicae regulis, ceterisque apostolicis, ac in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, ac dictae camerae et provinciarum, regnorum, regionum, Ordinum et congregationum, institutorum, societatum, etiam Iesu, domorum et collegiorum quorumcumque, aliisve quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, indultis, facultatibus, licentiis et litteris apostolicis, quibusvis Ordinibus, congregationibus, institutis et societatibus, etiam Iesu, eorumque superioribus et personis, etiam particularibus, et aliis quibuscumque, etiam speciali notâ dignis, et de necessitate iuris vel facti omnino exprimendis, etiam cum facultate eligendi posteriorem datam, quam nemini adversus easdem praesentes litteras ullo modo suffragari unquam posse statuimus et decernimus, ac sub aliis quibuscumque verborum tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis, in genere vel in specie, etiam motu, scientiâ et potestatis plenitudine paribus, ac consistorialiter, et aliàs quomodolibet in contrarium praemissorum concessis, ac etiam pluries confirmatis, approbatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per

clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis expressio habenda aut alia aliqua exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, et formâ in illis traditâ observatâ, exprimerentur et insererentur, praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, motu, scientiâ et potestatis plenitudine paribus, derogamus et derogatum esse et cènseri, illaque nemini adversus praesentes litteras suffragari volumus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Exequutores deputat.

§ 8. Ceterum volumus et expresse mandamus ut eaedem praesentes litterae, seu earum exempla, etiam impressa, notificentur et intimentur omnibus et singulis Ordinum, congregationum, institutorum et societatum, etiam Iesu, huiusmodi superioribus generalibus et procuratoribus generalibus, ad hoc ut eorum et praedictorum religiosorum eis respective subditorum nominibus illas acceptent, et earum exempla transmittant ad illos cum arctissimis praeceptis easdem praesentes litteras et in eis contenta quaecumque plenarie et integre ac vere, realiter et cum effectu exequendi et observandi.

§ 9. Ac insuper quibuslibet locorum Ordinariis eorumque officialibus, vicariis in spiritualibus generalibus, ac apostolicis et capitularibus vicariis amplam et liberam concedimus et impartimur facultatem praesentes litteras in locis eorum cuiuslibet respective iurisdictionis publicandi, ad hoc ut illarum ignorantia allegari nequeat et allegata minime suffragari debeat.

Fides danda transumptis.

§ 10. Et quia difficile foret praesentes litteras originales ubique ostendi et publicari, volumus pariter et decernimus illarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eamdem prorsus in iudicio et extra ubique locorum fidem haberi, quae haberetur ipsis praesentibus litteris si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XVII iunii MDCLXIX, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 17 iunii 1669, pontif. anno II.

CXIII.

Declaratio circa solutionem decimae quoad ecclesiasticos regnorum et provinciarum coronae Aragoniae [1].

Venerabili fratri Federico patriarchae Alexandrino, nostro et Apostolicae Sedis in regnis Hispaniarum nuncio,

Clemens Papa IX.

Venerabilis frater
salutem et apostolicam benedictionem.

Alexander VII concessit Philippo IV subventionem quamdam ab ecclesiasticis solvendam.

§ 1. Aliàs felicis recordationis Alexander PP. VII praedecessor noster, in subventionem clarae memoriae Philippi IV dum vixit Hispaniarum regis catholici, indixit et imposuit unam semel in duobus annis tunc proximis, illorum nempe singulo pro medietate, persolvendam decimam, quae in totum ad summam octingentorum millium ducatorum monetae Hispaniae ascenderet, iuxta taxam a tunc existente suo et Apostolicae Sedis in regnis Hispaniarum nuncio taxandam, omnium fructuum, reddituum, proventuum, iurium, obventionum et emolumentorum et distributionum quotidianarum omnium ecclesiarum archiepiscopalium, episcopalium, collegiatarum et parochialium, necnon monasteriorum

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

et conventuum, ac etiam mensarum abbatialium, capitularium, tam cathedralium, etiam metropolitanarum, quam quarumcumque collegiatarum ecclesiarum et conventualium, prioratuum quoque ac ceterorum beneficiorum ecclesiasticorum, cum curâ et sine curâ, secularium ac quorumvis Ordinum utriusque sexus etiam Mendicantium annuos redditus habentium, tam virorum quam mulierum, necnon congregationum, institutorum et societatum regularium, etiam Societatis Iesu, et praeterea hospitalium et militiarum quarumcumque (exceptis tamen sanctae Romanae Ecclesiae cardinalibus et fratribus militibus hospitalis S. Ioannis Hierosolymitani, qui pro sui tutelâ contra Turcas et alios infideles alienis auxiliis quotidie indigebant, et, quoad curata, iis quorum centum, quo vero ad simplicia beneficia ecclesiastica, iis quorum annui redditus summam viginti quatuor ducatorum auri de camerâ non excederent) in regnis Castellae et Legionis ac Aragoniae et Valentiae, necnon principatu Cataloniae, atque insulis Balearibus, et Sardinia, omnibusque provinciis et ditionibus in eisdem regnis et insulis comprehensis existentium, ac similiter omnium pensionum super praemissis assignatarum et assignandarum, et aliàs sub certis modo et formâ tunc expressis; ac praefatum tunc et pro tempore existentem suum et dictae Sedis in praefatis Hispaniarum regnis nuncium decimae huiusmodi collectorem cum facultatibus opportunis constituit et deputavit, ipsique nuncio taxam et repartimentum huiusmodi pro dictâ summâ octingentorum millium ducatorum conficiendi amplam potestatem concessit, prout in ipsius Alexandri praedecessoris litteris desuper in simili formâ Brevis die XX octobris MDCLXII expeditis[1], quarum tenorem praesentibus pro plene et sufficienter expresso haberi volumus, uberius continetur.

§ 2. Et subinde pro parte carissimi in Christo filii nostri Caroli eorumdem Hispaniarum regis catholici dicto Alexandro praedecessori exposito quod, habito[1] necessitatis ecclesiarum dictorum regnorum Castellae et Legionis ratione, portio decimae praefatae easdem ecclesias contingens ex regiae maiestatis benignitate ad minorem nempe quingentorum viginti quinque millium ducatorum dictae monetae Hispaniae summam reducta fuerat, residuo ipsis ecclesiis et personis ecclesiasticis remisso et condonato, ac etiam biennium solutioni eiusdem decimae per litteras praefatas praefinitum eisdem ecclesiis et personis ecclesiasticis regnorum Castellae et Legionis ad quadriennium ex pari benignitate ampliatum extiterat; idcirco idem Alexander praedecessor, ut summa quingentorum vigintiquinque millium ducatorum monetae huiusmodi intra quadriennium praefatum facilius exigi, taxaque et repartimentum opportunum desuper expeditius confici valerent, providere, necnon difficultatibus, quae circa praemissa oriri possent, obviare, ac exemptionem seu exceptionem praefatam ut infra moderari volens, per alias suas pariter in formâ Brevis die IX decembris MDCLXV expeditas litteras[2], quarum tenorem praesentibus itidem pro expresso haberi volumus, quod, ex parochiales ecclesias, quarum centum, et beneficia simplicia praefata, quorum redditus annui vigintiquatuor ducatorum auri de camerâ summam respective non excederent, obtinentibus, ad contributionem et solutionem portionis decimae huiusmodi sicut praemittitur reductae

Quae tamen fuit postea moderata.

1 Quas vide supra, pag. 71 (R. T).

1 Legendum *habitâ* (R. T.).

2 Quas quoque vide supra, pag. 405 (R. T.).

omnes et singuli ii tenerentur et obligati essent, qui ad solutionem et contributionem subsidii et primae decimae *excusati* nuncupati in illis regnis tenebantur et illa solvebant, decrevit et declaravit. Nec non tunc existenti suo et Sedis praefatae in memoratis Hispaniarum regnis nuncio ad omnimodam primodictarum litterarum, cum omnibus et singulis facultatibus et indultis ibi expressis, executionem, iuxta tamen decreti et declarationis huiusmodi tenorem, et servatâ aliàs earumdem litterarum formâ, procedendi facultatem concessit, et aliàs prout in ultimodictis Alexandri praedecessoris litteris plenius etiam continetur.

Dubium an ecclesiastici in regno Aragoniae eam solvere debeant.

§ 3. Cum autem, sicut praefati Caroli regis nomine nobis nuper expositum fuit, in ultimodictis Alexandri praedecessoris litteris regnorum et provinciarum coronae Aragoniae mentio facta non fuerit, et ecclesiastici eorumdem regnorum et provinciarum, qui ratam dictae decimae octingentorum millium ducatorum monetae Hispaniae, sicut praemittitur, impositae nondum solverunt, ratam sive portionem decimae huiusmodi eos tangentem iuxta formam ecclesiasticis dictorum regnorum Castellae et Legionis per ultimodictas Alexandri praedecessoris litteras praescriptam solvere sive contribuere recusent: nos, specialem dicto Carolo regi gratiam facere, ac ut rata seu portio decimae huiusmodi nondum soluta ab ecclesiasticis dictorum regnorum et provinciarum coronae Aragoniae facilius exigi, taxaque et repartimentum opportunum desuper expeditius etiam confici valeant, providere,

Pontifex declarat eos teneri.

necnon difficultatibus, quae circa praemissa oriri possent, obviare, ac exemptionem seu exceptionem praefatam pariter moderari volentes, motu proprio, ac ex certâ scientiâ et maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, quod, ex-parochiales ecclesias, quarum centum, et beneficia simplicia in regnis et provinciis dictae coronae Aragoniae consistentia, quorum redditus annui vigintiquatuor ducatorum auri de camerâ summam respective non excedunt, obtinentibus, ad contributionem et solutionem ratae seu portionis decimae huiusmodi, sicut praemittitur, nondum solutae, et adhuc debitae, omnes et singuli illi teneantur pariter et obligati sint, qui ad solutionem et contributionem subsidii et primae decimae *excusati* nuncupati in eisdem regnis et provinciis coronae Aragoniae tenentur et illa solvunt, tenore praesentium decernimus, similiter et declaramus; tibique ad omnimodam praefatarum Alexandri praedecessoris litterarum cum omnibus et singulis facultatibus et indultis ibi expressis executionem, iuxta tamen decreti et declarationis in praesentibus litteris expressorum tenorem, et servatâ aliàs, in iis quae praesentibus non contrariantur, earumdem Alexandri praedecessoris litterarum formâ, procedendi, apostolicâ auctoritate, earumdem tenore praesentium, plenam, liberam et amplam facultatem et auctoritatem concedimus et impartimur.

Contraria tollit.

§ 4. Non obstantibus praefatis Alexandri praedecessoris litteris, necnon omnibus et singulis illis, quae in eisdem litteris concessa sunt non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die III iulii MDCLXIX, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 3 iulii 1669, pontif. anno III.

CXIV.

Erectio congregationis indulgentiis et sacris reliquiis praepositae.

Clemens Papa IX,
ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium. In ipsis pontificatus nostri primordiis, cum multas venerabilium fratrum nostrorum sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium congregationes ad certarum rerum et negotiorum in amplissimum Romanae curiae alveum ex omnibus mundi partibus assidue confluentium tractationem atque determinationem a felicis recordationis Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris ad Ecclesiae catholicae ac ditionis temporalis eiusdem sanctae Romanae Ecclesiae utilitatem prudenti salubrique consilio institutas reperissemus, quae incumbentem nobis ingentem curarum molem pro suâ quaeque parte sublevarent; nullam tamen adhuc erectam videremus, quae sacri indulgentiarum thesauri curae et dispensationi, sacrarumque reliquiarum recognitioni, disquisitioni peculialiter incumberet:

Motiva. § 1. Nos, eumdem inaestimabilem thesaurum fideli dispensatione erogare, et omnia, quae sacras reliquias huiusmodi contingunt, recte atque ordine disponere cupientes, nonnullos ex memoratis cardinalibus, ac aliquos curiae praedictae praelatos, aliosque viros religione, pietate, doctrinâ et rerum usu eximie praeditos selegimus, quorum consilio, operâ et industriâ tam gravem muneris nostri partem ad omnipotentis Dei gloriam, Ecclesiae honorem, ac spiritualem christifidelium aedificationem facilius implere valeremus. Hi vero subinde, prout rerum et negotiorum momenta postulabant, insimul convenientes, commissam sibi a nobis provinciam recte et fructuose, atque ex animi nostri sententiâ hactenus administrarunt. Quapropter speran-

tes in Domino non minus utiliter in futurum quoque desudaturam esse eorum industriam, ac salubris consilii, quod auctore Deo suscepimus, fructum, eodem adiuvante atque incrementum dante, perennare desiderantes,

Erectio de qua in rubrica. § 2. Motu proprio, ac ex certâ scientiâ et maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, congregationem eiusdem S. R. E. cardinalium ac praelatorum, et aliorum virorum praedictorum, a nobis ut praefertur electorum et deputatorum, ac in futurum tam a nobis quam a successoribus nostris Romanis Pontificibus eligendorum et deputandorum, cum facultate omnem difficultatem ac dubietatem in Sanctorum reliquiis aut indulgentiis emergentem, quae ad fidei dogma non pertineat (nobis tamen et Romano Pontifice pro tempore existente circa graviora difficilioraque consultis) expediendi; ac, si qui abusus in eis irrepserint, illos, iudicii formâ planè posposità, corrigendi et emendandi; causas vero iudicialem formam requirentes ad proprios iudices remittendi; falsas, apocryphas indiscretasque indulgentias typis imprimi vetandi, impressas recognoscendi et examinandi, ac, ubi nobis seu Romano Pontifici pro tempore existenti retulerit, nostrâ seu illius auctoritate reiiciendi; reliquias de novo inventas, quas recolendae memoriae Innocentius III praedecessor noster in generali concilio Lateranensi publicâ veneratione coli, nisi prius auctoritate Romani Pontificis approbatas, prohibuit, recognoscendi quoque et examinandi; ac in concedendis indulgentiis, Sanctorumque reliquiis donandis moderationem adhiberi, omniaque pie, sancte et incorrupte fieri curandi, tenore praesentium perpetuo erigimus et instituimus.

Clausulae praeservativae. § 3. Decernentes easdem praesentes

litteras firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, nec de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrae aliove quolibet etiam substantiali et formali ac incogitato et inexcogitabili necessariamque expressionem requirente defectu notari, impugnari, infringi, retractari, in controversiam vocari, aut ad terminos iuris reduci ullo modo unquam posse,

Clausula *sublatâ*.

§ 4. Sicque et non aliter in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. praedictae cardinales, etiam de latere legatos, et alios quoslibet quacumque praeeminentiâ et potestate fungentes et functuros, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 5. Non obstantibus, quatenus opus sit, nostrâ et cancellariae apostolicae regulâ de iure quaesito non tollendo, aliisque apostolicis, ac in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, necnon quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ vel quavis firmitatis aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, quibusvis personis et locis, ac sub quibuscumque verborum tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis, in genere vel in specie, seu aliàs quomodolibet in contrarium praemissorum concessis, confirmatis et pluries innovatis; quibus omnibus et sigulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, et formâ in illis traditâ observatâ, exprimerentur et insererentur, praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides.

§ 6. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra habeatur, quae haberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die VI iulii MDCLXIX, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 6 iulii 1669, pontif. anno III.

CXV.

Concessio indulgentiae plenariae christifidelibus Italiae et insularum adiacentium divinam opem implorantibus pro liberatione civitatis Candiae et regni Cretae ab oppressione Turcarum.

Clemens Papa IX
ad futuram rei memoriam.

Exordium.

Quod iam pluries indictis publice precibus a Domino exercituum humili de-

votoque cordis affectu poposcimus, ut civitatem Candiae regni Cretae metropolim diutinâ vehementique impiorum christiani nominis hostium Turcarum obsidione pressam liberare dignaretur, id nunc praecipue, cum iidem Turcae, christiani exercitus adventum antevertere satagentes, civitatem praedictam efferatiori quam unquam rabie expugnare moliuntur, ferventiori spiritus ardore, maiorique animi contentione faciendum censemus, ut clementissimus Dominus noster, in cuius manu est liberare in multis et in paucis, Turcas praedictos, in multitudine contumaci et superbiâ nil nisi caedes et excidia spirantes, conterat et disperdat potentiâ virtutis suae, ac fortissimis Christi pugilibus gloriosa pro eius honore sanctaeque eius Ecclesiae defensione certamina alacriter subeuntibus robur et fortitudinem, quae de caelo est, multiplicet, nostrosque labores et curas ac spem, quam in eius ineffabili bonitate collocavimus, laetâ tandem victoriâ solari dignetur.

Recenset indulgentias iam concessas.

§ 1. Nuperrime siquidem omnibus utriusque sexus christifidelibus, qui aliquam ex ecclesiis seu basilicis S. Ioannis in Laterano, ac Principis Apostolorum, et S. Mariae Maioris de Urbe (in quarum primâ, feriâ sextâ ac sabbato currentis hebdomadae et dominicâ immediate sequenti; in reliquis vero duabus, similiter feriis sextis et sabbatis proxime subsequentium hebdomadarum, ac dominicis pariter immediate sequentibus respective sanctissimum Eucharistiae Sacramentum, quemadmodum in orationibus quadraginta horarum fieri consuevit, publicae venerationi exponi mandavimus) devote visitaverint, ac aliquo ex dictis sabbatis ieiunaverint, et vere poenitentes ac confessi idem sanctissimum Eucharistiae Sacramentum dominicâ subsequenti sabbatum huiusmodi sumpserint, ibique ante SS. Sacramentum praedictum publicè venerationi ut praefertur expositum per aliquod temporis spatium, prout unicuique suggeret devotio, pias ad Deum preces effuderint, ut copias christianas suo divino auxilio ad defensionem et totalem liberationem civitatis Candiae et regni Cretae praedictorum ab oppressione Turcarum fovere et protegere dignetur, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concessimus.

Easdem per totam Italiam extendit.

§ 2. Nunc autem divinam opem similibus pietatis operibus in universâ quoque Italia et insulis adiacentibus implorari cupientes, venerabilibus fratribus patriarchis, archiepiscopis et episcopis, aliisque ecclesiarum praelatis et Ordinariis civitatum et dioecesum, oppidorum, terrarum et locorum universae Italiae et insularum adiacentium huiusmodi, seu eorum vicariis in spiritualibus generalibus, praesentium serie committimus et mandamus, ut, statim atque ipsarum praesentium litterarum transumpta, seu exempla, etiam impressa, ad eos pervenerint, in aliquibus suarum respective civitatum et dioecesum, oppidorum, terrarum et locorum ecclesiis per eos designandis memoratum sanctissimum Eucharistiae Sacramentum feriis sextis ac sabbatis et dominicis trium continuarum hebdomadarum publicae pariter fidelium venerationi exponi curent; nos enim de omnipotentis Dei misericordiâ ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus utriusque sexus christifidelibus, qui aliquam ex ecclesiis huiusmodi eo tempore, quo idem SS. Sacramentum publicae venerationi ibidem sic expositum fuerit, devote visitaverint, ac aliquo ex iisdem sabbatis pariter ieiunaverint, et vere poenitentes ac confessi,

die dominicâ immediate sequenti sabbatum huiusmodi sacrâ communione refecti fuerint, ac in eisdem ecclesiis ante praedictum SS. Sacramentum per aliquod temporis spatium, prout unicuique suggeret devotio, pias ad Deum preces effundendo divinam opem pariformiter invocaverint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem similiter concedimus et elargimur. Regularibus vero utriusque sexus in clausurâ viventibus, qui pariter uno ex dictis sabbatis ieiunaverint, eorumque respective ecclesias in aliquo ex memoratis diebus visitaverint, ac vere poenitentes et confessi, sacrâque communione in aliquâ ex dominicis huiusmodi refecti, Deum ut supra oraverint, ut eamdem plenariam indulgentiam et peccatorum remissionem consequantur indulgemus.

Transumptis fides adhibenda.

§ 4. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra habeatur, quae praesentibus ipsis haberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XVII iulii MDCLXIX, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 17 iulii 1669, pontif. anno III.

CXVI.

Commissio archiepiscopo Mediolanensi procedendi contra expulsores inquisitoris Ianuensis, eorumque complices, cum facultatibus opportunis[1].

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

Dilecto filio nostro Alphonso S. R. E. presbytero cardinali Littae nuncupato, ecclesiae Mediolanensis ex concessione et dispensatione apostolicâ praesuli,

Clemens Papa IX.

Dilecte fili noster,
salutem et apostolicam benedictionem.

Expositio.

§ 1. Exponi nobis nuper fecit dilectus filius Petrus Serista, sanctae Romanae et universalis inquisitionis procurator fiscalis, quod, cum dilectus filius sacerdos Michaël Pius Passus, frater expresse professus Ordinis Praedicatorum in civitate et dominio Reipublicae Genuae contra haereticam pravitatem inquisitor et deputatus apostolicus nuper vi et armatâ manu a civitate et toto dominio Reipublicae per eiusdem magistratus et milites, propriae salutis immemores, non sine maximo populi scandalo expulsus fuerit; idem Petrus, quo iniuriae et offensiones huiusmodi quantocitius, ut par est, reparari possint, super reparatione huiusmodi, necnon plenâ reintegratione et libero exercitio eiusdem inquisitoris officii contra omnes delinquentes summarie agere intendit. Nobis propterea humiliter supplicari fecit ut de opportuno iustitiae remedio in praemissis providere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Committit archiepiscopo processus contra delinquentes prout in rubricâ.

§ 2. Nos igitur, iustitiam unicuique ministrari ac delicta huiusmodi minime impunita remanere volentes, necnon causae seu causarum infrascriptarum statum et merita praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes, dictumque Petrum a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes

et absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, circumspectioni tuae per praesentes committimus et mandamus, quatenus, vocatis qui fuerint vocandi, causam et causas in terminis in quibus reperiuntur, quam et quas praedictus Petrus de et super praemissis contra omnes et singulos delinquentes ac quoscumque alios, etiam magistratum, consiliarios, gubernatores, ducem et Rempublicam ipsam, qui mandatum, auxilium, consilium, favorem seu ratihabitionem desuper praestiterunt expulsioni dicti inquisitoris, et quoquo modo dictae expulsionis complices fuerunt, prosequi et movere intendit, cum omnibus suis incidentibus, dependentibus, emergentibus, annexis et connexis, totoque negocio principali, summarie, simpliciter et de plano, et sine strepitu et figurâ iudicii, omnique et quacumque appellatione, reclamatione, recursu e restitutione in integrum remotis, auctoritate nostrâ apostolicâ prosequaris, audias, cognoscas, simulque et semel, et unicâ vel pluribus sententiis, si ita tibi videbitur, prout iuris fuerit, decidas, fineque debito termines, ac deinde sententiam huiusmodi exequaris, seu debitae executioni demandari cures, cum potestate subdelegandi in omnibus et singulis praemissis, ac aliis infra dicendis, et omnibus contentis in praesentibus litteris, unum vel plures, prout tibi videbitur: nos enim tibi citandi dictos delinquentes, omnesque alios quos opus fuerit, etiam per edictum publicum, constito etiam summarie de non tuto accessu, illisque et quibus tibi videbitur sub sententiis, censuris et poenis inhibendi, contradictores in illas, servatâ formâ concilii Tridentini, incidisse declarandi, aggravandi, reaggravandi et interdicendi, auxiliumque brachii secularis ad hoc si opus fuerit invocandi, ac attentata et innovata quaecumque, prout de iure, in primis et ante omnia revocandi, necnon delinquentes et alios supradictos, quatenus opus sit, debitis poenis afficiendi et puniendi, aliaque omnia et singula in praemissis et circa ea quomodolibet necessaria et opportuna faciendi, dicendi, gerendi, exercendi et exequendi, plenam et amplam facultatem, dictâ auctoritate, earumdem tenore praesentium, tribuimus et impartimur.

§ 3. Non obstantibus felicis recordationis Bonifacii Papae VIII praedecessoris nostri de unâ, et concilii generalis de duabus dietis, aliisque apostolicis, ac in universalibus provincialibusque et synodalibus [1] constitutionibus et ordinationibus, necnon quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; aut si aliquibus communiter vel divisim ab Apostolicâ sit Sede indultum quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem; quibus omnibus et singulis illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque. Derogatio contrariorum.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XIX iulii MDCLXIX, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 19 iulii 1669, pontif. anno III.

1 Desunt verba *conciliis editis* (R. T.).

CXVII.

Suspensio iuris conferendi beneficia in civitate, patriâ et dioecesi Leodiensi sita in aliquibus mensibus per obitum vacantia, universitati Lovaniensi illiusque facultati artium a Sede Apostolicâ concessi [1].

Clemens Papa IX,
ad futuram rei memoriam.

Exordium. § 1. Romanus Pontifex aequi bonique assertor, atque gratiarum dispensator in terris a Domino constitutus, personas quidem litterarum studiis ad Dei gloriam Ecclesiaeque honorem et praesidium, praesertim in universitatibus studiorum generalium a Sede Apostolicâ institutis, laudabiliter incumbentes, privilegiis et gratiis benigno liberalique animo decorare atque fovere studet; summam tamen iustitiae rationem habens, si quando personas sic privilegiatas, privilegiorum atque gratiarum huiusmodi praetextu, a iuris atque iustitiae et aequitatis orbitâ deflectere, nec, paternis licet crebrisque adhortationibus clementer admonitas, in viam reverti [2] conspicit, eas canonicae animadversionis remedio ad debitae observantiae, devotionis et obedientiae tramitem revocare satagit, sicut, omnibus maturae [3] considerationis trutinâ perpensis, rationi consentaneum esse in Domino arbitratur [4].

Motiva. § 2. Ad nostri siquidem apostolatus notitiam pervenit, quod dilecti filii rectores ac magistri, rectores et scholares, necnon decani seu vicedecani facultatis artium, ac conservatores privilegiorum universitatis studii generalis oppidi Lovaniensis, olim Leodiensis, nunc Mechliniensis diocesis, a felicis recordationis Martino Papa V praedecessore nostro erectae et institutae, plurimis abhinc annis privilegiis, facultatibus, gratiis et indultis, eidem universitati tam a dicto Martino praedecessore quam a recolendae memoriae Paulo II, Sixto IV, Leone X, Adriano VI, Clemente VII, Paulo III, Pio IV, Gregorio XIII ac Paulo V, et forsan aliis Romanis Pontificibus praedecessoribus pariter nostris, respective concessis et confirmatis, abutuntur circa nominationes ad beneficia ecclesiastica in Belgicis ditionibus consistentia, ac collationes et provisiones eiusmodi beneficiorum in civitate, patriâ et dioecesi Leodiensi sitorum, necnon exercitium iurisdictionis praedictis conservatoribus per privilegia huiusmodi attributae; quippe qui ad beneficia ecclesiastica valorem annuum centum ducatorum auri de camerâ excedentia nominare, ac nominationes huiusmodi sedibus episcopalibus et archiepiscopalibus ac praelaturis collatorum Ordinariorum vacantibus facere, et plura beneficia incompatibilia eisdem personis conferre seu eas ad illa nominare, quinimo beneficia ecclesiastica, de quibus per coadiutorias cum futurâ successione ab hac sanctâ Sede provisum fuerat, conferre pariter seu ad illa nominare, aliosque similes excessus privilegiorum, facultatum, gratiarum et indultorum praedictorum dispositioni plane contrarios committere, et conservatores praedicti de causis, non solum in quibus agitur an beneficia in mensibus apostolicis vel Ordinariorum an vero in illis qui dictae universitati concessi sunt vacaverint, sed etiam ubi tractatur utrum beneficia huiusmodi eiusdem Apostolicae Sedis dispositioni aliter quam ratione vacationis in mense apostolicò reservata seu affecta sint, nec ne, cognoscere praesumpserint, ta-

1 Ex Regest. in Secret. Brev.
2 Male edit. Main. legit *reversi* (R. T.).
3 Edit. Main. legit *mature* (R. T.).
4 Male edit. Main. legit *arbitramur* (R. T.).

metsi nihil horum eis ex privilegiorum, facultatum, gratiarum et indultorum huiusmodi tenore permissum sit, sed haec omnia nulla penitus, invalida et attentata existant; et, quod Sedis Apostolicae dignitatem auctoritatemque magis laedit, citationes, inhibitiones, monitiones, mandata, sententias et decreta ac incursus excommunicationis aliarumque censurarum declarationes, etiam aggravatorias et reaggravatorias, in eos propter excessus huiusmodi ac ab ipsis respective provisos a sacri palatii auditorio legitime emanatas et emanata, nulliter et de facto cassare et annullare, ac tam provisos a Sede praedictâ, quam capitula ecclesiarum, aliasque personas ecclesiasticas huic sanctae Sedi devotas, ac ipsius Sedis eiusque delegatorum auditorii praedicti mandatis ut par est obsequentes, arrestis, sequestrationibus et detentionibus fructuum et reddituum ecclesiasticorum, aliisque modis huiusmodi perturbare et inquietare ausi fuerint, et in praesens audeant: super quibus frequentes ad nos et hanc sanctam Sedem variorum ab eâdem Sede de beneficiis ecclesiasticis praesertim in civitate, patriâ et dioecesi Leodiensi consistentibus provisorum querelae pervenerunt, nobis humiliter supplicantium ut in praemissis de opportuno remedio providere, gravibusque scandalis inde nascentibus occurrere de benignitate apostolicâ dignaremur. Et nos quidem, cum ex debito pastoralis muneris nobis divinitus impositi, quo populorum quieti, quantum nobis ex alto conceditur, consulere, nostraque et dictae Sedis iura tueri adstringimur, preces tam iustas negligere excessusque praedictos dissimulare non valeremus, pro singulari paternae nostrae erga universitatem praedictam, quam memorati Romani Pontifices praedecessores nostri, ut illam eiusque scholares et personas ad sacrarum aliarumque bonarum litterarum studia excitarent, illorumque devotionem et reverentiam erga hanc sanctam Sedem foverent, tot tantisque et tam luculentis privilegiis atque praerogativis decorarunt, charitatis affectu omnes suaviores benignioresque vias tentavimus, operam sedulo dedimus, tum paternis admonitionibus, tum personarum doctrinâ et morum gravitate spectabilium dictaeque universitati benevolarum insinuationibus, iniectâ quoque aliquâ spe novarum gratiarum, et etiam iustae indignationis nostrae timore suaviter suggesto, ut res omnis coram dilecto filio Carolo Antonio Airoldo abbate ecclesiae S. Abundii, nostro et dictae Sedis in Belgicis ditionibus internuncio, in id quod aequum est redigeretur. Verum haec omnia in cassum ceciderunt. Hinc, licet ex sacrorum canonum praescripto privilegia amittere meruissent eo quod concessâ sibi facultate fuerint abusi, attamen paternae nostrae benignitatis memores, et poenitentiae locum relinquere volentes, et mitius agendo, omnium et singulorum privilegiorum, facultatum, gratiarum et indultorum praedictorum litterarumque apostolicarum tam sub plumbo quam in simili formâ Brevis a memoratis praedecessoribus nostris desuper emanatarum tenores et datas etiam veriores, aliaque omnia et singula, etiam specificam et individuam mentionem et expressionem requirentia, praesentibus pro plene et sufficienter ac de verbo ad verbum nihil penitus omisso insertis et expressis ac specificatis habentes, motu proprio, ac ex certâ scientiâ et maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, ius et facultatem ac indultum conferendi beneficia cum curâ et sine curâ secularia, in titulum clericis secularibus con-

Suspensio privilegiorum.

ferri et per clericos seculares regi et gubernari solita, in civitate, patriâ et dioecesi Leodiensi consistentia, et pro tempore per obitum dumtaxat in certis tunc expressis mensibus vacantia, etiamsi canonicatus et praebendae, personatus, administrationes et dignitates cuiuscumque qualitatis et valoris sint, exceptis certis itidem tunc expressis beneficiis, a praedicto Paulo V praedecessore per suas sub plumbo kalendis decembris anno Incarnationis Dominicae MDCXIV desuper expeditas litteras decano seu vicedecano praedictae facultatis artium sub certis modo et formâ tunc expressis, loco iuris seu facultatis nominandi quod seu quam idem Paulus praedecessor per dictas litteras perpetuo abrogavit, itidem perpetuo concessum seu concessam, tenore praesentium ad nostrum et dictae Sedis Apostolicae beneplacitum suspendimus, ac suspensum et suspensam esse et fore decernimus et declaramus.

Provisiones aliter factas ceteraque acta irritat Pontifex.

§ 3. Decernentes pariter quascumque collationes et provisiones canonicatuum et praebendarum, personatuum, administrationum et dignitatum, aliorumque beneficiorum ecclesiasticorum, cum curâ et sine curâ, in civitate, patriâ et dioecesi Leodiensi consistentium praedictorum pro tempore vacantium, et de illis provisorum in illorum possessionem immissiones, ac etiam nominationes ad eadem beneficia praetextu abrogati ut praefertur iuris nominandi, si quas, suspensione huiusmodi durante, forsan a pro tempore existente decano seu vicedecano dictae facultatis artium, etiam de consensu receptoris et procuratorum quatuor nationum eiusdem facultatis, seu maioris partis eorum, aut aliàs quomodolibet, seu ab aliis quibusvis personis dictae universitatis, tam coniunctim quam divisim, et aliàs quomodocumque et qualitercumque fieri contigerit, nullas prorsus ac irritas, inanes et invalidas, nulliusque roboris et momenti, ac viribus et effectu penitus et omnino vacuas fore, nec cuiquam titulum etiam coloratum aut possidendi vel detinendi causam ullatenus tribuere; citationes quoque, monitiones, mandata, decreta, processus, sententias, censurarum fulminationes, auxilii brachii secularis invocationes, et acta iudicialia et extraiudicialia quaecumque, si quae a conservatoribus praedictis, vel aliis iudicibus quibuscumque, seu eorum aliquo, ad instantiam eorum, quibus beneficia huiusmodi, suspensione praedictâ durante, de facto collata essent, seu aliàs quomodolibet, pro tuendis seu ad effectum deducendis huiusmodi collationibus seu provisionibus, fieri, mandari, decerni, relaxari, ferri vel pronunciari contingat, cum omnibus et singulis inde forsan quomodolibet secuturis, nulla pariter et invalida, irrita, inania, de facto praesumpta, ac prorsus attentata et vitiosa fore, neminemque prorsus arctare et afficere, sed nullatenus attendenda fore et esse; collationem vero omnium et singulorum beneficiorum in civitate, patriâ et dioecesi Leodiensi praedictis consistentium huiusmodi, quae in mensibus memoratae universitati seu facultati artium ut praefertur concessis durante suspensione huiusmodi vacaverint, ad nos et hanc sanctam Sedem spectare et pertinere, nec quemquam etiam vigore cuiuscumque indulti a nobis et Sede praedictâ concessi desuper quidquam praetendere aut se intromittere posse; praesentes autem litteras et in eis contenta quaecumque, etiam ex eo quod rector, magistri, doctores aliique graduati et scholares ac conservatores privilegiorum universitatis praedictae, et praesertim decanus seu vicedecanus facultatis artium huiusmodi,

Et vacationes durante suspensione ad sanctam Sedem pertinere decernit.

ac receptor et procuratores quatuor nationum eiusdem facultatis, et alii quilibet quacumque ecclesiasticâ vel mundanâ dignitate vel potestate praediti et fungentes, cuiusvis status, gradus, ordinis, praeeminentiae, conditionis et qualitatis existant, aut aliàs specificâ et individuâ mentione et expressione digni, in praemissis seu eorum aliquo ius vel interesse habentes seu habere quomodolibet praetendentes, illis non consenserint, nec ad ea vòcati, citati et auditi, neque causae, propter quas praesentes emanarint, sufficienter deductae, verificatae et iustificatae fuerint, aut ex aliâ quacumque quantumvis legitimâ et iuridicâ ac piâ et privilegiatâ causâ, colore, praetextu et capite, etiam in corpore iuris clauso, etiam enormis, enormissimae et totalis laesionis, nullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrae aut interesse habentium seu habere praetendentium consensus, aliove quolibet etiam quantumvis magno, formali, substantiali ac incogitato et inexcogitabili defectu notari, impugnari, infringi, retractari, limitari, ad viam seu terminos iuris aut privilegiorum dictae universitati eiusque facultati artium quomodolibet concessorum reduci, aut in controversiam vocari, seu adversus ipsas praesentes litteras aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque iuris, facti vel gratiae remedium impetrari seu intentari, aut impetrato vel etiam motu, scientiâ et potestatis plenitudine paribus concessò vel emanato quempiam in iudicio vel extra illud uti seu se iuvare ullo modo posse, sed easdem praesentes litteras firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab illis, ad quos quovis modo spectat et spectabit in futurum, in omnibus et per omnia inviolabiliter et inconcusse observari, sicque et non aliter in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, dictaeque universitatis privilegiorum conservatores, ac S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos et Apostolicae Sedis praedictae nuncios et internuncios, aliosque quoslibet quacumque praeeminentiâ et potestate fungentes et functuros, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, in quacumque causâ et instantiâ iudicari et definiri debere, ac irritum et inane quidquid secus super his, quacumque auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Clausulae praesertivae.

Clausula *sublatâ*.

§ 4. Quocirca venerabili fratri Augustino archiepiscopo Trapezuntino, et pro tempore existenti nostro et Sedis ad tractum Rheni et partes inferiores Germaniae nuncio, per praesentes motu pari committimus et mandamus, quatenus ipse, tamquam ad haec specialiter delegatus cum facultate subdelegandi, per se, vel alium, seu alios, ubi et quando opus fuerit, et quotiescumque pro parte interesse in praemissis habentium, seu alicuius eorum, desuper fuerit requisitus, easdem praesentes litteras et in eis contenta quaecumque solemniter publicans, illisque efficacis defensionis praesidio assistens, faciat auctoritate nostrâ ipsas praesentes litteras et in eis contenta huiusmodi per rectorem, magistros, doctores, aliosque graduatos, scholares, decanum et vicedecanum facultatis artium, receptorem et procuratorem nationum universitatis praedictae, aliosve quoslibet, in omnibus et per omnia inviolabiliter et illibate observari, non permittens quemquam contra ipsarum litterarum dispositionem quomodolibet indebite molestari, perturbari vel inquietari, contra-

Exequutores deputat.

dictores quoslibet et rebelles per sententias, censuras et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris[1] et facti remedia, appellatione postpositâ, compescendo, legitimisque super his habendis servatis processibus, censuras ipsas aggravando et reaggravando, interdictum ecclesiasticum apponendo, invocato etiam, quatenus opus fuerit, auxilio brachii secularis.

Derogat contrariis.

§ 5. Non obstantibus piae memoriae Bonifacii Papae VIII praedecessoris pariter nostri de unâ, et in concilio generali editâ de duabus dietis, ac de iure quaesito non tollendo, aliisque nostris et cancellariae apostolicae regulis, ceterisque apostolicis, ac in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis, generalibus[2], constitutionibus et ordinationibus, necnon, quatenus opus sit, universitatis Lovaniensis et facultatis artium huiusmodi, aliisve quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, et quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, etiam immemorabilibus, ac Romanae curiae aliisve quibuslibet stylis et usibus, etiam quantumvis antiquis et inveteratis, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis universitati Lovaniensi eiusque facultati artium huiusmodi, ac earum respective rectoribus, magistris, doctoribus, graduatis, scholaribus, decanis, vicedecanis, receptoribus, procuratoribus nationum, facultatibus, conservatoribus privilegiorum, ac suppositis et personis quibuslibet, aliisve quibusvis quomodolibet nuncupatis et qualificatis, per memoratos Martinum V, Eugenium IV, Paulum II, Sixtum IV, Alexandrum VI, Leonem X, Adrianum VI, Clementem VII, Paulum III, Pium IV, Gregorium XIII et Paulum V, aliosque forsan Romanos Pontifices praedecessores nostros, et Sedem praedictam, etiam motu, scientiâ et potestatis plenitudine paribus, seu etiam ad imperatorum, regum, reginarum, archiducum, ducum et aliorum principum, necnon S. R. E. cardinalium, archiepiscoporum, episcoporum, aliorumque quorumlibet quavis ecclesiasticâ vel mundanâ dignitate, praecellentiâ et potestate fulgentium instantiam, seu eorum intercessione vel contemplatione, sub quibusvis verborum formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, mentis attestativis, restitutivis, posteriorem datam eligendi facultatem, quam nemini contra praesentes litteras suffragari volumus, continentibus, aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis et decretis, etiam irritantibus, in genere vel in specie, seu aliàs quomodolibet in contrarium praemissorum concessis, ac etiam pluries et quantiscumque vicibus confirmatis, approbatis, iteratis et innovatis (etiamsi in eisdem litteris inter alia caveatur expresse quod illis per quascumque apostolicas etiam in formâ Brevis et sub nomine camerae apostolicae pro tempore expeditas, seu dictae Sedis eiusque legatorum aut nunciorum litteras[1], etiam quaslibet generales vel speciales, etiam derogatoriarum derogatorias, aliasque efficaciores et insolitas clausulas, necnon irritantia et alia decreta in se continentes, et sub quibusvis verborum formis et expressionibus conceptas, derogari nullatenus possit, nec derogatum censeatur, nisi earumdem litterarum tenor de verbo ad verbum nihil penitus omisso insertus, ac urgens et sufficiens causa expressa, et per trinas distinctas litteras illarum tenorem continentes tribus distinctis vicibus cum trium mensium intervallo praedictae universitati legitime intimata et insinuata,

1 Vocem *iuris* nos addimus (R. T.).

2 Deest *vel specialibus* (R. T.).

1 Male ed. Main. legit *litteris* (R. T.).

ac derogationes ipsae motu et scientiâ similibus factae fuerint, appareatque Romanum Pontificem illis expresse derogare voluisse, et aliter pro tempore factas derogationes nullius roboris vel momenti sint, et nemini suffragentur, ac pro infectis et non concessis haberi debeant, quodque rector, doctores, magistri, scholares, ceterique legentes dictae universitatis, seu aliae illius personae quaecumque, vigore quarumcumque litterarum a Sede praedictâ seu illius legatis, delegatis et subdelegatis, aut aliàs quomodolibet emanatarum et concessarum, in quibusvis eorum causis civilibus, criminalibus et mixtis extra muros dicti oppidi Lovaniensis in primâ instantiâ trahi, citari vel conveniri aut aliàs ad iudicium evocari non possint, dummodo coram aliquo ex conservatoribus praedictis in dicto oppido parati sint quibuscumque poscentibus de instantiâ respondere, sed ipsi rector, doctores, magistri et scholares adversarios suos, dummodo Sedis praedictae officiales, aut in Romanâ curiâ praesentes non sint, coram aliquo ex iisdem conservatoribus trahere, convenire et ad iudicium evocari facere in primâ instantiâ, ut praefertur, libere et licite valeant); quibus omnibus et singulis, etiamsi in eis alia quaecumque etiam de necessitate specifice exprimenda contineantur, et pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus, specialis, specifica et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut quaecumque alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium et singulorum tenores, formas, occasiones et causas, etiam quantumvis praegnantes, pias et privilegiatas, praesentibus pro plene et sufficienter ac de verbo ad verbum nihil penitus omisso insertis et expressis ac exactissime adductis et accuratissime servatis et specificatis respective habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, motu, scientiâ et potestatis plenitudine paribus, derogamus, nosque ex urgenti et sufficienti causâ derogare et derogatum velle declaramus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides transumptorum.

§ 6. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra illud ubique habeatur, quae haberetur ipsis praesentibus, si originaliter exhibitae forent et ostensae; utque ipsae praesentes litterae, seu earum transumpta, sive exempla huiusmodi, ad valvas cathedralis Leodiensis, ac Tongrensis et S. Trudonis oppidorum Leodiensis dioecesis collegiatarum ecclesiarum publicentur et affigantur, sicque publicatae et affixae rectorem, magistros, doctores, scholares, decanum, vicedecanum, conservatores et alios praefatos, ceterosque quos quomodolibet concernunt, perinde afficiant et arctent, ac si illorum cuilibet personaliter notificatae et intimatae fuissent.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XIII septembris MDCLXIX, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 13 septembris 1669, pontif. anno III.

CXVIII.

Diversae facultates et ordinationes circa exercitium muneris ac dependentiam missionariorum regularium cuiusvis Ordinis, etiam Societatis Iesu, a vicariis apostolicis apud Sinas[1].

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

Clemens Papa IX,
ad futuram rei memoriam.

Exordium. Speculatores domus Israel, quae est sancta Dei Ecclesia[1], in terris a Domino constituti, ad illa praecipuae charitatis atque vigilantiae nostrae pastoralis studia convertimus, quae christianae religionis catholicaeque fidei propagationem concernunt, ut illis certam atque prudentem ex solitâ huius sanctae Sedis prudentiâ et rectitudine normam tradamus, et, sublatis dubiis atque controversiis quae inter operarios in vineam Domini missos in eâque sedulo laborantes enasci illorumque labores et laborum fructuum turbare vel impedire possent, omnia pie sancteque (quantum Dominus donare dignatur) disponere satagamus, quo optati surgant benedicente Domino fructus, ac ad maturitatem perducantur, sanctaque Mater Ecclesia uberioribus atque laetioribus in dies gaudeat incrementis.

Expositio. § 1. Cum itaque, sicut venerabilis frater Franciscus episcopus Eliopolitanus, vicarius apostolicus in regno Tunchini cum administratione provinciarum Sinae huic regno adiacentium, videlicet Ianuam, Queicken, Hauquang, Sucenen, Quengsii et Laos, a felicis recordationis Alexandro Papa VII pradecessore nostro constitutus ac deputatus, tam suo quam venerabilis pariter fratris Petri episcopi Beryten, vicarii apostolici Cochinchinae cum administratione infrascriptarum provinciarum Sinae, videlicet Cechiang, Forchien, Quantimg, Chiemsii, insulae Haynaum, et aliarum insularum, atque etiam episcopi Metellopolitani consecrati aut mox consecrandi, vicarii apostolici Nanchini Sinarum cum administratione provinciarum Pechuin, Kiansii, Kantingz, Honan, Kensii, Coreae et Tartariae ab ab eodem Alexandro praedecessore pariter constitutorum, cum extensione administrationis dicti episcopi Metellopolitani ad civitatem Juthiae totumque Siami regnum a nobis nuper factâ, nominibus nobis exponi fecit, in dictis regnis et provinciis reperiantur diversorum Ordinum religiosi, tam a suis respective superioribus generalibus, quam a congregatione venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositorum destinati, qui missionibus ibidem sub directione suorum respective praepositorum aut praefectorum operam navant; eorumque nonnulli, ut necessarios operarios multiplicarent, aliquos ex ferventioribus neophytis catechistas effecerint, illaque sibi suaeque directioni quibusdam votis adstrinxerint; praedicti vero episcopi vicarii apostolici humiliter a nobis postulaverint ut auctoritate nobis a Domino traditâ decernere atque declarare dignaremur:

1° An aliqua sit inter vicarios apostolicos et regulares praedictos subordinatio, et in quibus hi ab illis dependere debeant:

2° An catechistae per vota regularibus facta eximantur a iurisdictione eorumdem vicariorum apostolicorum:

Pontifex decernit prout in rubricâ. § 2. Nos, attendentes eo potissimum fine in Sinam, Tunchinum, Cochinchinam, Siamum et alia vicina regna missos ibique constitutos esse episcopos vicarios apostolicos, ut ex christianis indigenis seu incolis illarum partium instituerentur clerici et sacerdotes, ac, crescente fide fideliumque numero, disciplinae ecclesiasticae usus paulatim introduceretur, considerantesque ex independentiâ plurimorum operariorum in iisdem locis, praecipue cum ab hac sanctâ Sede valde sint remota, oriri facile posse dissensiones, rixas, divi-

1 Edit. Main. legit *Ecclesiae* (R. T.).

siones, et schismata in christianae religionis detrimentum atque perniciem eruptura, nisi illis mature occurratur, de memoratorum cardinalium consilio, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, decernimus, statuimus et ordinamus quod praedicti episcopi vicarii apostolici ab omnibus et singulis religiosis cuiuslibet Ordinis, congregationis et instituti, etiam Societatis Iesu, in praedicta regna et provincias sive a suis successoribus missi sint sive a nobis aut congregatione eorumdem cardinalium specialiter deputati, exigere possint et debeant ut suas patentes seu alias quascumque eorum missionis, destinationis, constitutionis et deputationis litteras exhibeant, iisque qui illas exhibere recusaverint, tamquam Sedis Apostolicae delegati, prohibere ne facultates sibi per litteras huiusmodi concessas exerceant; ipsique regulares licentiam exercendi suas facultates petere teneantur ab iisdem episcopis vicariis apostolicis, quam isti denegare non debeant nisi in casu gravis causae dictae congregationi cardinalium communicandae. Porro dicti regulares, in defectu sacerdotum secularium, non solum titulo charitatis, sed etiam iustitiae, curam animarum teneantur exercere, et, quatenus id facere recusent, a vicariis apostolicis ad tale munus obeundum cogi possint. Quotiescumque vero regulares sub titulo missionariorum curam animarum exercebunt, subditi sint quoad functiones parochiales visitationi et correctioni vicariorum apostolicorum, aut provicariorum eorumdem, iuxta constitutionem recolendae memoriae Gregorii Papae XV praedecessoris pariter nostri, quae incipit *Inscrutabili Dei providentia*, etc., anno Incarnationis Dominicae MDCXXII, nonis februarii editam, nec sine licentiâ eorumdem vicariorum apostolicorum, et multo minus contra eorum voluntatem, liceat regularibus aedificare et aperire ecclesias in locis ubi ipsi vel alii missionarii alterius Ordinis seu presbyteri seculares similiter missionarii ecclesias habent, ubi vero apertae non sint, possint ad formam privilegiorum et facultatum ipsis concessarum.

Quae sint missionariorum facultates et vicariorum apostolicorum.

§ 3. Cum autem, prae multitudine neophytorum in unâ provinciâ aut civitate, vel provinciarum [1] amplitudine, unus aut alter qui eis praesunt missionarii non sufficiunt, aliique suppetunt sacerdotes seculares aut religiosi, licet alterius Ordinis, quorum tamen subsidium nec illi quaerunt, nec oblatum recipiunt; tunc, habito dumtaxat respectu ad christianorum necessitatem, possint et debeant vicarii apostolici praedicti operarios multiplicare, parochias dividere, aliaque eiusmodi facere iuxta praescripta a sacris canonibus et Concilii Tridentini decretis. Possint quoque iidem vicarii apostolici exigere a regularibus rationem executionis piarum voluntatum quatenus ad illas exequendas illi deputentur. Praeterea iuxta constitutionem recolendae memoriae Urbani Papae VIII praedecessoris pariter nostri, quae incipit *Ex debito pastoralis officii*, etc., si forte aliquae controversiae inter religiosos dictarum partium (quod Deus avertat) oriantur, memorati vicarii apostolici, tamquam Sedis Apostolicae delegati, illas decidere et terminare possint et debeant. Si vero graviora quaedam negocia occurrerint, ea ad nos et Romanos Pontifices successores nostros quantocitius ab iisdem vicariis apostolicis referantur, ut quod in illis statuendum fuerit, maturâ consultatione adhibitâ, decernatur.

1 Male ed. Main. legit *provincia earum* pro *provinciarum* (R. T.).

Vota catechistarum non valeat contra potestatem vicariorum apostolicorum.

§ 4. Ad haec quoad vota catechistarum statuimus pariter et ordinamus votum obedientiae quo nonnulli regulares eos obstringunt eisdem non impedire sui officii exercitium sub directione dictorum vicariorum apostolicorum eorumque provicariorum, nec istud impediri posse a regularibus tamquam eis vigore dicti voti catechistae omnimode subditi sint; quinimo votum huiusmodi in hac circumstantiâ nullum esse declaramus. Volentes ab iisdem vicariis apostolicis posse dictos catechistas compelli ut sub eorum directione et dependentiâ sua munia exerceant. Et quatenus regulares de facto adstringerent catechistas ad similia vota et alias obligationes, quibus a vicariis apostolicis independentes remanerent, posse eosdem vicarios apostolicos publicâ significatione manifestare regularibus, atque his intimare, ut abstineant ab usu, seu verius abusu, catechistas voto obedientiae erga se ipsos privative quoad vicarios a Sede Apostolicâ deputatos obstringendi.

Aliae vicariorum apostolicorum facultates.

§ 5. Insuper volumus ut ad vicarios apostolicos intra fines suorum vicariatuum praecipue spectet, maxime in concursu visitationis, ea inspicere quae spectant ad fidem, bonos mores et administrationem sacramentorum baptismi, matrimonii et aliorum ad cultum divinum, ad preces publicas, ad imaginum reliquiarumque cultum; competat quoque dictis vicariis apostolicis facultas super novis miraculis et martyribus processum instituendi, et ad memoratam cardinalium congregationem transmittendi, necnon circa observationem festorum rituumque ecclesiasticorum statuendi quaecumque opportuniora videbuntur, secundum decreta Romanorum Pontificum locorumque circumstantias. Ac ad eosdem vicarios apostolicos etiam spectet verificare et publicare quascumque litteras apostolicas, constitutiones et rescripta Romanorum Pontificum, quae locorum Ordinariis dirigi solent, iubilaea quoque, indulgentias, sacrarumque congregationum ordinationes. Porro unicuique memoratorum episcoporum vicariorum apostolicorum sex notarios apostolicos creandi et instituendi facultatem, dictâ auctoritate, harum serie, tribuimus et impertimur. Ceterum has omnes facultates dictis vicariis apostolicis ita elargimur et concedimus, ut extra eorum limites excurrere ipsis nullo modo liceat, quod quidem omnino vetamus et prohibemus: salvâ semper in praemissis auctoritate praefatae congregationis cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositorum.

Poenae contra inobedientes.

§ 6. Mandantes propterea, in virtute sanctae obedientiae ac sub indignationis nostrae aliisque nostro seu dictae cardinalium congregationis arbitrio imponendis poenis, omnibus et singulis regularibus praedictis, aliisve quibuslibet ad quos spectat et pro tempore quovis modo spectabit, ut omnia et singula praemissa exacte, inviolabiliter et inconcusse observent et adimpleant;

Decretum irritans.

§ 7. Ac decernentes easdem praesentes litteras firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros, effectus sortiri et obtinere, ac memoratis vicariis apostolicis in omnibus et per omnia plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariis derogat.

§ 8. Non obstantibus apostolicis, ac in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis, generalibus

vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, necnon, quatenus opus sit, quorumvis Ordinum, congregationum, societatum, etiam Iesu, et institutorum, ac ecclesiarum, monasteriorum, provinciarum, conventuum, domorum, collegiorum et locorum regularium quorumcumque, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, quibusvis Ordinibus, congregationibus, societatibus, etiam Iesu, et institutis, ac ecclesiis, monasteriis, provinciis, conventibus, domibus, collegiis et locis regularibus, illorumque superioribus et personis quibuscumque, sub quibusvis verborum tenoribus et formis, ac cum quibuscumque etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis et decretis, in genere vel in specie, etiam motu proprio, et de apostolicae potestatis plenitudine, ac consistorialiter, et aliàs quomodolibet, in contrarium praemissorum concessis, confirmatis et pluries innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialibus, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, et formâ in illis traditâ observatâ, exprimerentur et insererentur, praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxal, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides. § 9. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique locorum tam in iudicio quam extra illud habeatur, quae ipsis praesentibus haberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XIII septembris MDCLXIX, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 13 septembris 1669, pontif. anno III.

CXIX.

Confirmatio et extensio decretorum Alexandri VII et cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositorum de nonnullis abusibus ecclesiasticorum in Indiis Orientalibus degentium tollendis.

Clemens Papa IX,
ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium. In excelsâ Sedis Apostolicae speculâ, meritis licet imparibus, per ineffabilem divinae sapientiae atque bonitatis abundantiam constituti, vigilantiae nostrae oculos per universas christiani orbis partes iugiter circumferimus, et sollicitis studiis providere satagimus ut divinus cultus ubique floreat, populorum devotio excitetur et foveatur, ac omnium christifidelium, praesertim in remotissimis partibus degentium, quieti et animarum saluti opportune consulatur. Hoc consilio ea, quae pro salubri illorum directione a Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris, eorumque iussu, pie prudenterque decreta atque constituta fuisse comperimus, ut firmius subsistant et serventur exactius, apostolici muniminis nostri patrocinio corroboramus,

ac opportune extendimus, sicut ad omnipotentis Dei gloriam, Ecclesiae honorem, spiritualemque eorumdem christifidelium aedificationem et consolationem salubriter expedire in Domino arbitramur.

Decreta Alexandri VII referuntur.

§ 1. Dudum siquidem emanarunt a felicis recordationis Alexandro Papa VII praedecessore nostro litterae in simili formâ Brevis tenoris qui sequitur, videlicet:

Alexander Papa VII, ad futuram rei memoriam. Sacrosancti apostolatus officii, quo divinâ disponente clementiâ catholicae Ecclesiae regimini, meritis licet imparibus, praesidemus, sollicitudo nos monet, ut noxia quaecumque a dominico grege, quantum nobis ex alto conceditur, removere studeamus. Cum itaque ad aures nostras devenerint querimoniae christifidelium Goae, atque in adiacentibus insulis degentium, de nonnullis abusibus ecclesiasticorum, eorum praecipue penes quos ipsorum christifidelium spirituale regimen ac cura residet: nos, praedictis abusibus, quatenus irrepserint, quantocitius occurri, aut saltem praecaveri ne illi in posterum contingant, volentes, de nonnullorum venerabilium fratrum nostrorum sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium ex congregatione negotio Propagandae Fidei praepositâ, quibus querimonias huiusmodi discutiendas remisimus, consilio, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, statuimus, praecipimus et mandamus, sedulo, inviolabiliter et exacte servari ab omnibus et singulis, ad quos spectat et in posterum spectabit, decreta infrascripta, videlicet:

I. Caveant parochi, aut ecclesiastici quicumque, sive seculares sive regulares, ne in posterum ullo pacto cogant pauperes ad operas seu laborem impendendum pro suis ecclesiis, non persolutâ iustâ mercede, nisi id sponte et ex pietate praestare voluerint: multoque minus audeant eos mulctare, qui renuerint.

II. Cum iis, qui sacro, etc. *(omittitur residuum Constitut.* CLXXXVI (al. 185) *Alexandri VII, sub datum* XVIII *ianuarii* MDCLVIII, *quae est in tom.* XVI, *pagina* 326).

Decreta sacrae congregationis de Propagandâ Fide.

§ 2. Et subinde congregatio tunc existentium S. R. E. cardinalium, negotiis Propagandae Fidei praeposita, alia nonnulla decreta die XXII iulii MDCLVIII edidit tenoris sequentis, videlicet:

« Ad melius et facilius occurrendum necessitatibus spiritualibus christifidelium in Indiis Orientalibus degentium sacra congregatio de Propaganda Fide decrevit:

I. Ut parochi non naturales illarum partium, sive regulares sive seculares sint, teneantur omnino habere apud se cappellanum natalibus et origine Indum pro confessionibus audiendis et diebus festis hortationibus ad populum linguâ vernaculâ habendis, ne, tali auxilio destituti, in eâ qua initiati sunt orthodoxâ fide langueant ac paulatim deficiant, iisque pro sustentatione et labore, ubi populus ipse id sponte non praestiterit, congruum suppeditent stipendium.

II. Praecepit iisdem parochis [1], ceterisque quarumcumque ecclesiarum superioribus, ut nedum sacerdotes indigenas in eorum ecclesiis celebrare volentes non arceant, verum etiam perurbaniter excipiant, quo frequentius illuc redeant ad omnipotenti Deo immolandum, sentiantque christianam charitatem omnes aequis officiis amplexari.

III. Ut vero fides adhuc in iis regionibus pubescens litterarum alimento coalescat, et pueri reddantur idonei ad res ecclesiasticas percipiendas, iisdem pa-

1 Edit. Main. legit *parochiis* (R. T.).

rochis et maxime pagorum et villarum iniungit, ut eos vel per se vel per cappellanos naturales, si tales ipsi non sunt, ultra fidei christianae rudimenta, grammatices etiam institutionem, ceterasque artes liberales, quoad fieri poterit, edoceant.

IV. Decrevit, quoniam, ut auditum est, in processionibus solemnibus, etiam SS. Corporis Christi, ex gentilium moribus ritus aliqui sive actus irrepserunt, qui, licet honoris et maioris cultus gratiâ exhibeantur, maiestatem nihilominus christianae religionis non minimum dedecent, sacra congregatio vetuit ne imposterum permittantur, et arceatur omnino quidquid ludicri aut minus gravis speciem aliquam habuerit: nullo modo autem liceat ecclesiasticis et praecipue regularibus, praetextu dignitatis, gradus aut officii, umbellam in iis gestare: sed, quo maiori praefulgent dignitate, eo demissius divinae maiestati obsequium praestare, aliosque christianos humilitatis exemplo praeire nitantur.

Datum Romae die XXII iulii MDCLVIII ».

Praedicta Pontifex confirmat.

§ 3. Nunc autem nos, spiritualibus christifidelium non solum Goae et in insulis adiacentibus sed etiam in universis Indiarum Orientalium regnis, provinciis et regionibus degentium necessitatibus prosperisque in viâ Domini progressibus pastorali sollicitudine atque charitate salubriter consulere cupientes, de venerabilium fratrum nostrorum eiusdem S. R. E. cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositorum consilio, litteras Alexandri praedecessoris, et subinde emanata decreta praeinserta, omniaque et singula in eis respective contenta et expressa, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, perpetuo approbamus, confirmamus et innovamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac illa omnia et singula ad omnia Indiarum Orientalium regna, provincias et regiones extendimus et ampliamus, ibique locum habere decernimus, ac per quascumque personas etiam regulares, cuiusvis Ordinis, congregationis et instituti, tam Mendicantium quam non Mendicantium, etiam Societatis Iesu, Goae et in insulis adiacentibus ac in universis Indiarum Orientalium regnis, provinciis et regionibus huiusmodi nunc et pro tempore degentes, cuiuscumque status, gradus, conditionis, qualitatis et praeeminentiae existant, ad unguem inviolabiliter et exacte observari, eâdem auctoritate, harum serie, itidem perpetuo praecipimus, volumus et mandamus.

Decretum irritans.

§ 4. Decernentes pariter ita in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si quid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 5. Non obstantibus omnibus et singulis illis quae memoratus Alexander praedecessor in suis litteris praeinsertis voluit non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides.

§ 6. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra illud ubique adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XIII septembris MDCLXIX, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 13 septembris 1669, pontif. anno III.

CXX.

Extensio declarationis, ab Alexandro VII circa altaria privilegiata perpetua editae, ad altaria eiusmodi privilegio temporaneo, nec omnibus hebdomadae diebus, decorata.

Clemens Papa IX,
ad perpetuam rei memoriam,

Exordium. Cum felicis recordationis Alexander Papa VII praedecessor noster dubia in diversis mundi partibus occasione decreti congregationis tunc existentium S. R. E. cardinalium sacris ritibus praepositorum die v augusti MDCLXII emanati, et ab ipso Alexandro praedecessore approbati, de non celebrandis missis defunctorum in festis ritus duplicis, exorta dirimere cupiens, aliud eiusdem congregationis decretum in unâ Novariensi, die XXII novembris MDCLXIV editum, approbaverit, quo declaratum fuerat anniversaria et missas defunctorum cantu ex dispositione testatorum quotannis recurrente ipsorum obitus die celebrandas, tametsi dies obitus huiusmodi in festum ritus duplici maioris incideret, non comprehendi in primodicto decreto;

Declaratio Alexandri VII. § 1. Ac ulterius quoad altaria privilegio apostolico pro animabus fidelium defunctorum in perpetuum decorata, et in quibus proinde quotidie etiam in festis ritus duplicis celebrandae essent missae defunctorum ex obligatione, declaraverit per celebrationem missarum de festo currenti satisfieri iniunctis obligationibus, et indulgentias per eiusmodi privilegia apostolica concessas animabus fidelium defunctorum in Purgatorio existentibus suffragari perinde ac si celebratae fuissent missae defunctorum ad formam dictorum privilegiorum, et aliàs, prout in eiusdem Alexandri praedecessoris litteris desuper in simili formâ Brevis die XXII ianuarii MDCLXVII expeditis, quarum tenorem praesentibus pro plene et sufficienter expresso et inserto haberi volumus, uberius continetur;

Dubium. § 2. Cumque (sicut ad aures nostras pervenit) etiam dubitetur utrum dictarum litterarum dispositio quoad altaria pariter quidem privilegiata, sed non in perpetuum, nec pro omnibus hebdomadae diebus, et ad quae missae non ex obligatione sed ex solâ fidelium devotione celebrantur, locum habeat:

Extensio, de qua in rubricâ. § 3. Hinc est quod nos, dubitationes huiusmodi ex iniunctae nobis caelitus pastoralis sollicitudinis munere dirimere pariter atque decidere cupientes, de venerabilium fratrum nostrorum eiusdem S. R. E. cardinalium sacris ritibus praepositorum, qui rem mature perpenderunt, consilio, declarationem a memorato Alexandro praedecessore sicut praemittitur editam ad altaria ut praefertur non in perpetuum, sed ad septennium, seu aliud brevius vel longius tempus, ac non omnibus, sed aliquo vel aliquibus tantum hebdomadae diebus, nunc et in futurum quandocumque privilegiata, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, extendimus. Et proinde, ut missae, quae ibidem de festo currenti, in quo missae defunctorum celebrari non possint, sive ex obligatione, sive ex solâ fidelium devotione celebrabuntur, suffragentur ita ut animae christifidelium, pro quibus celebratae fuerint, indulgentias per privilegia huiusmodi concessas consequantur in omnibus et per omnia perinde ac si missae defunctorum ad formam eorumdem privilegiorum celebratae fuissent, auctoritate et tenore praedictis, concedimus et indulgemus.

Clausulae praeservativae. § 4. Decernentes pariter easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et

obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, in omnibus et per omnia plenissimè suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari,

Clausula sublatâ. § 5. Sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum. § 6. Non obstantibus, quatenus opus sit, nostrâ et cancellariae apostolicae regulâ de non concedendis indulgentiis ad instar, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis fides danda. § 7. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra adhibeatur, quae praesentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXIII septembris MDCLXIX, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 23 septembris 1669, pontif. anno III.

CXXI.

Extensio facultatis constituendi duos poenitentiarios in ecclesiâ monasterii S. Antonii Viennensis, totius Ordinis eiusdem S. Antonii abbati generali pro tempore existenti ab Eugenio IV concessae, ad alios duos poenitentiarios, attento quod duo primi non sufficiunt[1].

1 Ex regest. in secret Brev.

Clemens Papa IX,
ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium. Ex iniuncto nobis divinitus apostolicae servitutis officio indulta a Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris ad fovendam fidelium pietatem pie prudenterque concessa libenter ampliamus, sicut eorumdem fidelium animarum saluti spiritualique consolationi profuturum arbitramur.

Concessio Eugenii IV refertur. § 1. Dudum siquidem pro parte tunc existentium abbatis et conventus monasterii S. Antonii, Ordinis S. Augustini, Viennensis dioecesis, felicis recordationis Eugenio Papae IV praedecessori nostro exposito quod ad monasterium praefatum, tam ob[1] ipsius S. Antonii reverentiam, quam pro consequendis indulgentiarum muneribus fidelibus ecclesiam dicti monasterii pro tempore visitantibus per nonnullos anteriores Romanos Pontifices (ut asserebatur) dudum concessis, fere innumerabilis christifidelium utriusque sexus annis singulis confluebat multitudo, et, propter carentiam inibi sacerdotum ad id potestatem habentium, multi ex confluentibus a monasterio ipso absque confessione recedebant, pluresque de conventu praefato, necnon ex infirmis in hospitali dicti monasterii pro tempore existentibus, in eorum faciendis confessionibus non modica interdum incommoda patiebantur: idem Eugenius, praedictis supplicationibus ipsorum abbatis et conventus nomine sibi super hoc humiliter porrectis inclinatus, canonicis pro tempore existentibus praefati monasterii in sacerdotio constitutis, quos ad id abbas pro tempore existens eiusdem monasterii necnon capitulum generale a religiosis monasterii huiusmodi pro tempore canonice celebratum duxissent eligendos, videlicet duobus ex primo

1 Edit. Main. legit *ab* pro *ob* (R. T.).

electis pro tempore supradictis, ita quod illis vel eorum alteri, in casum mortis vel alterius impedimenti legitimi, alius vel alii successive electorum praefatorum ad id succedere posset seu possent, omnium et singulorum fidelium utriusque sexus praefatorum ad dictum monasterium peregrinando pro tempore confluentium, necnon canonicorum monasterii, ac infirmorum hospitalis praefatorum praesentium et futurorum, quoties expedire videretur, confessiones audiendi, necnon eorum cuilibet pro commissis etiam in casibus episcopis a iure reservatis debitam absolutionem impendendi, salutaremque poenitentiam iniungendi, ac Eucharistiae et alia sacramenta ecclesiastica ministrandi, necnon etiam eisdem abbati pro tempore et capitulo electionem huiusmodi annis singulis, seu aliàs, prout eis visum foret, faciendi, plenam et liberam auctoritate apostolicâ concessit facultatem perpetuis futuris temporibus valituram, et aliàs prout in ipsius Eugenii praedicti[1] litteris desuper sub plumbo, anno Incarnationis Dominicae MCDXLIII, pridie kalendas februarii, expeditis, quarum tenorem praesentibus pro plene et sufficienter expresso et inserto haberi volumus, uberius continetur.

Supplicatio. § 2. Cum autem, sicut dilectus filius Ioannes Rasse, dicti monasterii et totius Ordinis eiusdem S. Antonii abbas generalis, nobis nuper exponi fecit, tantus in dies ad ecclesiam supradictam devotionis causâ confluat peregrinantium numerus, ut duo poenitentiarii vigore praefatarum Eugenii praedecessoris litterarum ibidem constitui soliti sacramentalibus illorum confessionibus excipiendis minime sufficiant: nobis propterea idem Ioannes abbas generalis humiliter supplicari fecit ut in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Alios duos poenitentiarios concedit Pontifex. § 4. Nos igitur, ipsius Ioannis abbatis generalis votis hac in re, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, ut, praeter memoratos duos, alii duo poenitentiarii in eâdem ecclesiâ iuxta formam supradictarum Eugenii praedecessoris litterarum, cum facultatibus per easdem litteras concessis, servatâque in reliquis ipsarum litterarum dispositione, eligi, constitui et deputari libere et licite possint et valeant, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, concedimus et indulgemus.

Decretum irritans. § 4. Decernentes ipsas praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, sciênter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariis derogat. § 5. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon omnibus et singulis illis, quae in praefatis Eugenii praedecessoris litteris concessa sunt non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

1 Edit. Main. legit *Praed.* (R. T.).

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXVII septembris MDCLXIX, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 27 septembris 1669, pontif. anno III.

CXXII.

Confirmat decretum sacrae congregationis rebus consistorialibus praepositae editum in causâ dismembrationis a metropolitanâ ecclesiâ Burgensi eius partis dioecesis, quae vulgo dicitur le montagne basse, *ad effectum erigendi novum episcopatum in collegiatâ ecclesiâ oppidi de Santander.*

Clemens Papa IX,
ad futuram rei memoriam.

Decretum sacrae congregationis. § 1. Cum congregatio venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium rebus consistorialibus praeposita in causâ dismembrationis a metropolitanâ ecclesiâ Burgensi eius partis dioecesis, quae vulgo dicitur *le montagne basse*, ad effectum erigendi novum episcopatum in collegiatâ ecclesiâ oppidi de Santander, visis et mature discussis probationibus, tam pro dismembratione quam contra legitime factis, et unâ cum aliis documentis, utràque parte informante, latissime deductis, censuerit non esse locum dismembrationi eiusmodi, prout in ipsius congregationis decreto desuper die XXVII septembris proxime praeteriti emanato continetur;

Petitur confirmatio Pontificis. § 2. Et, sicut venerabilis frater archiepiscopus Burgensis ac dilecti filii capitulum et canonici dictae metropolitanae ecclesiae Burgensis nobis subinde exponi fecerunt, ipsi decretum huiusmodi, quo firmius subsistat, apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri summopere desiderent:

Pontifex confirmat. § 3. Nos, specialem ipsis archiepiscopo ac capitulo et canonicis gratiam facere volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium tantum consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus eius nomine super hoc humiliter porrectis inclinati, decretum supra expressum, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, approbamus et confirmamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, salvâ tamen semper in praemissis auctoritate congregationis praedictae cardinalium.

Decretum irritans. § 4. Decernentes ipsas praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit in futurum, plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si quid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contraria tollit. § 5. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XII decembris MDCLXVII, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 7 octobris 1669, pontif. anno III.

CXXIII.

Reductio decreti circa vacationem generalatus ad formam constitutionum pro Ordine fratrum Cappuccinorum.

Clemens Papa IX,
ad perpetuam rei memoriam.

Recensetur decretum capituli generalis.

§ 1. Cum (sicut accepimus) officium generalatus Ordinis fratrum Minorum sancti Francisci Cappuccinorum nuncupatorum de praesenti vacet, per quoddam vero decretum in ultimo capitulo generali dicti Ordinis factum, et a nobis per quasdam nostras in simili formâ Brevis die IX septembris MDCLXVII expeditas litteras confirmatum, disponatur in haec verba: « Cum non possit pater generalis complere totam religionis visitationem decursu sexennii, expedit differre officium generalatus usque ad septennium, et quod si durante septennio non completâ visitatione decedat, primus definitor sub nomine vicarii generalis perficiat visitationem et maneat in officio usque ad complementum dicti septennii; ipso autem impedito, vel non valente, succedat alius definitor gradatim iuxta constitutiones »; et proinde iuxta hoc decretum electio novi ministri generalis Ordinis praedicti ante Pentecostem anni MDCLXIV fieri non debeat: nos, felici prosperoque eiusdem Ordinis regimini et gubernio, quantum nobis ex alto conceditur, consulere, ac incommoda et detrimenta, quae diuturna generalatus huiusmodi vacatio observantiae et disciplinae regulari atque religiosae quieti adferre posset, excludere cupientes, aliisque convenientibus rationibus adducti, de nonnullorum dilectorum filiorum Romanae curiae praelatorum super hoc negotio a nobis specialiter deputatorum consilio, decretum supra expressum, quantum ad prosequutionem visitationis a primo aliisque definitoribus dicti Ordinis gradatim ut praefertur faciendam, ac continuationem vacationis generalatus usque ad complementum septennii attinet, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, moderamur et reducimus ad formam et tenorem constitutionum eiusdem Ordinis, quibus disponitur ut, eveniente morte ministri generalis antequam tempus suum compleverit, minister provincialis illius provinciae, ubi decesserit, id confestim significare debeat procuratori generali dicti Ordinis in hac almâ Urbe residenti, qui capitulum generale pro electione futuri ministri generalis illico convocare teneatur; atque ita semper in futurum servari volumus; et propterea praecipimus dilecto filio moderno procuratori generali Ordinis praefati ut capitulum generale Ordinis huiusmodi in tempore et termino per constitutiones praefatas praescriptis pro electione novi ministri generalis eiusdem Ordinis celebrandum quamprimum convocet[1], ac illis, ad quos spectat, intimet, seu intimari curet et faciat; supradictis nostris litteris quoad cetera in suo vigore remanentibus.

Moderatur decretum praeinsertum ut in rubricâ.

§ 2. Decernentes easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Decretum irritans.

§ 3. Non obstantibus decreto et litteris nostris praefatis, aliisque ordinationibus et constitutionibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

§ 4. Volumus autem ut ipsarum praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius

Fides transumptorum.

1 Edit. Main. legit *convocaret* (R. T.).

notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides tam in iudicio quam extra habeatur, quae ipsis praesentibus haberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXI octobris MDCLXIX, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 21 octobris 1669, pontif. anno III.

CXXXIV.

Congregatio clericorum pauperum Matris Dei Scholarum Piarum restituitur ad statum regularium ac fruitionem privilegiorum Mendicantibus concessorum [1].

Clemens Papa IX,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium. § 1. Ex iniuncto nobis divinitus apostolicae servitutis munere congregationes virorum in Ecclesiâ Dei pie prudenterque institutas, eas praesertim quae pueris non solum litterarum rudimentis, sed etiam pietate moribusque christianis mature imbuendis laudabiliter incumbunt, peculiari favore prosequimur, illarumque felici statui et prosperis progressibus, quantum nobis ex alto conceditur, consulere studemus, sicut, omnibus maturâ consideratione perpensis, ad omnipotentis Dei gloriam ac religionis bonorumque operum incrementum arbitramur in Domino salubriter expedire.

Congregatio Pauperum Matris Dei in religionem trium votorum solemnium cum eisdem privilegiis approbata fuit a Gregorio XV.

§ 2. Dudum siquidem, cum pro parte tunc existentis praefecti generalis Congregationis clericorum pauperum Matris Dei Scholarum Piarum prius auctoritate apostolicâ erectae felicis recordationis Gregorii Papae XV praedecessori nostro expositum fuisset, quod clerici eiusdem Congregationis, quia[1] tria simplicia paupertatis scilicet, castitatis et obedientiae vota emittebant, perfectionis vitae studio ducti, simplicia vota huiusmodi solemnia declarari cupiebant; et tunc existentes S. R. E. cardinales negotiis episcoporum et regularium praepositi, quibus dictus Gregorius praedessor negotium huiusmodi mature examinandum sibique referendum commiserat, praedictam Congregationem in religionem trium votorum solemnium approbari posse censuissent, prout in decreto desuper facto dicebatur contineri: idem Gregorius praedecessor decretum praedictum apostolicâ auctoritate confirmavit et approbavit. Et subinde ipse Gregorius praedecessor Congregationi praedictae, illiusque ministro et clericis, aliisque personis, ut omnibus et singulis privilegiis, immunitatibus, libertatibus, facultatibus, exemptionibus, aliisque gratiis et indultis, tam spiritualibus quam temporalibus, Ordinibus Mendicantium, illorumque superioribus, professoribus, necnon ecclesiis, monasteriis et regularibus locis, etiam per viam communicationis vel extensionis, aut aliàs quomodolibet per quoscumque Romanos Pontifices praedecessores dicti Gregorii praedecessoris ipsumque Gregorium praedecessorem quomodolibet concessis, et quibus ipsi, necnon ecclesiae, monasteria et regularia loca huiusmodi de iure, usu et consuetudine, privilegio aut concessione apostolicâ, in genere vel in specie, ac tam coniunctim quam divisim, seu aliàs quomodolibet utebantur, fruebantur et gaudebant, ac uti, frui et gaudere poterant et possent quomodolibet in futurum, dummodo tamen essent in usu, et non essent revocata, aut sub aliquibus revocationibus comprehensa, nec sacris canonibus et Concilii Tridentini decretis ac constitutionibus apostolicis

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

1 Forsan *qui* pro *quia* legendum (R. T.).

repugnarent, pari modo, non solum ad eorum instar, sed pariformiter et aeque principaliter, perinde ac si nominatim et in specie illis concessa fuissent, uti, frui et gaudere libere et licite valerent, dictâ auctoritate, perpetuo concessit et indulsit, dictaque privilegia, immunitates, libertates, facultates, exemptiones, gratias et indulta eis communicavit, illaque ad eos extendit.

Innocentius X et Alexander VII Congregationem a statu regulari ad secularem reduxerunt.

§ 3. Verum postmodum recolendae memoriae Innocentius Papa X, pariter praedecessor noster, Congregationem sive religionem praedictam in congregationem similem instituto Congregationis Oratorii in ecclesiâ S. Mariae in Vallicellâ de Urbe erectae S. Philippi Nerii nuncupatae, absque ullâ votorum emissione regendam, dirigendam et gubernandam, sub certis modo et formâ tunc expressis, redegit et reduxit. Et successive piae memoriae Alexander Papa VII, etiam praedecessor noster, reductionem eorumdem clericorum a statu regulari ad statum secularem sub eâdem denominatione clericorum pauperum Matris Dei Scholarum Piarum approbavit et confirmavit, et, quatenus opus esset, de novo Congregationem huiusmodi ad statum secularem sub denominatione praedictâ reduxit, cum diversis statutis, ordinationibus, indultis, declarationibus et decretis, ac inter alia quod quicumque[1] in eamdem Congregationem secularem tunc et pro tempore quandocumque recepti tria vota simplicia, nempe castitatis, paupertatis et obedientiae, cum iuramento in eâdem Congregatione perpetuo permanendi, suo tempore emittere deberent, ita ut cum ipsis super votis et iuramento huiusmodi nisi per Romanum Pontificem pro tempore existentem dispensari, aut illa commutari vel relaxari respective nullatenus, etiam praetextu vel vigore quarumcumque facultatum, etiam cruciatae sanctae, vel iubilaei universalis possent, sub poenis apostasiae in casum contraventionis.

1 Edit. Main. legit *quodcumque* pro *quod quicumque* (R. T.).

Alexander VII aliqua decrevit pro bono Congregationis.

§ 4. Ac demum idem Alexander praedecessor, controversias in dictâ Congregatione seculari exortas dirimere et bonum ipsius Congregationis promovere cupiens, statuit et decrevit ut praepositus generalis memoratae Congregationis et quatuor assistentes, tam in capitulo generali tunc novissime celebrato electi, quam deinceps in perpetuum eligendi, durare deberent ad sexennium tantum; ipsique assistentes votum haberent decisivum cum eodem praeposito generali in electionibus, deputationibus, ac mutationibus quorumcumque superiorum; item in causis et sententiis criminalibus, necnon in quibuscumque aliis actibus, qui ex constitutionibus vel decretis capitulorum generalium fieri seu expediri deberent a praeposito generali et assistentibus; in reliquis vero iidem assistentes votum haberent consultivum, et praepositus generalis, quo ad eius[1] fieri posset, eorum consilium sequeretur ad praescriptum constitutionum ipsius Congregationis, et unâ omnes cum praeposito generali residerent in domo S. Pantaleonis de Urbe. Praeterea inviolate servari praecepit[2] laudabile dictae Congregationis institutum, praecipue in usu associandi pauperes pueros ad eorum domos, deferendi habitum qualitatis et formae a praedictis constitutionibus praescriptae, incedendi pedibus discalceatis, recipiendi ad scholas pueros aptos ad prima elementa, adhibendi lectulos ad formam dictarum constitutionum, denominandi personas eiusdem

1 Vox *eius* redundare videtur vel *per eum* legendum (R. T.).

2 Edit. Main. legit *praecipit* (R. T.).

Congregationis non ex cognomine gentilitio, sed ex nomine alicuius Sancti, ac demum servandi etiam in itinere paupertatem, quam operarii huius instituti profitentur. In ceteris vero servari iussit antiquas constitutiones Congregationis[1] huiusmodi cum omnibus gratiis, indultis et privilegiis a Sede Apostolicâ eidem concessis, in iis tamen quae aptarentur et congruerent statui Congregationis secularis, et his statutis atque decretis non adversarentur: et aliàs, prout in binis Gregorii die XIV novembris MDCXXI et die XV octobris MDCXXII, ac unis Innocentii die XVI martii MDCXLVI, necnon itidem binis Alexandri praedecessorum praefatorum die XXIV ianuarii MDCLVI et die XXVIII aprilis MDCLX respective expeditis in simili formâ Brevis litteris, quarum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis haberi volumus, uberius continetur.

Supplicatur Pontifex ut Congregationem in primitivo statu regulari rep-nat.

§ 5. Cum autem, sicut dilecti filii praepositus generalis et alii superiores dictae Congregationis secularis clericorum pauperum Matris Dei Scholarum Piarum nobis nuper exponi fecerunt, ipsi eamdem Congregationem, quo maiori perfectione in viâ Domini de cetero ambulare, ac in laudabili suo instituto constantius perseverare valeat, ad statum regularem et titulum religionis cum emissione trium votorum solemnium, quemadmodum a memorato Gregorio praedecessore, ut praefertur, constituta fuerat, necnon ad fruitionem omnium et singulorum privilegiorum, immunitatum, facultatum, exemptionum, aliarumque gratiarum et indultorum Ordinibus mendicantibus concessorum, quae eidem Congregationi a dicto Gregorio praedecessore per posteriores suas litteras praefatas communicata fuerunt, restitui et reintegrari, ac ultimodictarum Alexandri praedecessoris litterarum observantiam circa tempus durationis praepositi generalis in officio, assistentium auctoritatem, usum associandi pauperes pueros ad eorum domus, habitus qualitatem et formam, aliaque omnia per easdem litteras statuta et decreta firmius constabiliri summopere desiderent: nos, prospero felicique eiusdem Congregationis statui et progressui, quantum cum Domino possumus, salubriter providere, dictosque exponentes specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutos fore censentes, supplicationibus eorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. praefatae cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositorum, qui rem mature discusserunt, consilio, eamdem Congregationem secularem clericorum pauperum Matris Dei Scholarum Piarum ad statum regularem et titulum religionis cum emissione trium votorum solemnium, ac ad fruitionem omnium et singulorum privilegiorum, immunitatum, facultatum, exemptionum, aliarumque gratiarum et indultorum Ordinibus mendicantibus quomodolibet concessorum huiusmodi in omnibus et per omnia ad limites supradictarum Gregorii praedecessoris litterarum, et iuxta illarum seriem, dispositionem et tenorem, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, reducimus,

Annuit Pontifex.

[1] Ed. Main. legit *constitutionis* pro *congregationis* (R. T.).

restituimus et reintegramus. Praeterea ultimodictas Alexandri praedecessoris litteras die XXVIII aprilis MDCLX expeditas cum omnibus et singulis in eis contentis inviolabiliter et inconcusse observari, auctoritate et tenore praedictis, praecipimus et mandamus.

Decretum irritans.

§ 6. Decernentes easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariorum derogatio.

§ 7. Non obstantibus praefatis Innocentii et Alexandri praedictorum litteris, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac, quatenus opus sit, dictae Congregationis, aliisve quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis fides danda.

§ 8. Volumus autem ut ipsarum praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique locorum tam in iudicio quam extra illud habeatur, quae ipsis praesentibus haberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXIII octobris MDCLXIX, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 23 octobris 1669, pontif. anno III.

CXXV.

Confirmatio Brevis Pauli V super licentiâ alumnis collegii nationis Scotorum Parisiensis concessa celebrari faciendi in dicto collegio, et suscipiendi ordines sacros ad titulum paupertatis [1].

Clemens Papa IX,
ad futuram rei memoriam.

Recensetur Bulla Pauli V.

§ 1. Dudum emanarunt a felicis recordationis Paulo Papa V praedecessore nostro ad favorem alumnorum collegii nationis Scotorum Parisiensis litterae in simili formâ Brevis tenoris qui sequitur, videlicet:

« *Paulus Papa V, ad futuram rei memoriam.* Dilectos filios alumnos collegii nationis Scotorum Parisiensis specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutos [2] fore censentes supplicationibus dilecti filii nostri Maffaei tituli S. Honuphrii presbyteri cardinalis Barberini nuncupati, regni Scotiae apud

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

2 Cohaerentius lege *absolutas* (R. T.).

nos et Apostolicam Sedem protectoris, super hoc humiliter porrectis inclinati, eiusdem collegii superioribus, ut, arbitrio venerabilis fratris Guidonis archiepiscopi Rhodiensis moderni et pro tempore existentis nostri et Sedis Apostolicae in regno Franciae nuncii, in privato dicti collegii oratorio ad hoc decenter extructo et ornato, seu extruendo et ornando, ab omnibus domesticis usibus libero, per Ordinarium loci prius visitando et approbando, sacrosanctum missae sacrificium in suâ et alumnorum ac aliarum personarum dicti collegii praesentiâ celebrare seu celebrari facere, necnon eisdem alumnis, ut, absque litteris dimissorialibus suorum Ordinariorum, ac etiam sine titulo beneficii ecclesiastici vel patrimonii, sed ad titulum tantum paupertatis, a quocumque quem maluerint catholico antistite gratiam et communionem Apostolicae Sedis habente in propriâ dioecesi residente, vel in alienâ de dioecesani loci consensu pontificalia exercente, per eos eligendo, clericali charactere insigniri, et ad quatuor minores, necnon sacros subdiaconatus, diaconatus et presbyteratus Ordines, in temporibus ad id a iure statutis, dummodo tamen praevio examine ad id reperti fuerint idonei, et nullum eis aliud canonicum obstet impedimentum, necnon testimonio rectoris et superiorum dicti collegii commendentur, specialemque ab eis licentiam obtineant, et servatis aliàs servandis, promoveri, et promoti in illis etiam altaris ministerio ministrare libere et licite possint et valeant, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, concedimus et indulgemus, ac tam antistiti, ut probentur, quam alumnis probatis licentiam desuper impartimur.

§ 2. Non obstantibus apostolicis, ac in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die 27 maii 1617, pontificatus nostri anno XII.

Petitur confirmatio Pontificis.

§ 3. Cum autem, sicut pro parte dilectorum filiorum alumnorum dicti collegii nobis nuper expositum fuit, ipsi praemissa apostolici muniminis nostri patrocinio roborari plurimum desiderent:

Confirmat Pontifex.

§ 4. Nos, specialem ipsis alumnis gratiam facere volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus venerabilis fratris nostri Francisci episcopi Ostiensis et Veliternensis S. R. E. cardinalis Barberini nuncupati, moderni regni Scotiae praedicti apud nos et Sedem eamdem protectoris, nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, praeinsertas Pauli praedecessoris litteras, cum omnibus et singulis in eis contentis, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, approbamus et confirmamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari debere, irritumque et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, decernimus.

Decretum irritans.

Derogatur contrariorum.

§ 5. Non obstantibus omnibus et singulis illis, quae dictus Paulus praedecessor in suis litteris praeinsertis con-

cessit non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXVI octobris MDCLXIX, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 26 octobris 1669, pontif. anno III.

CXXVI.

Confirmatio extinctionis antiqui et erectio novi Montis collegii secretariorum apostolicorum de numero participantium[1].

Clemens Papa IX,
ad futuram rei memoriam.

Exordium. § 1. Nuper pro parte dilectorum filiorum collegii secretariorum apostolicorum de numero participantium nobis expositum fuit, quod ipsi, in executionem quarumdam nostrarum in simili formâ Brevis litterarum die IV ianuarii proxime praeteriti expeditarum, antiquum montem secretariorum apostolicorum nuncupatum dudum ab eorum antecessoribus de licentiâ Sedis Apostolicae erectum, et subinde de pari licentiâ auctum, restituto illius montistis pretio, perpetuo suppresserunt et extinxerunt, ac, ad effectum restituendi pretium huiusmodi, novum montem sub eâdem denominatione quadringentorum quinquaginta octo locorum cum tribus quartis partibus alterius similis loci, ad rationem pretii seu sortis centum et redditus annui quatuor scutorum monetae romanae pro quolibet loco, erexerunt et instituerunt, et aliàs prout uberius continetur in litteris nostris praefatis, ac publico desuper confecto instrumento tenoris qui sequitur, videlicet:

« In nomine Domini, amen. Praesenti publico instrumento cunctis ubique pateat evidenter et sit notum quod anno ab eiusdem D. N. I. C. Nativitate MDCLXIX, indictione VII, die verò XVI mensis maii, pontificatus autem SS. in Christo patris et domini nostri domini Clementis divinâ providentiâ Papae IX, anno eius II, in mei, collegii illustrissimorum et reverendissimorum dominorum secretariorum apostolicorum cappellani et Montis eiusdem collegii secretarii ac notarii publici in archivio Romanae curiae descripti, et Petri Gentilis Catalani, reverendae camerae apostolicae notarii, testiumque infrascriptorum praesentiâ, praesentes et personaliter existentes illustrissimus et reverendissimus D. Ioannes Baptista Costagutus et illustrissimus dominus D. Ferdinandus Raggius defensores, eminentissimus et reverendissimus dominus cardinalis Sigismondus Chisius, et pro eo admodum reverendissimus D. Franciscus Silvanius, illustrissimus et reverendissimus D. Franciscus Maria Phoebeus, archiepiscopus Tarsensis, praeceptor S. Spiritus, pro venerabili archiospitali S. Spiritus, illustrissimus et reverendissimus D. Hieronymus Gastaldus, illustrissimus et reverendissimus D. Franciscus Martellus, illustrissimus et reverendissimus D. Franciscus Maria Victorius, illustrissimus et excellentissimus D. Augustinus Chisius, et pro eo D. Gregorius Satus, illustrissimus dominus Flaminius Morollus, canonicus S. Eustachii, pro venerabili capitulo eiusdem ecclesiae S. Eustachii, illustrissimus D. marchio Bartholomaeus Ruspulus, illustrissimus D. marchio Martius Ursinus, illustrissimus D. Sigismundus Raggius, et illustrissimus D. Carolus Salusatus, omnes secretarii apostolici et de numero participantium, in cancellariâ apostolicâ, in loco solito et consueto pro rebus et negociis dicti collegii collegialiter congregati, maiorem et saniorem partem eiusdem collegii constituen-

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

tes, qui aliàs, vigore indulti et facultatis dicto collegio concessae per felicis recordationis Sixtum Papam V sub datum die XVII februarii MDLXXXVI, erexerunt et constituerunt unum Montem vigintiquinque millium scutorum auri in auro pro rehabendo et recuperando officium secretariatus apostolici, et subinde, vigore alterius facultatis et indulti eiusdem felicis recordationis Sixti, dictum Montem auxerunt in aliis scutis duodecim millibus similibus pro rehabendo et recuperando officium alterius secretarii domestici Brevium quae principibus scribuntur, post rehabuisse et recuperasse asseruerunt, et latius, prout in instrumento, in actis mei, etc., die I martii MDLXXXVI [1], seu etc., celebrato, ad quod, etc. In executionem et vigore litterarum apostolicarum sanctissimi domini nostri Clementis divinâ providentiâ Papae IX in formâ Brevis sub datum Romae die IV ianuarii MDCLXIX proximi praeteriti expeditarum, quas prae manibus habens idem illustrissimus et reverendissimus D. Costagutus defensor mihi consignavit, ad effectum praesenti instrumento inserendi, tenoris sequentis, videlicet:

Clemens Papae IX, ad futuram rei memoriam. Dudum, cum felicis recordationis Sixtus Papa V praedecessor noster officium secretarii domestici, quod tunc in humanis agens Ioannes Baptista Canobius exercebat, supprimere, ac illius exercitium, cum omnibus et singulis suis honoribus et oneribus ac emolumentis, collegio secretariorum apostolicorum restituere, seu illis de novo concedere et assignare intenderet, et collegium praedictum, pro restitutione seu concessione huiusmodi aliisque de causis, summam vigintiquinque millium scutorum auri in auro, seu illorum valorem, ipsi Sixto praedicto obtulisset: idem Sixtus praedictus dicto collegio, quo commodius et minori dispendio summam praedictam congerere valeret, ut unum Montem a quibusvis gravaminibus omnino liberum, immunem et exemptum, dictam summam vigintiquinque millium scutorum non excedentem, cuius loca vacabilia non essent, super proprietate et grossâ seu massâ dicti collegii ad rationem fructuum reperibilium pro quolibet centenario ad instar Montis Pacis, et aliorum montium provincialium ab ipso Sixto praedicto aliàs erectorum, cum omnibus et singulis facultatibus, indultis, privilegiis et clausulis in illis expressis, erigere et instituere, necnon, pro securitate et indemnitate emptorum dictorum locorum, omnia et singula dicti collegii bona in ampliori formâ camerae apostolicae obligare et hypothecare, obligationesque et hypothecas cum quibusvis promissionibus, fideiussionibus, cautionibus, cautelis, conventionibus, clausulis et decretis omnibus consuetis, necessariis et opportunis praestare, ceteraque ad hoc necessaria facere libere et licite valeret, licentiam et facultatem concessit, prout in ipsius Sixti praedicti litteris desuper in simili formâ Brevis die XVII februarii MDLXXXVI expeditis latius continetur. Et subinde, postquam instrumentum erectionis dicti Montis eiusque distributio subsecuta fuerant, cum dictus Sixtus praedictus officium alterius secretarii domestici Brevium quae principibus scribuntur, quod quondam Antonius Buccapadulius eatenus exercuerat, pariter supprimere, illiusque exercitium, cum omnibus et singulis illius honoribus, oneribus et emolumentis, eidem collegio concedere et assignare intenderet [1], dictum vero collegium, pro concessione et assignatione hu-

1 An legend. *1629* iudicet lector scius (R. T.).

1 Male edit Main. legit *intenderat* (R. T.).

iusmodi, summam duodecim millium scutorum similium solvere et ad id necessaria parare desideraret : ipse Sixtus praedictus eidem collegio, ut Montem praedictum viginti millium scutorum auri ad monetam tunc reductorum ad aliam summam duodecim millium scutorum auri in auro distribuendum, vel etiam, si opus foret, ad monetam pariter reducendum, cum eisdem facultatibus, iuribus et privilegiis, extendere et augere libere pariter et licite posset, sexennio, intra quod Montem praedictum extingui voluerat, ad alios sex annos prorogato, et aliàs sub certis modo et formâ tunc expressis, licentiam pariter concessit et facultatem, prout in cedulâ motuproprii manu ipsius Sixti praedicti signatâ, sive in litteris apostolicis desuper expeditis, cuius seu quarum necnon aliarum litterarum praedictarum tenores et datas etiam veriores praesentibus pro plene et sufcienter expressis ac de verbo ad verbum insertis haberi volumus, uberius continetur. Cum autem, sicut pro parte dilectorum filiorum modernorum secretariorum apostolicorum collegii praedicti nobis nuper expositum fuit, Mons praedictus, ut praefertur erectus et auctus, in ducentis septuaginta octo locis, quorum pretium in monetâ ad rationem centum scutorum monetae pro quolibet loco, ac in aliis centum viginti locis, quorum pretium in auro ad rationem centum scutorum auri in auro pro quolibet locorum huiusmodi respective constituta fuerunt, de praesenti consistat, et pro quolibet eorumdem locorum fructus annui ad rationem quinque scutorum monetae vel auri respectivé montistis a dicto collegio de praesenti adhuc solvantur; ipsi vero exponentes, ut eiusdem collegii conditionem efficiant meliorem, novum Montem quadringentorum octo locorum, ad rationem pretii centum et fructus annui quatuor scutorum monetae romanae pro quolibet loco, erigere et instituere, illiusque loca dicto pretio vendere, ac pecunias inde proventuras in extinctionem et redemptionem alterius Montis praedicti convertere et erogare, atque ita ipsum Montem, restituto singulis montistis pretio, quoad illos quidem quorum loca in monetâ creata seu ad monetam reducta fuerunt, ad rationem centum scutorum monetae pro quolibet loco, quoad illos vero quorum loca in auro constituta reperiuntur, ad rationem centum et quinquaginta scutorum monetae parium, quae centum scuta auri in auro iuxta praesentem cursum constituunt, itidem pro quolibet loco, penitus et omnino supprimere intendant, si nostra et huius sanctae Sedis sibi super hoc licentia suffragetur et facultas: nobis propterea humiliter supplicari fecerunt ut, quandoquidem id in neminis iniuriam, sed in notabilem praedicti collegii utilitatem sit cessurum, opportune sibi in praemissis providere et ut infra indulgere de benignitate apostolicâ dignaremur. Nos igitur, collegii praedicti (in quo singulari in nos et hanc sanctam Sedem fide, doctrinâ, prudentiâ et usu rerum et negociorum ad Romanam curiam ex omnibus christiani orbis partibus confluentium, necnon dexteritate, industriâ et probitate praestantes viri connumerantur) commodis atque utilitatibus paterno affectu consulere, ipsiusque collegii singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, ac instrumenti super erectione Montis

supprimendi praedicti, seu aliarum scripturarum desuper confectarum, necnon erectionum omnium et singulorum aliorum Montium praedictorum tenores pariter et datas, ceteraque etiam specificam et individuam mentionem et expressionem requirentia, praesentibus itidem pro plene et sufficienter expressis et exactissime specificatis habentes, eidem collegio, ut unum novum Montem, *secretariorum apostolicorum* nuncupandum, pariformiter a quibusvis gravaminibus omnino liberum immunem et exemptum, cuius loca vacabilia non sint, et numerum quadringentorum quinquaginta octo non excedant, ad rationem pretii centum et annui fructus quatuor scutorum monetae praedictae pro quolibet loco, super proprietate et grossâ seu massâ dicti collegii ad instar Montis Pacis et aliorum Montium provincialium aliàs erectorum praedictorum, cum omnibus et singulis facultatibus, indultis, privilegiis et clausulis in erectionibus Montium huiusmodi expressis, et non expectato nec requisito secretariorum apostolicorum absentium consensu, erigere et instituere, illiusque loca per dilectos filios defensores dicti collegii pretio praedicto quibuscumque personis et locis piis et profanis vendere et alienare, pecuniasque inde proventuras in redemptionem et extinctionem alterius Montis secretariorum apostolicorum praedicti, sicut praefertur, et non in alios usus, convertere et erogare, atque ita ipsum Montem, restituto illius montistis pretio, unâ cum fructibus usque ad diem redemptionis et extinctionis huiusmodi decursis et per quindecim dies immediate subsequentes, iuxta stylum in similibus extinctionibus seu extractionibus servari consuetum, penitus et omnino supprimere, necnon, pro securitate et indemnitate emptorum locorum Montis huiusmodi, omnia et singula ipsius collegii bona, illorumque fructus, redditus et proventus in ampliori formâ camerae apostolicae praedictae obligare pariter et hypothecare, obligationesque et hypothecas, cum quibusvis promissionibus, fideiussionibus, cautionibus, cautelis, conventionibus, clausulis et decretis consuetis, et aliàs quomodolibet necessariis et opportunis, praestare, ceteraque desuper quovis modo necessaria et opportuna facere et exequi libere et licite possit et valeat, quamcumque necessariam et opportunam facultatem et licentiam, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, concedimus et impartimur. Decernentes eorumdem locorum novi Montis emptores, et quoscumque alios in praemissis interesse quomodolibet praetendentes, ad probandum seu verificandum in quos usus pecuniae per eos respective praestitae conversae fuerint, nullo unquam tempore teneri, nec obligatos fore, neque locorum huiusmodi fructus in sortem unquam computari posse; praesentes vero litteras et in eis contenta quaecumque, etiam ex eo quod quicumque etiam specifica et individua mentione et expressione digni in praemissis interesse habentes seu habere quomodolibet praetendentes illis non consenserint, nec ad ea vocati, citati et auditi, neque causae, propter quas ipsae praesentes emanarint, sufficienter adductae, verificatae et iustificatae fuerint, seu ex aliâ quacumque quantumvis iustâ, piâ et privilegiatâ causâ, colore, praetextu et capite, etiam in corpore iuris clauso, nullatenus unquam de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrae aut interesse habentium consensus, aliove quomodolibet etiam formali et substantiali defectu notari, impugnari, infringi, retractari, in controversiam vocari, seu adversus

illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque iuris, facti vel gratiae remedium impetrari seu intentari, vel etiam motu proprio ac de apostolicae potestatis plenitudine concesso vel emanato quempiam in iudicio vel extra illud uti seu se iuvari posse, sed ipsas praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac collegio et emptoribus praedictis, aliisque ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, sicque et non aliter in praemissis per quoscumqe iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. camerarium, et alios cardinales, necnon thesaurarium generalem, praesidentes, clericos, commissarium, ceterosque dictae camerae officiales et ministros, et alios quoslibet quacumque praeeminentiâ et potestate fungentes et functuros, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus, quatenus opus sit, recolendae memoriae Pii PP. IV praedecessoris pariter nostri de gratiis qualecumque interesse dictae camerae concernentibus in eâdem camerâ intra certum tunc expressum tempus praesentandis et registrandis, ita ut praesentes litteras ibidem praesentari et registrari nunquam necesse sit, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon omnibus et singulis illis quae memoratus Sixtus praedecessor in suis litteris seu cedulâ motusproprii supradictis voluit non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem ut pecuniae, ex venditione locorum novi Montis huiusmodi proventurae, in actu earum solutionis unico contextu in redemptionem et extinctionem alterius Montis praefati sicut praefertur integre convertantur, vel saltem penes dilectum filium Vincentium Bavellium depositarium collegii praedicti deponantur, inde non amovendae nisi ad effectum illas sic convertendi et erogandi, utque idem novus Mons vigore praesentium erigendus intra duodecim annos ab illius erectione computandos extingui debeat.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die IV ianuari MDCLXIX, pontificatus nostri anno II. I. G. SLUSIUS.

Loco † annuli Piscatoris.

Ac iuxta illius formam continentiam et tenorem, et non aliàs, etc., praedicti illustrissimi domini secretarii apostolici sic ut supra congregati unanimiter et concorditer, et nemine ipsorum contradicente, sponte, etc., ac omnibus, etc., dictum Montem, ut supra erectum et auctum, cum omnibus illius iuribus penitus et omnino suppresserunt et extinxerunt, ac pro suppresso et extincto haberi et censeri voluerunt, ac nullius roboris et momenti existere, minusque amplius durare aut esse decreverunt et declararunt ac declarant, et ita, etc., non solum, etc., modo praedicto, etc., sed etiam omni, etc. Hanc autem suppressionem, etc., iidem illustrissimi domini secretarii apostolici, ut supra collegialiter congregati, fecerunt et facere dixerunt et declararunt ad formam dictarum litterarum apostolicarum, ut supra, et non aliàs, etc., stante cedulâ bancariâ gratis et amore et absque ullâ spe aliquid consequendi sub quovis praetextu nec etiam ratione damni emergentis et lucri cessantis factâ ab illustrissimo domino Vincentio Bavello eiusdem collegii depositario de solvendo montistis dicti Montis

pretium locorum ut supra extinctorum et suppressorum, quam[1] idem dominus Vincentius Bavellius ibidem praesens, etc., suis prae manibus habens, mihi, etc., consignavit ad effectum praesenti instrumento inserendi, tenoris sequentis, videlicet:

Si è datò credito alli signori montisti del Monte Segretario a oro e Segretario a moneta di scudi quarantacinque mila ottocento settantacinque moneta, quali si dovranno pagare con ordine degl' illustrissimi signori defensori del collegio di detti signori segretarii apostolici in conto appartenente per doverne esser rimborsati dal detto collegio in conformità dell'instromento rogato per gli atti del Gentile Catalani, al quale, ecc. In fede, questo dì XVI maggio MDCLXIX, per scuti quarantacinque mila ottocento settantacinque moneta.

VINCENZO BAVELLI.

Huiusmodi autem cedulam dominus Bavellus fecit, eo quia viceversâ praedicti illustrissimi et reverendissimi domini defensores et secretarii apostolici ut supra congregati, nomine dicto collegii, et non aliàs, etc., de quo, etc., promiserunt et sese[2] obligarunt deponere in banco dicti domini Vincentii Bavellii scuta quadraginta quinque mille octigenta septuaginta quinque monetae, seu, etc., pro pretio dictorum locorum Montium ut supra extinctorum et suppressorum, retrahenda ex pretio aliorum Montium secretariorum ut inferius dicetur apostolicâ auctoritate erigendorum, hîc Romae, libere etc., aliàs, etc. Et insuper praedictus illustrissimus dominus Vincentius Bavellus sponte, etc., ac omnibus promisit, etc., reddere bonum et fidele computum dictis illustrissimis dominis secretaris apostolicis ut supra praesentibus, etc., de pecuniis penes ipsum ut supra deponendis, et restituere quidquid supererit cui vel quibus dicti illustrissimi domini secretarii apostolici mandabunt infra annum ab hodie proximum, absque ullâ contradictione et exceptione, hîc Romae, libere, aliàs, etc., et factâ restitutione reliquatus sit liber et exemptus ab omni et quacumque obligatione prò summâ restitutâ, et non aliàs, etc., quia sic, etc.

Et successive, in executionem pariter et vigore supranarratarum litterarum apostolicarum praelibati sanctissimi domini nostri Papae Clementis IX, ac iuxta illarum formam, continentiam et tenorem, et non aliàs, etc., de quo, etc., praedicti illustrissimi domini secretarii apostolici, ut supra congregati, sponte, etc., ac omnibus, etc., dicti collegii nomine, et non aliàs, etc., de quo, etc., pariter, unanimiter et concorditer, ipsorumque nemine contradicente, utentes facultate et auctoritate ipsis in dictis litteris per Sanctissimum concessâ et attributâ, unum novem Montem non vacabilem secretariorum apostolicorum pariter nuncupandum, ab omnibus et quibuscumque gravaminibus omnino liberum, immunem, et exemptum, in summâ locorum quadringentorum quinquaginta octo, cum tribus quartis, et non ultra, ad rationem pretii in valore scutorum centum et annui fructus scutorum quatuor monetae romanae iuliorum decem prò scuto pro quolibet loco super proprietate et grossâ seu massâ dicti collegii ad instar Montis Pacis et aliorum Montium provincialium aliàs per felicis recordationis Sixtum PP. V erectorum, prout ante illius extinctionem extabant, erexerunt et instituerunt; illoque sic erecto et instituto, pro dote et futuris illius creditoribus, annuam summam scutorum mille octigentorum trigita quinque, seu, etc., salvo omni me-

1 Male ed. Main. legit *quem* pro *quam* (R. T.).
2 Male ed Main. legit *esse* pro *sese* (R. T.).

liori calculo, ex proprietate et grossâ seu massâ dicti collegii, quam nulli hucusque obligatum esse affirmarunt, eâdem auctoritate apostolicâ eis ut supra concessâ et attributâ, eisdem modo et formâ ut dicto Monti sic ut supra nuper extincto applicata et obligata reperiebantur, assignarunt, appropriarunt, applicarunt et obbligarunt, ac per supradictum dominum Bavellum, et pro tempore deputandum depositarium, de bimestri in bimestre in fine cuiuslibet bimestris, incipiendo a kalendis iunii proxime venturi, ad supradictam ratam annuorum scutorum quatuor pro quolibet loco, solvi mandarunt libere et absque ullâ diminutione; ipsumque Montem illiusque futuros montistas in ipsorum et dicti eorum collegii locum quoad integram summam praedictam eiusque liberam perceptionem, exactionem et consecutionem etiam irrevocabiliter posuerunt, substituerunt et subrogarunt, ac ab omnibus eiusdem collegii pro dictâ ratâ emolumentis separarunt et dismembrarunt, ac aliàs in omnibus et per omnia iuxta dictarum litterarum apostolicarum formam continentiam et tenorem, et non aliàs, etc., de quo, etc.

Et insuper, pro ulteriori ipsarum litterarum apostolicarum executione, et iuxta illarum formam, et non aliàs, promiserunt nomine dicti collegii dictum Montem ut supra nuper erectum infra duodecim annos ab hodie proxime venturos extinguere, pretiumque ipsius Montis extinguendi, montistis reddere et restituere hîc Romae libere, etc., aliàs, etc., etiam ad omnia damna de quibus, etc. Iidem illustrissimi domini secretarii apostolici supradicti eorum collegium illius bona et massam seu grossam, ac proprietatem et fructus in ampliori formâ reverendae camerae apostolicae cum solitis clausulis, etc., citra, etc., non autem sese ipsos eorumque haeredes, aut bona propria, de quo, etc., obligarunt, etc., cuicumque appellationi, etc., renunciarunt, etc., et in mandatum executivum unicâ, etc., consenserunt, etc., et sic tactis pectoribus et scripturis respective iurarunt, etc. Super quibus omnibus et singulis praemissis petitum fuit a me eodem cappellano secretario et notario, ut unum vel plura publicum seu publica confícerem atque traderem instrumentum seu instrumenta, prout opus fuerit, et requisitus ero. Actum Romae in cancellariâ apostolicâ in banco ubi abbreviatores de maiori residere et congregationes celebrari solent, praesentibus ibidem, audientibus et intelligentibus dominis Antonio Maria Lanciano, filio quondam Antonii de Monte Caelio, Tiburtinae dioecesis, et Thoma Philippo Pontio, filio domini Antonii Romano, testibus ad praemissa omnia et singula vocatis, habitis atque rogatis. Ego Ioannes Spinosa vicarius cappellanus, secretarius et notarius apostolicus in archivio Romanae curiae descriptus, de praemissis rogatus, praesens instrumentum subscripsi et publicavi requisitus, etc. »

Petitur confirmatio.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, dicti exponentes numero quadringentorum quinquaginta octo locorum, ad quem dictus novus Mons per praeinsertas nostras litteras restrictus erat, tres quartas partes alterius loci similis super addiderint, ut novus Mons huiusmodi cum antiquo extincto et suppresso exaequaretur; ipsique exponentes praemissa, quo firmius subsistant, apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri summopere desiderent: nos, singularium erga nos et Sedem Apostolicam fidei et devotionis, aliorumque multiplicium meritorum, quibus eosdem exponentes praeditos esse novimus, in

tuitu, specialem eis gratiam facere volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quodomolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, perpetuam suppressionem et extinctionem dicti Montis antiqui, ac illius loco et pro eius extinctione erectionem et institutionem novi Montis quadringentorum quinquaginta octo locorum cum tribus quartis partibus alterius loci huiusmodi, a memoratis exponentibus factas ut praefertur, confectumque desuper instrumentum praeinsertum, cum omnibus et singulis in eo contentis, auctoritate apostolicâ confirmamus et approbamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos iuris et facti, ac solemnitatum quarumcumque, tam ex iuris communis et constitutionum apostolicarum, quam ex dicti collegii, aliorumve quorumlibet statutorum et consuetudinum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratorum, necnon privilegiorum quorumlibet praescripto, seu de stylo, et aliàs quomodolibet in similibus, etiam de necessitate observandarum, aliosve quoslibet quantumvis magnos et substantiales ac specificâ mentione dignos defectus, si qui in praemissis principaliter vel accessorie, aut aliàs quomodolibet intervenerint, seu intervenisse dici, censeri vel praetendi possent, plenissime supplemus et sanamus, ac penitus et omnino tollimus et abolemus.

Decretum irritans.

§ 3. Decernentes easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari et ab illis respective inviolabiliter observari, sicque et non aliter in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. camerarium et alios cardinales, necnon camerae apostolicae, praesidentes, clericos, thesaurarium generalem, commissarium, aliosque officiales et ministros, ceterosque quoslibet, quacumque praeeminentiâ et potestate fungentes et functuros, sublatâ eis et eorum cuilibet, quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 4. Non obstantibus litteris nostris praeinsertis, ac, quatenus opus sit, praefatâ Pii IV praedecessoris nostri de gratiis qualecumque interesse dictae camerae concernentibus in eâdem camerâ intra certum tunc expressum tempus praesentandis et registrandis, ita ut praesentes litteras ibidem praesentari et registrari nunquam necesse sit, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon omnibus et singulis illis, quae in eisdem litteris concessimus non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXIX novembris MDCLXIX, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 29 novembris 1669, pontif. anno III.

INDEX

NOMINUM ET RERUM PRÆCIPUARUM.

NUMERUS PAGINAM INDICAT; *a* PRIMAM COLUMNAM; *b* SECUNDAM DESIGNAT.

A

Abbates regulares nequeunt sibi non subditis ordines minores conferre, 611 *b*; promoti autem non indigent aliâ collatione; sed absolutione tantum et dispensatione a Sede Apostolicâ, *ibid.*; praedicti abbates nequeunt conferre sacram confirmationem, et confirmati indigent novâ confirmatione, *ibid.*

Abbatia de Pomposa *vide* Pomposa (de).

Absolutio amplissima ab omnibus excessibus et delictis in civitate Avenionensi et comitatu Venayssino commissis occasione et praetextu casus die XX augusti in Urbe commissi, 254 *a* et *seq.*; item pro delictis post diem XXIV octobris patratis, 317 *b* et *seq.*

Absolutio a censuris conceditur capitulo ecclesiae S. Salvatoris civitatis Caesaraugustanae, 475 *b* et *seq.*; conceditur etiam capitulo, canonicis et dioecesanis ecclesiae Portalegrensis, 611 *b*.

Adalbertus Ernestus ab Harrach, *vide* Ernestus Adalbertus.

Adamus Melfius, aromatarius, cuiusdam domus prope ecclesiam S. Mariae in Rotunda inquilinus, litem habet cum canonicis eiusdem ecclesiae, 162 *a* et *seq.*

Adelaides ducissa Bavariae postulat pro canonizatione S. Francisci Salesii, 438 *b*.

Adornus Augustinus *vide* Augustinus Adornus.

Ægaei maris insulae, 457 *b*; visitatio apostolica ecclesiarum ibi indicitur, *ibid.*

Ægidii (S.) prioratus linguae Provinciae hospitalis S. Ioannis Hierosolymitani, *vide* Hospitale S. Ioannis Hierosolymitani.

Agrigentae in Sicilia monasterium S. Rosaliae canonicorum S. Georgii in Alga Venetiarum, 79 *b*, *vide* S. Georgii.

Aletensis ecclesiae rituale Parisiis impressum damnatur, 529 *a* et 653 *b* et *seq.*

Alexander PP. VII confirmat decretum Gregorii XV ut canonicatus et praebendae poenitentiarii ecclesiarum cathedralium et metropolitanarum in regnis Hispaniae vacantes conferri debeant praevio concursu per edictorum affixionem, 14 *a*; illudque extendit ad ecclesias cathedrales et metropolitanas principatus Cataloniae, 14 *b*; decretum edit pro examine, testimonialibus et exercitiis spiritualibus clericorum ad sacros ordines promovendorum, 52 *a* et *seq.*; unit quatuor monasteria Congregationis canonicorum S. Georgii in regno Siciliae consistentia Congregationi generali canonicorum eorumdem, 79 *b* et *seq.*; confirmat statuta capituli generalis Oscensis Ordinis B. Mariae de Mercede redemptionis captivorum, 84 *a* et *seq.*; revocat statutum Innocentii X super triennali duratione superiorum in Societate Iesu, 111 *a* et *b*; iubilaeum ad divinam opem implorandum concedit, 130 *a* et *seq.*; novos conventus erigi prohibet pluries, 128 *b*, 132 *b*, 171 *b*, 172 *a*; 185 *b*, 211 *a* et *b*; unit congregationes Vallis umbrosae et Sylvestrinam, et uniformitatem habitus praescribit, 134 *a* et *seq.*; confirmat privilegia domus seu hospitalis et archiconfraternitatis et monasterii SS. Annunciationis neophytorum et cathecumenorum de Urbe, 135 *b* et *seq.*; deputat reverendum patrem Rasponium ad tractandum cum ministris regis christianissimi et aliorum principum catholicorum, 143 *b*; item ad reges, respublicas et principes christianos, 156 *b*; imponit subsidium trecentorum millium scutorum pro necessitatibus Sedis Apostolicae super bonis undecim congregationum regularium, 147 *b* et *seq.*; liberat plateam S. Mariae in Rotunda de Urbe a dominio capituli et canonicorum ipsius ecclesiae pro venustate, 159 et *seq.*; decernit ne duo fratres germani ingrediantur in definitoria fratrum Minorum sancti Francisci, 170 *b*; irritat quasdam capitulationes initas et iuratas a capitulo ecclesiae Salisburgensis sede vacante, 183 *a* et *b*; christianum ducem Mekelburgensem ab haeresi et censuris absolvit, 187 *a* et *b*; separat insulam SS. Trinitatis in Indiis occidentalibus ab episcopatu Portusdivitis, seu de Portorico, et subiicit archiepiscopatui S. Fidei, 192 *a* et *b*; irrita attentata procuratoris regni Franciae contra civitatem Avenionensem et comitatum Venayssinum detestatur, 196 *a* et *b*; et iura Sedis Apostolicae tuetur, 197 *b* et *seq.*; pro bello contra Turcas imponit subsidium super bonis ecclesiasticis, 222 *a* et *seq.*; item utensilia sacra aurea et argentea (exceptis calicibus et aliis sacrà unctione delibutis) conflari et cudi in nummos mandat, 229 *b* et *seq.*; super observatione Indicis librorum prohibitorum noviter impressi declarationem edit, 234 *a*; iubilaeum ad divinam opem implorandam contra Turcas indicit, 236 *b*; absolutionem impertit omnium excessuum patratorum in civitate Avenionensi, 256 *a* et *seq.*; iterum 317 *b*; erigit in episcopatum ecclesiam Reginohradecensem in Bohemia, 313 *b*; prohibet accessum ad monasteria monialium regnorum Hispaniae, 332 *a* et *seq.*; formularium praescribit subscribendum contra haeresim

Iansenii, 336 *b*; plures propositiones in materia fidei et morum damnat, 387 *b* et *seq.*; 427 *b* et *seq.*; venerabilem Franciscum de Sales, episcopum Genevensem, Sanctorum catalogo adscribit, 432 *a* et *seq.*; instaurat ac reformat Cisterciensium Ordinem, 441 *b* et *seq.*; deputat visitatorem apostolicum in insulis maris Ægaei, 458 *a*; et praecipit superioribus Societatis Iesu ut visitationem in suis domibus excipiant, 462 *a*; subsidium Reipublicae Venetae concedit supra bonis ecclesiasticis pro bello contra Turcas, 482 *a*; confirmat venditionem feudi Montafiae eiusque investituram Carolo Emmanueli Philiberto Hyacinto de Simiana, marchioni Planitiarum, Taurinensis dioecesis, 495 *a* et *seq.*; supprimit ordinationes seu mandamenta edita a quatuor episcopis Gallicanis occasione formularii a Sua Sanctitate praescripti, 509 *b*; et ipsis praecipit subscribere formulario, 510 *b*.

Alexandrinus cardinalis Michaël Bonellus, *vide* Michaël Bonellus.

Alga (in) Venetiarum congregatio canonicorum S. Georgii *vide* Congregatio S. Georgii.

Alienatio bonorum ecclesiasticorum, an et quando permittatur, 371 *b* et *seq.*

Almeras Renatus superior generalis Congregationis Missionis in Gallia, 68 *a*.

Aloysius Spinula *vide* Spinula.

Alphonsus cardinalis Litta archiepiscopus Mediolanensis, 808 *a*.

Alphonsus de Ortega *vide* Ortega.

Altaria privilegiata *vide* Missae *de requiem*.

Alternativa officiorum servanda statuitur in quibusdam provinciis Ordinis Minorum sancti Francisci, 273 *b*; 279 *a*; 285 *b* et *seq.*

Alumni seminarii pontificii Brunsbergae in Prussia promoventur ad ordines ad titulum sufficientis litteraturae et absque suorum Ordinariorum dimissoriis, et non servatis interstitiis, 532 *b* et *seq.*

Andreae (S.) de Fractis ecclesia de Urbe, 21 *b*; decretum sacrae congregationis episcoporum visitationis apostolicae pro dotandis octo puellis de eâdem parochiâ, *ibid* et *seq.*

Andreas Lao procurator generalis fratrum Carmelitarum, 692 *b*.

Andreas Petraccioli prior generalis canonicorum regularium S. Salvatoris, 779 *b*.

Angelus archiepiscopus Damatiensis Sabaudiae nuncius, 734 *b*.

Angelus Seravalli, procurator generalis canonicorum regularium S. Salvatoris, 779 *b*.

Anna regina mater vidua Ludovici regis christianissimi postulat pro canonizatione S. Francisci Salesii, 438 *b*.

Anniversaria defunctorum in duplicibus an celebrari possint, 478 *b*; *vide etiam* 822 *a* et *seq.*

Anniversaria fundare pro canonicis decedentibus permittitur capitulo ecclesiae Lexoviensis, 595 *b* et *seq.*

Annunciationis (SS.) B. Mariae Virginis domus, hospitale, archiconfraternitas et monasterium neophytorum et cathecumenorum de Urbe, 135 *b*; confraternitas huius tituli in ecclesiâ B. Mariae Virginis super Minervam instituta, 138 *b*, 139 *a*; illi donatur a Iulia Columna nobili muliere Romana quaedam domus in regione Campitelli de Urbe, *ibid.*; confratres illam domum donant virginibus neophytis recens ad fidem Christi conversis, 139 *a*; ibi instituitur a Pio IV monasterium sub invocatione eiusdem Annunciationis B. Mariae Virginis pro

monialibus seu virginibus neophytis, 139 *a* et *b*; pluribus privilegiis et indulgentiis honoratur, 140 *b*; ad ecclesiam et aedificia commendae S. Basilii in regione Montium transfertur a Pio V, 142 *a*; ipsius privilegia confirmantur ab Alexandro VII, 142 *b*.

Ansalonus Ascanius, *vide* Ascanius.

Antaldus Franciscus Maria collegii Neophytorum de Urbe vicesgerens, 16 *b*.

Antonius Barberinus S. R. E. cardinalis absolvere potest Christianum ducem Mekelburgensem ab haeresibus, praemissâ abiuratione, emissâque per eum fidei professione, 187 *a* et *b*.

Antonius Bondi sua bona testamento reliquit archiconfraternitati S. Iosephi Bononiensi pro erectione et manutentione pauperum septuagenariorum, 755 *a* et *seq*.

Antonius de Trinitate procurator conventus Neapolis et fratrum Hispanorum Ordinis SS. Trinitatis redemptionis captivorum, 175 *a*; concordiam init cum Dominico Tafurio procuratore provinciae Italiae eiusdem Ordinis super conventu SS. Trinitatis Neapolis, 175 *b* et *seq*.

Antonius Franciscus Maria Simius cardinalis vicarii notarius, 16 *b*; 20 *a*.

Aquensis parlamenti acta et arresta contra iura Sedis Apostolicae in civitatem Avenionensem irritantur, 254 *b*.

Aquisgrani oppidum Leodiensis dioecesis, 705 *b*; tractatum pacis ibi initus inter plenipotentiarios regis catholici et regis christianissimi, *ibid*.

Arabicae linguae studium in conventu S. Petri de Monte Aureo instauratur, 743 et *seq*.

Arbues (de) Petrus, *vide* Petrus de Arbues.

Archiconfraternitas S. Iosephi civitatis Bononiensis manutenet hospitale pauperum septuagenariorum, 755 *a*; confirmantur statuta pro hospitali, *ibid*.

Ari Hieronymus, *vide* Hieronymus Ari.

Ars serici in civitate Pisaurensi nobilitati non praeiudicat, 781 *b*.

Ascanius Ansalonus dux terrae *della Montagna*, 75 *a*; emit subreptitie, ut creditur, civitatem Pactensem in Siciliâ cum casali de Surrentino a Philippo rege catholico, *ibid*.; cives dictae civitatis rescissionem contractus intentant, 75 *b* et *seq*.

Astorga (de) marchio, orator pro rege catholico apud Sedem Apostolicam, 732 *a*.

Auditores rotae civitatis Perusinae quomodo assumendi, 463 *a*.

Augustini (S.) fratrum eremitarum Ordo *vide* Ordo.

Augustinus Adornus et Franciscus Caracciolus fundatores congregationis clericorum regularium Minorum, 200 *a*.

Augustinus archiepiscopus Trapezuntinus Coloniae nuncius, 582 *a*; mittitur ad congressum pacis inter reges catholicum et christianissimum tractandae, *ibid*.; item illi committitur executio litterarum Clementis PP. IX, quibus suspendit privilegia concessa universitati studii generalis Lovaniensi, 813 *b*.

Augustinus de Flore occisus fuit Neapoli per Iosephum Carafam clericum et alios assertos complices huius homicidii, 204 *a*.

Aurei Velleris Ordo (*del Toson d'oro*), 485 *a*: facultas collata regi catholico disponendi extra capitulum de locis et officiis ipsius, *ibid*.

Aurelius Mancinus *vide* Mancinus.

Auri pretium et valor in dies augescit, 17 *a*; 18 *a*.
Avellana (de) abbatia S. Crucis nuncupata in Statu Urbinatensi, 16 *a* et *seq.*; ipsius fructus uniuntur Collegio Germanico de Urbe, *ibid.*
Avenionensis civitas et territorium pertinens ad dominium Sedis Apostolicae, 195 *a*; eius expoliatio et unio regno Franciae attentatur ab asserto procuratore regio Franciae in curia parlamenti Aquensis, 195 *b*; iura Sedis Apostolicae tuetur Alexander VII, 197 *b* et *seq.*; eius restitutio in possessionem Sedis Apostolicae promittitur a Ludovico rege Franciae, 254 *b*; habitatores absolvuntur ab omnibus excessibus et delictis perpetratis contra iura Sedis Apostolicae, 255 *a* et *seq.*; item ab excessibus patratis post diem XXIV octobris, 317 *b* et *seq.*; consilium civitatis quotannis eligit quatuor mercatores ad causas ipsorum mercatorum de bono et aequo cognoscendas, 494 *a*; ex istis vicelegatus eligit duos, qui vocantur *relatores*, hisque iudex remittit causas eorum artem concernentes, *ibid.*; reductio praestationis quam hospitale debebat camerae apostolicae, 799 *a* et *seq.*, cum onere gratis recipiendi et alendi milites pontificios, *ibid.*
Avias Franciscus, presbyter et procurator generalis congregationis clericorum secularium Doctrinae Christianae in Gallia, 55 *a*.

B

Baleares insulae, 71 *a*; super bonis ecclesiasticis illarum decimae imponuntur pro rege catholico, 72 *b*.
Barberinus Franciscus episcopus cardinalis Portuensis, protector collegii Germanici de Urbe, 16 *a*; 17 *b*; ipsi cum aliis committitur componere lites eiusdem collegii cum collegio Neophytorum de Urbe, *ibid.*; protector Ordinis Minorum S. Francisci de Observantia, 57 *a*; ipsius decreta de conventu in provinciâ Romanâ pro secessu fratrum Minorum strictioris observantiae, 58 *a* et *seq.*; protector Tertii Ordinis sancti Francisci, 122 *b*; *vide* Franciscus card. Barberinus.
Barchinonensis civitas, 113 *a*; abusus sponsionum vel excommissarum occasione sortitionis officialium civitatis severe interdicuntur a Philippo III rege catholico et a Pontifice interdicuntur ecclesiasticis, 113 *b*.
Bartholomaeus Deumont *v. de* Dumont.
Basilii (S.) in regione Montium de Urbe ecclesia, 142 *a*; ibi transfertur monasterium SS. Annunciationis virginum neophytarum, *ibid.*
Baudin Ioannes Baptista specialis procurator fratrum Minorum sancti Francisci pro custodiâ SS. Trinitatis eiusdem Ordinis, 145 *b*, 202 *a*.
Belgii plura loca cessit Carolus rex catholicus Ludovico XIV regi christianissimo, 705 *b*.
Benedicti (S.) Ordo *vide* Ordo S. Benedicti.
Benedictus tituli S. Honuphrii presbyter cardinalis Odescalcus, *vide* Odescalcus.
Beneficiorum ecclesiasticorum reservatio an et quando inducatur, 430 *b* et *seq.*
Bernardi (S.) congregatio Ordinis Cisterciensis, 305 *b*, *vide* Ordo Cisterciensis.
Bernardinus de Senis dum vixit minister generalis Ordinis fratrum Minorum sancti Francisci, 122 *b*; statuit alternativam officiorum servandam esse intra

fratres conventuum Ulyssiponensium et de Deira provinciae Portugalliae Tertii Ordinis sancti Francisci, *ibid.*

Bernardinus Saeton *vide* Saeton.

Bisuntinae ecclesiae canonici inobedientes coërcentur, 62 *a* et *seq.*; *vide* Guliel-mus Humbertus Praecipianus.

Bisuntino archiepiscopo committitur processus assertorum delictorum inquisitoris Bisuntini, 379 *a* et *seq.*

Bonaventura frater Barchinonensis Ordinis Minorum S. Francisci postulat institui conventum pro secessu fratrum Minorum strictioris observantiae, 57 *b.*

Bondeno (de) S. Mariae archipresbyteratus sive plebania, 269 *a*; iuspatronatus in illum conceditur duci Mutinensi, *ibid.*

Bonellus Michaël cardinalis, *vide* Michaël Bonellus.

Bonifacius IV summus Pontifex nobile delubrum *Pantheon* nuncupatum Deo in honorem Beatissimae Virginis Mariae et Sanctorum Martyrum consecravit, 164 *a.*

Brigittae (S.) monasterium in oppido Bambergae, 542 *a.*

Britanniae et Galliae nationum fratres Ordinis S. Francisci odiis, rancoribus et litibus inter se digladiantur, 179 *b*; concordia inter ipsos inita confirmatur, 180 *a* et *seq.*

Brunsbergae in Prussia seminarii pontificii alumni promoventur ad ordines titulo sufficientis litteraturae, 532 *b* et *seq.*

Bulla cruciatae, *vide* Cruciatae Bulla.

Burgensis dioecesis dismembratio, ad novum episcopatum erigendum, iam decreta, revocatur, 825 *a* et *b.*

Burgi de Urbe tribunal reformatur 547 *b* et *seq.*

C

Caelestinorum congregatio *vide* Congregatio monachorum Caelestinorum.

Caelius presbyter cardinalis Piccolomineus nuncupatus, Apostolicae Sedis legatus in provinciâ Romandiolae et exarchatu Ravennae, 392 *a.*

Caeremoniarum magistris non participantibus quid debeant cardinales singuli in promotione ad cardinalatus honorem, 736 *a* et *seq.*

Caesari Rasponio plenipotentia data ad tractandum et concludendum cum ministris regis christianissimi et aliorum principum catholicorum, ipsoque rege, occasione casus inter familiam oratoris dicti regis et custodias militum Corsorum in Urbe sequuti, ac de postulatis super vallibus Comacli et ducatu Castrensi; 143 *b* et *seq.*; eiusdem in nuncium extraordinarium ad reges et principes christianos quoscumque deputatio, 156 *b.*

Calogeri (S.) de Naro Agrigentinae dioecesis monasterium canonicorum regularium S. Georgii in Alga Venetiarum, 79 *b*; *vide* S. Georgii.

Camaldulensium Ordo *vide* Ordo Camaldulensium.

Camerae apostolicae clericis missam domi habere concessum fuit ab Alexandro VII, 631 *a.*

Campitelli regio de Urbe, *vide* S. Ioannis de Mercato in regione Campitelli ecclesia.

Canonicatus poenitentiarii, *vide* Poenitentiarii.
Canonici S. Georgii in Algâ Venetiarum *vide* Congregatio S. Georgii.
Canonici absque apostolico indulto nequeunt uti mozzetta, aut alio distincto habitu, 469 *a*.
Canonicis decedentibus ecclesiae Luxoviensis anniversaria fundantur, 595 *b* et *seq*.
Canonicorum regularium congregationes *vide* Congregationes *vel* Ordines religiosi.
Capitulationes capituli Salisburgensis irritantur, 793 *a* et *seq*.
Capitulis ecclesiarum metropolitanarum B. Mariae de Pilari seu de Columna et S. Salvatoris civitatis Caesaraugustanae alternativa praecedentiae in functionibus an et quando servanda, 470 *b* et *seq*.
Caracciolus Franciscus et Augustinus Adornus, fundatores congregationis clericorum regularium Minorum, 200 *a*.
Cardinales quid debeant magistris caeremoniarum in promotione ad cardinalatus honorem, 736 *a*.
Cardinalis oriundus ex provincia Marchiae Anconitanae est protector cappellae ad Praesepe Domini in basilica S. Mariae Maioris de Urbe, 672 *a* et *seq*.
Cardinalium S. R. E. privilegia testandi de bonis et emolumentis ecclesiasticis extenduntur ad fructus inconsumptos vel cum aliis ipsorum bonis non commixtos 630 *b*.
Carmelitarum Ordo *vide* Ordo Carmelitarum.
Carolus Antonius Airoldus abbas S. Abundii, in Belgicis ditionibus internuncius, 811 *b*.
Carolus archiepiscopus Corinthi nuncius Sedis Apostolicae in regnis Hispaniarum, 72 *a*; ipsi committitur exactio decimarum super bonis ecclesiasticis pro rege catholico in dictis regnis, 73 *a*.
Carolus Carafa S. R. E. cardinalis, 221 *b*; ipsi cum aliis data commissio imponendae contributionis super bonis ecclesiasticis in Statibus haereditariis imperatoris electi, 223 *a* et *seq*.; potest cogere ecclesiasticos Statuum haereditariorum electi imperatoris ad tradenda omnia utensilia, exceptis sacrâ unctione delibutis, eidem imperatori in subsidium belli contra Turcas, 229 *a* et *seq*.
Carolus cardinalis Barberinus congregationis monachorum Caelestinorum protector, 777, *a*.
Carolus Emanuel dux Sabaudiae, 378 *b*; postulat pro canonizatione S. Francisci Salesii, 438 *b*.
Carolus Emmanuel Philibertus Hyacinthus de Simiana, marchio Planitiarum, Taurinensis civitatis vel dioecesis, 495 *a*; acquirit feudum et castrum Montafiae, 496 *b* et *seq*.
Carolus Hispaniarum rex catholicus, 298 *b*, 406 *a*; *vide* Regi catholico.
Carolus Vellius, auditor regiae audientiae Montis Fusculi, 204 *a*; petit absolvi a violatae immunitatis ecclesiasticae crimine, 204 *b*.
Carrier Theophilus, custos custodiae SS. Trinitatis Ordinis Minorum sancti Francisci, 145 *a*, 202 *a*.
Cassinensis Congregatio Ordinis S. Benedicti *vide* Ordo S. Benedicti.
Castrensis ducatus, 144 *a*; postulatis supra ipso satisfieri promittitur, *ibid*.
Cataloniae principatus, 113 *a*; excommissae vulgo dictae vel sponsiones fieri solitae

occasione sortitionis annualis officialium, *ibid.*; severe prohibentur laicis a rege catholico, et ecclesiasticis a Pontifice, 113 *a* et *b*.

Catechistae in Indiis Orientalibus per vota regularibus facta non eximuntur a iurisdictione vicariorum apostolicorum, 818 *a*.

Cathecumenorum et neophytorum et ad fidem Christi conversorum societas, 139 *b*; *vide* Neophytorum *et* SS. Annunciationis.

Catherina Magnae Britaniae regina, 774 *b*; ei conceditur ut in cappella sua regia missa de B. Rosa Limana celebrari possit, *ibid.*

Catholicorum principum ministri Parisiis congregati *vide* Parisiis.

Censurae latae a facultate theologicâ Parisiensi damnantur, 369 *a*.

Cephaloniae insula, 457 *b*; visitatio apostolica indicitur ecclesiarum ipsius, *ibid.*

Cessio iurisdictionis capituli ecclesiae cathedralis Lucanae Reipublicae factae, 452 *b*.

Chasteau Ephrem *vide* Ephrem Chasteau.

Chelmensis episcopus electus fuit in abbatem seu superiorem generalem monachorum Ruthenorum Ordinis sancti Basilii Magni, 366 *b*.

Chisius Flavius cardinalis tituli S. Mariae de Populo, *vide* Flavius Chisius.

Christianus dux Meckelburgensis ex partibus haereticis procreatus, et in haeresi luterana educatus, ad fidem catholicam conversus absolvitur ab haeresibus omnibus et censuris, 187 *a* et *b*.

Christifidelibus Status Ecclesiastici et Italiae divinam opem contra Turcas implorantibus indulgentiae conceduntur, 727 *a*, et 730 et *seq.*; iterum, 782 *b*.

Christina ducissa Sabaudiae vidua, mater Caroli Emanuelis Sabaudiae ducis, postulat pro canonizatione S. Francisci Salesii, 438 *b*.

Clemens VIII novos conventus fratrum Ordinis Minorum sancti Francisci de Observantiâ erigi prohibuit in provinciâ Carthaginensi eiusdem Ordinis, 128 *a*, 133 *a*.; iterum prohibuit vel limitavit novorum conventuum erectionem, 171 *b*.

Clemens IX, Italus, Pistoriensis, in provinciâ Etruriae, Iulius antea dictus, Hieronymi Rospigliosi filius, in summum Pontificem eligitur, 512 *a*; iubilaeum universale indicit 513 *a* et *seq.*; conclavistis privilegia concedit, 517 *a* et 533 *b*; reformat iurisdictionem tribunalis Burgi de Urbe, 547 *b* et *seq.*; visitationem ecclesiarum et locorum piorum Urbis absolvendam imponit, 572 *a*; unionem aliàs factam ab Urbano VIII eremi Camaldoli Etruriae cum eremo Montis Coronae Ordinis Camaldulensium revocat, 585 *b*; item et unionem aliàs factam ab Alexandro VII congregationum Vallisumbrosae et Silvestrinerum revocat, 588 *a* et *b*; venerabilem Rosam virginem Limanam Beatorum catalogo adscribit, 628 *a*; litteras processus in die Coenae Domini promulgat, 641 *a* et *seq.*; confirmat et ampliat congregationem supra statum regularium institutam ab Innocentio X, 654 *b* et *seq.*; proscribit rituale Aletense, 653 *b*; et librum versionis gallicae Novi Testamenti, 657 *b*; familiaribus et cappellanis suis communibus privilegia concedit, 661 et 714 et *seq.*; collegii Germanici protectoribus extendit iurisdictionem privativam ad ecclesias et monasteria collegio unita, 682 *a* et *seq.*; deputat commissarium ad visendas communitates, exceptis illis quatuor Legationum, 696 *a*; novam cruciatam concedit regnis Portugalliae et Algarbiorum ad triennium, 698 *a*; permittit senatui Reipublicae Venetorum vendere quaedam bona ecclesiastica, pretiumque in bello contra

Turcas convertere, 701 *a*; iubilaeum pro regno Poloniae indicit, 725 *a* et *seq.*; item indulgentias christifidelibus Status Ecclesiastici indulget, et publicas preces indicit pro tuitione civitatis et regni Cretae contra Turcas, 727 et *seq.*; item christifidelibus totius Italiae, 730 *a* et *seq* ; caeremoniarum magistris non participantibus assignat trigintasex ducatos auri de camera a singulis cardinalibus in promotione, et vigintaquinque post eorum obitum ab eorum haeredibus recipiendos, 736 *a* et *seq.*; supprimit canonicos S. Georgii in Alga Venetiarum, ac fratres Iesuatos et S. Hieronymi de Fesulis, 737 *b* et *seq.*; illorumque bona in Venetiarum Statu et in regno Siciliae ultra Pharum existentia, exceptis sacris, applicat Reipublicae, 739 *b* et 748 *a*; irritat quidquid oeconomus generalis Sanctae Sedis gesserat in Statu Mediolanensi circa apprehensionem bonorum ad congregationes suppressas spectantium, 784 *a* et *seq.*; bona et conventum Iesuatorum de Urbe applicat conservatorio S. Philippi Nerii, 790 *b*; congregationem super indulgentiis et sacris reliquiis erigit, 805 *a* et *seq.*; extinguit antiquum et erigit novum montem collegii secretariorum apostolicorum, 832 *a* et *seq.*

Clerici induti cotta sunt praeferendi privatis personis vel clericis nullo indumento chorali suffultis, 210 *a*.

Clericorum regularium Minorum congregatio, *vide* Congregatio clericorum regularium Minorum.

Clericorum regularium et secularium congregationes *vide* Congregationes.

Colimbriensis ecclesiae canonicorum habitus decernitur, 468 *b* et *seq.*

Colimbriensis universitas studii generalis, *vide* Collegium S. Petri.

Collegium Germanicum et Ungaricum de Urbe, *vide* Germanicum collegium.

Collegium Maronitarum in civitate Ravennae sub invocatione S. Ephrem erectum, 391 *a*; supprimitur, 392 *a* et *seq.*; et alumni Maronitae in collegio de Propaganda Fide sustentabuntur, *ibid.*

Collegium nationis Scotorum Parisiense, 830 *b*; illi fuit indulta a Paulo V facultas celebrari faciendi in suo privato oratorio, illiusque alumnis ut absque dimissoriis ad titulum paupertatis ordinari possent, 831 *a*; quod confirmatur a Clemente IX, 831 *b*.

Collegium S. Petri universitatis studii generalis Colimbriensis Sedis Apostolicae immediate subiectum, 389 *b*; eidem renovatur facultas admittendi collegialem canonistam suprannumerarium, 390.

Coloniensis universitatis rectori et decanis facultatum indultum pluries concessum et prorogatum nominandi ad beneficia ecclesiarum illius civitatis, 239 *b* et *seq.*; iterum conceditur ab Alexandro VII, 244 *b* et *seq.*; iterum a Clemente IX confirmatur, 560 *a* et *seq.*

Columna Iulia, nobilis mulier Romana, 138 *b*; terrena in caelestia, et transitoria in aeterna felici commercio commutare cupiens, unam domum suam donat archiconfraternitati Annunciationis B. Mariae Virginis, *ibid.*

Comacli supra vallibus postulata, 144 *a*; ipsis satisfieri proponitur, *ibid.*

Conceptionis B. M. V. Immaculatae officium et missa de praecepto ordinatur in regnis Hispaniarum et Indiarum, 284 *b*; item in ditionibus ducis Sabaudiae, 378 *b*; item in ditionibus Ferdinandi magni ducis Etruriae, 385 *a*; et in

Statu Mediolanensi et marchionatu Finalensi, 396 *a* ; item in ditionibus Siciliae et Sardiniae, 396 *b*; item ab omnibus presbyteris et clericis regularibus Societatis Iesu qui ad horas canonicas tenentur, 570 *a*; et in Statu Ecclesiastico, 583 *a*.

Conclavistarum privilegia, 517 *a* et 533 *b*.

Confessarius monialium. *Vide* Monialium monasteria.

Congregatio seu confraternitas *Scholae Christi* in oppido Madriti, Toletanae dioecesis, canonice erecta, 338 *b*; constitutiones ipsius referentur, *ibid* et *seq.*; confirmantur, 364 *b*.

Congregatio super statu regularium instituta ab Innocentio X, 655*a*; a Clemente IX confirmatur, 655 *b*.

Congregatio cardinalium rebus consistorialibus praeposita, 825 *a*; ipsius decretum pro dioecesi Burgensi approbatur, *ibid.*

Congregatio indulgentiis et sacris ritibus praeposita Romae erigitur, 805 *a* et *seq.*

Congregationes religiosae (*reliquas quae hîc non recensentur require sub verbo* Ordines religiosi *vel sub titulo proprio*).

Congregatio B. Iacobi Veneti erigitur sub regulari observantia PP. Praedicatorum, 412 *a*, *vide* Ordo Praedicatorum.

— canonicorum regularium S. Georgii in Alga Venetiarum supprimitur, 737 *b*; illiusque bona applicantur Reipublicae Venetiarum pro bello contra Turcas, 739 *b* et *seq.*; et 748 *a*; item pro defensione civitatis et regni Candiae, 781 *a* et *seq*, *vide* Georgii (S.) in Alga.

— canonicorum regularium SS. Salvatoris 66 *a*; statuitur quod spolia defunctorum canonicorum regularium eiusdem congregationis transmittantur ad procuratorem generalem ipsius pro debitis solvendis, *ibid.*; abbati generali conceditur deferre habitum praelatitium, *ibid.*; procuratori generali locus primus post priorem assignatur, 779 *b*.

— clericorum regularium Minorum in domo S. Laurentii in Lucina de Urbe a Sixto Papa V instituta, 199 *a*; eius praepositus generalis ad vitam durare debebat, 199 *a* et *b*; mutationes deinde inductae revocantur, 199 *b* et *seq.*

— clericorum regularium S. Pauli Decollati 8 *b*; ut praepositus generalis unâ cum assistentibus congregationis, resideat in collegio S. Caroli de Catinariis de Urbe indulgetur ad quinquennium, *ibid.*; ibi fixatur sedes illius pro semper, 9 *a*; in eodem collegio habeantur capitula generalia congregationis, et non sit alicuius provinciae dictae congregationis, sed immediate subiaceat praeposito generali, *ibid.*; de electionibus et officiorum aequa distributione statuuntur plura, 9 *b*; nonnullae ordinationes pro felici statu eiusdem congregationis, 10 *a* et *seq.*

— clericorum secularium Doctrinae Christianae in Gallia quomodo eligendi vocales capituli generalis, 55 *b*; singulis trienniis habeat capitula provincialia, et singulis sexennis capitulum generale loco et tempore a praeposito generali designandis, 281 *b*; patres Doctrinae Christianae regni Neapolis uniuntur Congregationi Romanae, 485 *b* et *seq.*

— fratrum S. Hieronymi de Fesulis supprimitur, 737 *b*; ipsiusque bona applicantur Reipublicae Venetae pro bello contra Turcas, 739 *b* et *seq.*; item bona

in Siciliae regno ultra Pharum consistentia, 748 *a* et *seq.*; item in subsidium insulae Cretae contra Turcas, 781 *a*.

Congregatio S. Hieronymi Iesuatorum, 385 *b*; procurator generalis eiusdem congregationis per repartitionem manutenendus a diversis ipsius domibus pro rata concurrentibus, 385 *b*, 386 *a* et *b*; supprimitur congregatio, 737 *b*; illiusque bona, tam Venetiis, quam in regno Siciliae ultra Pharum consistentia, Reipublicae Venetiarum in subsidium contra Turcas applicantur, 739 *b* et 748 *a*; item in subsidium regni Candiae, 781 *a*.

— monachorum Caelestinorum, 777 *a*; in quatuor quarteria seu nationes dividitur, *ibid.*; iustitia distributiva inter quarteria in vacationibus officiorum quomodo servanda, 777 *a* et *b*.

— pauperum Matris Dei Scholarum Piarum, 275 *b*; conventus erigitur in oppido Piscinae, Marsicanae dioecesis, *ibid.*; eadem Congregatio restituitur ad statum regularium cum privilegiis Mendicantium, 826 et *seq.*

— Somaschae, 492 *b*; an et ubi sepelire possint cadavera alumnorum sine parochorum inventu, *ibid.* et *seq.*

Congregationes undecim regulares, 147 *a*; super istarum bonis subsidium imponitur tercentorum millium scutorum pro Sedis Apostolicae necessitatibus, 147 *b*.

— Missionis in Gallia, 67 *b*; personae ipsius, quae a superioribus deputantur tum ad missiones tum ad alias functiones proximum spectantes, subsint quoque locorum Ordinariis quoad functiones huiusmodi, 68 *a*; ne fiat emissio votorum approbatorum nisi post biennium probationis, 68 *b*.

Congressus pacis tractandae inter regem catholicum et christianissimum circa nonnullas Belgii provincias, 582 *a*.

Conservatorio puellarum S. Philippi Nerii de Urbe applicantur conventus et ecclesia Ss. Ioannis et Pauli bonaque suppressae congregationis Iesuatorum, 790 *b*.

Conventus novi maxime Mendicantium ne erigantur absque licentiâ Sedis Apostolicae, 128 *b*, 132 *a*, 171 *b*, 172 *a*, 185 *b* et *seq.*

Cornelius Iansenius. *Vide* Ecclesiastici regni Galliarum.

Corsorum militum in Urbe casus detestabilis cum familia oratoris regis christianissimi apud Sedem Apostolicam, 143 *b*, et 253 *b* et *seq.*

Crepacorii marchionatus, *vide* Masserani.

Crequius dux, 253 *b* et 254 *a*; orator pro rege christianissimo apud Sedem Apostolicam, *ibid.*; attentatum contra ipsius familiam a militibus Corsis, *ibid.*

Crescentius de Crescentiis, cuiusdam domus prope ecclesiam S. Mariae in Rotunda possessor, litem habet cum canonicis ipsius ecclesiae, 162 *a* et *seq.*

Cretae regnum aggressum a Turcis, 727 *a* et *b*; pro illius defensione publicae preces indicuntur et elargiuntur indulgentiae, *ibid.*

Cruciatae bulla concessa et plurius renovata pro regnis Portugalliae et Algarbiorum, 698 *a* et *b*; iterum renovatur, *ibid.*

Cruciferarum nobilium matronarum pia unio vel congregatio Viennae instituta pro cultu SS. Crucis, 694 *a* et *seq.*

Crucis (SS.) dominicae particula in cappellâ palatii imperiali Viennae pie asservata, 693 *b*; dum palatium formidabili incendio, quo etiam muri consumpti sunt,

conflagravit, particula illa post quinque dies inter extinctos carbones et cineres intacta reperta fuit, 694 *a*.

Crucis (S.) de Avellana monasterium vel abbatia, *vide* Avellana.

D

Damnatio plurimarum propositionum, 387 *b* et 427 *b*.

Damnatur liber sub titulo *Ritualis* pro dioecesi Aletensi, 629 *a* et 654 *a*; damnatur etiam liber versionis gallicae Testamenti Novi, 657 *a* et *seq*.

Dapiferis in conclavi Clementis PP. IX privilegia conceduntur, 533 *b* et *seq*.

Debita ecclesiae episcopalis Ratisbonensis, a quibus solvantur, 767 *a* et *seq*.

Decimarum impositio pro rege catholico super bonis ecclesiasticis in regnis Hispaniarum, 71 *b*; decima imposita ecclesiasticis regnorum Hispaniae moderatur, 406 *b*.

Decimarum impositio super fructibus ecclesiasticis pro Venetorum Republicâ, 601 *a* et *seq*.

Declaratio mentis Sanctitatis Suae super solutione decimarum per pensionarios facienda, 249 *b*.

Decretum de promovendis ad ordines in Urbe et in sex vicinis episcopatibus, 52 *a* et *seq*.; super observantiâ Indicis librorum prohibitorum noviter impressi, 234 *a*.

Definitorium; statuitur pro Ordine fratrum Minorum sancti Francisci quod in illud ingredi non possint duo fratres germani, 170 *a*.

Defunctorum anniversaria, *vide* Anniversaria.

Delphinus cardinalis Ioannes ecclesiae patriarchalis Aquileiensis praesul, 701 *a*.

Diridolus Ioannes minister provincialis provinciae Britanniae fratrum Minorum S. Francisci, 179 *b*.

Discalceati fratres S. Francisci *vide* Ordo Minorum.

Dismembratio dioecesis Burgensis ad novum episcopatum erigendum, in collegiatâ ecclesiâ oppidi Santader, 825 *a*; suspenditur, *ibid*.

Doctrinae Christianae Congregatio, *vide* Congregatio clericorum secularium Doctrinae Christianae.

Dominici (S.) festum in toto regno Neapolis celebretur de praecepto tamquam de patrono, cum octavâ, 283 *b*.

Dominici (S.) in Indiis occidentalibus archiepiscopo committitur ut exequatur separationem insulae SS. Trinitatis a dioecesi Portusdivitis, vel de Portorico, et unionem illius archiepiscopatui S. Fidei, 191 *b* et *seq*.

Dominicus Tafuri *vide* Tafuri Dominicus.

Dominicus Verneirius Ordinis Praedicatorum inquisitor haereticae privitatis in civitate Bisuntina, 379 *a*; eidem imputantur quaedam delicta quorum cognitio archiepiscopo committitur usque ad sententiam exclusive, *ibid*.

Dorivallius Ioannes archidiaconus Luxoviensis et canonicus ecclesiae necnon officialis curiae Bisuntinae, 62 *b*; commissio eidem contra Guglielmum Humbertum Praecipianum et alios inobedientes canonicos ecclesiae Bisuntinae, 63 *a*.

Dumont Bartholomaeus custos custodiae Lotharingiae fratrum Minorum S. Francisci de Observantia recollectorum, 81 *a*; postulat confirmari erectionem custodiae Lotharingiae, 81 *b*.

E

Ecclesiarum bona pro bello contra Turcas contributioni subiiciuntur, 223 *a* et *seq.*; vasa, candelabra, cruces, thuribula et alia utensilia (exceptis sacrâ unctione delibutis) tradenda regi ut conflentur et in nummos cudantur pro bello contra Turcas, 230 *a* et *seq.*

Ecclesiastici in sortem Domini vocati et speciales Ecclesiae filii debent prae ceteris Sanctae Matris Ecclesiae et patriae periculis alacriter opitulari, 223 *a*.

Ecclesiasticis et praecipue regularibus apud Sinas in processionibus solemnibus umbellam gestare vetatur, 821 *a*; et quidquid ludicri aut minus gravis speciem haberet, tollere ipsis imponitur, *ibid.*

Ecclesiasticis Hispaniae et Sardiniae prorogatur subsidium solvendum regi catholico ad quinquennium, 298 *b*.

Ecclesiasticis regni Galliarum exhibetur formula ab ipsis subscribenda pro confutatione quinque propositionum Cornelii Iansenii, 336 *a*; quidam episcopi protestationes typis emittunt occasione huius formulari, quas supprimit Pontifex, 509 *b*; mandatque episcopis ut subscribant formularium, *ibid.*

Ecclesiasticis regnorum Castellae et Legionis imponitur contributio in subsidium decem et novem millionum cum dimidio pro rege catholico, 633 *a*; aliud subsidium, 706 *b*.

Ecclesiasticis regnorum et provinciarum coronae Aragoniae decima imposita moderatur, 406 *b*.

Ecclesiasticis Reipublicae Venetorum imponitur subsidium, 482 *a*; aliud subsidium decimarum, 601 *b* et *seq.*

Ecclesiasticis Status Senensis imponitur subsidium pro expensis fluminum et aggerum, 676 *a*.

Eleonora vidua Ferdinandi III Romanorum regina, 693 *b* et *seq.*; erigit unionem matronarum et virginum nobilium sub denominatione *Cruciferarum*, *ibid.*

Ephrem Chasteau, agens et procurator generalis fratrum Minorum Ordinis S. Francisci recollectorum nuncupatorum, 169 *b*.

Episcopatus de novo erectio in oppido de Santeder, cum dismembratione diœcesis Burgensis, decreta fuerat, sed revocatur, 825 *a*.

Episcopi vicarii apostolici in Indiis Orientalibus, 816 *b*; quantis gaudeant facultatibus supra missionariis cuiuscumque Ordinis etiam Societatis Iesu ibi degentibus, 817 *a* et *seq.*

Erectio hospitalis pro pauperibus mendicantibus Neapoli, 795 *a* et *seq.*

Erectio novorum conventuum maxime Mendicantium prohibetur absque licentia Sedis Apostolicae 128 *b*; 132 *a*; 171; *b* 172 *a*.

Erectio unionis matronarum et virginum nobilium sub denominatione *Cruciferarum*, 694 *a*.

Ernestus Adalbertus ab Harrach nuncupatus presbyter cardinalis tituli S. Praxedis, 221 *b*; ecclesiae Pragensis praesul, 230 *a*; ipsi et aliis data commissio imponendi subsidium seu contributionem super bonis ecclesiasticis in Statibus ereditariis electi imperatoris, 223 *a* et *seq.*; ipsi consignanda utensilia ecclesiarum aurea et argentea tradenda regi pro nummis conficiendis in bello contra Turcas, 230 *a*; ipsius preces Pontifici pro erectione episcopatus Reginobradecensis, 314 *a* et *b*.

Excommissae, vulgo dictae, occasione sortitionis annualis officialium civitatis Barchinonensis et principatus Cataloniae fieri solitae 113 *a*; stricte prohibentur ecclesiasticis dictorum civitatis et principatus, 113 *b* et *seq.*

Exemptiones a vectigalibus aliisque publicis oneribus revocantur subditis Sedis Apostolicae, 616 *b* et *seq.*

Extensio statuti Gregorii XV circa canonicatus, praebendas, aliaque ecclesiastica beneficia in Hispaniarum regnis, 12 *b*.

F

Fagnanus Prosper secretarius congregationis episcoporum visitationis apostolicae, 23 *a*; item congregationis specialiter deputatae super negotiis Ordinis Praemonstatensium, 45 *a*.

Familiarium Pontificis privilegia, quae sint, 661 *a* et *seq.*

Farnesius presbyter card. Hieronymus, *vide* Hieronymus.

Farfae monasterium Ordinis S. Benedicti *vide* Ordo S. Benedicti.

Ferdinandus episcopus Paderbonensis, 373 *b* et *seq.*

Ferdinandus Etruriae magnus dux, 385 *a*.

Ferdinandus gloriosae memoriae Romanorum et Bohemiae rex in imperatorem electus pensionem annuam statuit pro erigendis in regno Bohemiae ecclesiis cathedralibus, 313 *a* et *seq.*

Ferdinandus Maria Bavariae dux, 541 *a*; facultas illi concessa restituendi octo ex decem monasteriis Palatinatus superioris, iam per haereticos occupata, religiosis eorum respective Ordinum, et reliqua duo monialium in erectionem novi monasterii monialium in oppido Bambergae, 541 *b* et *seq.*

Fidei (S.) archiepiscopatus in Indiis occidentalibus 192 *a*; ipsi subiicitur insula Trinitatis, 192 *b*.

Flavius Chisius presbyter cardinalis tituli S. Mariae de populo procamerarius, 148 *a*; constituitur specialis procurator et commissarius apostolicus pro exigendo subsidio tercentorum millium scutorum imposito undecim congregationibus regularibus pro necessitatibus Sedis Apostolicae, *ibid.*; potestates illi tributae, 151 *a*; nepos Sanctitatis Suae delegatur ad Ludovicum regem christianissimum, 264 *b*; eidem uti legato Avenionensi conceditur facultas absolvendi quosdam facinorosos, 317 *a*.

Flore (de) Augustinus, *vide* Augustinus de Flore.

Formularium praescriptum ab Alexandro VII contra haeresim Cornelii Iansenii, 336 *b*; mandamenta quatuor episcoporum occasione huius formularii edita damnantur et supprimuntur, 509 *b*.

Fractis (de) ecclesia S. Andreae de Urbe, *vide* S. Andreae.
Franciottus eminentissimus relator cuiusdam causae in congregatione S. R. E. cardinalium super negotiis episcoporum et regularium praepositâ, 70 *a*.
Francisci (S.) de Paula Ordo Minimorum nuncupatorum *vide* Ordo Minimorum.
Francisci (S.) de Assisiis fratres Minores *vide* Ordo Minorum.
Francisci (S.) Xaverii dies festus a secunda in diem tertiam decembris translatus est, 184 *b*; etiam indulgentia plenaria perpetua, concessa visitantibus ecclesias Societatis Iesu tali die festo, transfertur, *ibid.*
Francisco Ludovico Ferrerio Flisco renovatur investitura principatus Masserani et comitatus Crepacorii, 622 *a* et *seq.*
Franciscus Avias congregationis Doctrinae Christianae, *vide* Avias.
Franciscus Barberinus *vide* Barberinus.
Franciscus Caracciolus et Augustinus Adornus fundatores congregationis clericorum regularium Minorum, 200 *a*.
Franciscus cardinalis Barberinus episcopus Portuensis, sanctae Romanae Ecclesiae vicecancellarius, 269 *a*; beneficia quae in titulum seu commendam ad sui vitam obtinet in dioecesi Ferrariensi, *ibid.*; congregationis Cassinensis Ordinis S. Benedicti protector, 370 *b*; Ordinis Minoris sancti Francisci protector, 399 *a*; item episcopus Ostiensis et Veliternensis nuncupatus protector regni Scotiae, 831 *b*; *vide* Barberinus.
Franciscus cardinalis De Sourdis ecclesiae Burdigalensis praesul, 579 *b*.
Franciscus cardinalis Maidalchinus, *vide* Maidalchinus.
Franciscus (Ven.) de Sales, episcopus Genevensis, Sanctorum catalogo adscribitur, 432 *a* et *seq.*
Franciscus de la Rosa, vicarius generalis Italiae ac Siciliae, ac procurator generalis totius Ordinis fratrum B. Mariae de Mercede redemptionis captivorum, 84 *a*; postulat confirmari a Pontifice statuta capituli generalis Oscensis eiusdem Ordinis, 107 *b*; conqueritur apud Sanctam Sedem contra diffamationes fratrum Ordinis SS. Trinitatis, 208 *a* et *seq.*; postulat confirmari decreta pro Limana provincia sui Ordinis, 219 *b* et *seq.*
Franciscus dux Mutinae et Rhegii, nobilis infans laudabilia infantilis aetatis indicia praebens, 268 *b*; ipsi eiusque successoribus conceditur iuspatronatus praesentandi ad praeposituram secularem in ecclesiâ abbatiae de Pomposa, et ad archipresbyteratum ecclesiae S. Mariae de Bondeno, 268 *b* et *seq.*
Franciscus episcopus Eliopolitanus in regno Tunchini vicarius apostolicus, 816 *a*.
Franciscus Maria Antaldus, *vide* Antaldus.
Franciscus Maria dux Bavariae postulat pro canonizatione S. Francisci Salesii, 438 *b*.
Franciscus Maria Lancius, *vide* Lancius.
Franciscus Maria Luranius, procurator generalis congregationis Observantiae Lombardiae Ordinis Eremitarum sancti Augustini, 289 *b*.
Franciscus Pasqualis magister Campi et praeses regiae audientiae Montis Fusculi in regno Neapolitano a violatae immunitatis et iurisdictionis ecclesiasticae excessibus possit absolvi a cardinali vicario, 204 *a* et *b*.
Franciscus Ratta Bononiensis contribuit pro erectione hospitalis pauperum septuagenariorum, 756 *b*.

Franciscus Toletus cardinalis, *vide* Toletus.

Fratres germani non possunt simul in definitorium ingredi Ordinis Minorum sancti Francisci, 170 *a*.

Fulgentius Petrellus olim prior generalis Ordinis Eremitarum sancti Augustini, 417 *b*.

G

Galenus Ioannes Hieronymus procurator specialiter constitutus a rectore venerabilis collegii Germanici et Hungarici de Urbe pro quadam concordia ineunda cum collegio Neophytorum de Urbe, 16 *b*.

Galgario (de) conventus sub titulo B. Mariae et Omnium Sanctorum in civitate Bergomensi, 404 *b*.

Gallart Ioseph, unus ex canonicis oppositoribus episcopo Barchinonensi eligitur ad canonicatum et praebendam poenitentiariis illius ecclesiae, 117 *a*.

Galliarum regni clerus, principes et magnates postulant pro canonizatione S. Francisci Salesii, 438 *b*.

Galliarum regnum christianissimum ac pietatis et bellicae fortitudinis laude florentissimum, 793 *a*; multi egregii pugiles inde in insulam Cretae se contulerunt gloriosa pro Christi honore certamina contra Turcas subitur, 763 *b*.

Gallicae et Brittanicae nationum fratres Minores sancti Francisci inter se couti non possunt, 179 *b*; concordia inter ipsos inita refertur et confirmatur, 180 *a* et *seq.*

Gaspar de Braccamonte nobilis vir, 204 *a*.

Georgii (S.) in Alga Venetiarum congregatio, 80 *a*; ipsi incorporantur provincia et quatuor monasteria ipsius in regno Siciliae existentia, *ibid.*; tota congregatio supprimitur, 737 *b*; *vide* Congregationes religiosae.

Georgii (S.) festum in Catalonia conceditur de praecepto unâ cum illius officio, 464 *b*.

Germani fratres non possunt simul ingredi in definitorium Ordinis Minorum sancti Francisci, 170 *a* et *b*.

Germanicum collegium et Ungaricum de Urbe, 16 *a*; Gregorius XIII illi adnectit fructus abbatiae S. Crucis de Ayellana cum reservatione pensionis in favorem collegii Neophytorum, *ibid.*; concordia et transactio super huius pensionis solutione, 16 *b* et *seq.*; confirmatur a Pontifice, 20 *b* et *seq.*; plura dubia circa idem collegium exorta, 231 *b*; resolvuntur, 232 *a* et *b*; eiusdem collegii privilegia, 682 et *seq.*; cardinalibus protectoribus extenditur iurisdictio privativa ad ecclesias et monasteria collegio unita, *ibid.*

Ginettus card. Martius Ordinis SS. Trinitatis protector, 175 *a*; curat iniri concordiam inter fratres Hispanos et Italos supra conventu SS. Trinitatis Neapolis, 175 *b* et *seq.*; secretariae congregationis sacrorum rituum addictus, 209 *a*; *vide* Martius.

Gondus cardinalis Ioannes Franciscus Paulus de Retz nuncupatus, archiepiscopus Parisiensis, 46 *a*; absens ab ecclesia sua eam per vicarios suos regit, *ibid.*; demum illi renunciat, *ibid.*

Goswinus Nickel praepositus generalis Societatis Iesu, 109 *a*; exponit plura incommoda quae obveniunt dictae Societati ex vacatione munerum et superioritatum quolibet triennio et cessatione ab ipsis, *ibid.*; obtinet suspendi de hac re statutum Innocentii X, 109 *b* et *seq.*

Gregorius XIII collegium Germanicum de Urbe pene destitutum restituit, 15 *a*; illique fructus assignavit abbadiae S. Crucis de Avellana cum reservatione pensionis in favorem collegii Neophytorum de Urbe, 16 *a*; quaedam alia pro eadem collegio Germanico statuit, quae referuntur, 231 *b*; et declarantur, 232 *a*.

Gregorius XV statuit ut canonicatus et praebendae poenitentiarii ecclesiarum cathedralium et metropolitanarum in regnis Hispaniarum vacantes praevio concursu per edictorum affixionem conferri deberent, 12 *b* et *seq.*, 115 *b*, 116 *a*.

Guaiana insula SS. Trinitatis in Indiis occidentalibus quoad civilia est subiecta audientiae S. Dominici, et quoad spiritualia episcopatui Portusdivitis seu de Portorico, 191 *b*; subtrahitur iurisdictioni audientiae S. Dominici et subiicitur audientiae S. Fidei, 192 *a*; item separatur ab episcopatu Portusdivitis et subiicitur archiepiscopatui S. Fidei, 192 *b*.

Guichens Thomas, Galliarum assistens apud priorem generalem Ordinis fratrum eremitarum S. Augustini, et prior conventus maioris nuncupati civitatis Parisiensis eiusdem Ordinis, 25 *a*.

Guido archiepiscopus Rhodiensis, in regno Franciae nuncius, 831 *a*.

Guidobaldus archiepiscopus Salisburgensis, 183 *a*; liber declaratur a iuratis quibusdam capitulationibus stipulatis a capitulo Sede vacante, 183 *b*.

Guidobaldus cardinalis de Thun, ecclesiae Ratisbonensis archiepiscopus, 543 *a* et 767 *b*; item ecclesiae Salisburgensis archiepiscopus, 793 *a* et *seq.*

Gulielmus Humbertus Praecipianus, *vide* Praecipianus.

Gusman comes de Penaranda prorex regni Neapolitani, 204 *a*.

H

Harrach (ab) Ernestus Adalbertus presbyter cardinalis tituli S. Praxedis, *vide* Ernestus Adalbertus.

Henricus episcopus Rhedonensis, apostolicus commissarius erigit et confirmat custodiam SS. Trinitatis Ordinis Minorum sancti Francisci pro reformatione provinciae maioris Turoniae eiusdem Ordinis, 145 *b*.

Henriquetta Maria, Angliae regina, postulat pro canonizatione S. Francisci Salesii, 438 *b*.

Hieronymus Ari Artensis, magister et prior generalis Ordinis Carmelitarum, 214 *b*; capitula statuit pro concordia inter fratres Britones et non Britones provinciae Turoniae eiusdem Ordinis, 215 *a* et *seq.*, 217 *b*.

Hieronymus presbyter cardinalis Farnesius, Ordinis fratrum Minorum sancti Francisci Cappuccinorum protector, 551 *a*.

Hieronymus Rospigliosus pater Clementis IX, 512 *a*.

Hieronymus Valvasonus, *vide* Valvasonus.

Hieronymus Valvasorius, prior generalis Ordinis Eremitarum sancti Augustini, 625 *a*.

Homicidium episcopi Nicoterensis, 769 *b*; committitur episcopo Ferentino processus, *ibid.*, excommunicatio contra interfectores et reservatio absolutionis, 772 *a*.

Honuphrii (S.) ecclesia in territorio civitatis Beneventanae, 204 *a*; princeps terrae *della Roccia* et eius homines, dum ipsi ianuae et parietibus ecclesiae illius adhaerebant, apprehensi sunt et captivi abducti, *ibid.*

Hospitale Avenionense singulis novenniis debebat camerae apostolicae scuta octingenta quinquaginta, 733 *a* et *seq.*; reducitur hoc onus ad centumocto scuta, ita tamen ut milites Sedis Apostolicae aegroti in hospitali curentur, *ibid.*

Hospitale S. Ioannis Hierosolymitani, 606 *a*; fratres quidem hospitalis ad Urbem personaliter vocantur, 606 *a*; monasteria monialium ab hospitali dependentia Caturcensis dioecesis ab Ordinariis visitanda, 728 *b*; facultas data magno magistro dismembrandi sex millia librarum annuarum ex redditibus prioratus S. Ægidii linguae Provinciae pro impensis victus fratrum dictae linguae, 789 *a* et *seq.*

Hospitale pauperum septuagenariorum in civitate Bononiensi, 755 *a*; statuta pro hospitali confirmantur, *ibid.*

Hospitale pro pauperibus mendicantibus et otio vacantibus erigitur Neapoli, 795 *a*.

Hospitali B. Mariae Theutonicorum confirmantur privilegia hospitalis S. Ioannis Hierosolymitani, 673 *b*.

Hospitaliarium monialium institutum confirmatur, 411 *a*.

Hungariae regnum nobilissimum, quod olim erat validissimum adversus infidelium impetus christianae reipublicae propugnaculum, invaditur a Turcis, 222 *a*, 229 *a*; *vide* Turcarum tyrannus.

Hyacinthus Maria Granata, inquisitor in civitate et ducatu Mantuano, 507 *b*; armatâ manu inde expellitur, 508 *a*.

I

Iacobi (S.) apostoli, patroni Hispaniarum, officium sub ritu semiduplici in tota Hispania recitandum qualibet feriâ secundâ non impeditâ festo novem lectionum, 516 *a* et *b*.

Iacobi (S.) Panormi in Siciliae monasterium canonicorum S. Georgii in Algâ Venetiarum, 79 *b*, *vide* S. Georgii.

Iacobi (S.) Veneti Congregatio *vide* Ordo Praedicatorum.

Iacobus archiepiscopus Athenarum, Sedis Apostolicae apud Rempublicam Venetam nuncius, 125; ipse collector constituitur cum patriarcha Venetiarum subsidii impositi supra bonis ecclesiasticis dominii Veneti pro Republica Venetiarum, *ibid.*

Iacobus Novellius praepositus generalis congregationis Doctrinae Christianae, 487 *a*.

Iacobus Romanus procurator generalis Congregationis Cassinensis Ordinis S. Benedicti, 64 *b*.

Iansenii Cornelii haeresis in Gallia serpens, 336 *a*; formula subscribenda imponitur contra ipsam, 336 *b*.

Ianuarius (S.) regni Neapolitani principalior patronus, 337 *b*.

Idelphonsus Salizanes minister generalis fratrum Minorum sancti Francisci de Observantiâ, 300.

Iesuatorum congregatio S. Hieronymi, *vide* Congregatio.

Ignatius (S.) Societatis Iesu fundator, 110 *a*; superioribus Ordinis nullum praefixit spatium durationis in officiis vel cesssationis ab ipsis, 110 *a* et *b*; eius officium sub ritu duplici celebrandum, 578 *b*.

Impositio decimae in regnis Castellae et Legionis, ac Aragoniae et Valentiae, aliisque, pro rege catholico, 71 *b*; item super fructibus ecclesiasticis pro Republicâ Venetâ, 601 *a* et *seq.*

Impositio tercentorum millium scutorum monetae super bonis undecim congregationum regularium pro Sedis Apostolicae necessitatibus, 147 *b*.

Incorporatio provinciae et quatuor monasteriorum congregationis canonicorum S. Georgii in Alga Venetiarum in regno Siciliae congregationi eorumdem canonicorum Venetae, 80 *a*; *vide* S. Georgii in Alga.

Indiarum Orientalium missiones multipliciter regulantur, 816 *a*, 819 *b* et *seq.*

Indulgentia plenaria perpetua pro visitantibus ecclesias Societatis Iesu festis sanctorum Ignatii ac Francisci Xaverii confessis ac communione refectis, 184 *a*; illa pro festo S. Francisci Xaverii transfertur a secundâ in tertiam diem decembris, 184 *b*.

Indulgentiae pro christifidelibus Status Ecclesiastici Italiae insularumque adiacentium orantibus pro felici electione regis Poloniae ac liberatione Cretae a Turcis, 727 *b*; 730 *a*; 782 *b*; et iterum 807 *b*.

Indulgentiae renovantur pro Indiis concessae ad viginti annos, 750 *b*.

Indultum nominandi ad cathedrales ecclesias conceditur regi christianissimo, 324 *a*; 648 *a* et *seq.*; item ad dignitates abbatiales, etc. in Belgicis suis ditionibus 651 *b* et *seq.*

Infirmis Ministrantium religio vel congregatio, *vide* Ministrantium infirmis.

Inquisitor haereticae pravitatis a civitate et ducatu Mantuano expulsus, 507 *b*; committitur archiepiscopo Ferrariensi processus contra delinquentes, *ibid.*; item alius inquisitor a dominio Ianuensi expulsus, 808 *b*; processus contra expulsores, *ibid.*

Investitura feudi Montafiae Carolo Philiberto Hyacintho de Simiana marchioni Planitiarum Taurinensis dioecesis, 495 *a*; item investitura principatus Masserani et comitatus Crepacorii Francisco Ludovico Ferrerio Flisco, 622 *a*.

Ioannes Baptista Begiami acquirit feudum Montafiae, 495 *b*; declaratque illum acquisivisse pro Carolo Emanuele Philiberto Hyacintho de Simiana marchione Planitiarum, Taurinensis dioecesis, 496 *a* et *seq.*

Ioannes Baptista cardinalis Pallottus, episcopus Albanensis, protector congregationis clericorum regularium Minorum, 199 *b*; protector Ordinis eremitarum sancti Augustini, 289 *a*; item episcopus Tusculanus, 531 *b*; ius illi defenditur ad administrationem cappellae S. Mariae Maioris de Urbe ad Praesepe Domini nuncupatae, 672 *a* et *seq.*

Ioannes Baptista de Marinis Ordinis Praedicatorum magister generalis, 302 *a*; ipsius litterae de pertinentia collegii S. Ludovici Angelopolitani ad conventum S. Dominici Mexicani et provinciam S. Iacobi Ordinis huiusmodi,

ibid.; item pro felici statu et progressu Congregationis B. Iacobi Veneti, eiusdem Ordinis, 412 *b* et *seq.*; item pro conservatione unitatis provinciae Turoniae, 455 *a*.

Ioannes a Conceptione procurator generalis congregationis Hispaniae fratrum Discalceatorum nuncupatorum Ordinis SS. Trinitatis, 119 *b*, 208 *a*.

Ioannes cardinalis Delphinus patriarcha Aquileiensis, 701 *a*.

Ioannes Casimirus Poloniae et Sveciae rex, 365 *b*.

Ioannes de Torano rector parochialis ecclesiae S. Ioannis de Mercato regionis Campitelli de Urbe, 136 *a* et *b*; licentiam obtinet construendi unum monasterium pro puellis et unum hospitale pro viris iudaeis ad fidem conversis, 136 *b*.

Ioannes Dorivallius, *vide* Dorivallius.

Ioannes Franciscus episcopus Nicoterensis interficitur, 769 *b*; committitur episcopo Ferentino processus, *ibid.*; excommunicatio contra interfectores, et reservatio absolutionis, 772 *a*.

Ioannes Franciscus Nigronus in utraque signatura referendarius, 696 *a*; deputatur commissarius ad visendas communitates Status Ecclesiastici, exceptis illis quatuor Legationum, *ibid.*

Ioannes Franciscus Paulus Gondus S. R. E. cardinalis de Retz, 46 *a*, *vide* Gondus.

Ioannes Hieronymus Galenus, *vide* Galenus.

Ioannes Maria Lancius abbas generalis congregationis canonicorum regularium S. Salvatoris Ordinis sancti Augustini, 467 *a*.

Ioannes Michaël cardinalis Saracenus, *vide* Saracenus.

Ioannes Paulus Oliva vicarius generalis Societatis Iesu, *vide* Oliva.

Ioannis (S.) de Mercato regionis Campitelli de Urbe ecclesia 136 *a*; apud ipsam erigitur monasterium et hospitale pro puellis et viris iudaeis ad fidem conversis, 136 *b*; in domo prope dictam ecclesiam instituitur monasterium SS. Annunciationis monialium seu virginum neophytarum, 139 *a* et *b*; quod transfertur ad ecclesiam et aedificia S. Basilii in regione Montium eiusdem Urbis, 142 *a*.

Ioseph a S. Maria, episcopus Hierapolitanus, deputatur tamquam visitator apostolicus in insulis Maris Ægei, 457 *b*.

Ioseph Carafa clericus et alii asserti complices homicidii contra legem immunitatis ecclesiasticae aguntur et morti traduntur 204 *a*.

Ioseph Gallart canonicus ecclesiae Barchinonensis, *vide* Gallart.

Iosephi (S.) archiconfraternitas pro hospitali manutenendo pauperum septuagenariorum, 755 *a*.

Iosephus Interamnensis, Ordinis fratrum eremitarum S. Augustini assistens Italiae, 42 *a*.

Iubilaeum ad implorandam divinam opem, 130 *a*; iterum ad divinam opem implorandam contra Turcas, 236 *b* et *seq.*; universale indicitur a PP. Clemente IX initio sui pontificatus, 512 *a* et *seq.*; pro regno Galliarum et ditionibus regis christianissimi, 763 *b*; et eleemosynae a christifidelibus occasione iubilaei collatae erogandae in subsidium belli contra Turcas, *ibid.*; item pro dominio Reipublicae Ragusinae ad divinam opem implorandam contra flagella terremotus et incendiorum, 786 *b*.

Iudaeorum conversio ad fidem catholicam in Urbe promovetur, 135 *b*; 136 *a*; unum monasterium pro puellis et unum hospitale pro viris iudaeis ad fidem conversis et convertendis instituitur, 136 *b*.

Iulia Columna, *vide* Columna.

Iulius II statuit ne regnum Siciliae simul cum regno Romano aut dominio Lombardiae et Tusciae teneretur, 554 *a* et *b*.

Iulius archiepiscopus Laodiceae, nuncius apostolicus in regno Neapolis, 316 *a*; eidem committitur processus contra episcopum Policastrensem, 316 *b*.

Iulius cardinalis Rospigliosus in summum Pontificem eligitur, 512 *a*, *vide* Clemens IX.

Iulius episcopus Sabinensis, cardinalis Sacchettus, *vide* Sacchettus.

Iurisdictionem sibi in aliquibus locis competentem cedit Reipublicae Lucanae capitulum ecclesiae cathedralis Lucae, 452 *b* et *seq.*

L

Laici et commissi congregationis Ss. Vitoni et Hidulphi Ordinis S. Benedicti quae vota emittere et quamdiu duratura, 465 *b*; a congregatione expelli, non autem voluntarie discedere possunt, 466 *a*.

Lancius Franciscus Maria procurator generalis Congregationis canonicorum regularium SS. Salvatoris, 66 *b*.

Lanfranconius frater Petrus, prior generalis Ordinis fratrum eremitarum S. Augustini, 23 *b*, 24 *a*, 42 *b*.

Laurentii (S.) in Lucina domus de Urbe congregationis clericorum regularium Minorum, 199 *a*; officium praepositi generalis durare debeat in perpetuum, cum facultate tamen capitulo generali eligendi alium, si expedire videbitur, 199 *b* et *seq.*

Laurentius, archiepiscopus Carthaginensis, Venetiis nuncius, 701 *a* et 739 *b*.

Leo a S. Ioanne assistens prioris generalis Ordinis Carmelitarum, 215 *a*.

Leopoldus Ignatius in imperatorem electus concurrit ad erectionem ecclesiae episcopalis Reginohradecensis in Bohemia. 314 *a*.

Leopoldus Romanorum rex illustris in imperatorem electus 222 *a*; pecuniae inopiâ laborat pro bello contra Turcas, 222 *b*; pro ipsi subveniendo imponitur contributio super bonis ecclesiasticis ipsius dominii, 223 et *seq.*; item ipsi tradenda utensilia aurea et argentea ecclesiarum (exceptis sacrâ unctione delibutis) pro nummis conflandis, 229 *b* et *seq.*

Lexoviensis ecclesiae capitulo permittitur fundare anniversaria pro canonicis decedentibus, 595 *b* et *seq.*

Licentia episcopo et clero civitatis Pactensis eiusque territorii contribuendi summam viginti millium scutorum pro redemptione dictae civitatis, 75 *b*.

Locorum piorum civitatis Ragusinae capitalia Neapoli existentia venduntur ad construendas domos in praedictâ civitate, 765 *b* et *seq.*

Lovaniensis universitas studii generalis a Martino V erecta et instituta ac pluribus privilegiis a Romanis Pontificibus cumulata, 810 *a* et *b*; huiusmodi privile-

giis abusa est, 810 *b* et 811 *a*; mitissime admonita a Clemente IX non recessit, 811 *b*; propterea privilegia illi concessa suspenduntur, *ibi l.*

Lucanae Reipublicae ceditur a capitulo ecclesiae Lucanae iurisdictio civilis et criminalis sibi competens in quibusdem locis, 452 et *seq.*

Luchinius Paulus, prior generalis Ordinis fratrum eremitarum S. Augustini, 24 *a*; diversa edit decreta pro bono regimine conventus eiusdem Ordinis maioris nuncupati civitatis Parisiensis, *ibid.*; commissarius apostolicus deputatur, 25 *a* et *seq.*

Ludovicus episcopus Placentiae provinciae Compostellanae, 57 *a*; orator regis catholici Hispaniarum, 59 *a*.

Ludovicus XIV Francorum rex, 324 *a*; eidem conceditur indultum nominandi personas idoneas ad cathedrales ecclesias Metensem, Tullensem et Virdunensem, *ibid.*; postulat pro canonizatione S. Francisci de Sales, 438 *b*, *vide* Regi christianissimo.

Ludus quem dicunt *seminarii*, *vide* Seminarii ludus.

Lugo (de) cardinalis, protector Ordinis B. Mariae de Mercede Redemptionis captivorum 106 *a*; olim instetit ut examinarentur, corrigerentur et denuo ederentur statuta Ordinis, *ibid.*

Lumellus Vincentius quondam minister generalis Ordinis Minorum sancti Francisci, 179 *b*.

M

Maffaeus cardinalis Barberinus, regni Scotiae apud S. Sedem protector, 830 *b* et *seq.*

Maidalchinus Franciscus diaconus cardinalis S. Mariae in Porticu, 262 *b*; illi mandatum ut extra Urbem habitaret, sed ne extra districtum civitatis Viterbiensis egrederetur, *ibid.*; tamen sine licentia Pontificis alio abiit, *ibid.* absolvitur a censuris, et in Urbem cum solitis praerogativis et redditibus revocatur, 263 *b* et *seq.*

Maioricensis ecclesia cathedralis comprehensa declaratur in constitutione Gregorii XV qua statuit praebendas et canonicatus poenitentiarios vacantes deberi conferri praevio concursu, 117 *b*.

Mancinus fr. Aurelius secretarius Ordinis eremitarum S. Augustini, 41 *b*, 42 *b*.

Mariae (B.) supra Minervam de Urbe conventus Ordinis Praedicatorum, 181 *a*, et 194 *a*; statuitur quod magistri, acceptati cum voce et loco provinciae romanae, praecedentiam habeant super regentem studii illius conventus aliosque magistros exteros, 181 *b*; statuitur quod nullus frater alterius conventus possit adfiliari huic conventui absque licentia Sedis Apostolicae, 194 *a* et *b*; caput provinciae Romanae eiusdem Ordinis declaratur, 297 *a*.

Mariae (B.) de Mercede Redemptionis Captivorum Ordo, *vide* Ordo B. Mariae Ordo Redemptionis captivorum.

Mariae (B.) Virginis de Monte Carmelo Ordo, *vide* Ordo Carmelitarum.

Mariae (B.) supra Minervam ecclesia, in eaque constituta confraternitas Annunciationis eiusdem B. M. V., 138 *b* et *seq.*

Mariae (B.) Teutonicorum hospitale, *vide* Hospitale.

Mariae (S.) de Bondeno, *vide* Bondeno (de).
Mariae (S.) de Ravanusa in Sicilia monasterium congregationis canonicorum S. Georgii in Algâ Venetiarum nuncupatae, 79 *b*, *vide* S. Georgii.
Mariae (S.) ecclesia in Rotunda Urbis, 159 *a*; priscis temporibus erat nobile delubrum *Pantheon* nuncupatum, 164 *a*; archipresbytero et canonicis eiusdem ecclesiae Sixtus V confirmavit ius et dominium supra plateam, 160 *a*; sed nil novi concessisse declaravit, 161 *b*; Urbanus VIII eadem iura contra lites intentatas tuitus est, 162 *a* et *seq.*; ea abrogat Alexander VII, 164 *a* et *seq.*; indemnitatem tribuit, 165 *b*; iterum, 207 *a* et *seq.*; deputatio cardinalis vicarii et aliorum in solidum in executores privilegiorum capituli et canonicorum super plateâ antedictae ecclesiae, 205 *b*; liberatio plateae a dominio capituli et canonicorum, excepto loco pro collocandis tabernis mercatoriis assignato, 164 *a* et *seq.*, et 205 *b* et *seq.*
Mariae Theresiae reginae Francorum donativum faciendum occasione dotis proponitur, 60 *a*; confirmatur a Pontifice pro ratâ ecclesiasticos tangente, 60 *b*.
Marinis (de) Ioannes Baptista, *vide* Ioannes Baptista de Marinis.
Marius Chisius, princeps terrae Campaniani, frater germanus Suae Sanctitatis Alexandri VII ac capitaneus generalis sanctae Romanae Ecclesiae, 253 *b*; innocens declaratur in iis quae acciderant contra oratorem regis Franciae, 254 *a*.
Maronitarum collegium, *vide* Collegium Maronitarum.
Masserani principatus et marchionatus Crepacorii subditi recurrere possint ad nuncium Sabaudiae 428 *b* et 734 *b*; investitura illorum feudorum renovatur familiae Flischae, 622 *a* et *seq.*
Martius cardinalis Ginettus, Ordinis B. Ioannis Dei de Charitate protector, 287 *b*, *vide* Ginettus.
Matthaeus de Orlando prior generalis fratrum Ordinis B. Mariae de Monte Carmelo, 692 *b*.
Maximilianus I Romanorum imperator, 694 *a*; particulam dominicae Crucis in cappellâ palatii imperialis Viennae asservatam eximie coluit, *ibid.*
Maximilianus Gandolphus archiepiscopus Salisburgensis, 793 *b*.
Melfius Adamus, *vide* Adamus Melfius.
Mensae episcopalis Paderbonensis redditus sarti tectique servandi, 273 *b*.
Mercatorum causae in civitate Avenionensi quomodo cognoscantur, 494 *a* et *b*.
Michaël Begiami archiepiscopus Taurinensis, 495 *a* et *b*, 502 *a* et *b*; assensum praestat venditioni feudi Montafiae ad directum dominium mensae archiepiscopalis Taurinensis pertinentis, 504 *a* et *seq.*
Michaël Bonellus presbyter cardinalis Alexandrinus nuncupatus, 296 *b*; refert vivae vocis oraculum Pii V circa collegium S. Mariae supra Minervam Urbis Ordinis Praedicatorum, 297 *a*.
Michaël Pius Passus, inquisitor haereticae pravitatis in civitate et dominio Reipublicae Ianuensis, 808 *b*; expulsus ab officio, *ibid.*; processus contra expulsores, *ibid.*
Minervam (super) ecclesia et conventus B. Mariae, *vide* B. Mariae supra Minervam.
Minimorum Ordo S. Francisci de Paula, *vide* Ordo; provincia nova Arverniae erigitur, 246 *b*.

Ministrantium Infirmis religio, 78 *b*; praescribitur quod clerici illius congregationis semper praeferantur laicis ipsius in omnibus functionibus tam publicis tam privatis, *ibid.*

Ministri catholicorum principum Parisiis congregati, *vide* Parisiis.

Minorum clericorum regularium congregatio, *vide* Congregatio clericorum regularium Minorum.

Minorum fratrum S. Francisci Ordo, *vide* Ordo Minorum S. Francisci.

Missae *de requiem* in duplicibus nequeunt celebrari, 478 *b*; excipiuntur anniversaria, *ibid.*; altaria vero privilegiata non excipiuntur, *ibid.*; in his per celebrationem missarum de festo currenti satisfit obligationibus, 822 et *seq.*

Missam domi habere conceditur referendariis votantibus signaturae iustitiae, 631 *b*; idem ab Alexandro VII fuerat concessum clericis camerae apostolicae, *ibid.*

Missionarii regulares apud Sinas in quibus subordinati sint vicariis apostolicis, 816 *a*; quae sit vicariorum facultas, et quae missionariorum, 817 *a* et *seq.*

Missionis Congregatio, *vide* Congregatio Missionis.

Monasterium S. Brigittae in oppido Bambergae, 542 *a*.

Moniales hospitalariae congregationis S. Iosephi, 411 *a*; ipsarum institutum confirmatur, 411 *b*.

Moniales monasterii Lugdunensis primae regulae sanctae Clarae subiiciuntur provinciali et fratribus recollectis provinciae S. Francisci, 382 *a* et *seq.*

Monialibus Carmelitis Discalceatis Belgii conceduntur privilegia concessa aliis Franciae et Germaniae, 380 *a*.

Monialibus Excalceatis regni Franciae confirmatur Breve Alexandri VII, 574 *a*.

Monialium monasteria, 307 *b*; superior regularis semel in anno ea ingredi potest occasione visitationis, *ibid.*; extra visitationem semper cum facultate Ordinarii, 308 *a*; visitet per se ipsum interiorem clausuram cum unico socio, *ibid* ; generalis Ordinis cum duobus, *ibid.*; visitatori assistant quatuor moniales, *ibid.*; confessarius non ingrediatur absque necessitate, 308 *b*; et pernoctare debeat in proprio conventu, *ibid.*; quando contrarium procedat, 309 *a* ; ad monasteria Hispaniarum prohibitus accessus sub excommunicatione latae sententiae, 331 *b* et *seq.* ; qualitates et regulae confessariorum praescribuntur, 333 *b*; suspenditur poena praedicta in iis casibus in quibus aut a iure communi aut aliis constitutionibus imposita non reperitur, 593 *b*.

Mons secretariorum apostolicorum extinctus de novo erigitur, 832 *b* et *seq.*

Montafiae feudum Taurinensis dioecesis quod pertinet ad directum dominium archiepiscopi Taurinensis, 495 *a*; venditur a fratribus Sfondratis qui illum possidebant, 495 *b* et *seq.*; acquiritur a Carolo Emanuele Philiberto Hyacintho de Simiana marchione Planitiarum, 496 *a* et *b*, et *seq.*

Montagna (*Della*) terrae civitatis Pactensis in Sicilia emitur ab Ascanio Ansalono, 75 *a*.

Montaltus cardinalis, protector societatis SS. Sacramenti in ecclesiâ S. Andreae de Fractis de Urbe, 22 *a*.

Montis Coronae eremus Camaldulensium Ordinis *vide* Ordo Camaldulensium.

Murciae conventus fratrum Minorum S. Francisci adiicitur provinciae B. Petri de Alcantara, 70 *a*.

N

Naro (de) S. Calogeri monasterium Agrigentinae dioecesis in Sicilia canonicorum S. Georgii in Algâ Venetiarum nuncupatorum, 79 *b*, *vide* S. Georgii *et verbum* Congregatio.

Neapolis homicidium commissum in personam quondam Augustini de Flore, 204 *a*.

Negociatio regularibus de iure canonico prohibita, 798 *b*; in Indiis Orientalibus et America prohibita sub censuris, 799 *b*.

Neophytorum collegium de Urbe, 16 *a*; circa solutionem pensionis reservatae a Gregorio XIII super fructibus abbatiae S. Crucis de Avellana ad favorem eiusdem collegii controversia pendet, 16 *a*; instrumentum transactionis refertur, 16 *b* et *seq.*; confirmatur a Pontifice, 20 *a* et *seq.*

Neophytorum et cathecumenorum de Urbe archiconfraternitas et monasterium SS. Annunciationis, *vide* SS. Annunciationis; monasterium monialium seu virginum neophytarum Ordinis Praedicatorum sancti Dominici sub regula sancti Augustini instituitur, 139 *a* et *b*; pluribusque ornatur privilegiis, 140 *a* et *seq.*

Nicolaus Cottoner magnus magister hospitalis S. Ioannis Hierosolymitani, 606 *a*; eidem committitur ut praecipiat aliquibus fratribus ad Urbem personaliter accedere, *ibid.*

Nobilitati non praeiudicat ars serici in civitate Pisaurensi, 781 *b*.

Novorum conventuum erectio prohibetur vel limitatur, 132 *a*, 171 *b*, 172 *a*, 185 *b* et *seq.*

O

Octavianus Vincentius notarius collegii magistrorum viarum et neophytorum de Urbe, 16 *b*.

Octavius marchio de Bubalis, 21 *b*; subsidium dotale pro octo puellis de Urbe testamento reliquit, 22 *a*.

Odescalcus Benedictus tituli S. Honuphrii, presbyter cardinalis, collegii Neophytorum de Urbe protector, 16 *a*, 17 *b*; illi cum aliis committitur componère controversiam eiusdem collegii cum collegio Germanico de Urbe, *ibid.*; domus etiam seu hospitalis ac archiconfraternitatis et monasterii SS. Annunciationis neophitorum et cathecumenorum de Urbe protector, 135 *b*; inter ipsum et vicarium generalem de Urbe controversiae exortae, 141 *b*; ipsi exemptiones confirmantur, 142 *b* et *seq.*

Oliva Ioannes Paulus vicarius generalis Societatis Iesu, 50 *b*; ipsi concessa a congregatione generali eiusdem Societatis facultas relinquendi et alienandi collegia et domos ipsius, 51 *a*; confirmatur a Pontifice, 51 *b*; postea praepositus generalis eiusdem Societatis, 570 *a* et 750 *b*; *vide* Societas Iesu.

Ordinandi, seu ad ordines sacros promovendi, examinentur primum, 52 *a*; et bonum testimonium habeant, 52 *b*; et per decem dies exercitiis spiritualibus vacare debeant, *ibid.*

Ordines religiosi (*reliqua quae hîc non recensentur require sub verbo* Congregationes religiosae *vel sub titulo proprio*).

Ordo S. Antonii Viennensis canonicorum regularium, 679 *a*; Bonifacius VIII concessit ut regulam sancti Augustini servarent, et canonici regulares sancti Antonii Viennensis vocarentur, 679 *b*; quod confirmatur a Clemente IX, 680 *a*; Eugenius IV indulsit in ecclesia monasterii Viennensis duos poenitentiarios ex praedictis canonicis, 823 *b*; Clemens IX ad quatuor extendit, 824 *b*.

— S. Augustini canonicorum regularium, 598 *a*; viceprior et canonici regulares S. Georgii, Gratianopolitanae dioecesis, a parte ducatus Sabaudiae, ad statum presbyterorum secularium reducuntur, 599 *b*.

— S. Augustini eremitarum, 24 *a*; decreta a generali edita pro felici regimine conventus et collegii maioris nuncupati civitatis Parisiensis, et a capitulo generali approbata, *ibid.*; reformantur, 28 *a*; primum decretum, de cultu divino, *ibid.*; secundum de disciplina ac regimine conventus, 30 *a*; tertium de clausura, refectorio, aliisque officinis, 36 *b*; quartum de dormitoriis, 38 *a*; quintum de studiis, 39 *a*; confirmatio privilegiorum, gratiarum, indulgentiarum fratrum eremitarum sancti Pauli primi eremitae sub regulâ S. Augustini in regno Portugalliae, 49 *b*; referuntur definitiones capituli generalis factae pro congregatione Observantiae Lombardiae, 289 *b*; confirmantur, 295 *b*; in provinciâ S. Gullielmi Franciae esse perpetuo admittendos decem magistros cum privilegiis locis et vocis, 416 *b*; capitula inita inter fratres huius Ordinis degentes in hospitio Ss. Ildefonsi et Guillelmi de Urbe et fratres Ordinis SS. Trinitatis redemptionis captivorum conventus S. Franciscae Romanae de Urbe, 424 *a* et *seq.*; convalidatur capitulum in provinciâ Peruana celebratum, 531 *b*; confirmatio decretorum pro conventu et collegio maiori Parisiensi, 590 *a* et *seq.*; officium et missa Conceptionis B. M. V. de praecepto recitari iniungitur, idemque officium ad usum dicti Ordinis seorsim imprimi posse conceditur, 597 *a* et *seq.*; priores provinciae Peruntinae suffragium in capitulis ferre valent, 625 *a*.

— S. Basilii Magni Monachorum Ruthenorum, 366 *a*; nuncio Poloniae committitur ut convocet capitulum ipsorum pro novâ electione abbatis generalis, *ibid.*

— S. Benedicti. Superiores congregationis Cassinensis Ordinis S. Benedicti, ac etiam monasteriorum Sublaci ac Farfae, ceterique monachi ne Romam petant sine licentia in scriptis a reverendis patribus abbate S. Pauli de Urbe et procuratore generali in curia, 64 *a*; item ne Romae degentes praeterquam in monasterio S. Callisti commorentur, *ibid.*; associati et cucullati per Urbem incedant, 64 *b* et 65 *a*; conceditur facultas alienandi stabilia usque ad summam definitam pro extinctione aeris alieni, 371 *a* et *seq.*; laici et commissi congregationis Ss. Vitoni et Ildulphi emittant tria vota simplicia servanda donec in congregatione permanserint, 465 *b*; a congregatione expelli, non autem voluntarie discedere possunt, 466 *a*; Alexander VII univit congregationes monachorum Vallisumbrosae et Silvestrinorum, 587 *a*; Clemens IX revocat unionem, 588 *b*; definitiones capituli generalis circa electiones intermedias ad abbatias referuntur, 612 *b* et *seq.*; et confirmantur, 613 *b*.

Ordo Camaldulensium, 419 *b*; capitulum generale de biennio in biennium celebrandum, *ibid.*; vetatur ingressus mulierum in eremis Montis Anconae et Fanensi, 451 *b*; Urbanus VIII eremum Camaldulensem Etruriae, sive provinciae Aretinae, cum congregatione Montis Coronae incorporavit, 585 *a*; Clemens IX unionem praedictam revocat, 587 *a*.

— Carmelitarum. Controversiae inter fratres provinciae Turoniae eiusdem Ordinis, 214 *b*; alternativa officiorum inter fratres Britones et non Britones statuitur et regulatur, 215, *b* et *seq.*; priori generali impertitur privilegium conferendi lauream doctoralem magistris sui Ordinis, 692 *a* et *b*.

— Carmelitarum Discalceatorum. Fratribus congregationis Hispaniae conceditur erigere novas domos de sola licentia Ordinariorum, 731 *b*; prohibetur ludus *seminarii* sub excommunicatione reservatâ, 775 *a* et *seq.*; *vide* Monialibus Carmelitis.

— Cisterciensium, 305 *b*; monasterium S. Mariae de Sagittario Congregationis sancti Bernardi Anglonensis dioecesis separatur a provinciâ Calabriae et unitur congregationi Tusciae, 306 *a*; professorium monachorum S. Bernardi a monasterio S. Pudentianae de Urbe ad illud S. Bernardi transfertur, 330 *b*; instauratio ac reformatio Ordinis, 441 *b* et *seq.*; abbates communis observantiae possunt recipere novitios ad habitum et professionem, et noviter professos collocare in monasteriis pro novitiatibus et professoriis designatis, 614 *b*; seu in quibus aluntur vigintiquinque monachi, 616 *a*.

— S. Francisci de Assisiis Minorum fratrum, 54 *a*; confirmatio declarationis et incorporationis provinciae Bohemiae inter provincias reformatas Italiae a ministro et capitulo generali factarum, 54 *b*; decreta et statuta super institutione et felici directione conventus in provincia Romana pro secessu fratrum Minorum strictioris observantiae, 58 *a* et *seq.*; confirmantur, 59 *a*; super divisione provinciae S. Ioannis Baptistae et erectione provinciae B. Petri de Alcantara fratrum Discalceatorum eiusdem Ordinis confirmantur Brevia iam edita, 69 *a* et *seq.*; conceditur procuratoribus et commissariis generalibus curiae eorumdem Minorum tam de Observantia quam Reformatorum cismontanae familiae votum perpetuum in propriis provinciis, 77 *a* et *b*; confirmatio erectionis custodiae Lotharingiae fratrum Minorum recollectorum, cum declaratione quod illi competant privilegia verae custodiae et alia, 81 *b*; electiones guardianorum, prominstrorum et custodum in familia ultramontana per suffragia secreta et ballotationes fiant, et in paritate suffragiorum praesidens votum habeat decisivum, 121 *a*; confirmatio determinationis a capitulo provinciali provinciae Portugalliae tertii Ordinis S. Francisci factae, ac a generali et cardinali protectore confirmatae, circa alternativam officiorum inter fratres conventuum Ulyssiponensium et de Deira eiusdem provinciae, 122 *b*; prohibita erectio novorum conventuum in provincia Aragoniae, 128 *b* et *seq.*; item et in provincia Mediolanensi, 133 *a*; pro reformatione provinciae maioris Turoniae erigitur auctoritate apostolicâ custodia SS. Trinitatis sex conventibus constans, 145 *b*; at fratres dictae provinciae reformationem renuunt ac violenter impediunt, *ibid.*; tres conventus noviter erectae custodiae SS. Trinitatis in provinciâ maioris Turoniae

Ordinis Minorum uniri possint provinciae viciniori aut commodiori Reformatorum seu Recollectorum, 146 *b*; et iterum, 202 *a* et *seq.*; confirmatio statutorum pro conventibus reformatis provinciae Turoniae Pictavensis, 157 *a* et *seq.*; commissio super divisione provinciae Ss. Ludovici et Elzearii in duas provincias, 168 *a* et *seq.*; decretum ne deinceps in definitoriis provinciarum fratrum Minorum recollectorum regni Galliae duo fratres germani locum nec vocem habere possint, et, si qui antea habuerint, omnino excludantur, 170 *a* et *b*; decretum, quod servetur in provinciâ Maioricensi dispositio Brevis Clementis VIII super prohibitione erectionis novorum conventuum pro provinciâ Cartaginensi, 172 *a*; confirmatio statutorum provinciae Britanniae circa electionem provincialis et definitorum, 179 *b*; prohibitio fundationum conventuum in familia ultramontana intra spatium quatuor vel quinque leucarum a iam erectis etiam aliorum regularium, 171 *b*; 172 *a*; 185 *b* et *seq.*; confirmatio decreti congregationis episcoporum et regularium, ut deinceps in provincia S. Antonii in regno Portugalliae servetur Breve Clementis VIII circa fundationem novorum conventuum, 211 *a* et *b*; annullatio capituli provincialis provinciae Ss. Ludovici et Elzearii, cum approbatione divisionis dictae provinciae in duas, 212 *b* et *seq.*; fratres et conventus tertii Ordinis in Castellae, Galliciae et Legionis regnis degentes ab omni iurisdictione ministri provincialis Minorum de Observantia S. Iacobi eximuntur, 247 *b* et *seq.*; commissarii visitatores pro provincia Nominis Iesu de Guatimala ex una e duabus provinciis vicinioribus, videlicet S. Georgii de Nicaraguas, et S. Iosephi de Iucatan, assumendi, 272 *a* et *b*; fratribus Tolosae commorantibus prohibetur tradere novum Rosarium sub tituli Seraphici, nec tabellam exponere in qua B. Virgo det Rosarium Ss. Francisco et Clarae, 275 *a*; conceditur ut commissarius visitator provinciae S. Didaci Canarienis sumatur ex eâdem provinciâ, 277 *b* et *seq.*; alternativa inter patres Criollos et Cachapinos servanda, 273 *a*; quod extenditur ad septem provincias Peruanas, 279 *a* et *seq.*; confirmatur alternativa etiam quoad provinciam S. Iosephi de Iucatan, 285 *b* et *seq.*; eadem inter Observantes et Reformatos imponitur, 300 *a*; ita ut tres definitores ex Reformatis, et tres ex Observantibus eligantur, *ibid.*; commissarii visitatores tertii Ordinis nequeant assumi de Observantiâ, sed assumi debeant de ipso tertio Ordine, 315 *a* et *seq.*; conventus Murciae adiudicatur provinciae B. Petri de Alcantara, 329 *a*; decreta provinciae S. Ivonis tertii Ordinis servanda in provinciâ S. Ludovici, 368 *b*; quae praecedentia servanda inter procuratores generales et commissarios curiae, 377 *a*; Recollectis provinciae S. Francisci subiiciuntur moniales monasterii Lugdunensis primae regulae S. Clarae, 382 *a* et *seq.*; decreta sacrae congregationis episcoporum circa professiones et electiones factas in capitulo provinciali provinciae S. Elzearii, seu Aquitaniae, 383 *b* et *seq.*; restituitur in pristinum statum custodia SS. Trinitatis in Galliâ, 397 *b*; privilegia fratrum Discalceatorum in Hispania extenduntur ad omnes provincias Discalceatorum in Indiis, 401 *a* et *seq.*; Recollectis provinciae Angliae competere locum praecedentiae iuxta tempus suae erectionis, 402 *b*; laici provinciae Turoniae maioris in Galliâ, professione antiquiores, praecedunt clericos nondum sacris ordinibus initiatos, 407 *a*;

inter Reformatos provinciae Romanae nulla competit praecedentia nisi superioribus actualibus et exgeneralibus, 408 *b*; conventus Targovisti spectat ad fratres custodiae Valachiae, nec ullum ius habent in eo Conventuales in dictâ provinciâ missionarii, 481 *a*; capitula circa transitum Conventualium ad Reformatos, 563 *a* et *b*; confirmantur, 564 *b*; separantur quidam conventus Recollectorum a provincia S. Dionysii in Gallià, et eriguntur in novam provinciam sub titulo S. Antonii da Padua, 570 *b* et *seq.*; confirmantur indulgentiae et privilegia concessa, tam guardiano sacri montis Sion, quam fratribus, necnon locis Terrae Sanctae, 578 *a*; fratribus nationis Germano-Belgicae ab Urbano VIII abrogata fuerunt privilegia personalia, quod confirmatur a Clemente IX, 608 *a* et *b*; Paulus V excommunicavit fratres utentes favore personarum extra Ordinem ad obtinenda officia, Clemens IX innovat decreta contra illos provinciae Aquitaniae, 640 *a*; studium linguae arabicae et controversiarum in conventu S. Petri in Monte Aureo pro decem religiosis strictioris Observantiae, 743 *a* et *seq.*; Reformatis conventus Liciensis, Grumi, Ripaldae et Caldarolae permittitur transire ad aliam religionem, aut ad Conventuales, quibus assignantur praedicti conventus, 778 *b*.

Ordo S. Francisci Minorum Cappuccinorum. Transeuntes ad aliam religionem nequeunt permanere in eâdem provinciâ in qua emiserunt professionem, 326 *a*; confirmantur decreta capituli generalis, 552 *b*; generalatus officium reducitur ad septennium, 826 *a* et *seq.*

— S. Francisci Minorum Conventualium capitula ad reformationem inservientia, 563 *b*; confirmantur, 564 *b*; adiudicantur huic Ordini conventus Licensis, Grumi, Ripaldae et Caldarolae, 778 *b*.

— S. Francisci de Paula, 403 *b*; instituuntur in ecclesiâ et conventu B. Mariae et Omnium Sanctorum de Galgario in civitate Bergomensi, *ibid.* et *seq.*; durantibus infirmitatibus, in quibus licitum est fratribus vesci cibis paschalibus, nequibant ex constitutione Clementis VIII egredi e conventibus, 678 *a*; quod Clemens IX ita moderatur ut possint etiam extra infirmarias conventuum uti indulto dum ad balnea vadunt, 678 *b*; *vide* Minimorum.

— S. Hieronymi. Concordia inter archiepiscopum Toletanum ac priores et fratres conventus S. Bartholomaei de Lupiano pro colligendis decimis, 545 *b*; professus deputandus ad informationes capiendas super puritate sanguinis monachorum notarii munere fungitur, 680 *b*.

— B. Ioannis Dei de Charitate nuncupatus, 287 *b*; confirmantur statuta quaedam provinciae Franciae, 288 *a*.

— Ministrantium Infirmis, *vide* Ministrantium Infirmis religio.

— S. Pauli Decollati, *vide* Congregatio S. Pauli Decollati.

— S. Pauli I Eremitae sub regula S. Augustini, 49 *b*; fratres illius Ordinis in regno Portugalliae degentes vivunt sub superiore generali distincto a priore generali eorumdem fratrum Hungariae, *ibid.*; nihilominus gaudeant omnibus privilegiis toti Ordini concessis, 50 *a*.

— Praedicatorum, 173 *a*; decretum, quod fratres universi, priusquam ad sacros ordines ascendant, aetatem ad huiusmodi ordines suscipiendos explevisse debeant iuxta Concilii Tridentini decreta, 173 *a*; ne fratres laici seu conversi

ad sacros ordines aspirant, 174 *a*; decretum quod magistris, acceptatis cum voce et loco provinciae Romanae, competat praecedentia supra regentem studii in conventu S. Mariae supra Minervam de Urbe, aliosque magistros exteros Ordinis praedicti, 181 *b* et *seq.*; confirmatur, 182 *a*; super electione provincialium provinciarum Indiarum ac confirmatione earumdem a magistro generali, 188 *a* et *seq.*; prohibitio ne de cetero ullus frater cuiusvis alterius conventus conventui S. Mariae supra Minervam Urbis adfiliari possit absque Sedis Apostolicae concessione, 194 *a* et *b*; conventus S. Mariae super Minervam de Urbe primus inter conventus provinciae Romanae, nec ab eâdem separari potest, 296 *b*; collegium S. Ludovici Angelopolitanum ad conventum S. Dominici Mexicanum et provinciam S. Iacobi pertinet, 302 *a* et *seq.*; quod in Indiarum partibus priores parochorum non a parochis sed a provincialibus eligantur, 311 *b* et *seq.*; erectio congregationis B. Iacobi Veneti sub regulari observantia PP. Praedicatorum, 412 *b*; in eâ litterarum studia promoventur, 414 *b*; professi eiusdem congregationis ad alios quosvis conventus dicti Ordinis transire nequeunt nisi de expressa licentia generalis, 413 *b*; huius Ordinis habitus proprius, 421 *b*; ne ab aliis deferatur prohibitum, *ibid.*; in provincia Theutoniae prohibetur sub poena excommunicationis quaecumque divisio, 454 *b* et *seq.*; fratribus provinciae Hiberniae facultas fundandi conventus in oppido Matriti, illisque partibus, 565 *b*; imo et erigendi ubicumque pro nationibus collegia, 581 *a*.

Ordo Praemonstratensium. Confirmatio decreti congregationis eiusdem Ordinis et communitatis antiqui rigoris nuncupatae, quo cavetur ne dictae congregationi antiqui rigoris nova monasteria aggregentur sine omnium consensu et licentiâ abbatis generalis, 43 *b*; formula praescribitur huiusmodi aggregationis, 44 *a*; priores abbatiarum commendatarum in Gallia eligantur inter definitores in capitulo generali Ordinis, 327 *a*.

— Redemptionis Captivorum B. Mariae de Mercede, 82 *a*; Congregatio Discalceatorum huius Ordinis, *ibid.*; ad evitandam constitutionum multitudinem cavetur ne in futurum ulla constitutio nisi in capitulis generalibus approbetur, *ibid.*; confirmatio constitutionis capituli generalis congregationis Discalceatorum huius Ordinis circa renunciationem officiorum commendatorum et rectorum collegiorum ipsius congregationis, 82 *b*; statutum ut commendatores et rectores collegiorum ipsius debeant reddere rationem, per epistolas directas pleno definitorio, domorum regularium, quas renunciant, et bonorum ipsarum, 83 *a*; statuta et decreta capituli generalis Oscensis huius Ordinis, 84 *a*; confirmantur, 84 *b*; concordia inter duos procuratores generales duorum Ordinum B. Mariae de Mercede et SS. Trinitatis redemptionis captivorum, 208 *a* et *seq.*; decreta pro promovendis ad praesentaturae et magisterii gradus in provinciâ Limana eiusdem Ordinis, 220 *a*; provinciales in fine sui triennii provincialatus debeant rationem reddere vicario generali, 584 *a*; huic Ordini confraternitates seu congregationes secularium sibi unire concessum est, quae incumbant redemptioni et libertati captivorum, 711 *b*; et privilegia indulgentiasque Ordinis illis communicare, 712 *a* et *seq.*

— Redemptionis Captivorum SS. Trinitatis, 1 *a*; prohibetur transitus fratrum

Discalceatorum congregationis Gallicanae ad Calceatos vel ad Discalceatos congregationis Hispaniae, 2 *a*; additur praeceptum ut qui hucusque transierunt remittantur, *ibid.*; superiores ne puniant redeuntes, *ibid.*; fratres dictae congregationis ad chorum destinati quartum votum emittant de non ambiendis officiis, praelaturis et dignitatibus, 119 *b*; quod laici seu conversi congregationis Hispaniae fratrum Discalceatorum eiusdem Ordinis ultra tria solita debeant et quartum addere votum de non transeundo ad statum clericalem et ad ordines sacros 119 *b*; quod fratres conversi congregationis Gallicanae fratrum Reformatorum huius Ordinis non habeant ius suffragandi in electionibus et receptionibus novitiorum, 127 *a*; concordia ad componendas lites inter fratres Hispanos et Italos super conventu SS. Trinitatis eiusdem Ordinis Neapolis refertur 175 *b*; et confirmatur, 177 *b* et *seq.*; concordia facta inter procuratores generales duorum Ordinum S. Mariae de Mercede et SS. Trinitatis redemptionis captivorum, 208 *a* et *seq.*; Trinitariis prohibetur usus cappae nigrae, 421 *b*; confirmantur capitula inter fratres conventus S. Franciscae Romanae et Augustinianos reformatos Ss. Idelphonsi et Guillielmi de Urbis, 424 *a* et *seq.*; in provinciâ Portugalliae procurator captivorum, secretarius provinciae et vicarius commissarii Ulyssiponensis gaudent voto in capitulis provincialibus provinciae, 479 *b*.

Ortega (de) Alphonsus, custos provinciae Nominis Iesu de Guatimala Ordinis Minorum S. Francisci de Observantia, 272 *a* et *seq.*

P

Pacis congressus habendus in aliqua Germaniae civitate pro componendis regibus christianissimo et catholico, 582 *a*.

Pactensis civitas inter civitates regni Siciliae quinta et nonnullis aliis episcopalibus civitatibus eiusdem regni ordine et dignitate superior, 75 *a*; emitur ab Ascanio Ansalono duce *della Montagna*, *ibid.*; sed a statibus militari et ecclesiastico dictae civitatis redimitur, 75 *b* et *seq.*

Paderbonensis ecclesiae capitulum condit et iurat statutum ne ulli iuri detrahat episcoporum Paderbonensium, 373 *b* et *seq.*

Pallottus Ioannes Baptista, *vide* Ioannes Baptista Pallottus.

Pandulphus Fantutius emptor bonorum qui pertinebant ad collegium Maronitarum Ravennae, 392 *a* et *seq.*

Panormi in Sicilia monasterium S. Iacobi canonicorum regularium S. Georgii in Alga Venetiarum, 79 *b*, *vide* S. Georgii.

Pantheon nobile delubrum ab eleganti symmetria magnificaque structura celebratum, 164 *a*; quod Bonifacius IV Deo in honorem Beatissimae Virginis Mariae et Ss. Martyrum consecravit, *ibid.*; *vide* S. Maria in Rotunda.

Paridius olim archiepiscopus ecclesiae Salisburgensis, 182 *b*.

Parisiis congregati ministri principum catholicorum pro publicâ, quiete et pace promovenda, 144 *a*; subscriptione facta, in se ipsos susceperunt postulatis satisfieri Summi Pontificis supra vallibus Comacli et ducatu Castrensi, *ibid.*

Parisiensis ecclesia, 46 *a*; dum nondum vacaret, syndicus et decanus et alii canonici capituli generalis vicarios capitulares elegerunt, 46 *b*; electio huiusmodi irrita declaratur, 47 *a*.

Parisiensis facultatis theologicae censurae quaedam damnantur a Pontifice, 369 *a* et *b*.

Parochi in Indiis Orientalibus non naturales, tenentur apud se habere cappellanum natalibus et origine Indum, 821 *b* et *seq.*; sacerdotes indigenos perurbaniter excipiant, *ibid.*; ultra fidei christianae rudimenta, grammaticam, ceterasque artes liberales pueros edoceant, 821 *a*.

Paschalis cardinalis de Aragonia archiepiscopus Toletanus, 545 *a*.

Paschalis de Aragonia nuncupatus S. R. E. diaconus cardinalis, 113 *a*, 191 *b*.

Pauli (S.) Decollati clericorum regularium Congregatio, *vide* Congregatio clericorum regularium S. Pauli Decollati.

Pauli (S.) primi eremitae Ordo sub regulâ S. Augustini, *vide* Ordo S. Pauli primi eremitae.

Paulus Luchinus prior generalis Eremitarum S. Augustini, 590 *a*; 625 *b*; 626 *a* et *seq.*

Paulus marchio de Bubalis, 21 *b*.

Paulus Papa III monasterium et hospitale pro puellis et viris iudaeis ad fidem conversis construi concedit, 136 *b*; illi plura privilegia et gratias indulget, 137 *a* et 138 *b*.

Paulus Zaccharias praepositus collegiatae ecclesiae S. Mariae de Scala et S. Sedis oeconomus generalis in ducatu Mediolanensi, 784 *b*; irritantur omnia ab ipso gesta pro apprehensione bonorum congregationum suppressarum S. Georgii, Iesuatarum, et S. Hieronymi de Fesulis, 785 *a*.

Pensionarii quicumque tenentur pro sua rata sex integrarum decimarum quas Pontifex imposuit super bonis et fructibus ecclesiasticis in universa Italia pro necessitatibus reipublicae christianae, 250 *b* et *seq.*

Perusinae civitatis auditores rotae quomodo assumendi, 463 *a* et *seq.*

Petri (B.) de Arbues, canonici metropolitanae ecclesiae Caesaraugustanae, primi inquisitoris in regno Aragoniae, Breve beatificationis, 154 *a*.

Petrus Bergellinus, archiepiscopus Thebarum, et Sabaudiae nuncius, 408 *a*.

Petrus de Aragonia orator regis catholici apud S. Sedem, 406 *a*.

Petrus de Consentia, procurator generalis Ordinis Minimorum sancti Francisci de Paula, 678 *a*.

Petrus episcopus Tholosanus in archiepiscopum Parisiensem nominatur, 46 *a*.

Petrus Lanfranconius, *vide* Lanfranconius.

Petrus Roccius (*vel* Roche) commissarius generalis curiae pro familia ultramontana Ordinis sancti Francisci Recollectorum nuncupatorum, 170 *a*; 171 *b*; 185 *b* et *seq.*

Petrus Serista, universalis inquisitionis procurator fiscalis, 507*b*; et iterum, 808 *b*.

Petrus Vidonus cardinalis, Ordinis Camaldulensium protector, 586 *a*.

Philippus a SS. Trinitate prior generalis Ordinis Carmelitarum Discalceatorum Hispaniae, 775 *b*.

Philippus Hispaniae rex catholicus, 3 *a*; super contributione ecclesiasticorum regnorum Castellae et Legionis decem et novem millionum ducatorum cum di-

midio pro eodem rege, *ibid.* et *seq.*; item prorogatur in favorem ipsius subsidium quadrigentorum et viginti millium ducatorum super fructibus ecclesiasticis universarum Hispaniarum et Sardiniae, 7 *a* et *seq.*; regnum Siciliae illi obtulit donativum extraordinarium occasione dotis eius filiae Mariae Theresiae Francorum reginae christianissimae, 60 *a*; confirmatur a Pontifice pro rata ecclesiasticos tangente, 60 *b*; supplicat Pontifici pro decimarum impositione super bonis ecclesiasticis in regnis Castellae et Legionis, Aragoniae et Valentiae, et in principatu Cataloniae atque insulis Balearibus et Sardiniae, 71 *b*; imponuntur ad summam octingentorum millium ducatorum duobus annis, 72 *a*; separat insulam SS. Trinitatis ab audientiâ insulae S. Dominici, et subiicit audientiae civitatis S. Fidei, 191 *a*; supplicat etiam illam separari ab episcopatu Portusdivitis, seu de Portorico, et subiici archiepiscopatui S. Fidei, 192 *a* et *b*, *vide* Regi catholico.

Philippus marchio Sfondratus vendit feudum de Montafia, 495 *a* et *seq.*

Phoebaeus sacrae rituum congregationis a secretis, 208 *b*; deinde ad praeceptoriam S. Spiritus in Saxia promotus, 209 *a*.

Pinellus iudex delegatus a cardinali Montalto protectore societatis SS. Sacramenti in ecclesiâ S. Andreae de Fractis de Urbe, 22 *a*; ipsius sententia irritatur, 22 *b*.

Pisaurensis civitatis statutum quod ars serica non praeiudicat nobilitati, 781 *b*.

Pisis conclusus fuit tractatus concordiae inter plenipotentiarios Alexandri VII et Ludovici regis christianissimi, 254 *b*; rex christianissimus promisit remittere Sedem Apostolicam in possessionem civitatis Avenionensis, *ibid.*

Pius PP. IV plura indulta, privilegia et gratias confirmat domui seu hospitali et archiconfraternitati et monasterio SS. Annunciationis neophytorum et cathecumenorum de Urbe, 135 *b*; monasterium monialium seu virginum neophytarum Ordinis Praedicatorum sancti Dominici sub regula sancti Augustini institui indulget 139 *a* et *b*; pluribusque exornat privilegiis et gratiis, 140 *b* et *seq.*

Pius PP. V monasterium SS. Annunciationis virginum neophytarum transtulit ad ecclesiam et aedificia commendae S. Basilii in regione Montium de Urbe, 142 *a*.

Pizzocheris conservatorii Venetiarum sub habitu sancti Dominici permittitur votum fratrum et sororum de poenitentia ad formam constitutionum, 609 *a* et *seq.*; ad habitum admittere mulieres post annum decimumoctavum, *ibid.*; ideoque dimittendas illas, quae huiusmodi aetatem non expleverint, *ibid.*; permittitur habere propriam cappellam seu oratorium, dummodo sit publicum, et salvis iuribus ecclesiae parochialis, *ibid.*

Poenitentiarii canonicatus et praebendae ecclesiarum cathedralium et metropolitanarum in regnis Hispaniarum vacantes conferri debent praevio concursu per edictorum affixionem, 12 *a* et *seq.*; idem decretum extenditur ad ecclesias cathedrales et metropolitanas principatus Cataloniae, 14 *b*; item et ad ecclesiam Maioricensem, 117 *b*.

Policastrensis episcopus, 316 *b*; informationes contra ipsum sumendae committuntur, *ibid.*

Polocensis archiepiscopus se eligi fecit in abbatem sive superiorem generalem monachorum Ruthenorum S. Basilii, aliis reclamantibus, 366 *a*.

Poloniae nuncio committitur ut novum capitulum convocet monachorum Ruthenorum, novamque electionem indicat abbatis generalis, 366 *b*.

Poloniae regnum gravissimis negociis agitatum, 724 *b*; pro pace et concordia et felici directione ipsius iubilaeum indicitur, 725 *a* et *seq.*; nova regis electio facienda, 782 *b*; pubblicae pro illius felici exitu preces indictae, *ibid.*

Pompilius Zuccarinus olim canonicus ecclesiae S. Mariae in Rotunda de Urbe, 165 *b*; ipsius canonicatus per obitum vacans, *ibid.*

Pomposa (de) abbatia S. Benedicti, 269 *a*; iuspatronatus in illam conceditur duci Mutinensi, *ibid.*

Portalegrensis ecclesiae capitulum et canonici, sede episcopali vacante, litteras dimissoriales dederunt subditis dioecesanis ut ordines minores reciperent a quibusdam abbatibus Cisterciensibus, 611 *a*; absolutio impertitur, 611 *b*.

Portorico insula in Indiis occidentalibus, *vide* Portus divitis.

Portus divitis insula et episcopatus in Indiis occidentalibus, 192 *a*; ab ipsa separatur insula SS. Trinitatis et subiicitur archiepiscopatui S. Fidei, 192 *b*.

Praebendae et canonicatus poenitentiarii, *vide* Poenitentiarii.

Praecedentiae alternativa inter capitula ecclesiarum metropolitanarum S. Mariae de Pilari seu de Columna et S. Salvatoris civitatis Caesaraugustanae an et quomodo sit servanda, 470 *b* et *seq.*

Praecipianus Gulielmus Humbertus archidiaconus ecclesiae Bisuntinae in decanum eiusdem ecclesiae illegitime electus sed a Pontifice interdictus, actibus capitularibus inobedienter se ingerere ausus est, 63 *a*; poenâ excommunicationis in contumacem ne resipiscat infligitur, 64 *b*.

Praedicatorum Ordo *vide* Ordo Praedicatorum.

Praemonstratensium Ordo *vide* Ordo Praemonstratensium.

Principum catholicorum ministri Parisiis congregati, *vide* Parisiis.

Privilegia ex sacrorum canonum praescripto amittit qui illis abutitur, 811 4.

Processionibus solemnibus apud Sinas vetatur ecclesiasticis umbellam gestare, 821 *a*; et quidquid ludicri aut minus gravis speciem haberet, imponitur tollere, *ibid.*

Prohibitio ecclesiasticis civitatis Barchinonensis et principatus Cataloniae, ne excommissas super sortitione officialium faciant, 113 *a*.

Prohibitio novorum conventuum erectionis absque licentia Sedis Apostolicae, 286; 132 *a*; 171 *b*; 172 *a*.

Prosper Fagnanus *vide* Fagnanus.

Protector cappellae ad Praesepe Domini in basilica S. Mariae Maioris de Urbe est cardinalis oriundus ex provincia Marchiae Anconitanae, 671 *b* et *seq.*

R

Ragusinae Reipublicae incolae terraemotus et incendii flagellis graviter afflicti, 786 *b*; petunt et obtinent iubilaeum ad caelestis opis auxilia imploranda, *ibid.*

Ragusinae Reipublicae indultum vendendi capitalia locorum piorum Ragusinorum in civitate Neapolitana consistentium, illaque investiendi in construendis domibus in civitate Ragusina, 765 *a* et *seq.*

Ratisbonensis ecclesiae debita quomodo solvuntur, 767 *a* et *seq.*

Rasponius Caesar, *vide* Caesar Rasponius.

Ravanusa (de) S. Mariae monasterium in Sicilia canonicorum congregationis sancti Georgii in Alga Venetiarum nuncupatae, 79 *b*, *vide* S. Georgii.

Ravennae collegium Maronitarum, *vide* Maronitarum.

Recursus subditorum principatus Masserani et marchionatus Crevacorii committuntur nuncio Sabaudiae, 428 *b* et 734 *b*; item et locorum S. Benigni, Montanarii, Lombardonii provinciae Taurinensis, 594 *a* et *b*.

Redemptionis Captivorum Ordo, *vide* Ordo.

Referendariis votantibus signaturae iustitiae missam domi habere conceditur, 631 *b*.

Reformatio iurisdictionis tribunalis Burgi, 547 *b* et *seq.*

Regi catholico subsidium super fructibus ecclesiasticis Hispaniarum et Sardiniae conceditur, 298 *b*; item una decima duobus annis persolvenda pro medietate, 505 *b*; facultas disponendi extra capitulum de omnibus locis Ordinis Aurei Velleris vel *del Toson d'oro*, 485 *a*; indultum nominandi ad dignitates Belgii et comitatus Burgundiae, 528 *b* et *seq.*; ratificatur investitura illi facta regni Siciliae et Hierusalem, 553 *b*; dispensatur ad retinendum dictum regnum Siciliae cum ducatu Mediolanensi, quamvis iste maiorem partem Lombardiae comprehendat, 554 *b*; subsidia ab ecclesiasticis illi solvenda, 633 *a* et 706 *b*; donativum ordinarium a regno Siciliae, 658 *a* et *seq.*; *vide* Philippus Hispaniarum rex catholicus.

Regi christianissimo indultum nominandi ad dignitates principales in ecclesiis Metensi Tullensi et Virdunensi, 324 *a* et 637 *a* et *seq.*; et ad ecclesiam Tornacensem, 702 *b*; iuspatronatus eidem, eiusque successoribus ad ecclesiam Atrebatensem, 647 *b*; similiter ad ecclesiam Elnensem, ac monasteria consistorialia in comitatibus Ruscinonensi, Confluentino et parte Cerdanae versus Galliam, 649 *a*; indultum praedicto regi nominandi ad dignitates abbatiales et regimina monasteriorum in ditionibus Belgicis sibi subiectis, 651 *b* et *seq*; ampliatur ad alia beneficia in aliis ditionibus Belgicis a rege catholico nuper renunciatis, 705 *b*.

Reginohradecensis ecclesia in cathedralem erigitur, 313 *b*.

Regulares Ordines, *vide* Ordines religiosi *et* Congregationes religiosae.

Regulares superiores quando et quales ingredi possint monasteria monialium, *vide* Monialium monasteria.

Regularibus de iure canonico prohibita negociatio, 798 *b*; in Indiis Orientalibus et America prohibita sub censuris, 799 *b*; apud Sinas morantibus praescripta dependentia a vicariis apostolicis, 817 et *seq.*

Religio Ministrantium infirmis, *vide* Ministrantium Infirmis.

Renatus Almeras, *vide* Almeras.

Reservatio beneficiorum ecclesiasticorum an et quando constituatur, 430 *b*.

Revocatio exemptionum a vectigalibus et aliis publicis oneribus iam concessarum subditis Sedis Apostolicae, 616 *b* et *seq.*

Revocatio quarumdam ordinationum per universitatem et homines artis vaccinariorum Urbis a Sanctissimo per Breve confirmatarum, cum decreto quod, circa contractus super pellibus tam concinnatis quam rudibus ineundos, idem stylus servetur, qui antea servabatur, 47 *b*.

Rhedonensis episcopus, *vide* Henricus.

Riccia (*della*) terra in regno Neapolitano consistens, 204 *a*; princeps illius terrae et eius homines, dum ianuae et parietibus ecclesiae S. Honuphrii in territorio civitatis Beneventanae adhaerebant, apprehensi sunt et captivi abducti, *ibid.*

Roccius Petrus, *vide* Petrus Roccius.

Roche Petrus commissarius generalis curiae fratrum familiae ultramontanae Ordinis Minorum sancti Francisci de Observantia, 69 *a*.

Rosa (Ven.) de S. Maria, virgo Limana, Ordinis S. Dominici, in Beatorum numerum adscribitur, 628 *b*; et de eâ officium et missa sub ritu duplici minori permittitur, *ibid.*; conceditur reginae Britaniae ut in cappella sua regia de ea missa recitari possit, 774 *b*.

Rosa (de la) Franciscus, *vide* Franciscus de la Rosa.

Rosaliae (S.) mōnasterium canonicorum S. Georgii Agrigenti in Sicilia, 79 *b*; *vide* S. Georgii.

Rospigliosus cardinalis Iulius, *vide* Clemens IX.

Rutheni christifideles cum sancta Romana Ecclesia uniti variis dissidiis agitantur pro electione abbatis monachorum Ruthenorum, 366 *a*; novum capitulum indicitur, *ibid.* et *seq.*

Rutheni monachi Ordinis S. Basilii, *vide* Ordines religiosi.

Rotunda (in) S. Mariae, *vide* S. Maria in Rotunda.

S

Sabaudiae nuncio committuntur recursus subditorum principatus Masserani et marchionatus Crevacorii, 498 *a*; et item causae locorum S. Benigni, Montanarii, Feletti et Lombardorii provinciae Taurinensis, 594 *a* et *b*.

Sacchettus Iulius episcopus cardinalis Sabinensis iudex et executor Bullae unionis abbatiae S. Crucis de Avellana collegio Germanico de Urbe, 16 *a* et 17 *b*; ipsi cum aliis committitur componere lites eiusdem collegii cum collegio Neophytorum de Urbe, *ibid.*

Saeton Bernardinus frater et procurator provinciae Aragoniae Ordinis fratrum Minorum S. Francisci de Observantia nuncupatorum, 128 *a*.

Salisburgensi archiepiscopo cum aliis data commissio imponendi contributionem super bonis ecclesiasticis pro bello contra Turcas, 221 *b* et *seq.* et etiam colligendi vasa aurea et argentea ecclesiarum tradenda regi pro cudendis nummis, 230 *a* et *b*.

Salisburgensis ecclesia, 182 *b*; quaedam capitulationes stipulatae et iuratae a capitulo illius ecclesiae, sede vacante, irritantur a Pontifice, 183 *a*.

Salisburgensis ecclesiae capitulationes sede vacante factae irritantur, 793 *a* et *b*.

Salvatoris (SS.) congregatio canonicorum regularium, *vide* Congregatio SS. Salvatoris.

Salvatoris (S.) canonici regulares, *vide* Congregatio canonicorum regularium S. Salvatoris.

Saracenus cardinalis Ioannes Michaël tituli S. Anastasiae, protector societatis cathecumenorum et neophytorum et ad fidem Christi conversorum de Urbe, 139 *b*; ipsi subiicitur monasterium monialium seu virginum neophytarum, 140 *a*;

Scholae Christi nuncupatae congregatio vel confraternitas, 338 *b*.

Scialac Victorius Acorensis Maronita nonnulla Montium Romanae curiae loca reliquit pro instituendo collegio Maronitarum in civitate Ravennae, 391 *a*.

Scotorum collegium Parisiense, 830 *b*; privilegia ipsius alumnis concessa confirmantur, 831 *b*.

Seguntina resolutio sacrae rituum congregationis quod clerici, cotta induti, sunt praeferendi privatis personis seu clericis nullo chorali indumento suffulti, 210 *a*.

Seminarii ludus sic dictus, 775 *b*; interdicitur Carmelitis Discalceatis Hispaniae sub poenâ excommunicationis reservatae S. Pontifici, 776 *a*.

Senensis Status ecclesiasticis imponitur subsidium pro expensis fluminum et aggerum, 676 *a*.

Serici ars, *vide* Ars serici.

Sfondratorum familia, *vide* Philippus Sfondratus.

Siciliae ecclesiasticis donativum extraordinarium imponitur regi, 658 *a*.

Siciliae regnum obtulit donativum extraordinarium regi Philippo occasione dotis Mariae Theresiae ipsius filiae Francorum reginae christianissimae, 60 *a*; confirmatur a Pontifice pro ratâ ecclesiasticos tangente, 60 *b*.

Sigismundus cardinalis Chisius, 832 *b*.

Silvestrinorum congregatio Ordinis S. Benedicti, *vide* Ordo S. Benedicti.

Sixtus V quae iura tribuit archipresbytero, canonicis et capitulo ecclesiae S. Mariae in Rotunda de Urbe, 160 *a* et *seq*.

Societas Iesu. Ioannes Paulus Oliva vicarius generalis possit relinquere et alienare collegia et domos iuxta facultatem sibi traditam a generali congregatione eiusdem Societatis, 51 *a*; suspendit collegium Tropiense, *ibid.*; et suspensio a Pontifice confirmatur, 51 *b*; constitutio super regimine superiorum, 107 *b*; congregatio quinta generalis decreverat tempus non esse praefigendum superioribus, item et Paulus V prohibens ne novitati studentes aliquid contra machinarentur, 108 *a*; Innocentius X praefixit triennium officii dumtaxat omnibus superioribus, et quod postea cessarent ab omni officio per annum et dimidium, 108 *b*; Alexander VII moderavit semel et iterum huiusmodi decretum 109 *a* et *b*; quid sanctus Ignatius huius Ordinis fundator in hac re statuerit et usu habuerit, 110 *a*; quid mandaverit et postea mitigaverit Clemens VIII, 110 *b*, 111 *a*; incommoda plura quae ex limitatione triennali officiorum provenerunt, 111 *a*; Alexander VII revocat tandem Innocentii X praescriptum, 111 *b* (*vide postea*); indulgentia plenaria perpetua pro visitantibus ecclesias Societatis Iesu festis Ss. Ignatii et Francisci Xaverii, 184 *a* et *b*; superioribus in insulis maris Ægei praecipitur ut visitationem apostolicam in eorum collegiis excipiant, 461 *b* et *seq.*; conceditur illius presbyteris, ceterisque ad horas canonicas adstrictis, ut officium et missam Conceptionis Beatae

Mariae Virginis cum octavâ de praecepto recitent, 570 *a*; officium sancti fundatoris sub ritu duplici recitandum, 578 *b*; Innocentius X generalem congregationem singulo novennio iniunxerat, et triennialem tantum superiorum in officio durationem, 722 *b*; Alexander VII decretum Innocentii X quoad triennalem durationem officiorum suspendit, 722 *b*; congregatio et superior generalis Societatis petunt abrogari etiam decretum de novennali celebratione congregationis generalis 723 *a*; Clemens IX praescribit ut huiusmodi quaestio agitetur in prima congregatione generali eiusdem Societatis celebranda, et omnes dent libera suffragia secreta, 723 *b*; et *seq.*; indulgentiae et facultates ecclesiis et patribus Societatis in Indiis, 750 *b* et *seq.*; illius missionariis in Indiis Orientalibus et America negociatio nominatim interdicitur sub censuris, 799 *b*; statuitur quod illi apud Sinas manentes debeant dependere a vicariis apostolicis, 817 *a* et *seq.*

Somaschae congregatio, *vide* Congregatio Somaschae.

Spinula Aloysius, rector collegii Germanici et Hungarici de Urbe, 16 *b*.

Spolia defunctorum canonicorum regularium Sanctissimi Salvatoris congregationi generali eiusdem congregationis omnino applicentur, 66 *a*.

Stephanus cardinalis Donghus archiepiscopus Ferrariensis, 507 *b*; ipsi committitur ut procedat contra expulsores inquisitoris Mantuani a civitate et ducatu Mantuanis, 508 *a*.

Stephanus archiepiscopus Adrianopolitanus, nuncius apostolicus apud Venetos, 601 *a*.

Stratius Theodorus, *vide* Theodorus.

Strigoniensi archiepiscopo data commissio imponendi subsidium super bona ecclesiastica pro bello contra Turcas, 221 *b* et *seq.*; et colligendi vasa aurea et argentea ecclesiarum conflanda in nummos, 230 *a* et *seq.*

Studium linguae arabicae et controversiarum in conventu S. Petri de Monte Aureo Urbis instauratur, 743 *a* et *seq.*; decem religiosi strictioris Observantiae ad studium designentur, *ibid.*

Subditis Sedis Apostolicae concessae exemptiones a vectigalibus aliisque publicis oneribus, revocantur, 616 *b* et *seq.*

Sublaci monasterium Ordinis S. Benedicti, *vide* Cassinensis Congregatio.

Subsidium tercentum millium scutorum pro Sedis Apostolicae necessitatibus imponitur super bonis undecim Congregationum regularium, 147 *b*.

Suppressio canonicorum S. Georgii in Alga Venetiarum, ac fratrum Iesuatorum et S. Hieronymi de Fesulis, 737 *b*; horum bona in Statu Venetorum et in regno Siciliae ultra Pharum applicantur Reipublicae, 739 *b* et 748 *a*; illa vero in ducatu Mediolanensi, ab oeconomo generali S. Sedis apprehensa, restituenda administratoribus, 785 *a* et *seq.*

Surrentino (de) casale emitur, ut creditur, subreptitie ab Ascanio Ansalonio duce *della Montagna*, 75 *a*; redemptio ipsius intentatur a civibus Pactensibus, 75 *b* et *seq.*

T

Tafurius Dominicus procurator provinciae Italiae et minister conventus de Urbe, Ordinis SS. Trinitatis, 175 *a*; concordiam init cum Antonio de Trinitate procuratore fratrum Hispanorum super conventu SS. Trinitatis Neapolis eiusdem Ordinis, 175 *b* et *seq.*; ipsiusque et aliorum conventuum visitator constituitur, 179 *a*.

Taurinensis archiepiscopus dominium directum habet in feudum Montaliae 495 *a*; assensum praestat illius venditioni, 504 *a* et *seq.*

Tertius Ordo S. Francisci, *vide* Ordo S. Francisci.

Theodorus Stratius prior generalis fratrum Ordinis Beatae Mariae de Monte Carmelo, 691 *b*.

Theophilus Carrier, *vide* Carrier Theophilus.

Theutonicorum (B. Mariae) hospitale, *vide* Hospitale.

Toletus cardinalis Franciscus significavit congregationi quintae generali Societatis Iesu mandatum Clementis PP. VIII ut tam provinciales quam rectores dictae Societatis non durarent ultra triennium, 110 *b*, *vide* Societas Iesu.

Torano (de) Ioannes, *vide* Ioannes de Torano.

Toson d'oro Ordo, *vide* Aurei Velleris Ordo.

Trinitatis (SS.) custodia Ordinis Minorum S. Francisci, *vide* Ordo S. Francisci.

Trinitatis (SS.) insula in Indiis occidentalibus Guaiana nuncupata *vide* Guaiana insula.

Trinitatis (SS.) Ordo redemptionis captivorum, *vide* Ordo redemptionis captivorum SS. Trinitatis.

Tribunalis Burgi iurisdictio reformatur, 547 *b* et *seq.*

Tropiense collegium Societatis Iesu suspenditur a vicario generali eiusdem Societatis, 51 *a*.

Tropiensis episcopus per sequestra bonorum impedit suspensionem collegii Tropiensis Societatis Iesu, 51 *a*.

Turoniae maioris provinciae Ordinis Minorum sancti Francisci reformatio, 145 *b*; at fratres dictae provinciae reformationem renuunt et violenter impediunt, *ibid.*

Turoniae Pictavensis provincia Ordinis Minorum sancti Francisci, 157 *a*; statuta pro conventibus reformatis illius provinciae, 157 *a* et *b*; confirmantur a Pontifice, 158 *b*.

Turcarum tyrannus nefarium bellum a septemdecim annis duci et dominio Venetorum intulit, 123 *b*; Venetae Reipublicae subsidium centum millium scutorum super redditibus ecclesiasticis in dominio Venetorum existentibus concedit Pontifex ad effectum illud in expensas contra Turcas expendendi, 124 *a* et *seq.*; Hungariae regnum et finitimas provincias immani barbarie protrivit et divexavit, 222 *a*; priorum expeditionum successu ferocior factus, magno virium apparatu bellum et cladem in reliquas alias christianorum principum provincias et maxime Germanorum perferre molitur et adornat, *ibid.*; partim vi, partim fraude, in intima, quin etiam extrema usque regni Hungariae penetravit, et aliis provinciis vastitatem comminatur, 229 *a*; iterum, 236 *b*.

U

Undecim congregationibus regularibus subsidium imponitur tercentorum millium scutorum pro Sedis Apostolicae necessitatibus, 147 *b*

Universitas studii generalis Colimbriensis, *vide* Collegium S. Petri.

Universitati studii generalis Lovaniensi, illiusque facultati artium, indultum conferendi beneficia in dioecesi Leodiensi, 810 *b*; at huiusmodi indulto multipliciter abusi sunt, *ibid.*; suspenditur, 811 *b* et *seq.*

Universitati studii generali Coloniensi ipsiusque provisoribus concessum indultum nominandi ad canonicatus et praebendas ecclesiarum Coloniensium, 556 *a* et *seq.*; renovatur, 560 *a* et *seq.*

Urbanus VIII quae iura tuitus est canonicis ecclesiae S. Mariae in Rotunda super platea ipsius ecclesiae, 162 *a* et *seq.*

Ursulinarum monasterium sub regula S. Augustini in civitate Burdigalensi in Galliâ Paulus V erexit pro edocendis puellis, 579 *b*; institutum hoc ex Galliâ in remotas regiones etiam transmarinas Novae Galliae, ac in utramque Germaniam propagatum, *ibid.*; privilegia Pauli V monasterio praedicto concessa ad cetera omnia monasteria eiusdem instituti extenduntur, 580 *a*.

Utensilia ecclesiarum, *vide* Ecclesiasum bona, etc.

V

Vaccinariorum universitas de Urbe, 47 *b*; quaedam ordinationes a Pontifice factae revocantur, *ibid.*

Vallisumbrosae congregatio Ordinis S. Benedicti, *vide* Ordo S. Benedicti.

Vallisumbrosae et Silvestrina congregationes simul unitae, 134 *a*; statutum super uniformitate habitus inter ipsas confirmatur, 134 *b*.

Valvasonus fr. Hieronymus Mediolanensis, procurator generalis Ordinis fratrum Eremitarum sancti Augustini, 42 *a*.

Vasa sacra, *vide* Ecclesiarum bona, etc.

Venayssinus comitatus pertinens ad Sedem Apostolicam, 195 *a*; attentata pro ipsius unione regno Franciae, 195 *b*; iura Sedis Apostolicae tuetur Pontifex, 197 *b* et *seq.*

Venetae Reipublicae subsidium centum millium scutorum super redditibus ecclesiasticis in eius dominio consistentibus ad effectum illud expendendi in bello contra Turcas, 124 *a* et *seq.*; item aliud subsidium illi collatum ex bonis ecclesiasticis ut pugnet contra Turcas, 482 *a* et *seq.*; item ex decimis impositis super fructibus ecclesiasticis, 601 *a* et *seq.*; item ex bonis suppressarum congregationis S. Georgii ac fratrum Iesuatorum et S. Hieronymi de Fesulis, 739 *b*; 748 *a* et *seq.*

Venetiarum (in Alga) Congregatio canonicorum S. Georgii, *vide* S. Georgii.

Verneirius Dominicus inquisitor, *vide* Dominicus Verneirius.

Vicarii apostolici in Indiis Orientalibus, *vide* Episcopi.

Victorius Scialac, *vide* Scialac.
Vidonus cardinalis, Ordinis Camaldulensis protector, 586 *a.*
Viennensi episcopo data commissio imponendi subsidium et colligendi vasa ecclesiarum, eaque tradendi ut conflentur in nummos pro bello contra Turcas, 221 *b*; 230 *a.*
Vincentius Lumellus, *vide* Lumellus.
Vincentius Octavianus, *vide* Octavianus.
Virginius cardinalis Ursinus tamquam de parentela Sixti V oriundus praetendit excludere ab administratione cappellae S. Mariae Maioris de Urbe ad Praesepe Domini cardinalem Pallottum et sibi illam deberi, 672 *a.*
Visitare quoad monasteria monialium; *vide in verbo* Monialium monasterium.
Visitatio apostolica ecclesiarum in insulis maris Ægei et Zacynthi ac Cefaloniae, 457 *b* et *seq.*; et locorum piorum Urbis absolvenda, 572 *a.*
Visitationis B. M. Virginis moniales institutae a S. Francisco Salesio, 437 *b*; postulant pro canonizatione ipsius S. Francisci Salesii, 438 *b.*
Vitalianus archiepiscopus Ephesinus in regnis Hispaniarum nuncius apostolicus, 405 *b*; eidem committitur ut absolvat a censuris capitulum ecclesiae S. Salvatoris civitatis Caesaraugustanae, 474 *b.*
Vitoni et Hidulphi (Ss.) congregatio Ordinis sancti Benedicti, *vide* Ordo sancti Benedicti.

X

Xaverii Francisci (S.), *vide* Francisci Xaverii.

Z

Zaccharias Ioannes Paulus, *vide* Ioannes Paulus Zaccharias.
Zacynthi insula, 457 *b*; visitatio apostolica ecclesiarum ipsius indicitur, *ibid.*
Zuccarinus Pompilius, *vide* Pompilius Zuccarinus.

INDEX ALPHABETICUS PONTIFICUM

Alexander VII hoc in tomo habet constitutiones . . . . . CLXXXI.

Clemens IX hoc in tomo habet constitutiones . . . . . CXXVI.

IDEM CHRONOLOGICE DISPOSITUS

Alexander VII Anno 1662 . . . . . *pag.* 1

Clemens IX » 1667 . . . . . » 512

INDEX INITIALIS.

A

Ad apostolicae dignitatis fastigium. 15
Ad apostolicae dignitatis fastigium. 64
Ad pastorale fastigium, divinâ. . . 682
Ad pastorale fastigium, meritis . . 281
Ad pastorale fastigium, meritis . . 673
Ad pastoralis dignitatis apicem . . 214
Ad pastoralis dignitatis fastigium . 84
Ad pastoralis dignitatis fastigium . 301
Ad pastoralis dignitatis fastigium . 338
Aliàs emanarunt a felicis 640
Aliàs emanarunt a nobis litterae . 47
Aliàs emanarunt a nobis litterae . 49
Aliàs emanarunt a nobis litterae . 62
Aliàs emanarunt a nobis 419
Aliàs emanavit a congregatione . . 78
Aliàs emanavit a congregatione . . 210
Aliàs emanavit a congregatione . . 468
Aliàs felicis recordationis 802
Aliàs nos, in subventione clarae . . 405
Aliàs piae memoriae Paulo Papae V 239
Aliàs piae memoriae Paulo Papae V 556
Aliàs, postquam ecclesiae 205
Aliàs pro parte dilecti filii 69
Aliàs pro parte dilecti filii 82
Aliàs pro parte dilecti filii 128
Aliàs pro parte dilecti filii 185
Aliàs pro parte dilecti filii 373
Aliàs pro parte dilecti filii 531
Aliàs pro parte dilecti filii 583
Aliàs pro parte dilecti filii nobilis . 767
Aliàs pro parte dilectorum filiorum 181
Aliàs pro parte dilectorum filiorum 275
Aliàs pro parte dilectorum filiorum 389
Aliàs pro parte dilectorum filiorum 397
Aliàs pro parte dilectorum filiorum 594
Aliàs pro parte tunc existentis . . 66
Aliàs propositis pro parte dilecti filii 609
Animarum saluti paternâ 750
Apostolica sollicitudo humilitati . . 52
Apostolatus officium, quod auctore 75
Assidua cordis nostri meditatio . . 254
Augustissimae atque gloriosissimae 569

C

Circumspecta Romani Pontificis . . 651
Circumspectionis tuae erga nos . . 262
Commissae nobis caelitus 465
Commissi nobis divinitus sacrosancti 283
Commissi nobis divinitus 790
Constantis et eximiae devotionis . . 622
Constantis fidei et sincerae. 781
Controversiam, inter dilectos. . . . 481
Creditae nobis caelitus 478
Creditae nobis caelitus 120
Creditae nobis caelitus 565
Creditae nobis celitus 172
Creditae nobis divinitus 570
Creditae nobis divinitus 578
Creditae nobis divinitus 629
Creditae nobis divinitus 653
Crediti nobis caelitus sacrosancti . 742
Cum ad aures nostras pervenerit . 369
Cum aliàs, propositis de mandato . 337
Cum congregatio venerabilium . . . 825
Cum dilecti filii consules. 428
Cum dilecti filii consules 734
Cum dilectus filius nobilis vir. . . 253
Cum felicis recordationis 572

Cum felicis recordationis 637
Cum felicis recordationis 822
Cum inter ceteras Summorum . . 147
Cum luctuosissimas populorum . . 222
Cum nos aliàs per quosdam 509
Cum nos aliàs pro urgentibus . . . 249
Cum nos dominicâ proxime 727
Cum nos, gravissimis 739
Cum nos, gravissimis 748
Cum nos, gravissimis 781
Cum nos, gravissimis. 784
Cum nos iam pluries 763
Cum nos nuper, videlicet 730
Cum nos te per alias nostras . . . 461
Cum nos, pro gerendis arduis . . . 156
Cum noviter, in quadam lite . . . 430
Cum primâ nostrâ divinâ 630
Cum, sicut accepimus, aliàs. . . . 184
Cum, sicut accepimus a quibusdam 316
Cum, sicut accepimus, carissimus . 582
Cum, sicut accepimus, nonnulla . . 379
Cum, sicut accepimus, officium . . 826
Cum, sicut accepimus, postquam . 46
Cum, sicut ad aures nostras 769
Cum, sicut carissimus in Christo . . 71
Cum, sicut dilectus filius 127
Cum, sicut dilectus filius 169
Cum, sicut dilectus filius 330
Cum, sicut maiestatis tuae 485
Cum, sicut nobis innotuit 182
Cum, sicut nobis innotuit 793
Cum, sicut non sine gravissimo . 229
Cum, sicut non sine gravi animi . 772
Cum, sicut non sine spirituali. . . 187
Cupientes, ad animarum salutem . 457

D

Debitum pastoralis officii 54
Debitum pastoralis officii 107
Debitum pastoralis officii 551
Debitum pastoralis officii 563
Debitum pastoralis officii 574
Debitum pastoralis officii 657
Decet Romanum Pontificem 467
De salute dominici gregis 724
Dilectos filios alumnos seminarii . 532
Dudum emanarunt a felicis 830
Dudum felicis recordationis 671
Dudum felicis recordationis 691
Dudum felicis recordationis 736
Dudum per felicis recordationis . . 159
Dudum pro parte tunc existentis . . 492

E

Ecclesia catholica, etsi cum 432
Ecclesiae catholicae regimini, . . . 56
Ecclesiae catholicae regimini . . . 731
Egregia dilecti filii nobilis viri . . 385
Egregiis dilectorum filiorum 631
Emanavit nuper a congregatione . . 21
Emanavit nuper a congregatione . . 43
Emanavit nuper a congregatione . 208
Emanavit nuper a congregatione . 464
Etsi nobis pro curâ pastoralis. . . 123
Etsi nobis pro curâ pastorâlis. . . 481
Ex iniuncti nobis divinitus 380
Ex iniuncti nobis divinitus 396
Ex iniuncti nobis divinitus 786
Ex iniuncto nobis caelitus 421
Ex iniuncto nobis caelitus. 778
Ex iniuncto nobis divinitus 775
Ex iniuncto nobis divinitus 823
Ex iniuncto nobis divinitus 827
Exigit commissae nobis caelitus . . 597
Eximia maiestatis tuae in Deum . . 774
Exponi nobis nuper fecerunt . . . 1
Exponi nobis nuper fecerunt . . . 122
Exponi nobis nuper fecerunt . . . 167
Exponi nobis nuper fecerunt . . . 179
Exponi nobis nuper fecerunt . . . 193
Exponi nobis nuper fecerunt . . . 277
Exponi nobis nuper fecerunt . . . 279
Exponi nobis nuper fecerunt . . . 285
Exponi nobis nuper fecerunt . . . 287
Exponi nobis nuper fecerunt . . . 296
Exponi nobis nuper fecerunt . . . 315
Exponi nobis nuper fecerunt . . . 327
Exponi nobis nuper fecerunt . . . 400
Exponi nobis nuper fecerunt . . . 407
Exponi nobis nuper fecerunt . . . 494

Exponi nobis nuper fecerunt . . . 595
Exponi nobis nuper fecerunt . . . 598
Exponi nobis nuper fecerunt . . . 701
Exponi nobis nuper fecerunt . . . 732
Exponi nobis nuper fecerunt . . . 765
Exponi nobis nuper fecit 50
Exponi nobis nuper fecit 55
Exponi nobis nuper fecit 60
Exponi nobis nuper fecit 134
Exponi nobis nuper fecit 171
Exponi nobis nuper fecit 219
Exponi nobis nuper fecit 367
Exponi nobis nuper fecit 371
Exponi nobis nuper fecit 382
Exponi nobis nuper fecit 383
Exponi nobis nuper fecit 385
Exponi nobis nuper fecit 475
Exponi nobis nuper fecit 495
Exponi nobis nuper fecit 507
Exponi nobis nuper fecit 608
Exponi nobis nuper fecit 614
Exponi nobis nuper fecit 625
Exponi nobis nuper fecit 658
Exponi nobis nuper fecit 680
Exponi nobis nuper fecit 779
Exponi nobis nuper fecit 808

F

Felici sacrarum virginum statui . . 307
Fortissimos Christi athletas. 154

G

Grata familiaritatis obsequia 714

I

Illius, qui charitas est et Deus . . 212
Illius, qui charitas est et Deus . . 299
Illius, qui charitas est et Deus . . . 585
Illius, qui illuminat omnem . . . 135
Illius, qui visitat in virgâ 317
In congregatione generali sanctae . 387
In congregatione generali sanctae . 427
Indulgentias et gratias illas 698
In excelsâ Sedis Apostolicae. 819
In hoc supremo nostri pontificatus . 547
In ipso pontificatus nostri 805
Iniunctae nobis caelitus 654
Iniunctae nobis caelitus 776
Iniunctae nobis divinitus 593
Iniuncti nobis caelitus. 7
Iniuncti nobis caelitus. 677
In sublimi Sedis Apostolicae . . . 412
In supereminenti Apostolicae . . . 711
In supremâ apostolicae servitutis . 676
In supremâ militantis Ecclesiae . . 515
In supremâ Sedis Apostolicae . . . 441
In supremo apostolicae dignitatis . 403
In supremo militantis Ecclesiae . . 246
In supremo militantis Ecclesiae . . 274
In supremo militantis Ecclesiae . . 454
In supremo militantis Ecclesiae . . 755
Inter gravissimas multiplicesque . . 81
Iustis ex causis nobis notis 606

L

Laudabilia infantilis aetatis 264
Licet aliàs nos per quasdam . . . 510

M

Magnis causis adducti 6
Magnis causis adducti 298
Militantis Ecclesiae regimini 79
Militantis Ecclesiae regimini 145
Militantis Ecclesiae regimini. . . . 157
Militantis Ecclesiae regimini 201
Militantis Ecclesiae regimini 311
Militantis Ecclesiae regimini 424
Militantis Ecclesiae regimini. . . . 579

N

Nomine carissimi in Christo filii . 191
Nomine dilectorum filiorum 199
Nos, volentes dilectos filios 517
Nos, volentes dilectos filios 533
Nuper emanarunt a nobis 581
Nuper nos, ad divinam opem . . . 782
Nuper pro parte dilecti filii. . . . 272
Nuper pro parte dilecti filii. . . . 273
Nuper pro parte dilectorum. . . . 132
Nuper pro parte dilectorum. . . . 211

Nuper pro parte dilectorum 247
Nuper pro parte dilectorum. . . . 328
Nuper pro parte dilectorum. . . . 479
Nuper pro parte dilectorum. . . . 545
Nuper pro parte dilectorum. . . . 611
Nuper pro parte dilectorum. . . . 612
Nuper pro parte dilectorum 789
Nuper pro parte dilectorum. . . . 832

O

Olim, postquam felicis recordationis 528
Omnipotens Deus, magnus Dominus 129
Onerosa pastoralis officii cura . . . 728
Orthodoxae fidei conservandae. . . 2
Orthodoxae fidei conservandae. . . 324
Ortodoxae fidei conservandae. . . . 633
Ortodoxae fidei conservandae . . . 706

P

Pastoralis officii humilitati 67
Pastoralis officii nobis, nullo . . . 305
Pastoralis officii, pro Ecclesiae . . 331
Pastoralis officii, quo divinâ. . . . 23
Pastoralis officii, quod auctore . . 112
Pastoralis officii, quod auctore . . 119
Pastoralis officii, quod auctore . . 195
Pastoralis officii, quod auctore . . 231
Pastoralis officii, quod auctore . . 326
Pastoralis officii, quod auctore . . 402
Pastoralis officii, quod auctore . . 679
Pastoralis officii, quod superni . . 408
Pastoralis Romani Pontificis 641
Paternam, quam de nostris et Sedis 462
Paterna nostra erga huius sanctae . 696
Paterna, quam de nostris. 616
Piis christifidelium votis 577
Placuit ineffabili Redemptoris . . . 512
Praeclara dilecti filii nobilis viri. . 378
Praeclara maiestatis tuae 647
Praeclara maiestatis tuae 649
Praeclara maiestatis tuae 651
Praeclara maiestatis tuae 702
Praeclara maiestatis tuae 704
Praeclara praedecessorum tuorum . 553
Pro commissâ nobis divinitus . . . 115
Pro commissi nobis divinitus 11

Q

Quales animi nostri sensus 143
Quae inter praeclaras multiplicesque 284
Quod iam pluries indictis 236
Quod iam pluries indictis 806

R

Ratio iustitiae exigit ut illi 77
Redemptoris Domini nostri. 693
Redemptoris nostri Domini Iesu. . . 452
Regiminis apostolici divinâ 335
Religiosorum virorum Ordines . . 721
Romanus Pontifex agri dominici. . 737
Romanus Pontifex aequi 810
Romanus Pontifex ex iniuncti . . . 391
Romanus Pontifex in sublimi . . . 587
Romanus Pontifex in sublimi . . . 589

S

Sacrosanctae militantis Ecclesiae. . 601
Sacrosancti apostolatus ministerium 470
Sacrosancti apostolatus ministerium 541
Sacrosancti apostolatus officii . . . 289
Sacrosancti apostolatus officii . . . 396
Sacrosancti apostolatus officii . . . 411
Sacrosancti apostolatus officii . . . 416
Sacrosancti apostolatus sollicitudo. 188
Salvatoris et Domini nostri 174
Sanctae Matris Ecclesiae 628
Sedes Apostolica pia mater 203
Sedes Apostolica veluti pia mater . 794
Sincera nostra ergo gloriosissimam 583
Sollicitudo omnium ecclesiarum . . 373
Sollicitudo pastoralis officii 365
Sollicitudo pastoralis officii 451
Sollicitudo pastoralis officii 485
Sollicitudo pastoralis officii 798
Speculatores domus Israël, ... 234
Speculatores domus Israël 816
Super universas orbis ecclesias . . 312

INDEX RUBRICARUM

CONSTITUTIONUM

ALEXANDRI PAPAE VII

AB ANNO OCTAVO SACRI EIUS PRINCIPATUS AD DECIMUMTERTIUM

ET

CLEMENTIS PAPAE IX

AB ANNO PRIMO AD ANNUM TERTIUM ET ULTIMUM.

CCCLXXXVI. Prohibitio transitus fratrum Discalceatorum congregationis Gallicanae Ordinis Sanctissimae Trinitatis redemptionis captivorum ad Calceatos vel Discalceatos congregationis Hispaniae, cum praecepto ut qui hucusque transierunt remittantur, etc., 1.

CCCLXXXVII. Super contributione ecclesiasticorum regnorum Castellae et Legionis decem et novem millionum ducatorum cum dimidio pro rege catholico, 2.

CCCLXXXVIII. Prorogatio subsidii quadrigentorum et viginti millium ducatorum super fructibus ecclesiasticis universarum Hispaniarum et Sardiniae in favorem regis catholici, 7.

CCCLXXXIX. Diversae ordinationes pro felici statu et directione Congregationis clericorum regularium S. Pauli Decollati, 11.

CCCXC. Extensio statuti Gregorii XV, ut canonicatus et praebendatus poenitentiarii ecclesiarum metropolitanarum et cathedralium in Hispaniarum regnis consistentium, eidem Sedi Apostolicae (non tamen ratione obitus apud eamdem) reservati, praevio concursu conferri debeant, ad ecclesias cathedrales et metropolitanas principatus Cataloniae, etc., 12.

CCCXCI. Super concordiâ solutionis pensionis reservatae a sanctae memoriae Gregorio XIII super fructibus abbatiae fontis Avellanae de anno MDLXXVIII ad favorem collegii Neophytorum faciendae a collegio Germanico tantum in scutis mille quatuor centum de iuliis decem pro scuto in futurum, 15.

CCCXCII. Confirmat decretum sacrae congregationis episcoporum et visi-

tationis apostolicae pro dotandis octo puellis de parochiâ S. Andreae de Fractis, 21.

CCCXCIII. Confirmatio decretorum a generali Ordinis Eremitarum sancti Augustini pro felici regimine conventus et collegii maioris nuncupati civitatis Parisiensis dicti Ordinis in visitatione editorum, et a capitulo generali approbatorum, cum illorum insertione, 23.

CCCXCIV. Confirmatio decreti congregationis super negotiis Ordinis Praemonstratensium et communitatis antiqui rigoris nuncupatae dicti Ordinis, quo cavetur unionem seu aggregationem unius vel plurium dicti Ordinis dictae congregationi antiqui rigoris a vicario abbatis generalis in posterum nullatenus fieri debere, nisi omnes religiosi professi illius monasterii per vota secreta consenserint in illud reformationem introduci, praecesseritque licentia abbatis generalis, etc., eamdemque aggregationem non aliter faciendam esse quam iuxta formulam praescriptam in decreto huic Brevi inserto, 43.

CCCXCV. Declaratio invaliditatis electionis capitularium ecclesiae Parisiensis ante admissam cessionem cardinalis de Retz factae, et ab illis successive gestorum, 46.

CCCXCVI. Revocatio quarumdam ordinationum per universitatem et homines artis vaccinariorum Urbis a Suâ Sanctitate per Breve confirmatarum, cum decreto quod circa contractus super pellibus, tam concinnatis quam rudibus, ineundos, et aperitionem novarum apothecarum, et divisionem macellorum, is stylus de cetero in perpetuum servetur, qui servabatur antequam dictae declarationes et Breve emanarent, 47.

CCCXCVII. Confirmatio privilegiorum gratiarum et indulgentiarum fratrum Eremitarum S. Pauli primi eremitae sub regulâ S. Augustini in regno Portugalliae degentium, 49.

CCCXCIII. Quod Ioannes Paulus Oliva, vicarius generalis Societatis Iesu, possit relinquere et alienare collegia et domos ipsius Societatis, iuxta facultatem sibi traditam a congregatione generali, 245.

CCCXCIX. De promovendis ad Ordines in Urbe et in sex vicinis episcopatibus, 52.

CD. Confirmatio declarationis et incorporationis provinciae Bohemiae Ordinis fratrum Minorum sancti Francisci inter provincias reformatas Italiae dicti Ordinis a ministro generali et capitulo generali eiusdem Ordinis factarum, 54.

CDI. Confirmatio formae pro electione discretorum vocalium capituli generalis Congregationis secularis clericorum Doctrinae Christianae in Galliâ, 55.

CDII. Confirmatio decretorum et statutorum super institutione et felici directione conventus in provinciâ Romanâ pro secessu fratrum Minorum strictioris observantiae Ordinis sancti Francisci ab eminentissimo protectore eiusdem Ordinis, in vim facultatis sibi a congregatione episcoporum et regularium concessae, de voto vicarii generalis reformatorum ac ministri generali dicti Ordinis, factorum et editorum, 56.

CDIII. Donativum extraordinarium regni Siciliae regi catholico faciendum occasione dotis reginae christianissimae dicti regis natae, 60.

CDIV. Commissio officiali Bisuntino contra Guglielmum Humbertum Praeci-

pianum et alios inobedientes canonicos ecclesiae Bisuntinae, 63.

CDV. Quod superiores Congregationis Cassinensis S. Benedicti, ac etiam monasteriorum Sublaci ac Farfae, ceterique monachi, non accedant Romam absque licentiâ abbatis S. Pauli ac procuratoris generalis, 64.

CDVI. Quod spolia defunctorum canonicorum regularium S. Salvatoris procuratori generali eiusdem congregationis omnino applicari debeant, 65.

CDVII. Declaratio quod personae, quae a superioribus Congregationis Missionis deputabuntur ad alias functiones dictae Congregationis, quae proximum spectant, etc., subsint quoque locorum Ordinariis quoad functiones huiusmodi et ea quae illas concernunt; et alia declarantur, 67.

CDVIII. Confirmatio Brevium super divisione provinciae S. Ioannis Baptistae erectioneque novae provinciae B. Petri de Alcantara Discalceatorum sancti Francisci nuncupatorum, 69.

CDIX. Impositio decimae in regnis Castellae et Legionis ac Aragoniae et Valentiae, necnon principatu Cataloniae, atque insulis Balearibus et Sardiniae, omnibusque provinciis et ditionibus in eis comprehensis, in subsidium praesentium necessitatum regis catholici, 71.

CDX. Licentia episcopo et clero civitatis Pactensis eiusque territorii contribuendi summam viginti millium scutorum pro redemptione dictae civitatis et casalis de Surrentino eiusque territorii, 75.

CDXI. Conceditur procuratoribus et commissariis generalibus curiae Ordinis Minorum de Observantiâ et Reformatorum sancti Francisci cismontanae familiae votum perpetuum in propriis provinciis habere, 77.

CDXII. Quod clerici religionis Ministrantium Infirmis in quibusvis functionibus, tam publicis quam privatis, praeferantur laicis, etiam antiquioris professionis, 78.

CDXIII. Incorporatio provinciae et quatuor monasteriorum Congregationis canonicorum S. Georgii in Algâ Venetiarum in regno Siciliae existentium praedictae Congregationi, etc., 79.

CDXIV. Confirmatio erectionis custodiae Lotharingiae fratrum Minorum Ordinis sancti Francisci recollectorum, ac declaratio, quod illi competant omnia privilegia et praerogativae verae custodiae, necnon si qua alia a Sede Apostolicâ indulta fuerint, 81.

CDXV. Confirmat constitutionem capituli generalis fratrum Congregationis Discalceatorum Ordinis B. Mariae de Mercede redemptionis captivorum, circa renunciationem officiorum commendatorum et rectorum collegiorum ipsius Congregationis, 82.

CDXVI. Confirmatio statutorum ac decretorum capituli generalis Oscensis Ordinis Mariae de Mercede redemptionis captivorum, 84.

CDXVII. Constitutio super regimine superiorum Societatis Iesu, 107.

CDXVIII. Prohibitio ecclesiasticis civitatis Barchinonensis et principatus Cataloniae ne excommissas super sortitione officialium faciant, 112.

CDXIX. Extensio statuti Gregorii XV ut canonicatus et praebendae poenitentiarii ecclesiarum metropolitanarum et cathedralium in Hispaniarum regnis consistentium, etiam Sedi Apostolicae (non tamen ratione obitus apud eamdem) reservati, praevio concursu per Ordinarios et capitula

tantum habendo conferri debeant, ad ecclesiam Maioricensem quae in futurum gaudere gratiis per litteras dicti Gregorii XV super praemissis emanatas concessis declaratur, 115.

CDXX. Quod laici, seu conversi, Congregationis Hispaniae fratrum Discalceatorum Ordinis SS. Trinitatis redemptionis captivorum quartum, ultra tria solita, votum addant de non transeundo ad statum clericalem et ad ordines sacros, 119.

CDXXI. Quod electiones guardianorum proministrorum et custodum in familiâ ultramontanâ Ordinis sancti Francisci per suffragia secreta et ballotationes fiant, et in paritate suffragiorum praesidens votum decisivum habeat, 120.

CDXXII. Confirmatio determinationis a capitulo provinciali provinciae Portugalliae tertii Ordinis sancti Francisci factae, ac a generali et cardinali protectore confirmatae, circa alternativam officiorum inter fratres conventuum Ulyssiponensis et de Deira eisdem provinciae, 122.

CDXXIII. Subsidium centum millium scutorum super redditibus ecclesiasticis in dominio Venetorum existentibus pro republicâ Venetâ ad effectum illud in expensas contra Turcas, et non in alios usus, expendendi, 123.

CDXXIV. Quod fratribus laicis congregationis Gallicanae fratrum reformatorum nuncupatorum SS. Trinitatis redemptionis captivorum non competit ius suffragandi in electionibus et receptionibus novitiorum in capitulis, 126.

CDXXV. Confirmatio decreti circa prohibitionem erectionis novorum conventuum in provinciâ Aragoniae Ordinis sancti Francisci de Observantiâ, 128.

CDXXVI. Iubilaeum ad divinam opem implorandam, 129.

CDXXVII. Confirmatio decreti congregationis episcoporum et regularium, quo statuitur, ne posthac in provinciâ Mediolanensi Ordinis fratrum Minorum sancti Francisci de Observantiâ ad fundationes novorum conventuum, nedum fratrum reformatorum Observantiae sancti Francisci, verum etiam cuiusvis alterius Ordinis Mendicantium procedi possit, nisi servatâ a conventibus dictorum fratrum Minorum distantiâ decem milliarium mensurae illarum partium, 132.

CDXXVIII. Confirmatio statuti super uniformitate habitus congregationis Vallisumbrosae et Silvestrinae, 134.

CDXXIX. Confirmatio, et, quatenus opus sit, innovatio Brevium Pii IV et in eis relatarum necnon Pii V litterarum ad favorem domus seu hospitalis ac archiconfraternitatis et monasterii SS. Annunciationis neophitorum et catechumenorum de Urbe, cum decreto quod Gregorii XV aliaeque super exemptorum privilegiis emanatae constitutiones apostolicae, quoad impediendum liberum exercitium iurisdictionis tam spiritualis quam temporalis in domo seu hospitali, ac monasterio praedictis cardinali protectori pro tempore existenti per Brevia praedicta concessum, nequaquam locum habeant, etc., 135.

CDXXX. Plenipotentia reverendo patri domino Rasponio ad tractandum et concludendum cum ministris regis christianissimi et aliorum principum catholicorum, ipsoque rege, occasione casus inter familiam oratoris dicti regis et custodias militum Corsorum die XX augusti MDCLXII in

Urbe sequuti, ac de postulatis super vallibus Comacli et ducatu Castrensi, 143.

CDXXXI. Ut tres conventus custodiae SS. Trinitatis in provinciâ maiori Turoniae Ordinis Minorum sancti Francisci uniri possint provinciae viciniori aut commodiori reformatorum seu recollectorum, etc., 145.

CDXXXII. Impositio subsidii scutorum tercentorum millium monetae super bonis undecim congregationum regularium, pro sanctae Sedis Apostolicae necessitatibus, 147.

CDXXXIII. Breve beatificationis Petri de Arbues canonici metropolitanae ecclesiae Caesaraugustanae, primi inquisitoris in regno Aragoniae, 154.

CDXXXIV. Deputatio reverendi patris domini Rasponi in nuncium extraordinarium ad reges, respublicas et principes christianos quoscumque, ad quorum regna, dominia, ditiones et principatus ipsum declinare contigerit, pro gerendis arduis negociis sanctae Sedis Apostolicae, 156.

CDXXXV. Confirmatio statutorum pro conventibus reformatis provinciae Turoniae Pictavensis Ordinis fratrum Minorum sancti Francisci de Observantiâ reformatorum, 157.

CDXXXVI. Liberatio plateae de Rotundâ Urbis a dominio capituli et canonicorum ecclesiae S. Mariae in Rotundâ dictae Urbis, excepto loco pro collocandis tabernis mercatoriis designato, cum confirmatione privilegiorum dicto capitulo et canonicis per Romanos Pontifices, praesertim Sixtum V et Urbanum VIII concessorum et approbatorum, 159.

CDXXXVII. Commissio super divisione provinciae Ss. Ludovici et Elzearii tertii Ordinis sancti Francisci congregationis Gallicanae in duas provincias, etc., 167.

CDXXXVIII. Decernit ne deinceps in definitoriis provinciarum fratrum Minorum Ordinis sancti Francisci recollectorum regni Galliae duo fratres germani locum nec vocem habere possint, et, si qui antea habuerint, omnino excludantur, 169.

CDXXXIX. Decernit servandam esse in provinciâ Maioricensi Ordinis Minorum sancti Francisci de Observantiâ nuncupatorum dispositionem Brevis Clementis VIII, super prohibitione erectionis novorum conventuum pro provinciâ Carthaginensi dicti Ordinis emanati, et proinde fratribus cuiuslibet Ordinis Mendicantium novorum conventuum, hospitiorum seu domorum permanentium erectionem absque Sedis Apostolicae licentiâ contra tenorem dicti Brevis et apostolicarum constitutionum in dictâ provinciâ Maioricensi prohibet et interdicit, 171.

CDXL. Decernit et declarat quod fratres universi et singuli Ordinis Praedicatorum, ubique terrarum, priusquam ad sacros ordines ascendant, aetatem ad huiusmodi ordines suscipiendos explevisse debeant, iuxta Concilii Tridentini decreta, 172.

CDXLI. Confirmatio capitulorum concordiae pro stabilimento pacis et regularis disciplinae in conventu SS. Trinitatis civitatis Neapolitanae Ordinis eiusdem SS. Trinitatis redemptionis captivorum, et ad componendas lites ac differentias inter fratres Hispanos et Italos Ordinis huiusmodi eiusdem conventus occasione subortas diuque agitatas, cum deputatione visitatoris, 318.

CDXLII. Confirmatio quorumdam statutorum provinciae Britaniae fratrum

Recollectorum ac de Observantiâ Ordinis Minorum sancti Francisci circa electionem provincialis et definitorum, 179.

CDXLIII. Confirmatio decreti congregationis episcoporum et regularium quod servanda sit consuetudo, per quam magistris, acceptatis cum voce et loco provinciae Romanae Ordinis Praedicatorum, competit praecedentia super regentem studii in conventu S. Mariae supra Minervam de Urbe, aliosque magistros exteros Ordinis praedicti, 181.

CDXLIV. Declaratio nullitatis capitulationum sede archiepiscopali Salisburgensi vacante a capitularibus dictae ecclesiae factarum, 182.

CDXLV. Indulgentia plenaria perpetua pro visitantibus ecclesias Societatis Iesu festis Ss. Ignatii ac Francisci Xaverii, confessis ac communione refectis, 184.

CDXLVI. Prohibet fundationes conventuum in familiâ ultramontanâ Ordinis Minorum de Observantiâ intra spatium quatuor vel quinque leucarum a iam erectis, etiam aliorum regularium, 185.

CDXLVII. Facultas domino cardinali Barberino, camerario S. R. E., absolvendi Christianum ducem Mekelburgensem ab haeresibus, praemissâ abiuratione, emissâque per eum professione, 187.

CDXLVIII. Super electione provincialium provinciarum Indiarum Ordinis Praedicatorum, ac confirmatione eorumdem a magistro generali, 187.

CDXLIX. Commissio archiepiscopo S. Dominici in Indiis occidentalibus super separatione insulae SS. Trinitatis a dioecesi de Portorico, et unione archiepiscopatui S. Fidei, 191.

CDL. Prohibitio ne de cetero perpetuis futuris temporibus ullus frater cuiusvis alterius conventus Ordinis fratrum Praedicatorum filius, conventui S. Mariae supra Minervam Urbis Ordinis huiusmodi adfiliari possit absque speciali Sedis Apostolicae concessione, 193.

CDLI. Declaratio nullitatis occupationis civitatis Avenionensis eiusque territorii et conventus Venayssini, ac omnium in curiâ parlamenti Aquensis, eiusque deputatis, et aliis quibuscumque gestorum, 195.

CDLII. Quod officium praepositi generalis congregationis clericorum regularium Minorum in domo S. Laurentii in Lucinâ de Urbe durare debeat in perpetuum, cum facultate tamen capitulo generali eligendi alium si expedire videbitur, 199.

CDLIII. Ut tres conventus, nimirum Vastinensis, Iniicastrensis et Castrireginaldensis, custodiae SS. Trinitatis in provinciâ maiori Turoniae Ordinis fratrum Minorum sancti Francisci recollectorum, uniri et incorporari possint provinciae viciniori aut commodiori reformatorum, seu recollectorum Ordinis huiusmodi, 201.

CDLIV. Commissio domino cardinali vicario Urbis ut praesidem et auditorem regiae audientiae Montis Fusculi in regno Neapolitano a violatae immunitatis et iurisdictionis ecclesiasticae excessibus Beneventi commissis absolvat, 203.

CDLV. Deputatio domini cardinalis vicarii Urbis et aliorum in solidum in exequutores privilegiorum capituli et canonicorum S. Mariae in Rotundâ Urbis eisdem competentium super plateâ ante dictam ecclesiam, 205.

CDLVI. Super concordiâ factâ inter procuratores generales Ordinis SS. Tri-

nitatis redemptionis captivorum, et Ordinis B. Mariae de Mercede, 208.

CDLVII. Confirmatio decreti sacrae Congregationis rituum, quo respondetur clericos civitatis Seguntinae indutos cotta, seu alio ecclesiastico indumento, praeferendos esse privatis personis, seu aliter clericis nullo chorali seu ecclesiastico indumento suffultis, 210.

CDLVIII. Confirmatio decreti congregationis episcoporum et regularium ut deinceps in provinciâ S. Antonii in regno Portugalliae Ordinis fratrum Minorum sancti Francisci de Observantiâ reformatorum servetur Breve Clementis VIII circa fundationem novorum conventuum aliorum regularium Mendicantium, ità ut non possit procedi ad huiusmodi fundationes, nisi in distantiâ saltem quinque leucarum a conventibus dictae provinciae S. Antonii, 210.

CDLIX. Annullatio capituli provincialis provinciae Ss. Ludovici et Elzearii tertii Ordinis sancti Francisci congregationis Gallicanae, cum approbatione divisionis dictae provinciae in duas, unam scilicet Lugdunensem sub nomine S. Ludovici, et aliam Aquitaniae sub nomine S. Elzearii, cum aliis ordinationibus, 212.

CDLX. Confirmatio decretorum a priore generali Ordinis Carmelitarum in visitatione provinciae Turoniae dicti Ordinis pro tollendis controversiis inter fratres provinciae huiusmodi super modo eligendi officiales vertentibus editorum, 214.

CDLXI. Decreta pro Limana provincia in Indiis Ordinis beatae Mariae de Mercede redemptionis captivorum stabilita, 219.

CDLXII. Commissio cardinali Carafae, ut compellat ecclesiasticos statuum haereditariorum electi imperatoris ad tradenda aurea et argenta utensilia, exceptis calicibus et patenis et aliis sacra unctione delibutis, eidem imperatori seu eius ministris in subsidium belli contra Turcas, 229.

CDLXIII. Commissio cardinalibus ab Harach et Carafae, ac archiepiscopis Salisburgensi et Strigoniensi, et episcopo Viennensi, super impositione subsidii et contributionis supra bonis ecclesiasticis in statibus haereditariis electi imperatoris consistentibus, 221.

CDLXIV. Diversae ordinationes circa cappellanos ecclesiarum S. Apollinaris et S. Stephani in Monte Caelio, ac examen et aetatem alumnorum, necnon redditionem rationum administrationis bonorum collegii Germanici et Hungarici de Urbe, 231.

CDLXV. Super observatione Indicis librorum prohibitorum noviter impressi, 234.

CDLXVI. Iubilaeum universale ad divinam opem implorandam contra Turcas, 236.

CDLXVII. Renovatio indulti nominandi ad canonicatus et praebendas pro rectore, decanis et provisoribus universitatis Coloniensis, 239.

CDLXVIII. Dismembratio ac separatio a provinciâ Lugdunensi Ordinis fratrum sancti Francisci de Paula Minimorum nuncupatorum sex conventuum, videlicet Belliregardensis, Calvimontensis, Brivatensis, Claramontensis, Curtipetrensis et Ussonensis nationis Arveniae Ordinis huiusmodi, eorumque erectio in novam provinciam Arvernensem nuncupandam, 246.

CDLXIX. Eximit fratres et conventus Tertii Ordinis sancti Francisci in Castellae, Galliciae et Legionis regnis

degentes ab omni iurisdictione ministri provincialis Minorum de Observantiâ S. Iacobi, 247.

CDLXX. Declaratio mentis suae super solutione decimarum per pensionarios faciendâ, 249.

CDLXXI. Attestatur excellentissimum dominum principem Marium Chisium fratrem Suae Sanctitatis ac capitaneum generalem S. R. E. vere innocentem esse in omnibus illis, quae die XX augusti MDCLXII contigerunt in almâ Urbe, etc., 253.

CDLXXII. Absolutio amplissima ab omnibus excessibus et delictis in civitate Avenionensi et comitatu Venayssino commissis occasione et praetextu casus die XX augusti in Urbe commissi, 254.

CDLXXIII. Revocatio et annullatio mandatorum et praeceptorum domino cardinali Maidalchino factorum, ut extra Urbem habitaret, seque in loco seu locis determinatis contineret, cum absolutione propter transgressionem mandatorum huiusmodi, suumque e Statu Ecclesiastico egressum, et restitutione ad quaecumque privilegia, cum decreto quod eius familiares, qui consilio, scripturâ vel operâ casui die XX augusti MDCLXII in Urbe secuto, et ipsius domini cardinalis egressui praefato cooperati sunt, molestari non possint, 262.

CDLXXIV. Nobili infanti Francisco duci Mutinensi, eiusque haeredibus et successoribus in perpetuum conceditur ius patronatus et praesentandi loci Ordinariis personas idoneas ad praeposituram secularem in ecclesiâ abbatiae de Pomposa, ac archipresbyteratum sive plebaniam ecclesiae S. Mariae de Bondeno, Ferrariensis dioecesis, et perpetuum simplex beneficium ex fructibus ab illâ dismembratis erectum, 268.

CDLXXV. Confirmatio decreti congregationis episcoporum et regularium, quo, inhaerendo constitutioni Ordinis Minorum sancti Francisci, statuitur ut in posterum commissarii visitatores deputandi pro provinciâ de Guatimala Nominis Iesu nuncupatâ Ordinis huiusmodi debeant assumi ex unâ de provinciis vicinioribus, videlicet S. Georgii de Nicaraguas, et S. Iosephi de Iucatan, 271.

CDLXXVI. Confirmatio decreti congregationis episcoporum et regularium, quo approbatur constitutio duorum capitulorum generalium Ordinis fratrum Minorum sancti Francisci de Observantiâ, per quam stabilitur alternativa officiorum inter patres Criollos ex unâ parte et patres dictos Cachapinos et filios provinciae Nominis Iesu de Guatimala in novâ Hispania Ordinis huiusmodi ex alterâ, etc. 273.

CDLXXVII. Quod non liceat fratribus Minoribus de Observantiâ sancti Francisci commorantibus Tolosae inducere novum Rosarium sub titulo Seraphici, nec facere processionem confraternitatis Conceptionis primâ dominicâ cuiuslibet mensis, nec tabellam exponere, in qua beata Virgo det Rosarium sanctis Francisco et Clarae, 274.

CDLXXVIII. Confirmat decretum sacrae congregationis pro erectione conventus Congregationis pauperum Matris Dei Scholarum Piarum in oppido Piscinae, Marsicanae dioecesis, 275.

CDLXXIX. Confirmatio decreti definitorii generalis Ordinis fratrum Minorum sancti Francisci de Observantiâ, quod commissarius visitator provinciae S. Didaci Canariensis, Ordinis

huiusmodi, ex eâdem provinciâ eligatur, 277.

CDLXXX. Confirmatio decreti definitorii generalis Ordinis Minorum sancti Francisci de Observantia, quo conceditur septem provinciis Peruanis Ordinis huiusmodi alternativa officiorum inter fratres Hispanos et nationales, sicuti in Nova Hispania servari solet, 279.

CDLXXXI. Statuit ut de cetero capitula provincialia in qualibet provinciâ Congregationis clericorum secularium Doctrinae Christianae in Galliâ singulis trienniis intra mensem septembris vel octobris habeantur; capitulum vero generale singulis tantum sexenniis celebretur loco et tempore a praeposito generali designandis, etc., 281.

CDLXXXII. Quod festum S. Dominici celebretur de praecepto in toto regno Neapolitano tamquam de patrono, cum octavâ, 283.

CDLXXXIII. Ut in regnis Hispaniarum et Indiarum de praecepto recitetur officium et Missa Conceptionis B. Mariae Virginis Immaculatae, cum octavâ, 284.

CDLXXXIV. Confirmatio alternativae in electione provincialis et aliorum officialium provinciae S. Iosephi de Iucatan in Novâ Hispania Ordinis fratrum Minorum sancti Francisci de Observantiâ, 285.

CDLXXXV. Confirmatio quorumdam statutorum provinciae Franciae Ordinis B. Ioannis Dei in capitulis generalibus dicti Ordinis ab anno MDCXLV Romae celebratis cum participatione eminentissimi domini cardinalis Ginetti protectoris, 287.

CDLXXXVI. Confirmatio quarumdam definitionum in definitorio capituli generalis Congregationis Observantiae Lombardiae Ordinis Eremitarum sancti Augustini cum interventu eminentissimi domini cardinalis Pallotti protectoris et praesidentis, pro felici gubernio ipsius Congregationis factarum, 280.

CDLXXXVII. Confirmatio declarationis Pii V, quod conventus S. Mariae super Minervam de Urbe Ordinis Praedicatorum sit primus inter conventus provinciae Romanae, cum novo decreto quod ab eadem provincia separari nequeat, 295.

CDLXXXVIII. Prorogatio subsidii quadringentorum viginti millium ducatorum annuorum super fructibus ecclesiasticis universarum Hispaniarum et Sardiniae pro rege catholico ad quinquennium, 298.

CDLXXXIX. Confirmatio alternativae inter Observantes et Reformatos Ordinis fratrum Minorum sancti Francisci, quod unâ vice eligatur commissarius generalis familiae cismontanae ex Reformatis et alterâ ex Observantibus, hac tamen conditione ut tres definitores generales eligantur ex Observantibus et tres ex Reformatis in cunctis congregationibus et capitulis generalibus, 299.

CDXC. Confirmatio decreti magistri generalis Ordinis Praedicatorum, quod collegium S. Ludovici Angelopolitani, ad conventum S. Dominici Mexicani et provinciam S. Iacobi Ordinis huiusmodi pertineat, etc., 301.

CDXCI. Unio monasterii S. Mariae de Sagittario Ordinis Cisterciensis S. Bernardi Anglonensis dioecesis congregationi Tusciae Ordinis huiusmodi, 305.

CDXCII. Constitutio determinans quomodo et quando liceat superioribus regularibus monialium earumque con-

fessoribus ingredi septa monasterii, et prope illud commorari, 307.

CDXCIII. Decernit et statuit quod deinceps in Indiarum partibus priores parochorum Ordinis Praedicatorum, non ab ipsismet parochis, sed a singularum provinciarum provincialibus per vota secreta duodecim ad minus canonice eligantur, 311.

CDXCIV. Erectio ecclesiae Reginohradecensis in regno Bohemiae, 312.

CDXCV. Confirmatio statuti super commissariis visitatoribus provinciarum Baeticae et Legionensis tertii Ordinis sancti Francisci in capitulo generali editi, 315.

CDXCVI. Commissio nuncio Neapolis contra episcopum Policastrensem, 316.

CDXCVII. Amplissima facultas legato Avenionensi absolvendi omnes et singulos reos, complices et participes delictorum in civitate Avenionensi eiusque districtu a die XXIV octobris proximi praeteriti usque ad praesentem diem commissorum, exceptis tamen illis personis, quas placuerit eidem legato nominare, seu quae ab eius vicelegato magis culpabiles repertae fuerint, 317.

CDXCVIII. Indultum regi christianissimo nominandi personas idoneas ad cathedrales ecclesias Metensem, Tullensem et Virdunensem, 323.

CDXCIX. Quod fratres Cappuccini Ordinis Minorum sancti Francisci transeuntes ad aliam religionem non possint permanere in eâdem provinciâ in qua emiserunt professionem, 325.

D. Ut priores abbatiarum commendatarum Ordinis Praemonstratensis in Gallia eligantur inter definitores in capitulo generali Ordinis huiusmodi, 327.

DI. Quod, in controversiâ inter provincias S. Ioannis Baptistae et B. Petri de Alcantara fratrum Discalceatorum sancti Francisci circa possessionem conventus Murciae, praefata provincia S. Ioannis Baptistae non sit amplius audienda, 328.

DII. Pro translatione professorii monachorum regularium S. Bernardi Ordinis Cisterciensis a monasterio S. Pudentianae de Urbe ad monasterium S. Bernardi eiusdem Urbis, 330.

DIII. Constitutio prohibens accessum ad monasteria monialium regnorum Hispaniarum, cum diversis ordinationibus, 331.

DIV. Exhibet formulam subscribendam ab omnibus ecclesiasticis in regnis Galliae pro confutatione quinque propositionum Cornelii Iansenii, etc., 335.

DV. Confirmatio decreti congregationis rituum super patronatu principaliori sancti Ianuarii in regnum Neapolitanum, 337.

DVI. Confirmatio constitutionum pro felici regimine congregationis seu confraternitatis *Scholae Christi* Madriti Toletanae dioecesis, idque pro congregationibus seu confraternitatibus sub nomine dictae *Scholae Christi*, et sub earumdem constitutionum observantiâ, tam erectis quam erigendis in universis regnis et dominiis Hispaniarum, ac etiam in almâ Urbe, 338.

DVII. Commissio nuncio Poloniae super convocatione novi capituli monachorum Ruthenorum Ordinis sancti Basilii magni, cum opportunis facultatibus, 365.

DVIII. Ut Breve super confirmatione quorumdam decretorum provinciae S. Ivonis tertii Ordinis sancti Francisci congregationis Gallicanae servetur in provinciâ S. Ludovici Ordinis huiusmodi, 367.

DIX. Constitutio contra quasdam censuras facultatis theologicae Parisiensis, 369.

DX. Concedit facultatem congregationi Cassinensi Ordinis sancti Benedicti alienandi bona stabilia usque ad summam centum sexaginta duorum millium nongentorum novem scutorum, pro liberatione monasteriorum ab aere alieno, 370.

DXI. Confirmatio statuti perpetui a capitulo ecclesiae Paderbonensis conditi et iurati, ne ulli episcoporum Paderbonensium ex eorum mensae applicatis et in futurum applicandis redditibus, etc., quidquam per capitulum derogetur aut alio destinetur, et si quid contra fiat, id pro nihilo habeatur, 373.

DXII. Confirmatio decreti congregationis episcoporum et regularium circa praecedentiam inter procuratores generales et commissarios curiae Ordinis Minorum sancti Francisci de Observantiâ, 376.

DXIII. Ut in ditionibus et dominis duci Sabaudiae subiectis de praecepto recitetur officium et missa Conceptionis B. M. V. Immaculatae cum octavâ, 378.

DXIV. Committit archiepiscopo Bisuntino, ac eius vicario in spiritualibus generali, usque ad sententiam exclusive, causam assertorum delictorum quae inquisitori Bisuntino imputantur, eisque tam coniunctim quam divisim mandat ut processum desuper conficiant et ad Sanctam Sedem transmittant, 379.

DXV. Declarat et concedit monialibus Carmelitanis Discalceatis Belgii indultum fruendi privilegiis Carmelitarum Excalceatarum Franciae et Germaniae, 380.

DXVI. Mandatum, ut servetur Breve Urbani VIII circa subiectionem monialium monasterii Lugdunensis primae regulae sanctae Clarae iurisdictioni provincialis et fratrum provinciae sancti Francisci in Gallia Ordinis Minorum Recollectorum, 382.

DXVII. Confirmatio quorumdam decretorum circa professiones et electiones in capitulo provinciali factas provinciae S. Elzearii, seu Aquitaniae congregationis Galliae tertii Ordinis sancti Francisci, 383.

DXVIII. Ut in ditionibus Ferdinando magno duci Etruriae subiectis de praecepto recitetur officium et missa Conceptionis beatae Mariae Virginis Immaculatae, cum octavâ, etc., 384.

DXIX. Confirmat decretum dietae generalis fratrum Congregationis S. Hieronymi Iesuatorum nuncupatarum pro sustentatione procuratoris generalis pro tempore, 385.

DXX. Damnat plurimas propositiones partim iam antiquatas, partim noviter prodeuntes in animarum perniciem, prohibetque omnibus christifidelibus, sub excommunicationis poenâ ipso facto incurrendâ, eas vel earum aliquam privatim vel publice defendere vel edere vel ad praxim reducere, 387.

DXXI. Renovatio facultatis admittendi in collegium S. Petri universitatis studii generalis Colimbriensis unum collegialem canonistam supranumerarium, qui sit unus ex oppositoribus ad cathedras facultatis sacrorum canonum prope diem vacaturas, et datâ primâ vacatione alicuius ex quatuor locis ordinariis collegialium canonistarum in locum sic vacantem subintrare debeat, 389.

DXXII. Suppressio collegii Maronitarum in civitate Ravennae erecti, 390.

DXXIII. Ut in Statu Mediolanensi et mar-

chionatu Finariensi recitetur officium et missa Conceptionis B. M. V. Immaculatae, cum octavâ, 395.

DXXIV. Ut in omnibus dominiis et ditionibus regnorum Siciliae et Sardiniae recitetur officium et missa Conceptionis B. M. V. Immaculatae, cum octavâ, 396.

DXXV. Confirmatio determinationis domini cardinalis protectoris super restitutione custodiae SS. Trinitatis fratrum Minorum sancti Francisci Recollectorum nuncupatorum in Gallià in pristinum statum, 397.

DXXVI. Extensio et communicatio privilegiorum fratrum Discalceatorum in Hispania Ordinis sancti Francisci ad omnes provincias Discalceatorum Indiarum, 400.

DXXVII. Confirmatio decreti in capitulo generali Ordinis fratrum Minorum de Observantiâ et Reformatorum sancti Francisci editi, quod provinciae Angliae Ordinis huiusmodi Recollectorum nuncupatorum competat locus praecedentiae iuxta tempus suae erectionis, 402.

DXXVIII. Transactio inter vicarium generalem Bergomensem et fratres Minimos sancti Francisci de Paula pro receptione conventus B. Mariae omniumque Sanctorum de Galgario nuncupati, 403.

DXXIX. Declaratio circa solutionem decimae octingentorum millium ducatorum monetae Hispaniarum clarae memoriae Philippo IV concessae, 405.

DXXX. Decernit fratres laicos provinciae Turoniae Maioris in Gallia Ordinis fratrum Minorum sancti Francisci de Observantiâ professione antiquiores praecedere debere fratres clericos eiusdem provinciae nondum in sacris ordinibus constitutos, 407.

DXXXI. Quod nulli ex fratribus Reformatis sancti Francisci provinciae Romanae competit ius praecedendi, sive honoratioris loci, nisi superioribus actualibus et exgeneralibus, 408.

DXXXII. Confirmatio congregationis et instituti monialium hospitalariarum monasterii hospitii seu domus Dei nuncupati oppidi de la Hêche congregationis S. Iosephi Andevagensis dioecesis, 410.

DXXXIII. Confirmatio binarum litterarum patentium magistri generalis Ordinis Praedicatorum pro felici statu et progressu Congregationis B. Iacobi Veneti in provinciâ Venetâ dicti Ordinis a dicto magistro generali institutae studiisque in eâ promovendis emanatarum, cum prohibitione ne de cetero fratres professi eiusdem Congregationis ad conventus praefatae vel alterius cuiusvis provinciae dicti Ordinis transire possint absque expressâ licentiâ dicti magistri generalis pro tempore existentis, 412.

DXXXIV. Decernit servandum et exequutioni mandandum esse Breve Suae Sanctitatis anno MDCLXI emanatum, quo statutum fuit in provinciâ sancti Guillelmi Franciae Ordinis Eremitarum sancti Augustini perpetuo admittendos esse decem magistros, cum privilegiis loci et vocis iuxta constitutiones, etc., 418.

DXXXV. Decernit quod deinceps capitulum generale Congregationis eremitarum Camaldulensium de biennio in biennium, et dieta anno post celebrationem capituli huiusmodi respective celebrari debeant, 419.

DXXXVI. Quod fratres Trinitarii provinciae Castellae, Aragoniae et Baeticae, aliarumque provinciarum Re-

demptionis Captivorum, non possint uti cappa nigra, 421.

DXXXVII. Confirmatio diversorum capitulorum inter fratres conventus S. Franciscae Romanae Ordinis SS. Trinitatis redemptionis captivorum et Augustinianos reformatos hospitii Ss. Ildefonsi et Guillelmi de Urbe super statu dicti hospitii eiusque oratorii, ac numero fratrum Augustinianorum inibi commoraturorum, aliisque articulis, 423.

DXXXVIII. Damnantur iterum plurimae aliae propositiones tamquam scandalosae, prout supra in constitutione DXX, 427.

DXXXIX. Ut nuncius Sabaudiae audiat recursus subditorum principatus Masserani et marchionatus Crevacorii, 428.

DXL. Declaratio super reservatatione beneficiorum, 430.

DXLI. Bulla seu litterae decretales canonizationis sancti Francisci de Sales episcopi Genevensis, 431.

DXLII. Constitutio pro instauratione ac reformatione Ordinis Cisterciensis, 441.

DXLIII. Prohibitio ingressus mulierum in eremis Montis Anconae et Fanensi Congregationis Eremitarum Camaldulensium, 451.

DXLIV. Confirmatio concordiae inter capitulum ac canonicos ecclesiae cathedralis Lucanae et Rempublicam initae, per quam capitulum iurisdictionem tam civilem quam criminalem sibi in quibusdam locis competentem cessit ipsae Reipublicae, 452.

DXLV. Pro fratribus Ordinis Praedicatorum Teutoniae, ne videlicet in illa provincia fiat ulla secessio, divisio aut separatio, sub poena excommunicationis, etc., 454.

DXLVI. Deputatio visitatoris apostolici insularum maris Ægei et Zacynthi et Cephaloniae ac aliorum locorum adiacentium, cum amplissimis facultatibus, 457.

DXLVII. Praeceptum superioribus et personis Societatis Iesu in insulis maris Ægei, Zacynthi et Cephaloniae aliorumque locorum adiacentium residentibus, ut visitationem, ab apostolico visitatore Iosepho Maria in eorum collegiis, domibus, hospitiis, residentiis, aliisve locis quibuscumque, vigore alterius Brevis sanctissimae instituendam, omni morâ et dilatione postpositis, recipiant et admittant, 461.

DXLVIII. Circa novam formam assumendi electores rotae civitatis Perusinae, 462.

DXLIX. Confirmatio decreti congregationis rituum, quod sint servanda decreta dictae congregationis sub die XXI ianuarii MDCLXII super celebratione festi S. Georgii de praecepto, et sub die XXIV maii MDCLXIV super concessione officii eiusdem, ad favorem principatus Cataloniae et cleri edita, 464.

DL. Confirmatio decreti in capitulo generali Congregationis Ss. Vitoni et Hidulphi Ordinis sancti Benedicti editi, quod licet fratres laici seu commissi nulla emittant vota, sed tantum elapso biennio ad stabilitatem recipiantur; nihilominus vota simplicia castitatis, paupertatis et obedientiae emittere debeant, servanda quamdiu permanserint in eâdem Congregatione, ex quâ a superioribus expelli possunt, non autem propriâ voluntate discedere, 465.

DLI. Indultum deferendi habitum praelatitium pro abbate generali Con-

gregationis canonicorum regularium S. Salvatoris Ordinis sancti Augustini, 467.

DLII. Confirmatio decreti congregationis rituum, non licere mediis, ut aiunt, canonicis neque terzenariis ecclesiae Colymbriensis in regno Portugalliae uti in choro et aliis functionibus ecclesiasticis aequali habitu cum canonicis et dignitatibus, hoc est *mozzetta* cum cappuccio, sine indulto apostolico, 468.

DLIII. Diversae ordinationes pro metropolitanis ecclesiis B. Mariae de Pilari et S. Salvatoris civitatis Caesaraugustanae, 470.

DLIV. Commissio nuncio Hispaniarum ut absolvat a censuris capitulum et canonicos metropolitanae ecclesiae S. Salvatoris civitatis Caesaraugustanae, in quas declarati fuerunt incidisse eo quod litteris executorialibus rotae et mandatis eiusdem nuncii non paruerint, 475.

DLV. De non celebrandis missis *de requiem* in duplicibus, exceptis anniversariis ex dispositione testatorum relictis, 478.

DLVI. Confirmatio decreti, quo indulgetur, ut in posterum, in provinciâ Portugalliae Ordinis SS. Trinitatis redemptionis captivorum, procurator captivorum necnon secretarius provinciae et vicarius commissarii Ulyssiponensis dictae provinciae, pro tempore existentes, gaudeant voto perpetuo in capitulis provincialibus ipsius provinciae, 479.

DLVII. Decernit conventum S. Francisci civitatis Targovisti provinciae Vallachiae spectare ad fratres custodiae Vallachiae Ordinis Minorum sancti Francisci de Observantiâ nuncupatorum; nec ullum ius in eo habere fratres Minores conventuales Congregationis de Propagandâ Fide in dictâ provinciâ missionarios, 480.

DLVIII. Subsidium centum millium scutorum auri super fructibus ecclesiasticis Reipublicae Venetorum pro ipsa Republica erogandum contra Turcas, 481.

DLIX. Facultas regi catholico disponendi de omnibus locis atque officiis ordinis Aurei Velleris, *del Toson* vulgariter nuncupati, tam nunc vacantibus quam imposterum vacaturis etiam extra capitulum generale dicti Ordinis, 485.

DLX. Confirmatio unionis congregationum Doctrinae Christianae Neapolitanae et Urbis factae per instrumentum publicum, et a domino cardinali protectore confirmatae, 488.

DLXI. Quibusdam locis Congregationis Somaschae facta concessio sepeliendi alumnorum cadavera sine interventu parochorum, 492.

DLXII. Confirmatio statuti civitatis Avenionensis ac constitutionis Leonis X, quibus cavetur, ut causas mercatorum, eorum artem concernentes, iudex remittat duobus relatoribus electis a vicelegato ex quatuor mercatoribus, quos consilium eiusdem civitatis quotannis deputare solet, et subinde secundum eorum relationem iudicet, utque in eisdem causis de bono et aequo procedatur, atque etiam in tribunalibus pariformiter procedi et iudicari debeat, 484.

DLXIII. Confirmatio venditionis feudi Montafiae, eiusque investiturae Carolo Emanueli Philiberto Hyacintho de Simiana, marchioni Planitiarum, Taurinensis seu alterius civitatis vel dioecesis, concessae, 495.

DLXIV. Commissio episcopo Ferrariensi

ut procedat contra expulsores inquisitoris Mantuani a civitate et ducatu Mantuano, 507.

DLXV. Commissio duobus archiepiscopis et quatuor episcopis regni Galliarum super suppressione ordinationum seu mandamentorum a quatuor episcopis eiusdem regni occasione formularii Suae Sanctitatis editorum, 509.

DLXVI. Commissio contra quatuor episcopos Galliarum, ut subscribant et subscribi curent formulario contra propositiones Iansenianas edito, 510.

CLEMENS PAPA IX.

I. Indictio iubilaei universalis ad divinum auxilium initio sui pontificatus pro salutari Catholicae Ecclesiae regimine implorandum, 512.

II. Confirmatio et ampliatio indulti Sixti V et Gregorii XV de officio S. Iacobi apostoli et patroni Hispaniarum sub ritu semiduplici recitando, 515.

III. Privilegia, gratiae et indulta concessa conclavistis, qui interfuerunt conclavi, in quo ad summi apostolatus apicem fuit evectus, 517.

IV. Indultum nominandi ad dignitates Belgii et comitatus Burgundiae regi catholico conceditur, 528.

V. Confirmatio decreti cardinalis Pallotti circa validitatem capituli in provincia Peruana a fratribus Ordinis eremitarum sancti Augustini celebrati, 531.

VI. Quod alumni seminarii pontificii Brunsbergae in Prussia ad titulum sufficientis litteraturae et absque suorum Ordinariorum dimissoriis ac non servatis interstitiis ad ordines sacros promoveri possint, 532.

VII. Privilegia, exemptiones et indulta dapiferis, qui in conclavi suae assumptionis sanctae Romanae Ecclesiae cardinalibus inservierunt, concessa, 533.

VIII. Facultas duci Bavariae tradendi octo ex decem monasteriis Palatinatus superioris dudum per haereticos occupatos religiosis eorum respective Ordinum, et reliqua duo monasteria, quae erant monialium, in erectionem novi monasterii monialium in oppido Bambergae faciendam, 541.

IX. Confirmatio concordiae inter archiepiscopum Toletanum ac priorem et fratres conventus S. Bartholomaei de Lupiana Ordinis sancti Hieronymi Toletanae dioecesis per quam modus colligendi decimas stabilitur, 545.

X. Constitutio super reformatione iurisdictionis tribunalis Burgi, 547.

XI. Confirmatio quorumdam decretorum editorum in capitulo generali fratrum Minorum Ordinis sancti Francisci Cappuccinorum, 551.

XII. Praevia ratificatione investiturae regni Siciliae et Hierusalem cum totâ terrâ citra Pharum regi catholico ab Alexandro VII factae, eumdem regem, quatenus ducatus Mediolanensis maiorem partem Lombardiae comprehendat, absolvit et dispensat ad obtinendum dictum regnum cum supradicto ducatu Mediolanensi, 553.

XIII. Renovatio indulti nominandi ad canonicatus et praebendas ecclesiarum Coloniensium rectori, decanis et provisoribus universitatis studii generalis Coloniensis concessi, 556.

XIV. Confirmatio decreti Alexandri Papae VII approbantis nonnulla capitula ad reformationem fratrum Ordinis Minorum sancti Francisci Conventualium nuncupatorum inserventia, 562.

XV. Confirmatio patentium magistri generalis Ordinis Praedicatorum ad favorem fratrum provinciae Hiberniae emanatarum, per quas eisdem fratribus conceditur facultas fundandi conventus in oppido Matriti aliisque mundi partibus, cum diversis ordinationibus, 565.

XVI. Quod presbyteri Societatis Iesu officium cum octavâ de praecepto et missam Conceptionis Beatae Mariae Virginis recitare et celebrare valeant, 569.

XVII. Separatio quorumdam conventuum a provinciâ S. Dionysii in Galliâ Ordinis Minorum S. Francisci de Observantia recollectorum, cum eorum erectione in novam provinciam sub tituli sancti Antonii de Padua, 570.

XVIII. Decernit visitationem apostolicam ecclesiarum et locorum piorum Urbis a felicis recordationis Alexandro VII institutam et inchoatam continuari et absolvi debere, 572.

XIX. Confirmatio Brevis Alexandri VII cum diversis aliis ordinationibus pro monasteriis monialium Excalceatarum regni Franciae, 574.

XX. Confirmatio privilegiorum omnium concessorum tam guardiano sacri montis Sion, quam fratribus, necnon locis Terrae Sanctae, 577.

XXI. Quod officium sancti Ignatii, Societatis Iesu fudatoris, sub ritu duplici imposterum recitetur ab omnibus qui ad horas canonicas tenentur, 578.

XXII. Extensio litterarum Pauli V super erectione monasterii Ursulinarum Burdigalensis emanatarum, et concessionum et indultorum eidem monasterio in eis factorum, ad omnia eiusdem regulae et instituti monasteria in utraque Germania, 579.

XXIII. Confirmatio litterarum generalis Ordinis Praedicatorum pro religiosis provinciae Hiberniae et aliarum eiusdem Ordinis sublevandis, novisque nationalibus collegiis et domibus in Hispania et alibi erigendis, 580.

XXIV. Mittitur nuncius Coloniae ad congressum pacis inter reges catholicum et christianissimum tractandae in aliquâ Germaniae aut aliâ civitate, vel loco destinando, 582.

XXV. Constitutio ut officium et missa Conceptionis Beatae Mariae Virginis Immaculatae cum octavâ in Urbe ac universâ sanctae Romanae Ecclesiae temporali ditione de praecepto recitetur, 208.

XXVI. Quod provinciales Ordinis Beatae Mariae de Mercede redemptionis captivorum Discalceatorum in fine triennii sui officii provincialatus, administrationis et gubernii rationem vicario generali reddere teneantur, 583.

XXVII. Revocatio et annullatio constitutionis Urbani VIII eremitas Camaldulensium Etruriae, sive provinciae Aretinae, cum congregatione Montis Coronae eiusdem Ordinis incorporantis, 585.

XXVIII. Revocatio unionis factae ab Alexandro VII congregationum monachorum Vallisumbrosae et Silvestrinorum Ordinis S. Benedicti, etc., 587.

XXIX. Confirmatio decretorum pro felici regimine conventus et collegii maioris Parisiensis Ordinis eremitarum sancti Augustini, 589.

XXX. Suspensio poenae excommunicationis latae sententiae per Breve Alexandri VII super reformatione monasteriorum monialium Hispaniae emanati impositae, in omnibus iis casibus, in quibus eadem poena a

iure communi vel aliis constitutionibus apostolicis imposita non reperitur, 592.

XXXI. Nova concessio facultatis cognoscendi causas universitatum et hominum S. Benigni, Montanarii, Filetti, Lombardonii, et aliorum locorum, nullius dioecesis, provinciae Taurinensis, nuncio Sabaudiae, 594.

XXXII. Confirmatio statuti a capitulo ecclesiae Lexoviensis conditi et ab episcopo confirmati circa fundationem anniversariorum canonicorum decedentium, 595.

XXXIII. Constitutio, in qua iniungitur fratribus Ordinis Eremitarum sancti Augustini officium et missam Conceptionis Beatae Mariae Virginis ex praecepto recitare, idemque officium ad usum dicti Ordinis seorsim imprimi posse conceditur, 597.

XXXIV. Suppressio regularitatis viceprioris et canonicorum regularium prioratus conventualis S. Georgii Ordinis canonicorum regularium sancti Augustini, Grationopolitanae dioecesis, a parte ducatus Sabaudiae, cum eorum reductione ad statum presbyterorum secularium, 597.

XXXV. Impositio decimarum super fructibus ecclesiasticis pro Republica Venetorum, 601.

XXXVI. Commissio magno magistro hospitalis S. Ioannis Hierosolymitani super notificatione praecepti accedendi ad Urbem quibusdam fratribus militibus linguae Italiae facienda, 606.

XXXVII. Ut in natione Germano-Belgica Ordinis fratrum Minorum sancti Francisci de Observantia servetur Breve Urbani VIII circa abrogationem privilegiorum personalium, 608.

XXXVIII. Confirmatio decreti trium cardinalium a congregatione episcoporum et regularium specialiter deputatorum, quo resolvuntur dubia mulieres Pizzocheras nuncupatas conservatorii Venetiarum concernentia, 609.

XXXIX. Absolvit dioecesanos ac capitulum et canonicos ecclesiae Portalegrensis a censuris et poenis ecclesiasticis, quas respective incurrerunt, dicti quidem dioecesani, quia ad minores ordines promoti fuerunt a quibusdam abbatibus quibus capitulum sede vacante ordines huiusmodi conferendi facultatem concesserat, dicti vero canonici et capitulum, quia eamdem facultatem concesserunt, 610.

XL. Confirmatio definitionum duorum capitulorum generalium congregationis Hispaniae monachorum Ordinis sancti Benedicti circa electiones intermedias ad abbatias, quae infer celebrationem unius et alterius capituli generalis vacant, factarum, cum decreto quod nullatenus mutari possint absque Sedis Apostolicae speciali facultate, 612.

XLI. Concedit licentiam abbatibus communis observantiae Ordinis Cisterciensis recipiendi novitios ad habitum et professionem, et noviter professos collocandi in monasteriis quae in ultimo capitulo generali pro novitiatibus et professoriis respective designata fuerunt, abbatibus vero monasteriorum Germaniae, Belgii, Poloniae, Aragoniae, Valentiae et Cataloniae eiusdem observantiae indulget ut novitios ad habitum et professionem ut supra admittere et noviter professos collocare possint in illis monasteriis in quibus actu degunt et aluntur vigintiquinque monachi, 614.

XLII. Constitutio revocatoria exemptio-

num a vectigalibus, aliisque publicis oneribus, 616.

XLIII. Confirmatio litterarum diversorum Romanorum Pontificum super investituris principatus Masserani et comitatus Crepacorii, 622.

XLIV. Confirmatio patentium generalis Ordinis Eremitarum sancti Augustini circa prioratus Indorum provinciae Peruntinae, cum diversis ordinationibus, 625.

XLV. Breve beatificationis Rosae de S. Maria Limanae in regno Peruano Indiarum occidentalium tertii Ordinis sancti Dominici, 628.

XLVI. Damnatio et prohibitio libri gallico idiomate impressi sub titulo: *Ritualis pro dioecesi Aletensi*, 629.

XLVII. Decretum in quo privilegia sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium testandi de bonis, redditibus et emolumentis ecclesiasticis etiam ad fructus inconsumptos vel cum aliis ipsorum bonis non commixtos extenduntur, 630.

XLVIII. Licentia conceditur referendariis votantibus signaturae iustitiae nunc et pro tempore existentibus celebrari faciendi missam domi cum solitis restrictivis iuxa concessam clericis camerae apostolicae ab Alexandro VII, 631.

XLIX. Super contributione ecclesiasticorum regnorum Castellae et Legionis decemnovem millionum cum dimidio regi catholico faciendâ, 633.

L. Indultum regi christianissimo nominandi ad quaecumque monasteria, prioratus, dignitates, etiam maiores et principales, aliaque beneficia quaecumque (exceptis curatis) in civitatibus Metensi, Tullensi et Virdunensi, eorumque territoriis dicti regis ditioni et dominio temporali de praesenti subiectis, 636.

LI. Innovatio constitutionis Pauli V contra fratres Ordinis Minorum sancti Francisci de Observantiâ provinciae Aquitaniae antiquioris, favores personarum extra eumdem Ordinem constitutarum emendicantes illisque utentes ad obtinenda officia, editae, 639.

LII. Litterae processus publicatae die Coenae Domini MDCLXVIII, 641.

LIII. Concessio iurispatronatus regi christianissimo eiusque successoribus nominandi ad ecclesiam Atrebatensem, 647.

LIV. Confirmatio iurispatronatus et praesentandi ad ecclesiam Elnensem ac monasteria consistorialia in comitatibus Ruscinonensi et Confluentino et parte Cerdanae versus Galliam consistentia pro rege christianissimo et successoribus, 649.

LV. Indultum regi christianissimo nominandi ad dignitates abbatiales et regimina monasteriorum, prioratus, praeposituras seu praepositatus conventum habentes in locis et ditionibus Belgicis, quae de praesenti possidet, 651.

LVI. Damnatio et prohibitio libri gallico idiomate impressi sub titulo *Ritualis pro dioecesi Aletensi* iuxta minutam transmissam a reverendo patre domino assessore Sancti Officii, cui adiecta est clausula, ut praesens Breve publicetur Romae in locis solitis, ac sic pubblicatum afficiat perinde ac si unicuique personaliter intimatum fuisset, utque transumptis fides habeatur sicut originali, 653.

LVII. Confirmatio congregationis super statu regularium, eiusque facultatum, 654.

LVIII. Damnatio et prohibitio libri versionis gallicae Novi Testamenti Mon-

tibus Hannoniae et Lugduni (ut inscribitur) impressi, 657.

LIX. Donativum ordinarium regni Siciliae pro rege catholico, 658.

LX. Privilegia, indulta, gratiae, facultates et exemptiones nonnullis Sanctitatis Suae familiaribus concessa, 661.

LXI. Confirmatio resolutionis a particulari congregatione per Alexandrum VII deputatâ emanatae, quod munus protectoris cappellae ad Praesepe Domini in basilicâ S. Mariae Maioris de Urbe spectaret ad bonae memoriae cardinalem Pallottum tamquam ex provinciâ Marchiae Anconitanae oriundum, in concursu domini cardinalis Ursini, qui, tamquam de parentelâ Sixti V oriundus illud praetendebat, 671.

LXII. Confirmatio Brevis Gregorii XV, ab Urbano VIII confirmati, per quod hospitali Beatae Mariae Theutonicorum concessa fuerunt privilegia hospitalis S. Ioannis Hierosolymitani, 675.

LXIII. Commissio nuncio Florentiae super subsidio ab ecclesiasticis Status Senensis conferendo pro expensis fluminum, fossatorum et aggerum, ac viarum, aquaeductuum et aquarum decursionum districtus et Status Senensis, 266.

LXIV. Moderatio constitutionis Clementis VIII locum ciborum paschalium pro fratribus sancti Francisci de Paula ad infirmarias conventuum restringentis, 677.

LXV. Confirmatio privilegii Ordini sancti Antonii Viennensis a Bonifacio VIII concessi, ut illius religiosi regulam sancti Augustini servarent, et canonici regulares eiusdem sancti Antonii vocarentur, 679.

LXVI. Indultum, ut religiosus sacerdos professus congregationis monachorum S. Hieronymi in regnis Hispaniarum specialiter ab eâdem congregatione deputandus, notarii munere ad effectum capiendi informationes super puritate sanguinis monachorum ad professionem in eâdem congregatione admittendorum tantum fungi possit, 680.

LXVII. Confirmatio privilegiorum quorumdam collegio Germanico et Ungarico, ac cardinalibus illius protectoribus, a Iulio III, Gregorio XIII et Clemente VIII, circa iurisdictionem privativam dictis cardinalibus in causis eiusdem collegii, eiusque ecclesiarum et monasteriorum illi unitorum competentem concessorum et a Gregorio XV confirmatorum, declaratorum et extensorum, cum declaratione quod dicti cardinales uti possint superioritate et iurisdictione privativâ huiusmodi quoad monasteria et ecclesias, ut praefertur, unita, quae in praesentibus exprimuntur, 682.

LXVIII. Indultum, priori generali fratrum Ordinis Beatae Mariae de Monte Carmelo concessum, conferendi lauream doctoratus in collegio S. Mariae Transpontinae de Urbe fratrum eiusdem Ordinis, qui titulo magisterii sunt insigniti, 691.

LXIX. Erectio congregationis sive unionis matronarum et virginum nobilium et illustrium sub denominatione *Cruciferarum* in ecclesiâ seu cappellâ per episcopum Viennensem designandâ, 693.

LXX. Commissariatus pro sublevandis communitatibus et universitatibus Status Ecclesiastici, 696.

LXXI. Nova concessio cruciatae Portugalliae ad triennium a die quo Ulyssiponae, quoad Portugalliam, et, quoad loca ultramarina, a die quo

in illis respective publicabitur, computandum, 698.

LXXII. Licentia duci et senatui Reipublicae Venetorum vendendi quaedam bona ecclesiae S. Marci Venetiarum, eorumque pretium convertendi in usus praesentis belli contra Turcas, 701.

LXXIII. Concedit regi christianissimo eiusque successoribus ius nominandi ad ecclesiam Tornacensem, 702.

LXXIV. Ampliatio iuris nominandi ad dignitates abbatiales et regimina monasteriorum, prioratus, praeposituras, seu praepositatus conventum habentes in quibusdam ditionibus, Belgicis consistentia, regi christianissimo antehac concessi, ad similia beneficia consistentia in aliis ditionibus Belgicis ei per nuperum tractatum pacis a rege catholico concessis et renunciatis, 704.

LXXV. Super contributione ecclesiasticorum Castellae et Legionis in novo subsidio duodecim millionum et tercentum millium ducatorum pro rege catholico, 706.

LXXVI. Concessio indulgentiarum pro confraternitatibus Beatae Mariae de Mercede redemptionis captivorum, cum indulto erigendi, instituendi et aggregandi similes confraternitates, 711.

LXXVII. Concessio privilegiorum pro suis cappellanis communibus, 714.

LXXVIII. Suspensio Brevis Innocentii X generalem congregationem in Societate Iesu singulo quovis novennio celebrandam iniungentis, 721.

LXXIX. Iubilaeum pro regno Poloniae, aliisque provinciis et ditionibus regi Poloniae subiectis ad implorandam divinam opem pro prosperis eiusdem regni successibus, 724.

LXXX. Concessio indulgentiarum pro christifidelibus Status Ecclesiastici divinam opem implorantibus pro tuitione civitatis et regni Cretae contra Turcas ac pro felici directione negociorum regni Poloniae, 727.

LXXXI. Commissio episcopis Caturcensi, Lemovicensi et Sarlatensi, ut monasteria monialium de *Bel loco* et loci de *Fieux* ab hospitali S. Ioannis Hierosolymitani dependentia, Caturcensis dioecesis, visitent, 728.

LXXXII. Concessio indulgentiarum pro christifidelibus Italiae divinam opem implorantibus pro tuitione civitatis et regni Cretae contra Turcas, ac pro felici directione negotiorum regni Poloniae, 729.

LXXXIII. Confirmatio privilegiorum congregationi Hispaniae fratrum Carmelitarum Discalceatorum concessorum super facultate erigendi novas domos de solâ licentiâ Ordinariorum, et non obstante distantiâ, 731.

LXXXIV. Confirmatio reductionis novennalis praestationis octingentorum quinquaginta scutorum, ratione quorumdam bonorum ad directum dominium camerae apostolicae spectantium ab hospitali maiori Avenionensi debitae, ad centumocto scuta quolibet novennio praestanda, ita tamen ut milites Sedis Apostolicae aegroti et convalescentes perpetuis futuris temporibus gratis in dictum hospitale recipi ibique curari debeant, 732.

LXXXV Committitur nuncio Sabaudiae ut audiat recursus subditorum principatus Masserani et marchionatus Crevacorii, 734.

LXXXVI. Decretum ad favorem magistrorum caeremoniarum non participantium exigendi a singulis car-

dinalibus in promotione ad cardinalatus honorem trigintasex ducatos auri de camera, et post eorum obitum, ab eorum haeredibus vigintiquinque, 735.

LXXXVII. Suppressio et extinctio congregationum canonicorum S. Georgii in Alga Venetiarum, ac fratrum Iesuatorum, et S. Hieronymi de Fesulis, 737.

LXXXVIII. Applicatio bonorum trium congregationum suppressarum in Statu Venetorum existentium ipsi Reipublicae in subsidium contra Turcas, 739.

LXXXIX. Confirmatio quorumdam decretorum Congregationis de Propaganda Fide circa studium linguae arabicae et controversiarum in conventu S. Petri in Monte Aureo de Urbe institutum emanatorum, 742.

XC. Applicatio bonorum trium congregationum suppressarum in regno Siciliae ultra Pharum duci et Reipublicae Venetorum in subsidium contra Turcas, 749.

XCI. Renovatio ad viginti annos variarum indulgentiarum et gratiarum spiritualium pro conversione infidelium Indiarum, 750.

XCII. Confirmatio statutorum pro felici regimine hospitalis pauperum septuagenariorum ab archiconfraternitate S. Iosephi civitatis Bononiensis erecti factarum, 754.

XCIII. Iubilaeum pro regno Galliarum, aliisque provinciis et ditionibus regi christianissimo subiectis, ad implorandam divinam opem contra Turcas, cum praecepto Ordinariis, ut serio invigilent, ut eleemosynae, quas occasione iubilaei huiusmodi a christifidelibus pro eorum devotione sponte conferri et in capitulis ecclesiarum reperiri contigerit, in causam belli contra Turcas fideliter erogentur, 763.

XCIV. Indultum Reipublicae Ragusinae vendendi capitalia locorum piorum Ragusinorum, in civitate Neapolitana fundatorum, ad effectum domos construendi in civitate Ragusina, 765.

XCV. Licentia religiosis monasteriorum Palatinatus superioris solvendi octoginta millia florenorum in extinctionem debitorum ecclesiae Ratisbonensis, 766.

XCVI. Commissio episcopo Ferentino contra interfectores episcopi Nicoterensis, 769.

XCVII. Declaratio incursus in excommunicationem et anathema aliasque poenas canonicas, ac excommunicatio et anathematizatio interfectorum bonae memoriae Ioannis Francisci episcopi Nicoterensis, 772.

XCVIII. Indultum reginae Magnae Britaniae recitari et celebrari faciendi officium et missam de B. Rosa de S. Maria in cappellâ suâ regiâ, in qua missa de Sedis Apostolicae licentiâ celebratur, 774.

XCIX. Confirmatio decreti a generali Ordinis Carmelitarum Discalceatorum editi, quo prohibetur fratribus provinciae Ianuensis, vel in illa morantibus, ludus, quem ibi vocant *seminarii*, sub excommunicationis aliisque poenis, quarum absolutio Summo Pontifici reservatur, 775.

C. Nonnullae ordinationes super electione ad abbatias et prioratus congregationis monachorum Caelestinorum, 776.

CI. Decretum, in quo conventus Liciensis, Grumi, Ripaldae et Caldarolae Ordinì fratrum Minorum Conventualium sancti Francisci, cum omnibus bonis, iuribus et pertinentiis, adiudicantur, 778.

CII. Super praecedentia procuratoris generalis in concursu aliorum praelatorum Ordinis canonicorum regularium S. Salvatoris, 779.

CIII. Omnia bona congregationum suppressarum canonicorum S. Georgii in Alga Venetiarum, ac fratrum Iesuatorum, et fratrum sancti Hieronymi de Fesulis (exceptis sacris), in regno Siciliae ultra Pharum existentia, applicat in subsidium civitatis Candiae et regni Cretae ac expeditionis contra Turcas, 781.

CIV. Ut exercitium artis serici in civitate Pisaurensi nobilitati non praeiudicet, 781.

CV. Concessio indulgentiarum pro christifidelibus Italiae et insularum adiacentium divinum auxilium implorantibus pro felici electione regis Poloniae ac liberatione Cretae a tyrannide et armis communis hostis, 782.

CVI. Declaratio nullitatis gestorum ab oeconomo Mediolanensi circa apprehensionem possessionis rerum et bonorum ad conventus congregationum suppressarum fratrum Iesuatorum et Fesulanae in statu Mediolanensi sitos spectantium, et amotionem administratorum ab Ordinariis deputatorum, 784.

CVII. Iubilaeum pro dominio Reipublicae Ragusinae ad supplicationem eiusdem Reipublicae concessum, 786.

CVIII. Facultas magno magistro hospitalis sancti Ioannis Hierosolymitani dismembrandi sex millia librarum annuarum ex redditibus prioratus S. Ægidii linguae Provinciae, ex quibus mille scuta applicabuntur expensis victus fratrum dictae linguae, reliquae vero mille librae communi aerario in compensationem damni quod illi per dismembrationem huiusmodi inferri posset, 788.

CIX. Donatio conventus et ecclesiae Ss. Ioannis et Pauli, suppressae congregationis fratrum Iesuatorum, puellis pauperibus S. Philippi Nerii de Urbe, 790.

CX. Declaratio nullitatis capitulationum sede archiepiscopali Salisburgensi vacante a capitularibus dictae ecclesiae in praeiudicium iurisdictionis archiepiscopalis et auctoritatis Sedis Apostolicae factarum, 793.

CXI. Erectio novi hospitalis in civitate Neapolitana sub invocatione S. Petri et S. Ianuarii pro usu pauperum mendicantium et otio vacantium, 794.

CXII. Constitutio prohibens mercaturam et negociationes seculares ecclesiasticis praesertim religiosis quibuslibet in Indiis Orientalibus et America nunc et pro tempore existentibus, 798.

CXIII. Declaratio circa solutionem decimae quoad ecclesiasticos regnorum et provinciarum coronae Aragoniae, 802.

CXIV. Erectio congregationis indulgentiis et sacris reliquiis praepositae, 805.

CXV. Concessio indulgentiae plenariae christifidelibus Italiae, et insularum adiacentium, divinam opem implorantibus pro liberatione civitatis Candiae et regni Cretae ab oppressione Turcarum, 806.

CXVI. Commissio archiepiscopo Mediolanensi procedendi contra expulsores Inquisitoris Ianuensis, eorumque complices, cum facultatibus opportunis, 808.

CXVII. Suspensio iuris conferendi beneficia in civitate, patria et dioecesi Leodiensi sita, in aliquibus mensibus

per obitum vacantia, universitati Lovaniensi illiusque facultati artium a Sede Apostolicâ concessi, 810.

CXVIII. Diversae facultates et ordinationes circa exercitium muneris, ac dependentiam missionariorum regularium cuiusvis Ordinis, etiam Societatis Iesu, a vicariis apostolicis apud Sinas, 815.

CXIX. Confirmatio et extensio decretorum Alexandri VII et cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositorum de nonnullis abusibus ecclesiasticorum in Indiis Orientalibus degentium tollendis, 819.

CXX. Extensio declarationis, ab Alexandro VII circa altaria privilegiata perpetua editae, ad altaria eiusmodi privilegio temporaneo nec omnibus hebdomadae diebus decorata, 822.

CXXI. Extensio facultatis constituendi duos poenitentiarios in ecclesiâ monasterii S. Antonii Viennensis, totius Ordinis eiusdem S. Antonii abbati generali pro tempore existenti ab Eugenio IV concessae, ad alios duos poenitentiarios, attento quod duo primi non sufficiunt, 823.

CXXII. Confirmat decretum sacrae congregationis rebus consistorialibus praepositae editum in causâ dismembrationis a metropolitanâ ecclesiâ Burgensi eius partis dioecesis, quae vulgo dicitur *le montagne basse*, ad effectum erigendi novum episcopatum in collegiatâ ecclesiâ oppidi de Santander, 825.

CXXIII. Reductio decreti circa vacationem generalatus ad formam constitutionis pro Ordine fratrum Cappuccinorum, 361.

CXXIV. Congregatio clericorum pauperum Matris Dei Scholarum Piarum restituitur ad statum regularium, ac fruitionem privilegiorum Mendicantibus concessorum, 827.

CXXV. Confirmatio Brevis Pauli V super licentiâ alumnis collegii nationis Scotorum Parisiensis concessa celebrari faciendi in dicto collegio et suscipiendi ordines sacros ad titulum paupertatis, 830.

CXXVI. Confirmatio extinctionis antiqui et erectio novi montis collegii secretariorum apostolicorum de numero participantium, 832.

FINIS TOMI DECIMISEPTIMI.

V. ex delegatione D. D. Archiepiscopi Taur.
P. CLODOVAEUS A COSTILIOLIS Ord. Min.

ERRATA-CORRIGE

HUIUS NOSTRAE EDITIONIS.

Pag.	27 *b*	*(in nota)*			ammissionis	*lege:*	amissionis
»	136 *a*	linea	11	*ult.*	haebreos	»	hebraeos
»	143 *b*	»	17		cursorum	»	Corsorum
»	143 *b*	»	8	*ult.*	cursorum	»	Corsorum
»	223 *b*	»	10	*ult.*	potestate	»	potestatis
»	357 *b*	»	18		qui	»	quis

In aliquibus exemplaribus tom. XVI *sequentia errata irrepserunt:*

Pag.	5 *b*	linea	31		Alexander Papa X	*lege:*	VII
»	76 *b*	»	7		id. id. VIII	»	VII
»	819 *in tit.*		3		id. id. VIII	»	VII

Typothetarum specimina
repetitis curis contulit et revisit I. B. Dusso Taurinensis.

262.11
T 195 TAURINENSIS
25407

AUTHOR
Bullarium Diplom. et Privilegiorum

TITLE
Tome XVII

DATE DUE	BORROWER'S NAME

25407